





UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 01362895 3







Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

<http://www.archive.org/details/bullarumdiplomat18cath>



BULLARIUM

ROMANUM

1.

Hec
B.

**BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO**

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIM BREVIVM, EPISTOLARVM, DECRETORVM ACTORVMQVE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADELECTI ROMAE VIROVM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONVM PERITORVM

QVAM

SS. D. N. PIVS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIOE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

ALOYSIO BILIO.

33086^A
21/3/94

TOMVS XVIII

CLEMENS X (ab an. MDCLXX ad ann. MDCLXXVI).

AUGVSTAE TAURINORVM

A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBVS

SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORVM

M DCCC LXIX.

BA
850
A37
112
11.10

VENERANDIS · PATRIBVS

IN · VATICANVM · CONCILIVM · COACTIS

EDITORES · TAVRINENSES

QVA · PAR · EST · OBSERVANTIA


VOLVMEN · XVIII · DICANT

BVLLARII · MAGNI · ROMANI

QVOD · ABHINC · ALIQVOT · ANNOS · EVVLGATVR

AVSPICIIS

PII · IX · PONT · MAX.



LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Eo tandem Operis nostri, Deo O. M. opitulante, pervenimus, unde suum olim exorsus fuit Carolus Coquelines, amplissimus Editionis Romanae, quam typis nostris denuo recudendam suscepimus, curator et auctor. Te enim, Lector benevole, meminisse iuvat (quod DD. VV. huius nostrae editionis curatores in praefatione secundo tomo praemissa enucleatius pag. xvii-xviii explicuerunt) clarissimum virum septimum Magni Bullarii Romani tomum, sex Cherubiniana collectionis iam existentibus supputatis, Clementis PP. X pontificatum ex integro referentem, primum omnium ann. MDCCXXXIII ex officina Mainardiana evulgavisse (ipsisimisque iste est quem denuo recensum secundisque curis nostris adornatum prae manibus habes); dein vero ab

ann. MDCCXXXIX ad ann. MDCCLXII sex priores tomos Cherubinianos ad viginti usque volumina multo sane labore miraque constantia per ipsum ditissime adauctos¹ (quae nos septemdecim antehac in lucem prolatis editionis nostrae tomis feliciter iam exegimus) addidisse.

Sperabamus itaque postremos octo a VII ad XIV editionis Mainardianae tomos, qui adhuc nobis praelo committendi supererant, quo maturius paratos et editos, eo accuratius impressos fore, proindeque non tantam mendosarum et erronearum lectionum molestiam, quantam praeacti hucusque procreaverant, nobis praebituros. At, longe aliter rem contigisse quam sperabamus, proxime adiectus fere octingentarum emendationum, quas in hoc volumine concinnando nos adhibere necesse fuit, satis superque cordato cuique demonstrabit. Nonnullas constitutiones paene ex integro resarcire debuimus (tot tantisque mendis scatebant!), uti prae ceteris videre est const. LXXXIII et CXXIII, nostram recensionem cum romana comparando. Nec ullam propterea volumus huius rei culpam clarissimo Coquelinio attribuere, qui, colligendis digerendisque diplomatibus pontificiis unice forsitan intentus, spartam corrigendi typhotetarum specimina alicui minus scio dimittere debuit; sed rem, qualis est, nimis diutina molestaque experientia coacti, enarramus. Interim vero, omni spe iam deposita aliquid melius, quam hucusque

¹ Sciendum est enim tertium rom. edit. tomum tribus constare voluminibus, quartum quatuor habere, quintum quinque, et sextum sex, quibus si addas tomum primum et secundum, quorum quisque uno volumine continetur, viginti voluminum summa conficitur.

experti sumus, in Mainardianis voluminibus nobis unquam occurrurum, improbo ingratoque labori, qui in libris erronee conscriptis legendis corrigendisque impenditur, subeundo atque ad finem usque fortiter tolerando nosmetipsos alacri animo committimus.

Et fortiter quidem, si Deus nobis adsit, constanterque, quantum in nobis est, usque ad finem in opere perstabimus, iamque post tomum decimumoctavum, quem in lucem nunc edimus, decimonono volumini conficiendo manum admovimus. Sed utinam atque utinam nostris curis laboribusque obsecundet publicus favor, quem nondum (dolentes dicimus), qualem sperare fas erat, nacti sumus. Ecclesiae catholicae venerandos Antistites Roman undique terrarum ad sacrosanctam Synodum Œcumenicam convocatos rogamus obtestamurque in Domino ut ad tantum opus consummandum nobis manus praebeant adiutrices; fidentiusque, dum Vaticanum Concilium celebratur, vota depromimus, quae iampridem ab ipso Operis exordio DD. VV., qui nobis suis studiis consiliisque nunquam non assistunt, ex animo profuderunt:

« Deum, dum haec scribimus, enixe oramus, ut, depulsa ab hominum mentibus caligine, cordibusque eorum Sancti Spiritus igne succensis, videant universi veritatem, videndo intelligant, intelligendo complectantur et diligant. Qui, si illuxerit dies quo in Vaticano monte sidus illud fulgidum omnes homines in viam salutis et in semitam mandatorum Domini sequantur, tunc demum uno ore fateri cogentur

Romanorum Pontificum in Ecclesia Iesu Christi admini-
stranda sapientiam et prudentiam, in refrænan-
dis vitiis robur, in docendo infallibilitatem, in admonendo beni-
gnitatem, in adducendis ad salutem errantibus zelum, fidem
in credendo incorruptam, spem in Deum firmissimam, in
omnes charitatem. Hunc ex animo diem votis urgemus,
quo, iuxta divinum oraculum, hominibus vocem Romani
Pontificis unice audientibus, qui sacra Iesu Christi vice in
terris defungitur, FIET UNUM OVILE ET UNUS PASTOR ».

Augustae Taurinorum, idibus decembris MDCCCLXIX.

A. VECCO ET SOCI.

INDICULUS


SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO XVIII

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.



<i>Datum A. D.</i>	<i>Pag.</i>	<i>Datum A. D.</i>	<i>Pag.</i>
GREGORIUS XIII.		CLEMENS IX.	
15 Iulii	1574 Ut ceteri 153	24 Octobris	1667 Illius qui charitas est . . 360
		14 Septembris	1668 Redemptoris et D. N. I. C. 71
	URBANUS VIII.	2 Ianuarii	1669 Orthodoxorum regum . . 73
20 Iunii	1625 Ad audientiam. 369	13 Septembris	1669 Speculatores. 447
	ALEXANDER VII.	CLEMENS X.	
		2 Maii	1670 Decet R. Pontificem . . . 171
13 Martii	1665 Iniuncti nobis caelitus . . 460	30 (vel 17) Octobris (?)	1670 Aequitatis et iustitiae 112
		26 Ianuarii	1671 Praeclara 262



TABULA

*Quae novum ordinem refert, quo chronologice dispositae sunt
Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum
veteri ordine Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

Edit. Taur. Tom. xviii.	Edit. Rom. Tom. vii.	Edit. Taur. Tom. xviii.	Edit. Rom. Tom. vii.
	CLEMENS X.	1670	XLVII Admonet nos cura 46
1670	I Romanorum gesta Pontif. 1	»	XLVIII De mandato sanctissimi. 47
»	II Rationi consonum et. 3	»	XLIX Alias emanarunt a Congr. 49
»	III Nos, volentes dilectos . . . 4	»	L Agrum Ecclesiae, quem . . . 50
»	IV Ex iniuncto nobis 5	»	LI Gloriosissimos caelestis . . 51
»	V Piis christifidelium votis. . . 6	»	LII Iniunctae nobis caelitus . . 52
»	VI In supremo militantis . . . 11	»	LIII Caelestium munerum 53
»	VII Nos, volentes dilectos . . . 7	1671	LIV Cum, sicut dilectus filius 54
»	VIII In eminenti Principis . . . 8	»	LV Exponi nobis nuper fecit 55
»	IX Cum inscrutabilis divitiar. 9	»	LVI Ex commissae nobis 56
»	X Supernâ magni patris. 10	»	LVII Ex iniuncto nobis 57
»	XI Romanus Pontifex. 12	»	LVIII Decet Romanum Pontif. . 2
»	XII Alias felicis recordationis 13	»	LIX Cum felicis recordationis 58
»	XIII Exponi nobis nuper fecer. 11	»	LX Pastoralis Romani Pontif. 59
»	XIV Cum, sicut dilectus 15	»	LXI Ex iniuncto nobis 60
»	XV Sollicitudo pastoralis 16	»	LXII Aeternae sapientiae. 61
»	XVI Alias felicis recordationis 17	»	LXIII Caelestis paterfamilias . . 62
»	XVII Iniuncta nobis divinitus. . 18	»	LXIV Caeli terraeque conditor. 63
»	XVIII Quae a Romanis Pontif. . 19	»	LXV Decet Romanum Pontif. . 64
»	XIX Sacrosancti apostolatus. . . 20	»	LXVI Redemptoris et Domini . . 65
»	XX Agni immaculati, qui. 21	»	LXVII Redemptoris et Domini . . 66
»	XXI Exponi nobis nuper fecit 22	»	LXVIII Nuper emanarunt ad . . . 67
»	XXII Ecclesiae catholicae 23	»	LXIX Salvatoris Domini nostri. 68
»	XXIII In apostolicae dignitatis. . 24	»	LXX Redemptoris et Domini. . 69
»	XXIV Cum alias per sacram. 25	»	LXXI Sacrosancti apostolatus. . 70
»	XXV Ex iniuncti nobis divinitus. 26	»	LXXII Apostolici muneris 71
»	XXVI Circumspecta Rom. Pont. 27	»	LXXIII Ex iniuncto nobis 72
»	XXVII Crescente in dies mirabili —	»	LXXIV Cum felicis recordationis . 73
»	XXVIII Exponi nobis nuper fecit 28	»	LXXV Cum, sicut nobis nuper. . 74
»	XXIX Creditae nobis divinitus . . 29	»	LXXVI Ad pastorale fastigium. . . 75
»	XXX Ecclesiae catholicae 30	»	LXXVII Romanum decet Pontifice. 79
»	XXXI Ut in congregatione 31	»	LXXVIII Alias piis enixisque . . . 76
»	XXXII Apostolicae servitutis. . . . 32	»	LXXIX Decet Romanum Pontifice. 77
»	XXXIII Caelestium munerum 33	»	LXXX Ex iniuncto nobis caelitus 78
»	XXXIV Aequitatis et iustitiae. . . 34	»	LXXXI Alias emanarunt a nobis 80
»	XXXV Exponi nobis nuper fecer. 35	»	LXXXII Romanus Pontifex 81
»	XXXVI Grata familiaritatis 36	»	LXXXIII Postquam nonnullae 82
»	XXXVII In gravissimis rerum 37	»	LXXXIV Constantis fidei et sincer. 83
»	XXXVIII Alias felicis recordationis 38	»	LXXXV Exponi nobis nuper fecit 84
»	XXXIX Dudum felicis recordat. . . 39	»	LXXXVI Ex iniuncto nobis 85
»	XL Cum felicis recordationis 40	»	LXXXVII Alias nos omnibus 86
»	XLI Redemptoris et Domini . . 41	»	LXXXVIII Romanus Pontifex gratiar. 87
»	XLII Ad uberes bonorum 42	»	LXXXIX Unigeniti Dei Filii 88
»	XLIII Romani Pontificis consueti 48	»	XC Commissae nobis 89
»	XLIV Redemptoris et Domini . . 43	»	XCI Ex debito pastoralis. 90
»	XLV Cum sicut pro parte. 44	»	XCII Cum, sicut accepimus . . . 91
»	XLVI Cum nos hodie, motu 45	»	XCIII Ex commissae nobis. 92
		»	XCIV Alias pro parte tunc 93

Edit. Taur. Tom. xviii.		Edit. Rom. Tom. vii.	Edit. Taur. Tom. xviii.		Edit. Rom. Tom. vii.
1671	XCV Nuper pro parte dilecti..	95	1673	CXLIX Aliás emanarunt a felicis	148
»	XCVI Nuper pro parte dilecti..	94	1674	CL Redemptoris et Domini..	149
»	XCVII Exponi nobis nuper fecit	96	»	CLI Ex iniuncto nobis.....	150
»	XCVIII Unigenitus Dei Filius...	97	»	CLII Cum, sicut accepimus...	151
»	XCIX Iniuncti nobis caelitus...	98	»	CLIII Ubi primum divina.....	152
»	C Caelestium munerum....	99	»	CLIV Ad apostolicae vocis....	153
»	CI Sacrosancti apostolatus..	100	»	CLV Cum nos nuper sancti...	154
»	CII Aliás felicis recordationis	101	»	CLVI Quoniam ea, quae ex....	155
»	CIII Redemptoris et Domini..	102	»	CLVII In apostolicae dignitatis.	156
»	CIV Ad Romani Pontificis...	103	»	CLVIII Cum dudum felicis recor.	157
»	CV Exponi nobis nuper fecer.	104	»	CLIX Christianae religionis....	158
»	CVI Exponi nobis nuper fecer.	105	»	CLX Aliás pro parte dilecti...	159
»	CVII Nuper pro parte dilecti..	106	»	CLXI De salute gregis dominici	160
1672	CVIII Cum ad notitiam nostram	107	»	CLXII Exponi nobis nuper fecit	161
»	CIX Apostolatus officium,....	108	»	CLXIII Cum dilecti filii christiani	162
»	CX Cum ex Apostolicae.....	109	»	CLXIV Romanus Pontifex.....	163
»	CXI Essendo noi.....	110	»	CLXV Cum nos nominationem..	164
»	CXII Pastoralis officii, quod...	111	»	CLXVI Cum nos aliás per quodd.	165
»	CXIII Exponi nobis nuper fecit	112	»	CLXVII Aliás, postquam felicis...	166
»	CXIV Aliás felicis recordationis	113	»	CLXVIII Romanus Pontifex, aequi	167
»	CXV Sacrosancti apostolatus...	111	1675	CLXIX Cum, sicut dilectus filius.	168
»	CXVI Sollicitudo pastoralis....	115	»	CLXX Exponi nobis nuper fecer.	169
»	CXVII Exponi nobis nuper fecer.	116	»	CLXXI Spiritus Domini, qui... ..	170
»	CXVIII Cum, sicut accepimus...	118	»	CLXXII Quemadmodum caelestis.	171
»	CXIX Ad pastoralis dignitatis..	117	»	CLXXIII Pontificia sollicitudo,....	172
»	CXX Inter gravissimas multipl.	119	»	CLXXIV Sacrosancti apostolatus..	173
»	CXXI Ex iniuncto nobis.....	120	»	CLXXV Sollicitudo pastoralis....	174
»	CXXII Cum, sicut non sine.....	121	»	CLXXVI Sollicitudo pastoralis....	175
»	CXXIII Romanus Pontifex.....	122	»	CLXXVII Exposuerunt nobis nuper	176
»	CXXIV Ad favorem inquilinorm	123	»	CLXXVIII Inter alia gravissima....	179
1673	CXXV Ex commissae nobis....	124	»	CLXXIX Apostolicae servitutis....	177
»	CXXVI Ex iniuncto nobis.....	125	»	CLXXX Ex iniuncto nobis caelitus	178
»	CXXVII Ad pastoralis dignitatis..	128	»	CLXXXI Exposuerunt nobis nuper	180
»	CXXVIII Creditae nobis caelitus..	126	»	CLXXXII Religionis zelus.....	181
»	CXXIX Exponi nobis nuper fecer.	127	»	CLXXXIII Cum nos, per quasdam..	182
»	CXXX Nuper pro parte dilector.	129	»	CLXXXIV Nuper ad instantiam....	183
»	CXXXI Nuper pro parte dilector.	130	»	CLXXXV In supremo militantis... ..	181
»	CXXXII Commissa nobis divinitus	131	»	CLXXXVI Exponi nobis nuper fecit	185
»	CXXXIII Aliás nos supplicationibus	132	»	CLXXXVII Pastoralis officii.....	186
»	CXXXIV Caelestium munerum....	133	»	CLXXXVIII Militantis Ecclesiae.....	187
»	CXXXV Dudum felicis recordat...	134	»	CLXXXIX Cum, sicut accepimus... ..	188
»	CXXXVI Exigit apostolicae servit..	135	»	CXC Conservationi et manut... ..	189
»	CXXXVII Sacrosancti apostolatus..	136	»	CXCI Cum dudum felicis rec... ..	190
»	CXXXVIII Exigit iniunctae nobis...	137	»	CXCII In apostolicae dignitatis..	191
»	CXXXIX Apostolici muneris, quod	138	»	CXCIII Exponi nobis nuper fecit	192
»	CXL Ex commissi nobis.....	139	»	CXCIV Aliás nos congregationi..	193
»	CXLI Emanavit nuper a Congr.	140	»	CXCV Salvatoris et Domini nostri	194
»	CXLII Quoniam nemo debet....	141	»	CXCVI Sanctorum martyrum,	195
»	CXLIII Ex iniuncto nobis.....	142	1676	CXCVII Exponi nobis nuper fecit.	196
»	CXLIV Pastoralis officii, quod...	113	»	CXCVIII Exponi nobis nuper fecer.	197
»	CXLV Sollicitudo pastoralis....	111	»	CXCIX Apostolatus officium,....	198
»	CXLVI Decet Romanum Pontif..	115	»	CC Dudum a felicis recordat.	199
»	CXLVII Illius, qui charitas est... ..	146	»	CCI Caelestium munerum....	200
»	CXLVIII Iniuncti nobis caelitus... ..	147	»	CCII Sollicitudo pastoralis....	201
			»	CCIII Inscrutabili divinae prov.	202

INDEX

LECTIONUM VEL MENDOSARUM VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAR EDITIONIS.

(Vide Adv. tom. XI pag. XII).

Edit. Rom. Man. Tom. VII.

Edit. Tur. Tom. XVII.

<i>Pag.</i>	<i>1 b</i>	<i>linea</i>	<i>8 ult.</i>	<i>est</i>	<i>Pag.</i>	<i>1 b</i>	<i>linea</i>	<i>1 ult.</i>	<i>sunt</i>
»	<i>2 a</i>	»	<i>6</i>	<i>virtutum</i>	»	<i>2 a</i>	»	<i>16</i>	<i>virtutem</i>
»	<i>2 b</i>	»	<i>33</i>	<i>sanctitatem pro</i>	»	<i>3 b</i>	»	<i>5</i>	<i>sanctitatem. Pro</i>
»	<i>2 b</i>	»	<i>41</i>	<i>admoveret</i>	»	<i>3 b</i>	»	<i>13</i>	<i>admovebat</i>
»	<i>2 b</i>	»	<i>3 ult.</i>	<i>eximenda.</i>	»	<i>4 a</i>	»	<i>5</i>	<i>exurenda</i>
»	<i>4 a</i>	»	<i>12</i>	<i>diripuit.</i>	»	<i>6 a</i>	»	<i>17</i>	<i>erupit</i>
»	<i>4 a</i>	»	<i>20</i>	<i>excepto.</i>	»	<i>6 a</i>	»	<i>25</i>	<i>stante (vel erecto)</i>
»	<i>4 a</i>	»	<i>16 ult.</i>	<i>mortalem.</i>	»	<i>6 b</i>	»	<i>24</i>	<i>moralem</i>
»	<i>4 b</i>	»	<i>29</i>	<i>miraculis. ut</i>	»	<i>7 a</i>	»	<i>8 ult.</i>	<i>miraculis claruerit. ut</i>
»	<i>5 a</i>	»	<i>17</i>	<i>beatificationem</i>	»	<i>8 a</i>	»	<i>15</i>	<i>beatificationem contige-</i> <i>rant</i>
»	<i>6 a</i>	»	<i>8</i>	<i>nostrarum voluntatum.</i>	»	<i>9 b</i>	»	<i>9 ult.</i>	<i>nostrarum voluntatis</i>
»	<i>8 b</i>	»	<i>14</i>	<i>audiri</i>	»	<i>12 a</i>	»	<i>9 ult.</i>	<i>audire</i>
»	<i>8 b</i>	»	<i>27 ult.</i>	<i>ut quae.</i>	»	<i>12 b</i>	»	<i>15 ult.</i>	<i>utque</i>
»	<i>9 a</i>	»	<i>1</i>	<i>solitudine</i>	»	<i>13 a</i>	»	<i>21</i>	<i>solitudinis</i>
»	<i>9 b</i>	»	<i>2</i>	<i>confessarii</i>	»	<i>14 a</i>	»	<i>18</i>	<i>confessarius</i>
»	<i>9 b</i>	»	<i>12</i>	<i>desponsam</i>	»	<i>14 a</i>	»	<i>12 ult.</i>	<i>desponsatam (?)</i>
»	<i>9 b</i>	»	<i>19</i>	<i>adhaeret</i>	»	<i>14 a</i>	»	<i>3 ult.</i>	<i>adhaerebat</i>
»	<i>9 b</i>	»	<i>21</i>	<i>obstergeret</i>	»	<i>14 b</i>	»	<i>5</i>	<i>abstergeret</i>
»	<i>9 b</i>	»	<i>31 ult.</i>	<i>missioribus</i>	»	<i>11 b</i>	»	<i>19 ult.</i>	<i>mitioribus (?)</i>
»	<i>10 a</i>	»	<i>25 ult.</i>	<i>nempe</i>	»	<i>15 b</i>	»	<i>18 ult.</i>	<i>neque</i>
»	<i>10 b</i>	»	<i>16</i>	<i>cum</i>	»	<i>16 a</i>	»	<i>15 ult.</i>	<i>ut. cum</i>
»	<i>11 a</i>	»	<i>4 ult.</i>	<i>cruciatu</i>	»	<i>17 b</i>	»	<i>10 ult.</i>	<i>cruciata</i>
»	<i>11 b</i>	»	<i>1 ult.</i>	<i>1654</i>	»	<i>18 b</i>	»	<i>10 ult.</i>	<i>1664 (?)</i>
»	<i>13 a</i>	»	<i>10</i>	<i>expressis</i>	»	<i>20 b</i>	»	<i>9 ult.</i>	<i>impressis</i>
»	<i>13 a</i>	»	<i>17</i>	<i>nostrarum voluntatum</i>	»	<i>20 b</i>	»	<i>2 ult.</i>	<i>nostrarum voluntatis</i>
»	<i>17 a</i>	»	<i>31 ult.</i>	<i>per nos ut supradictis</i>	»	<i>28 a</i>	»	<i>8</i>	<i>per nos, ut supra, dictis</i>
»	<i>20 b</i>	»	<i>19 ult.</i>	<i>iuvantes</i>	»	<i>35 a</i>	»	<i>15</i>	<i>iuvantis</i>
»	<i>20 b</i>	»	<i>19 ult.</i>	<i>et quae</i>	»	<i>35 a</i>	»	<i>15</i>	<i>atque</i>
»	<i>20 b</i>	»	<i>14 ult.</i>	<i>presbyter.</i>	»	<i>35 a</i>	»	<i>21</i>	<i>presbyteri</i>
»	<i>22 b</i>	»	<i>33 ult.</i>	<i>innodati</i>	»	<i>38 b</i>	»	<i>15</i>	<i>innodatae</i>
»	<i>22 b</i>	»	<i>31 ult.</i>	<i>absolutos</i>	»	<i>38 b</i>	»	<i>18</i>	<i>absolutas</i>

Pag.	23 a	linea	11	fides ipsi	Pag.	39 a	linea	23	fides
»	23 a	»	30 ult.	illam	»	39 b	»	6	illa
»	23 a	»	15 ult.	sacrae	»	39 b	»	16 ult.	sacris
»	33 b	»	28 ult.	et	»	41 b	»	3 ult.	omnibus et
»	23 b	»	13 ult.	ac eosdem	»	42 b	»	13 ult.	eosdem
»	24 a	»	5	fuertint	»	43 a	»	8	fuertint
»	24 a	»	19	in eorum	»	43 a	»	25	eorum
»	24 a	»	39	nominari	»	43 b	»	6	nominare
»	24 a	»	30 ult.	participantes	»	43 b	»	21	participantium
»	24 b	»	5 ult.	ac	»	43 b	»	8 ult.	ut
»	26 b	»	19 ult.	quam	»	48 a	»	5 ult.	quae
»	26 b	»	16 ult.	ubique	»	48 a	»	1 ult.	et ubique
»	27 b	»	30 ult.	Serrae	»	50 a	»	15	terrae (?)
»	29 b	»	31 ult.	quam	»	53 b	»	16 ult.	vel
»	31 b	»	3	approbatus	»	57 a	»	8	approbatus
»	31 a	»	18 ult.	illi	»	57 b	»	23	illis
»	32 b	»	28 ult.	ecclesiastica	»	59 a	»	5 ult.	in ecclesiastica
»	32 b	»	14 ult.	iunii	»	59 b	»	11	iunii
»	34 a	»	16 ult.	absolutos	»	60 a	»	18 ult.	absolutas
»	34 b	»	2	apostolici	»	60 b	»	1	apostolici auditores
»	34 b	»	2 ult.	quid aliqui	»	61 a	»	14 ult.	aliqui
»	35 b	»	3	ipsis	»	62 a	»	12 ult.	ipsis praesentibus
»	35 b	»	14 (rub.)	emanata	»	62 b	»	2	emanatorum
»	35 b	»	3 ult.	alios	»	63 a	»	19	illos
»	36 a	»	18 ult.	etsi	»	63 b	»	2 ult.	et si
»	36 a	»	2 ult.	annorum	»	63 a	»	19	annuorum
»	36 b	»	17	1629	»	64 a	»	3 ult.	1669 (?)
»	37 a	»	16 ult.	tenoribus	»	65 b	»	11 ult.	tenores
»	39 a	»	27 ult.	expressis	»	67 b	»	6	expresso
»	39 b	»	21	ut plurimum	»	70 a	»	4	ut plurimum
»	41 b	»	4 ult.	quod ipsi	»	73 b	»	6 ult.	ipsi
»	42 a	»	31	de	»	74 a	»	7 ult.	ut de
»	42 a	»	35	de	»	74 a	»	1 ult.	ut de
»	42 a	»	15 ult.	quod ipsi	»	74 b	»	20 ult.	ipsi
»	42 b	»	12	de	»	75 a	»	12	sicut de
»	42 b	»	18	constitutis	»	75 a	»	20	constituti
»	44 a	»	21 ult.	martyre	»	78 a	»	15 ult.	roartyri
»	44 b	»	28	martyre	»	78 b	»	2 ult.	martyri
»	45 a	»	23	praesentis	»	79 b	»	11 ult.	praedictis
»	47 a	»	30	fides	»	83 b	»	6	quod fides
»	47 a	»	31	identificent	»	83 b	»	7	indificent
»	48 a	»	1	ac ad	»	85 a	»	4	ac si ad
»	48 b	»	17	exegerit	»	86 a	»	21 ult.	egerit
»	50 b	»	12 ult.	perceperitis	»	90 a	»	4 ult.	perciperetis
»	50 b	»	11 ult.	resideretis	»	90 a	»	3 ult.	resideretis
»	53 a	»	14 ult.	instantia	»	95 a	»	14	et instantia
»	53 b	»	6	gaudere	»	95 a	»	7 ult.	et gaudere
»	53 b	»	4 ult.	hospitalibus	»	96 a	»	20 ult.	hospitali
»	54 a	»	7 ult.	celebrare	»	97 b	»	17 ult.	celebrari
»	55 a	»	4 ult.	provinciarum	»	99 a	»	12 ult.	a provinciarum
»	57 b	»	7	ac eorum	»	103 a	»	6	ac si eorum
»	57 b	»	16	consensu	»	103 a	»	16	consensus
»	59 a	»	39	alias	»	106 a	»	22	alia
»	59 a	»	32 ult.	communitas	»	106 a	»	11 ult.	communatas
»	60 a	»	12 ult.	consensu	»	108 a	»	1 ult.	consensus
»	60 b	»	12 ult.	regno	»	109 a	»	9 ult.	regni
»	61 a	»	28	institutio	»	109 b	»	7 ult.	executio
»	62 b	»	31	in suae custodiae	»	110 b	»	6 ult.	in suâ custodia

<i>Edit. Rom. Main. Tom. VII.</i>		<i>Edit. Taur. Tom. XVIII.</i>	
<i>Pag.</i>	63 <i>a</i> linea 2 <i>ult.</i> (<i>margin.</i>) 30	<i>Pag.</i>	111 <i>a</i> linea 10 3
"	64 <i>a</i> " 5 absolutos	"	115 <i>a</i> " 9 absolutas
"	64 <i>a</i> " 23 praefati	"	115 <i>a</i> " 13 <i>ult.</i> praefatis
"	65 <i>b</i> " 13 <i>ult.</i> et pro illis	"	118 <i>b</i> " 3 et illis pro
"	66 <i>a</i> " 11 illorum	"	118 <i>b</i> " 13 <i>ult.</i> illarum
"	66 <i>a</i> " 22 illorum	"	119 <i>a</i> " 2 illarum
"	66 <i>a</i> " 29 seu	"	119 <i>a</i> " 10 se
"	67 <i>a</i> " 18 <i>ult.</i> ac	"	121 <i>a</i> " 16 <i>ult.</i> ac in
"	67 <i>b</i> " 24 <i>ult.</i> indultum	"	122 <i>a</i> " 16 in titulum
"	69 <i>a</i> " 7 praedictis	"	124 <i>a</i> " 4 praeditis
"	69 <i>a</i> " 23 appaltum	"	124 <i>b</i> " 16 appaltuum
"	69 <i>b</i> " 35 <i>ult.</i> intendimus	"	125 <i>a</i> " 17 intendamus
"	70 <i>a</i> " 5 et personis	"	126 <i>a</i> " 13 <i>ult.</i> personas
"	70 <i>a</i> " 14 <i>ult.</i> consensu	"	127 <i>a</i> " 4 consensus
"	71 <i>b</i> " 23 <i>ult.</i> quibuscumque	"	129 <i>b</i> " 20 quibuscumque non obstan- tibus
"	72 <i>a</i> " 30 consensu	"	131 <i>a</i> " 8 <i>ult.</i> consensus
"	74 <i>a</i> " 28 quod fratres	"	134 <i>a</i> " 18 fratres
"	74 <i>a</i> " 20 <i>ult.</i> illius	"	134 <i>b</i> " 2 illiusque
"	74 <i>b</i> " 31 <i>ult.</i> Ordinis	"	135 <i>a</i> " 16 <i>ult.</i> Ordini
"	75 <i>b</i> " 23 <i>ult.</i> toties	"	137 <i>a</i> " 20 <i>ult.</i> totis
"	76 <i>a</i> " 10 dilectus	"	137 <i>b</i> " 18 <i>ult.</i> sicut dilectus
"	83 <i>a</i> " 4 iustitia	"	139 <i>a</i> " 7 <i>ult.</i> in iustitia
"	83 <i>a</i> " 34 quorum	"	139 <i>b</i> " 15 <i>ult.</i> horum
"	83 <i>b</i> " 21 absque	"	140 <i>b</i> " 11 ut, absque
"	84 <i>a</i> " 5 ut	"	141 <i>a</i> " 13 <i>ult.</i> subdiaconis apostolicis ut
"	84 <i>a</i> " 17 <i>ult.</i> incognitos	"	142 <i>a</i> " 2 incogitatos
"	84 <i>b</i> " 7 consensu	"	142 <i>a</i> " 14 <i>ult.</i> consensus
"	84 <i>b</i> " 13 aliud	"	142 <i>a</i> " 7 <i>ult.</i> aut aliud
"	84 <i>b</i> " 11 <i>ult.</i> per	"	143 <i>a</i> " 3 eos per
"	85 <i>a</i> " 33 causa, exquisita	"	143 <i>b</i> " 13 exquisita
"	85 <i>a</i> " 3 <i>ult.</i> 1671	"	144 <i>a</i> " 11 1670
"	85 <i>b</i> " 4 <i>ult.</i> aliis	"	144 <i>a</i> " 11 <i>ult.</i> altis (?)
"	87 <i>a</i> " 13 <i>ult.</i> (<i>rubr.</i>) factarum	"	145 <i>a</i> " 11 factas
"	87 <i>b</i> " 27 memoratum	"	145 <i>a</i> " 16 memoratorum
"	88 <i>a</i> " 9 <i>ult.</i> declaravimus	"	147 <i>a</i> " 1 declaraverimus
"	88 <i>b</i> " 37 secutae	"	147 <i>b</i> " 11 secuta
"	88 <i>b</i> " 11 <i>ult.</i> consensu	"	147 <i>b</i> " 6 <i>ult.</i> consensus
"	89 <i>b</i> " 6 notitia	"	149 <i>a</i> " 4 notitiae
"	89 <i>b</i> " 20 praedecessorum	"	149 <i>a</i> " 21 praedecessoribus
"	89 <i>b</i> " 28 eiusque	"	149 <i>a</i> " 12 <i>ult.</i> eorumque
"	89 <i>b</i> " 37 <i>ult.</i> pro tempore	"	150 <i>a</i> " 10 <i>ult.</i> in pro tempore
"	89 <i>b</i> " 22 <i>ult.</i> augendi	"	150 <i>b</i> " 6 adiungendi
"	89 <i>b</i> " 13 <i>ult.</i> dicto	"	150 <i>b</i> " 19 in dicto
"	89 <i>b</i> " 6 et	"	150 <i>b</i> " 2 <i>ult.</i> ut
"	89 <i>b</i> " 23 necessaria	"	151 <i>a</i> " 20 necessario
"	89 <i>b</i> " 26 <i>ult.</i> sui	"	153 <i>a</i> " 14 <i>ult.</i> tui
"	89 <i>b</i> " 8 <i>ult.</i> ut collegium	"	153 <i>b</i> " 17 collegium
"	89 <i>b</i> " 3 <i>ult.</i> eorum	"	154 <i>b</i> " 9 eorumque
"	89 <i>b</i> " 5 praesentibus	"	154 <i>b</i> " 22 praesentium
"	89 <i>b</i> " 9 <i>ult.</i> recognitio	"	158 <i>a</i> " 9 recognito
"	89 <i>a</i> " 10 <i>ult.</i> nobilitate	"	159 <i>a</i> " 2 mobilitate
"	89 <i>b</i> " 19 <i>ult.</i> omnibus	"	159 <i>b</i> " 14 <i>ult.</i> ab omnibus
"	89 <i>a</i> " 20 expressis	"	160 <i>b</i> " 4 expresso
"	89 <i>a</i> " 21 insertis	"	160 <i>b</i> " 5 inserto
"	89 <i>b</i> " 30 cetera alia	"	161 <i>a</i> " 3 <i>ult.</i> ceterae aliae
"	89 <i>b</i> " 16 illos	"	163 <i>a</i> " 10 illis
"	89 <i>b</i> " 31 praesentes	"	163 <i>a</i> " 16 <i>ult.</i> per praesentes

Pag.	88 b	linea 28	ult. pacifico	Pag.	163 a	linea 1	ult. pacifice
»	90 b	» 14	permittitur	»	164 b	» 8	ult. praemittitur
»	91 b	» 3	ult. exequatur	»	167 a	» 1	ult. exequantur
»	92 b	» 10	tenore	»	168 a	» 1	ult. tenorem
»	93 b	» 3	ult. consensu	»	170 b	» 18	consensus
»	93 b	» 27	ult. etiam	»	170 b	» 26	aut etiam
»	7 b	» 9	primodicti	»	172 b	» 4	ult. primodictis
»	7 b	» 2	ult. 1670	»	173 b	» 9	1671 (?)
»	7 b	» 2	ult. martii	»	773 b	» 10	maii (?)
»	94 b	» 19	ult. huiusmodi	»	174 b	» 22	in huiusmodi
»	94 a	» 14	ult. attributam	»	174 b	» 28	attributâ
»	94 b	» 10	ult. valeat	»	174 b	» 9	ult. valeant
»	95 a	» 3	ult. et sine	»	175 b	» 8	ult. sine
»	97 b	» 19	sive	»	179 b	» 16	ult. sine
»	98 b	» 5	ult. percipere (1)	»	182 a	» 18	ult. percipere studeant
»	99 b	» 33	ult. sive	»	183 b	» 21	sic
»	100 b	» 12	ult. compendio	»	185 b	» 11	ult. commodo (?)
»	100 b	» 9	ult. Cum	»	185 b	» 9	ult. Cumque
»	102 b	» 7	in dilectissimam	»	188 b	» 13	ult. dilectissimam
»	102 b	» 11	decernimus	»	188 b	» 5	ult. decernemus
»	102 b	» 24	muniat et defendat	»	189 a	» 8	muniant et defendant
»	103 b	» 21	et aliarum	»	190 b	» 7	ult. aliarum
»	103 b	» 15	ult. conclavis	»	191 a	» 10	ult. conclavi
»	104 a	» 21	severioris	»	191 b	» 11	ult. severioris instituti
»	104 a	» 21	primae	»	191 b	» 11	ult. primo
»	104 b	» 23	reservavit	»	192 b	» 14	ult. reseravit
»	104 b	» 1	ult. in	»	193 a	» 2	ult. ei
»	105 a	» 32	affluentiam	»	193 b	» 19	ult. affluentia
»	105 b	» 7	illudque	»	194 b	» 1	ad illudque
»	105 b	» 27	ult. solemniam quacque	»	195 a	» 2	solemnem quasque
»	106 a	» 33	quaesita	»	195 b	» 15	ult. quae ita
»	106 a	» 34	erat	»	195 b	» 11	ult. aras
»	106 a	» 36	defixit	»	196 b	» 9	ult. deflexit
»	106 a	» 15	ult. ad	»	196 a	» 14	ac
»	106 b	» 1	attentissime	»	196 a	» 12	ult. attentissima
»	106 a	» 33	ult. quidem	»	196 b	» 12	ult. quidam
»	106 b	» 7	ult. quod	»	197 a	» 21	qui
»	107 a	» 27	ult. ac	»	197 b	» 7	ult. ut
»	108 a	» 32	ult. res	»	199 b	» 20	ult. reliquas
»	108 b	» 28	Ilunc est	»	200 b	» 4	Hoc esse
»	108 b	» 28	indicium. Quam	»	200 b	» 5	indicium quam
»	108 b	» 31	impendentibus	»	200 b	» 9	impendentis
»	109 a	» 21	ult. nutrita	»	201 b	» 16	ult. nutrita
»	109 b	» 4	seu	»	202 a	» 14	ceu
»	102 b	» 39	ult. eis	»	202 b	» 3	is
»	109 b	» 17	ult. quae	»	202 b	» 13	ult. qua
»	109 b	» 14	ult. impatienti	»	202 b	» 10	ult. impatientis
»	110 b	» 19	ult. interclusit	»	204 b	» 18	intercludit
»	110 b	» 14	ult. praecursurum	»	204 b	» 24	percursurum
»	111 a	» 9	qui	»	205 a	» 8	cui
»	111 a	» 10	solvendo	»	205 a	» 9	solvendo par
»	111 a	» 22	parafrenalia	»	205 a	» 24	parafrenalia
»	111 a	» 23	antidota	»	205 a	» 25	antidota
»	111 b	» 22	datae spiritum	»	206 a	» 21	datae et spiritum
»	111 b	» 24	quoad	»	206 a	» 23	quo ad
»	112 a	» 10	ult. alias	»	207 b	» 23	alias

(1) Et etiam edit. Main. habet *percipere studeant*, adeoque correctio nulli.

Pag. 112 a	linea 7 ult.	quam	Pag. 207 b	linea 25	qua
» 112 a	» 2 ult.	esse	» 207 b	» 10 ult.	esset
» 112 b	» 3	nulli	» 207 b	» 5 ult.	ulli
» 113 a	» 15 ult.	subiisse	» 209 b	» 7	subiacuisse
» 114 b	» 1 ult.	progressu	» 212 a	» 3 ult.	progressa
» 115 b	» 12	dictum	» 213 b	» 4	dilectum
» 117 b	» 19	poterat	» 217 a	» 11	poterant
» 118 a	» 33 ult.	sua	» 218 a	» 18 ult.	sui
» 118 b	» 36 ult.	enim	» 219 a	» 17	olim
» 119 a	» 18 ult.	imbuere	» 220 a	» 12 ult.	imbueret
» 119 a	» 11 ult.	quae	» 220 a	» 3 ult.	qui
» 119 b	» 27 ult.	eiecit	» 221 a	» 20	eiecit
» 120 a	» 18 ult.	rudentis	» 222 a	» 13	prudentis
» 121 a	» 3	mihî	» 223 a	» 10 ult.	mi
» 121 a	» 17	hortatur	» 223 b	» 7	hortaretur
» 121 a	» 15 ult.	Frequente	» 224 a	» 9	Frequenter
» 124 b	» 5	arbitramur	» 229 b	» 16	arbitratur
» 124 b	» 24 ult.	exequi	» 230 a	» 21	et exequi
» 124 b	» 18 ult.	illarum	» 230 a	» 16 ult.	illatum
» 125 a	» 16	consensu	» 230 b	» 21	consensus
» 128 b	» 24	expositum	» 235 b	» 18 ult.	exposito
» 130 a	» 22	omnibus	» 238 a	» 14 ult.	in omnibus
» 132 b	» 1	et	» 242 a	» 1 ult.	ut
» 132 b	» 6	servantur	» 242 b	» 6	serventur
» 132 b	» 25 ult.	habuerunt	» 243 a	» 8	habuerint
» 133 b	» 10 ult.	vana	» 245 a	» 9	vota
» 137 b	» 21	ediderunt	» 247 b	» 3 ult.	addiderunt
» 137 b	» 33 ult.	possesso	» 247 a	» 15	possessa
» 137 b	» 32 ult.	et prout	» 247 a	» 16	prout
» 137 b	» 29 ult.	mons vero	» 247 a	» 19	Cum vero mons
» 138 a	» 2	computatis	» 247 b	» 21	computatorum
» 138 a	» 23	exemptam annuam	» 248 a	» 4	exemptam
» 138 a	» 35	millium	» 248 a	» 19	millia
» 138 b	» 4	montista	» 248 b	» 20 ult.	montistae
» 138 b	» 18	inchoante	» 248 b	» 4 ult.	inchoandum
» 138 b	» 31 ult.	libere	» 249 a	» 22	libera
» 138 b	» 21 ult.	quietare	» 249 a	» 10 ult.	quietare possit
» 138 b	» 7 ult.	erogare	» 249 b	» 7	erogari
» 139 b	» 28	et	» 250 b	» 2 ult.	ex
» 140 a	» 26	circa	» 251 b	» 9 ult.	citra
» 140 a	» 32	perpetuae valida	» 251 b	» 2 ult.	perpetuae valida
» 140 b	» 15	alios	» 252 b	» 14	aliàs
» 140 i	» 16	factos impositos et indultos	» 252 b	» 14	factis impositis et indultis
» 141 a	» 1	alia	» 253 b	» 6 ult.	aliam
» 141 b	» 26	instrumentis	» 254 b	» 18	in instrumentis
» 142 a	» 24	cedula	» 255 b	» 4 ult.	cedulae
» 142 a	» 16 ult.	maioris	» 256 a	» 6	maiore
» 142 b	» 27	die	» 256 b	» 15	hac die
» 134 b	» 5 ult.	15	» 258 a	» 13	13
» 135 b	» 14	eo	» 259 a	» 19 ult.	eâ
» 144 a	» 5	quod non	» 264 a	» 3	non
» 144 a	» 31	et illorum	» 264 a	» 8 ult.	illorum
» 144 a	» 12 ult.	et quod	» 264 b	» 21	eo quod
» 144 b	» 6	et in futurum	» 264 b	» 1 ult.	in futurum
» 144 b	» 12 ult.	numerum	» 265 b	» 20	numerus
» 145 a	» 25	ac in dietos unum	» 266 a	» 19-20	ac dietos in unum
» 147 a	» 9 ult.	ipsis	» 266 b	» 20	ipsis

Pag. 145 b linea 33	illatis	Pag. 267 a linea 24	allatis
» 145 b » 26 ult.	ipsos	» 267 a » 7 ult.	ipsas
» 146 a » 33 ult.	concessorum	» 268 a » 14	concessionum
» 146 a » 31 ult.	ipsius	» 268 a » 17	ipsis
» 146 b » 3	collegium	» 268 b » 9 ult.	collegii
» 146 b » 33 ult.	regulares a	» 269 a » 14	regulares quas a
» 146 b » 16 ult.	Romanis Pontificibus si- militer	» 269 a » 4 ult.	Romanis Pontificibus ha- bentibus, praedudicare non potuisset, ac reco- lenda memoriae Leo- nis X et Clementis VII Romanorum Pontificum similiter
» 147 a » 3 ult.	debuissent	» 270 b » 14	deberent
» 147 b » 22	ecclesiarumque	» 271 a » 4	ecclesiarum
» 147 b » 10 ult.	annexos	» 271 b » 6	annuos
» 148 a » 2	censuerat	» 271 a » 20	censens ut
» 148 a » 17-18	quorum quodlibet annum valorem viginti quatuor ducatorum	» 271-272	quorum cuiuslibet annuus valor viginti quatuor ducatos
» 148 a » 20	excessisset	» 272 a » 3	non excessisset
» 148 a » 29	per	» 272 a » 13	quam per
» 148 a » 36	comprehendi et includi .	» 272 a » 20	comprehenderentur et in- cluderentur
» 148 a » 37	et ad solutionem	» 272 a » 11 ult.	et propterea omnia et sin- gula... capitula, etc... et pia loca huiusmodi ad solutionem
» 148 a » 46	ac	» 272 a » 10 ult.	ut
» 148 a » 20 ult.	in litteris	» 272 b » 6	prout in litteris
» 148 b » 7	quorum	» 272 b » 3 ult.	horum
» 148 b » 18	antea	» 273 a » 10	ante a
» 148 b » 4 ult.	subrogandas	» 273 b » 17 ult.	subrogandos
» 149 a » 9	incurrerant, iisdem.	» 273 b » 3 ult.	incurrerint, ab iisdem
» 149 a » 13	in litteris	» 274 a » 3	prout in litteris
» 149 a » 38	nos vero	» 274 a » 12 ult.	nos
» 149 b » 6	eorum	» 274 b » 10 ult.	horum
» 149 b » 32 ult.	et ad idem necnon de .	» 275 a » 14 ult.	et ad id necnon ad se
» 150 a » 25	quomodolibet	» 276 a » 10	quas quomodolibet
» 160 b » 10	incurrerint, iisdem	» 276 b » 11 ult.	incurrerint, ab iisdem
» 150 b » 3 ult.	commotis	» 277 b » 14	remotis
» 150 b » 3 ult.	repellendi	» 277 b » 14	compellendi
» 151 a » 4	comprehensis	» 277 b » 21	comprehensos
» 151 a » 7	requirendi ab eis	» 277 b » 25	requirendi, ac eis
» 151 a » 20 ult.	reservanda	» 278 a » 8 ult.	servanda
» 151 a » 9 ult.	ullibi	» 278 b » 6	nullibi
» 151 a » 8 ult.	probari posset	» 278 b » 6	probari non posset
» 151 a » 5 ult.	illos	» 278 b » 10	illas
» 151 b » 3 ult.	possint	» 279 b » 8	possit
» 151 b » 2 ult.	perpetuo	» 279 b » 9	perpetua
» 152 b » 23	parum	» 280 b » 18 ult.	parium
» 153 a » 1	VIII	» 281 a » 6 ult.	VII
» 153 b » 9	celebrati	» 282 a » 7 ult.	celebrato
» 153 b » 23	expediri	» 282 b » 11	expeditis
» 153 b » 21 ult.	monasterii	» 282 b » 1 ult.	monasteriis
» 153 b » 1 ult.	desiderent	» 283 a » 23	desideret
» 154 b » 4	singularum	» 284 a » 14	singulorum
» 155 a » 7	innodatus existit	» 285 b » 14	innodatae existunt

Pag. 155 a	linea 9	absolutum	Pag. 285 a	linea 16	absolutas
» 155 a	» 26	quoad	» 285 a	» 5 ult.	ut quoad
» 157 a	» 31 ult.	familiarum	» 289 a	» 21	familiarum
» 157 b	» 22 ult.	reservarunt	» 290 a	» 21	reservarunt
» 159 a	» 9	per quae	» 292 a	» 8 ult.	quae
» 159 a	» 26	1699	» 292 b	» 13	1669
» 160 b	» 30 ult.	ut	» 295 b	» 1	et ut
» 161 b	» 25 ult.	et de	» 297 a	» 5 ult.	de
» 162 b	» 16	iniuxit	» 298 b	» 9 ult.	iniungit
» 163 b	» 23 ult.	quod in multis	» 301 b	» 14	quod, cum in multis
» 165 a	» 5	ipsi	» 303 a	» 20	ipse
» 165 b	» 2	sicque ius	» 304 a	» 17	atque ab eis
» 166 a	» 28	saecularibus	» 305 a	» 3 ult.	tam saecularibus
» 167 a	» 13	tenore	» 307 a	» 10	tenore
» 167 a	» 14	expressis	» 307 a	» 11	expresso
» 168 a	» 15	fratrum	» 307 a	» 3	tam fratrum
» 168 b	» 23	absolutos	» 310 a	» 11 ult.	absolutas
» 169 b	» 13 ult.	in eius	» 312 a	» 18 ult.	eis in
» 170 b	» 3	illos	» 313 a	» 11 ult.	illis
» 170 b	» 13 ult.	deceverimus	» 314 a	» 10	deceverimus
» 171 b	» 6	eosque	» 315 a	» 19	vosque
» 172 a	» 19	missis	» 316 a	» 15 ult.	mixtis
» 173 a	» 15	urbis	» 318 a	» 10	vobis
» 173 a	» 37	libero	» 318 a	» 8 ult.	libito
» 173 a	» 16 ult.	aliorum	» 318 b	» 14	aliarum
» 173 a	» 12 ult.	concedendi	» 318 b	» 19	condendi
» 174 a	» 9	per eos, vel vestros	» 319 b	» 10 ult.	per eos vestros
» 174 a	» 27 ult.	debitum	» 320 a	» 11 ult.	debitorum
» 174 a	» 26 ult.	concessum	» 320 a	» 9 ult.	concessorum
» 174 a	» 19 ult.	nos	» 320 a	» 1 ult.	vos
» 174 b	» 31	aliis	» 321 a	» 13	illis
» 174 b	» 4 ult.	officialibus et ministris	» 321 b	» 11	officiales et ministros
» 175 b	» 31	quibusvis	» 343 a	» 2	quibus
» 175 b	» 42	Urbi	» 323 a	» 14	Urbi
» 177 a	» 35 ult.	iucurrendae	» 325 b	» 13 ult.	iucurrendâ
» 176 b	» 25	de eiusdem cardinalis	» 326 b	» 18	de eiusdem cardinali
» 178 b	» 24 ult.	Congregationis	» 328 b	» 18	Congregationi
» 179 a	» 20 ult.	alias	» 329 b	» 22	aliâ
» 179 b	» 34	illud, si forent	» 330 a	» 4 ult.	illud, quae praesentibus adhiberetur si forent
» 179 b	» 5 ult.	gravata	» 330 b	» 15 ult.	gravatam
» 180 b	» 15 ult.	deduxerint	» 332 b	» 8	deduxerit
» 181 a	» 21 ult.	innodati	» 333 a	» 4 ult.	innodatae
» 181 a	» 19 ult.	absolutos	» 333 a	» 2 ult.	absolutas
» 181 b	» 8	visitatores	» 333 b	» 15 ult.	visitationes
» 181 b	» 28 ult.	eaedem	» 334 a	» 17 ult.	eadem
» 183 a	» 9	per	» 336 b	» 8	propter
» 183 a	» 26 ult.	dioecesi	» 337 a	» 15	dioecesis
» 183 b	» 2	desiderant	» 337 a	» 4 ult.	desiderent
» 183 b	» 13	innodati	» 337 b	» 10	innodatae
» 83 b	» 15	absolutos	» 337 b	» 13	absolutas
» 184 a	» 17 ult.	1675	» 339 a	» 13	1665
» 184 a	» 18 ult.	pariter	» 339 a	» 13	patet
» 185 a	» 26	consensu	» 340 b	» 11	consensus
» 185 a	» 33	aliud	» 340 b	» 19	aut aliud
» 185 a	» 2 ult.	seu	» 341 a	» 20	sub
» 187 a	» 13	electa	» 344 a	» 21	erecta
» 187 b	» 18	possunt	» 345 a	» 8	possint

Pag. 187 <i>b</i>	linea 20	fratribus	Pag. 345 <i>a</i>	linea 9	ex fratribus
» 189 <i>a</i>	» 8	etenim	» 347 <i>b</i>	» 8	etiam
» 189 <i>a</i>	» 6 <i>ult.</i>	1665	» 348 <i>a</i>	» 12 <i>ult.</i>	1666 (?)
» 189 <i>a</i>	» 33 <i>ult.</i>	absolutos	» 348 <i>b</i>	» 3 <i>ult.</i>	absolutas
» 189 <i>b</i>	» 22 <i>ult.</i>	1666	» 349 <i>a</i>	» 12	1665 (?)
» 190 <i>a</i>	» 15 <i>ult.</i>	aperiatur	» 350 <i>a</i>	» 12	aperitur
» 190 <i>a</i>	» 12 <i>ult.</i>	Nosque	» 350 <i>a</i>	» 16	Nos
» 191 <i>a</i>	» 23 <i>ult.</i>	instituit	» 351 <i>b</i>	» 13 <i>ult.</i>	instituerit
» 191 <i>b</i>	» 30 <i>ult.</i>	eos	» 352 <i>b</i>	» 21	ex
» 192 <i>a</i>	» 28	praestabunt	» 353 <i>b</i>	» 1	praesentabunt
» 192 <i>a</i>	» 30	deligendis	» 353 <i>b</i>	» 3	deligendos
» 192 <i>b</i>	» 12	sitam sanctae	» 354 <i>a</i>	» 20 <i>ult.</i>	si tam sanctae
» 192 <i>b</i>	» 26 <i>ult.</i>	incurrenda	» 354 <i>b</i>	» 21	incurrendis
» 193 <i>a</i>	» 28	absolutos	» 355 <i>a</i>	» 1 <i>ult.</i>	absolutas
» 193 <i>b</i>	» 25 <i>ult.</i>	expressis	» 356 <i>b</i>	» 7	expressis habentes
» 193 <i>b</i>	» 16 <i>ult.</i>	in	» 356 <i>b</i>	» 17	tam in
» 194 <i>a</i>	» 25	quam	» 359 <i>a</i>	» 20 <i>ult.</i>	quas
» 194 <i>a</i>	» 6 <i>ult.</i>	recipiuntur	» 359 <i>b</i>	» 5	recipiuntur
» 194 <i>b</i>	» 5 <i>ult.</i>	nostrorum	» 359 <i>b</i>	» 18	nationum
» 196 <i>a</i>	» 12	consensu	» 361 <i>b</i>	» 18 <i>ult.</i>	consensus
» 196 <i>b</i>	» 22	praefatarum	» 365 <i>a</i>	» 13 <i>ult.</i>	praefatorum
» 196 <i>b</i>	» 35	praedictis	» 363 <i>a</i>	» 4	praelitis
» 197 <i>a</i>	» 3	consensu	» 363 <i>b</i>	» 7	consensus
» 198 <i>b</i>	» 17	et	» 365 <i>a</i>	» 3 <i>ult.</i>	ex
» 198 <i>b</i>	» 16 <i>ult.</i>	decursarum	» 365 <i>a</i>	» 1 <i>ult.</i>	decursurarum
» 199 <i>a</i>	» 26	possent	» 366 <i>b</i>	» 2	possint
» 199 <i>b</i>	» 12	reservatis	» 368 <i>a</i>	» 18 <i>ult.</i>	reservatur
» 200 <i>a</i>	» 7	provida	» 368 <i>a</i>	» 21 <i>ult.</i>	providet
» 200 <i>a</i>	» 22	insignibus	» 368 <i>a</i>	» 3 <i>ult.</i>	insignitis
» 200 <i>a</i>	» 31	praesententur	» 368 <i>b</i>	» 11	praesumerentur
» 200 <i>b</i>	» 15	uti	» 369 <i>a</i>	» 20	ei (?)
» 201 <i>a</i>	» 31	militariumque	» 369 <i>a</i>	» 6 <i>ult.</i>	militiarumque
» 201 <i>a</i>	» 22 <i>ult.</i>	tenorem	» 370 <i>b</i>	» 16	tenores
» 201 <i>b</i>	» 29	consensu	» 371 <i>a</i>	» 11 <i>ult.</i>	consensus
» 201 <i>b</i>	» 5 <i>ult.</i>	quibus	» 371 <i>b</i>	» 10 <i>ult.</i>	quibusvis
» 202 <i>a</i>	» 12 <i>ult.</i>	et poenis	» 372 <i>b</i>	» 18	poenis
» 202 <i>a</i>	» 1 <i>ult.</i>	dederint	» 372 <i>b</i>	» 10 <i>ult.</i>	dederunt
» 202 <i>b</i>	» 13	solita	» 373 <i>a</i>	» 6	legi solita
» 202 <i>b</i>	» 25 <i>ult.</i>	possint	» 373 <i>b</i>	» 3	possit
» 203 <i>b</i>	» 29 <i>ult.</i>	obvietur	» 375 <i>a</i>	» 11 <i>ult.</i>	damnis obvietur
» 203 <i>b</i>	» 8 <i>ult.</i>	provenientiam	» 375 <i>b</i>	» 13	provenientium
» 203 <i>b</i>	» 8 <i>ult.</i>	ex	» 375 <i>b</i>	» 13	et
» 204 <i>a</i>	» 1	propterea	» 375 <i>b</i>	» 24	praeterea
» 204 <i>a</i>	» 34 <i>ult.</i>	liberas, immunes et exem- ptas	» 376 <i>a</i>	» 15 <i>ult.</i>	liberam, immunem et exem- ptam
» 204 <i>a</i>	» 31 <i>ult.</i>	repartiendorum et divi- dendorum	» 376 <i>a</i>	» 12 <i>ult.</i>	repartiendis et dividendis
» 204 <i>a</i>	» 28 <i>ult.</i>	sed	» 376 <i>a</i>	» 9 <i>ult.</i>	seu
» 204 <i>a</i>	» 18 <i>ult.</i>	tam, quam	» 376 <i>b</i>	» 3	tam suis quam
» 204 <i>a</i>	» 16 <i>ult.</i>	non consentire	» 376 <i>b</i>	» 6	consentire
» 204 <i>b</i>	» 19	adimplendi	» 377 <i>a</i>	» 4	adimplendis
» 204 <i>b</i>	» 19 <i>ult.</i>	quo ad	» 377 <i>b</i>	» 3	quoad
» 204 <i>b</i>	» 13 <i>ult.</i>	remanere	» 377 <i>b</i>	» 8	remanere voluit
» 205 <i>a</i>	» 8	debere	» 377 <i>b</i>	» 10 <i>ult.</i>	deberet
» 205 <i>a</i>	» 34	ut	» 378 <i>b</i>	» 23	et ut
» 205 <i>a</i>	» 19 <i>ult.</i>	repartiri	» 378 <i>a</i>	» 1 <i>ult.</i>	inter se repartiri
» 205 <i>a</i>	» 13 <i>ult.</i>	valeant	» 378 <i>b</i>	» 7	valerent
» 205 <i>a</i>	» 3 <i>ult.</i>	remanerent	» 378 <i>b</i>	» 18	non remanerent

Pag. 205 b	linea 28 ult.	massa	Pag. 379 a	» 11 ult.	massae
» 205 b	» 22 ult.	notariis.	» 379 a	» 8 ult.	notariorum
» 205 b	» 9 ult.	praefati	» 379 b	» 8	praefatae
» 205 b	» 6 ult.	et	» 379 b	» 12	ut
» 205 b	» 3 ult.	dignaremur.	» 379 b	» 15	dignaremur deprecati sunt
» 206 a	» 33	possent et poterunt . .	» 380 a	» 11	possunt et poterunt
» 206 a	» 39	possent	» 380 a	» 21	possint
» 206 a	» 21 ult.	praecipitis	» 380 a	» 8 ult.	praescriptus
» 206 b	» 3	in	» 380 b	» 20	vel
» 206 b	» 4	assignata	» 380 b	» 21	assignatam
» 206 b	» 21	ratam partem, praefatique	» 380 b	» 2 ult.	ratam partem praefatae
» 206 b	» 36 ult.	dismembratione et incor-	» 381 a	» 14	dismembrationi et incor-
		poratione			porationi
» 206 b	» 26 ult.	sicque	» 381 a	» 13 ult.	sequae
» 206 b	» 26 ult.	suo	» 381 a	» 12 ult.	pro
» 206 b	» 18 ult.	ad	» 381 a	» 4 ult.	quoad
» 206 b	» 16 ult.	immo	» 381 a	» 1 ult.	pro
» 206 b	» 10 ult.	executionem	» 381 b	» 6	executione (?)
» 206 b	» 7 ult.	cedulae	» 381 b	» 10	cedula
» 206 b	» 2 ult.	in	» 381 b	» 17	qui in
» 206 b	» 1 ult.	non est	» 381 b	» 17	non sit
» 207 a	» 19	perineat	» 381 b	» 11 ult.	pertineant
» 207 a	» 17	pro.	» 381 b	» 1 ult.	prout
» 207 a	» 36	officiorum	» 382 a	» 20	officio
» 207 a	» 37	ut	» 382 a	» 21	et
» 207 a	» 40	remaneat	» 382 a	» 25	remaneant
» 208 a	» 27	facto	» 384 a	» 2	desuper facto
» 208 a	» 3 ult.	gaudent	» 384 b	» 7	gaudeat
» 208 b	» 8	censurae	» 384 b	linea 19	censura
» 208 b	» 27	in contrariis	» 384 b	» 1 ult.	in contrarium
» 209 a	» 7 ult.	quaecumque a domorum.	» 386 a	» 9 ult.	quaecumque suffragari, et
					a domorum
» 210 a	» 24	illorum.	» 388 a	» 1	ac illarum
» 210 b	» 5 ult.	ipsi	» 389 a	» 17	ipsis
» 211 b	» 35	exerendae	» 390 b	» 14	exercenda
» 212 a	» 14	etiam.	» 391 a	» 15 ult.	etiam tam
» 213 a	» 17	ut	» 393 b	» 9 ult.	et
» 213 a	» 31	consensu	» 394 a	» 8	consensus
» 214 a	» 19	innodati	» 395 b	» 21	innodatae
» 214 a	» 21	absolutos	» 395 b	» 23	absolutas
» 215 a	» 37	dicitur	» 397 a	» 5	dicitur
» 215 a	» 37	contineri, et	» 397 a	» 5	contineri exequeretur, et
» 215 a	» 14 ult.	praedictum decretum . .	» 387 a	» 13 ult.	praedictorum decretorum
» 215 b	» 2	aperuerunt	» 397 b	» 7	aperuerant
» 216 a	» 13 ult.	1628	» 399 a	» 20	1618
» 216 b	» 18	concedere	» 399 b	» 14	concederet
» 217 a	» 35	quibus	» 400 b	» 12 ult.	quibusvis
» 217 b	» 35 ult.	Romanibus	» 401 b	» 24	Romanis
» 218 a	» 31 ult.	vocabulis.	» 402 b	» 13 ult.	vocabulorum
» 218 b	» 6	festo	» 403 a	» 16 ult.	festis
» 219 a	» 8	singulis.	» 404 a	» 16 ult.	omnibus et singulis chri-
					stifidelibus
» 220 a	» 9	pericula	» 406 a	» 11	periculo
» 220 a	» 14	ignoranter	» 406 a	» 17	ignorantes
» 221 a	» 5	eisdem Urbis ecclesiis. .	» 407 b	» 5 ult.	eiusdem Urbis ecclesias
» 221 a	» 36	III.	» 408 a	» 9 ult.	IV
» 221 b	» 12	praetenderunt.	» 408 b	» 3 ult.	praetenderentur
» 221 b	» 27	fratribus	» 409 a	» 16	a fratribus

Pag. 221 b	linea 33	iniunctae	Pag. 409 a	linea 23	iniuncto (?)
» 224 b	» 16	generalis	» 410 a	» 1	generales
» 224 b	» 39	et	» 410 a	» 16 ult.	ut
» 226 b	» 34 ult.	et	» 413 b	» 4 ult.	ut
» 226 b	» 11 ult.	innodati	» 414 a	» 23	innodatae
» 226 b	» 9 ult.	absolutos	» 414 a	» 26	absolutas
» 227 b	» 18 ult.	in	» 416 a	» 2	et in
» 228 a	» 3 ult.	ut	» 417 a	» 13	et
» 228 b	» 19 ult.	ordinationibus	» 417 b	» 11 ult.	ordinationibus apostolicis
» 229 a	» 23 ult.	iudicia	» 418 b	» 19	iudicio
» 229 a	» 10 ult.	cupientes, de memoratorum cardinalium qui relationem venerabilis etiam fratris nostri, necnon	» 418 b	» 6 ult.	cupientes, necnon
» 229 a	» 3 ult.	innodati	» 419 a	» 3	innodatae
» 229 a	» 1 ult.	absolutos	» 419 a	» 5	absolutas
» 229 b	» 1	censentes, Francisci	» 419 a	» 6	censentes, de memoratorum cardinalium qui relationem venerabilis etiam fratris nostri Francisci
» 229 a	» 37	committere	» 419 b	» 9	admittere
» 229 b	» 20 ult.	admittendos	» 419 a	» 17 ult.	dimittendos
» 230 a	» 29 ult.	eum	» 420 b	» 11	eum
» 230 b	» 3	ea	» 421 a	» 4	ut ea
» 231 a	» 13 ult.	studio	» 422 b	» 13	stadio
» 231 a	» 2 ult.	de	» 422 b	» 15 ult.	ex
» 231 a	» 1 ult.	ex	» 422 b	» 14 ult.	de
» 232 a	» 2	quam	» 423 b	» 20	quem
» 232 b	» 25	augusti	» 424 b	» 1 ult.	septembris (?)
» 234 b	» 7 ult.	praesentiens	» 425 a	» 6 ult.	persentiens
» 234 b	» 10 ult.	Papa	» 429 a	» 1	Papae
» 235 b	» 10-11	tentaverat	» 430 a	» 22	tentaverit
» 235 b	» 21	cecidierant	» 430 a	» 10 ult.	cecidierint
» 235 a	» 2 ult.	tam	» 431 b	» 1 ult.	tum
» 237 b	» 11	canonicatus et praebenda	» 433 b 434 a		canonicatu et praebendâ
» 237 b	» 22	Notarium	» 434 a	» 16	notarium
» 239 a	» 25 ult.	facultatis	» 437 a	» 14 ult.	universitatis et facultatis
» 239 a	» 16 ult.	nominati	» 437 a	» 5 ult.	nominari
» 240 b	» 17 ult.	quoslibet	» 439 a	» 19 ult.	quaslibet
» 241 b	» 15 ult.	occidentalibus	» 442 a	» 3	orientalibus
» 242 a	» 19	eiusdem	» 442 b	» 1	eosdem
» 242 a	» 27 ult.	apostolicis, missionariis	» 442 b	» 13 ult.	apostolicis et missionariis
» 243 a	» 33	defectu	» 414 b	» 8	defectu deficere.
» 243 b	» 12	illis	» 445 a	» 25	illi
» 244 a	» 2	praeferre	» 446 a	» 9	praeficere
» 244 a	» 8 ult.	praecipuam	» 446 b	» 5 ult.	praecipuam
» 245 a	» 29	quod in	» 448 a	» 6 ult.	in
» 245 a	» 2 ult.	sive a nobis	» 449 a	» 1	sive a suis superioribus missi sint sive a nobis
» 245 b	» 29	collectionem	» 449 a	» 16 ult.	correctioni
» 245 b	» 12 ult.	occurrerent	» 449 b	» 13 ult.	occurrerint
» 248 a	» 2	eorum	» 453 b	» 23	earum
» 248 a	» 36	restitutionis	» 454 a	» 20	restitutivis (?)
» 248 b	» 22	eadem	» 454 b	» 1 ult.	eamdem
» 249 a	» 6	ecclesiis	» 455 b	» 18	ecclesiasticis
» 250 a	» 9	obeundi	» 457 b	» 3	obeundum
» 250 a	» 27	tum	» 457 b	» 25	eum

Pag. 250 a	linea 40	et	Pag. 457 b	linea 8 ult.	ut
250 b	» 30 ult.	innodati	458 b	» 4 ult.	innodatae
250 b	» 28 ult.	absolutos	458 b	» 2 ult.	absolutas
251 b	» 24 ult.	sunt	460 b	» 11 ult.	sunt
252 a	» 9	ibidem	461 a	» 17 ult.	ibidem
252 a	» 23	expiratarum	461 a-b		expiratarum
252 a	» 35	facultatem	461 b	» 15	facultates
252 a	» 39	pariter	461 b	» 20	pari
252 a	» 41	pari	461 l	» 22	pariter
252 a	» 10 ult.	praedictae	463 a	» 6	propagandae
252 b	» 22 ult.	efficit	462 b	» 16 ult.	efficit
252 b	» 19 ult.	creditis	462 b	» 13 ult.	creditis
253 b	» 12	reintegratae	464 a	» 15	reintegratae
253 b	» 27 ult.	declarant	464 b	» 9	declarent
254 a	» 4	praesentium	464 b	» 1 ult.	ut praesentium
254 b	» 14	habita	466 a	» 14	habitaе (?)
254 b	» 13 ult.	innodati	466 b	» 24	innodatae
254 b	» 11 ult.	absolutos	466 b	» 26	absolutas
255 b	» 13	dubiae	468 a	» 1	dubie
255 b	» 32	nostra	468 a	» 17 ult.	nostris
256 a	» 4 ult.	excepta	469 b	» 18	exceptis
256 b	» 23	fructus pensiones, eos et alia	470 a	» 4	fructus, seu pensiones, et alia
256 b	» 14 ult.	obligetur	470 b	» 1	colligetur
256 b	» 1 ult.	capituli	470 b	» 16	capitula
257 a	» 13	aliaque	470 b	» 12 ult.	aliaque
257 a	» 32	ullum ius	471 a	» 11	ullum eius
257 a	» 40	approbatus et confirmatus approbandis et confir- mandis	471 a	» 11	approbatae et confirmatae . . . approbandae et confir- mandae
257 a	» 11 ult.	conductores	471 b	» 3	conductoribus
257 a	» 8 ult.	ut	471 b	» 7	et ut
257 b	» 34	affigendi	471 b	» 1 ult.	affigendum
257 b	» 18 ult.	Italiam	472 a	» 10	Italiae
258 a	» 9	debeant	472 b	» 21	debeant
258 a	» 22 ult.	Quodque	473 o	» 17 ult.	Atque
259 a	» 3	illarum	474 b	» 5	illarum
259 a	» 4	manu	474 b	» 7	manu subscriptis
259 a	» 23	indictionum impositio- num	474 b	» 11 ult.	indictionis, impositionis
261 a	» 8	nostrorum	478 a	» 12	vestrorum
261 a	» 9	institute	478 a	» 13	instituere
261 a	» 9	de subiectis	478 a	» 13	subiectis
262 a	» 19	pro	480 a	» 16	pro
263 a	» 27	praemissum	492 a	» 6	praemissorum
263 a	» 32	manu	482 b	» 12	manu subscriptis
263 a	» 20 ult.	anno IV	482 o	» 12 ult.	anno V
265 a	» 30	dilecte filii	487 f	» 4	dilecti filii
266 b	» 5	constitute	488 a	» 6	constitute
267 b	» 34	causam	489 b	» 10	causas
267 b	» 27 ult.	omnium, singulorum	490 b	» 3 ult.	omnium et singulorum
271 a	» 27	dilecte filii	496 b	» 11	dilecti filii
272 b	» 10 ult.	curia, iudices	499 b	» 17	curia iudicis
272 b	» 9 ult.	vel	499 b	» 18	et
273 a	» 7 ult.	alios quoscumque	500 b	» 16	aliis quibuscumque
273 a	» 2 ult.	ibidem	500 b	» 22	ibidem
274 a	» 8	si quae	502 b	» 22	si quae
275 b	» 18	eorum	504 l	» 9 ult.	eorum

Pag. 276 a	linea 18	praedictum	Pag. 505 b	linea 8	praeditum
» 276 b	» 2	(rubr.) monendis	» 506 a	» 16 ult.	movendas
» 278 a	» 25	1774	» 509 b	» 5	1674
» 278 a	» 6 ult.	aliqui	» 510 a	» 6	aliquo
» 279 b	» 5	affectum	» 512 a	» 3	affectam (?)
» 279 b	» 17	quod	» 512 a	» 16	quid
» 279 b	» 21	quae	» 512 a	» 22	qua
» 280 b	» 18	si quae	» 514 a	» 5	si qua
» 280 b	» 26	exponere	» 514 a	» 16	exposcere
» 280 b	» 31	mandavit ut	» 514 a	» 22	mandavit
» 280 b	» 22 ult.	electione	» 514 b	» 2	electores
» 280 b	» 21 ult.	coercitionibus	» 514 b	» 3	coercitionibus
» 281 a	» 14	praedictis	» 515 a	» 1	praedictos
» 281 a	» 7 ult.	providere	» 515 b	» 17	providerat
» 281 b	» 16	praesenti	» 516 a	» 1	praefati
» 281 b	» 24 ult.	decanatum	» 516 a	» 2 ult.	decanum
» 281 b	» 1 ult.	agnitum	» 516 b	» 18 ult.	agniturum
» 282 a	» 24	absolutos	» 517 a	» 10	absolutos
» 282 a	» 27 ult.	agnitum	» 517 a	» 8 ult.	agnitum
» 282 a	» 24 ult.	suo	» 517 a	» 5 ult.	tuo
» 282 b	» 8	obest	» 517 b	» 13 ult.	obsit
» 283 a	» 28 ult.	prolutebantur	» 519 a	» 23	profiterentur
» 283 b	» 2 ult.	cuiilibet	» 520 b	» 3	cuiuslibet
» 285 a	» 16 ult.	et	» 523 a	» 6	ut
» 285 b	» 20	munera	» 523 b	» 5	munere
» 286 a	» 23	statuimus	» 524 a	» 4 ult.	statuimus ei
» 286 a	» 31	exceptae	» 524 b	» 7	expressae
» 286 a	» 32	etiam	» 524 b	» 8	etc.
» 287 a	» 11 ult.	quae	» 526 b	» 18	quae ipsis praesentibus
» 287 b	» 23	praebuit	» 524 a	» 15	praefuit
» 288 a	» 20	Propterea	» 528 a	» 3	Praeterea
» 288 a	» 4 ult.	inducti	» 527 b	» 9	induti
» 288 b	» 27	censuit	» 529 a	» 2	censuerit
» 289 b	» 14	ob	» 530 b	» 13	sed ob
» 290 a	» 33	flagrantium	» 531 b	» 10 ult.	flagrantium
» 290 b	» 26 ult.	absolutos	» 532 b	» 6 ult.	absolutas
» 290 b	» 10 ult.	electiones	» 533 a	» 11	electione
» 292 a	» 22 ult.	volumus	» 535 a	» 7 ult.	volumus
» 292 b	» 5	monasteriorum	» 536 a	» 12	monasterium
» 292 a	» 5	Discalceatorum	» 536 a	» 13	Discalceatarum
» 293 a	» 29	in sanctae	» 537 a	» 8 ult.	sanctae
» 293 a	» 27 ult.	praeposita	» 537 b	» 12	praepositam
» 293 b	» 8 ult.	absolutos	» 537 a	» 7 ult.	absolutas
» 293 a	» 33	seu	» 538 a	» 9 ult.	sic
» 293 a	» 13 ult.	praeeminentis	» 538 b	» 23	ut praeeminentis
» 293 b	» 4 ult.	possint	» 538 b	» 11 ult.	possunt
» 294 a	» 17 ult.	illi	» 539 b	» 10	unus
» 294 b	» 11	in	» 539 b	» 2 ult.	ac in
» 295 a	» 9	conventionibus	» 540 b	» 7 ult.	conventionibus
» 296 b	» 12 ult.	ea	» 544 a	» 15 ult.	eo
» 297 a	» 13	1674	» 544 b	» 6 ult.	1675
» 305 b	» 26 ult.	muneri	» 545 a	» 22	munere
» 306 a	» 14	construentes	» 545 b	» 20 ult.	constituentes
» 306 a	» 25	quique licet	» 545 b	» 7 ult.	licet
» 307 a	» 1	ac quae	» 547 a	» 7 ult.	atque
» 307 a	» 4	illorumque	» 547 a	» 3 ult.	illorum
» 307 a	» 20 ult.	mandamus	» 548 a	» 6	mandamus), facultatem
» 307 b	» 19	invocando	» 548 b	» 6	invocaverint

Pag.	308 a	linea 11	incidisse
»	308 b	» 8 (marg.)	30
»	297 b	» 16	Ordinis
»	298 a	» 11 ult.	fuierant
»	298 b	» 4	quis quidquid
»	296 b	» 31	participes
»	299 a	» 6	ipse
»	299 a	» 13	inter
»	301 b	» 31	cincturarum
»	303 a	» 1	valeant
»	303 b	» 20 ult.	rerum
»	304 a	» 24 ult.	ex
»	304 a	» 16 ult.	eisdem
»	304 b	» 26	translationibus
»	304 b	» 13 ult.	earundem
»	305 b	» 18	mai
»	308 b	» 7 ult.	expressis eisdem
»	309 a	» 20	existentium in rebus et bonis
»	309 b	» 27	auditoris
»	310 a	» 20 ult.	expendentia
»	311 a	» 13	attributa
»	311 b	» 17 ult.	ad
»	312 a	» 4	aliquid
»	312 a	» 23	etiam
»	312 a	» 1 ult.	eidem
»	312 b	» 19	immediate subiecto
»	313 a	» 4	quilibet
»	313 a	» 7	se
»	314 b	» 1	sunt
»	314 b	» 33	absolutus
»	315 b	» 17	extraxerunt
»	316 a	» 15 ult.	invenit
»	316 a	» 11 ult.	flagrantes
»	316 b	» 5	cellariis
»	316 b	» 20	diligenter
»	316 b	» 28 ult.	diets
»	319 a	» 10	ad gloriam
»	319 b	» 31	confirmantes
»	320 a	» 6 ult.	custodia et provincia
»	320 b	» 25	quae
»	320 b	» 22 ult.	et
»	321 a	» 26	nequeant
»	322 b	» 21	fungentes
»	322 b	» 22	dignos
»	323 a	» 12	felicis
»	323 a	» 35	puritate
»	324 a	» 10 ult.	nostrae
»	324 b	» 17	ampliata
»	326 a	» 17	privilegiis
»	326 b	» 16	remissionem
»	326 b	» 17	relaxationem
»	327 a	» 23	duobus
»	327 b	» 26 ult.	propensi
»	328 a	» 9	censut
»	329 b	» 12	opportuna
»	331 a	» 3	et


Pag.	549 a	linea 10	ult. incidisse in eas
»	550 a	» 8 ult.	3
»	551 a	» 2	Ordini
»	552 a	» 2 ult.	fuierint
»	552 b	» 17	quidquid
»	553 a	» 7	participes fieri
»	553 b	» 12	ipsi
»	553 b	» 21	cum inter
»	558 b	» 7	cincturatorum
»	560 b	» 6 ult.	valeat
»	561 b	» 10	verum
»	563 a	» 9	in
»	563 b	» 3	eidem
»	564 a	» 7	translationis
»	564 b	» 1	eorundem
»	565 b	» 10 ult.	martii
»	566 a	» 6 ult.	expressis
»	566 b	» 15 ult.	existentium
»	567 b	» 13 ult.	auditorio
»	569 a	» 9	dependentia
»	570 a	» 4 ult.	attributae
»	570 b	» 10 ult.	ac
»	572 a	» 12	aliquid
»	572 a	» 7 ult.	aut etiam
»	573 a	» 3	idem
»	573 a	» 14 ult.	immediata subiectio
»	573 b	» 2 ult.	cuilibet
»	574 a	» 3	te
»	576 b	» 11	sunt
»	577 a	» 5	absolutas
»	578 b	» 16	extors'erunt
»	580 a	» 9	invexit
»	580 a	» 15	fragrantes
»	580 a	» 10 ult.	cellerariis
»	580 b	» 8	diligenti
»	580 b	» 6	diets
»	585 a	» 10	ad Dei gloriam
»	586 a	» 14	confirmarunt
»	587 b	» 2	custodiae et provinciae
»	587 b	» 1 ult.	per quae
»	588 a	» 20	ut
»	588 b	» 11 ult.	nequeunt
»	591 b	» 7	fungens
»	591 b	» 8	dignus
»	592 a	» 18 ult.	postquam felcis
»	592 b	» 11	puritati
»	594 b	» 18	nostrá
»	595 a	» 7	ampliata
»	597 b	» 9 ult.	statutis et consuetudinibus, privilegiis
»	598 b	» 22	remissionum
»	598 b	» 23	relaxationum
»	599 b	» 20	duabus
»	600 b	» 8 ult.	perpensi
»	601 a	» 12 ult.	censuerit
»	604 a	» 10 ult.	opportuna fuerint
»	606 b	» 10	ut

Pag. 331 a	linea 25 ult.	quibuscumque	Pag. 607 a	linea 18	cuiuscumque
» 332 b	» 3	communis.	» 609 b	» 9 ult.	communi
» 333 a	» 2 ult.	bonorum	» 611 a	» 6	bonarum
» 336 a	» 6 ult.	VI.	» 616 a	» 19 ult.	V
» 336 b	» 1	per.	» 616 a	» 12 ult.	post
» 336 b	» 1	Caput I.	» 616 a	» 3 ult.	Caput II*
» 338 b	» 9	gravissime	» 619 a	» 13	gravissimae
» 340 a	» 17	subiaceant	» 622 a	» 3	subiaceat
» 340 b	» 20 ult.	propterea	» 623 a	» 23	praeterea
» 341 b	» 31 ult.	sequenti	» 624 b	» 18 ult.	sequenti et
» 314 a	» 4 ult.	destinare.	» 629 a	» 10 ult.	destinato
» 344 b	» 10	communibus	» 629 b	» 5	communioneibus
» 345 a	» 2	colendam.	» 630 a	» 22	colendum
» 345 a	» 16	ediderit	» 630 a	» 4 ult.	ederit
» 345 b	» 29 ult.	scholasticae.	» 631 b	» 5	scholastici (?)
» 346 a	» 24 ult.	comedet	» 632 a	» 15 ult.	comedent
» 346 b	» 10	nominentur.	» 632 b	» 19 ult.	sacerdotes nominentur
» 346 b	» 12	charitates	» 632 b	» 17 ult.	charitates
» 348 a	» 10 ult.	observando.	» 635 b	» 20 ult.	obserando
» 350 a	» 18	perfectionis.	» 638 a	» 1 ult.	perfectius
» 352 a	» 14 ult.	omittent	» 642 b	» 19	amittant
» 352 b	» 26 ult.	rei.	» 642 b	» 12 ult.	reis
» 254 a	» 3 ult.	confessarii	» 645 b	» 9	ut confessarii
» 354 b	» 7	I.	» 645 b	» 20	2
» 354 b	» 12 ult.	praefati	» 646 a	» 9 ult.	praelati
» 359 b	» 27	propterea	» 653 b	» 22	praeterea
» 360 a	» 35	relevando.	» 655 b	» 9	revelando
» 360 b	» 15	vesperae	» 656 a	» 18 ult.	vespere
» 361 a	» 20	numero.	» 657 a	» 15 ult.	numeri
» 361 b	» 11	U. G.	» 658 a	» 14	verbi gratia
» 361 b	» 21 ult.	conveniens.	» 658 b	» 12	contraveniens
» 361 b	» 12 ult.	concedatur	» 658 b	» 23	condatur
» 362 a	» 33 ult.	constitutionibus.	» 659 a	» 9 ult.	in constitutionibus
» 362 a	» 24 ult.	enim.	» 659 b	» 3	vim
» 362 a	» 22 ult.	mandetur	» 659 b	» 6	mandentur
» 363 a	» 32	intelligamus	» 661 a	» 3	intelligimus
» 363 b	» 9	quam.	» 661 b	» 9	quin
» 363 b	» 9	fuit	» 661 b	» 10	fiat
» 363 b	» 14	ipsis	» 661 b	» 16	in ipsis
» 364 a	» 23 ult.	quo	» 663 a	» 6	quot
» 364 b	» 30 ult.	alio	» 663 b	» 11 ult.	in alio
» 365 a	» 13 ult.	legitimam	» 664 b	» 5 ult.	legitima
» 365 a	» 8 ult.	consensum.	» 665 a	» 2	censum (?)
» 366 b	» 6 ult	(si forte extra clavium ponant.	» 667 b	» 14	(si forte extra conventum obierit), in area trium clavium ponant
» 367 a	» 6	ei, et.	» 567 b	» 13 ult.	et
» 366 a	» 16-17	constitutionum sanctarum consuetudinem	» 667 b	» 2 ult.	constitutionum, sanctarum consuetudinum
» 366 b	» 28	praelatus	» 668 b	» 2 ult	praelatos
» 366 b	» 30	recipiens	» 669 a	» 1	recipientes
» 367 b	» 23 ult.	observent.	» 669 a	» 19	observentur
» 367 b	» 18 ult.	laudandi	» 669 a	» 16 ult.	laudando
» 368 a	» 6	alias quascumque.	» 669 b	» 10	alios quoscumque
» 368 b	» 30 ult.	iste	» 670 b	» 9 ult.	isti
» 369 a	» 27	et	» 671 b	» 16	ut


* Ista correctio est addenda.

<i>Edit. Rom. Matr. Tom. vii.</i>			<i>Edit. Taur. Tom. xviii.</i>				
<i>Pag.</i>	370 <i>a</i>	linea 5	biennium	<i>Pag.</i>	673 <i>a</i>	linea 20	triennium (?)
»	370 <i>b</i>	» 16	specialibus	»	674 <i>a</i>	» 22	specialius
»	370 <i>b</i>	» 17	<i>ult.</i> faciant	»	674 <i>b</i>	» 6	faciat
»	370 <i>a</i>	» 9	<i>ult.</i> a sedulitate	»	675 <i>b</i>	» 22	sedulitate
»	371 <i>b</i>	» 17	finem	»	676 <i>a</i>	» 5	finis
»	372 <i>b</i>	» 22	<i>ult.</i> et	»	676 <i>a</i>	» 1	<i>ult.</i> ut
»	373 <i>b</i>	» 37	<i>ult.</i> praelati	»	679 <i>b</i>	» 4	praelato
»	373 <i>b</i>	» 26	<i>ult.</i> factaque illa	»	679 <i>b</i>	» 13	faciatque illam
»	374 <i>a</i>	» 6	<i>ult.</i> alias	»	680 <i>b</i>	» 22	alius
»	375 <i>a</i>	» 27	<i>ult.</i> a capitulo	»	681 <i>a</i>	» 14	capitulo
»	375 <i>b</i>	» 4	receptione	»	681 <i>b</i>	» 4	repetitione
»	375 <i>b</i>	» 27	<i>ult.</i> iuxta	»	681 <i>b</i>	» 4	<i>ult.</i> intra (?)
»	376 <i>b</i>	» 25	nobis	»	684 <i>b</i>	» 1	bonis





CONSTITUTIONES
CLEMENTIS X.



CLEMENS X

PAPA CCXLIII

Ab anno MDCLXX ad annum MDCLXXVI.

AN. C. 1670 **C**lemens X, Romanus, Emilius antea dictus, Laurentii de Alteriis filius, S. R. E. presbyter cardinalis, summus Pontifex pronuntiatus die XXIX aprilis MDCLXX, et die XI maii eiusdem anni coronatus; creavit cardinales XX; obiit die XXII iulii MDCLXXVI; vacavit Sedes mensem 1, dies XXX.

I.

*Canonizatio S. Petri de Alcantara Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum*¹.

**Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Romanorum gesta Pontificum, praesertim maiorem Dei gloriam ac Sanctorum eius laudes et honorem concernentia, super quibus, illorum superveniente

¹ Hunc Petrum Clemens IX Sanctorum catalogo adscripserat, unâ cum S. Maria Magdalena de Pazzis, sed morte praeventus Bullam expedire non potuit, et ideo hic Pontifex illam expedit.

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

1

obitu, litterae apostolicae confectae non An. C. 1670 fuerunt, recenseri iustum reputamus et rationi consonum, ut illa universis christifidelibus innotescant.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster, devotae considerationis indagine perscrutans quod inter caelestes heroës, quorum eximia vitae sanctitas rite comprobata promeretur singularem christianae reipublicae cultum, illis praecipue sancti nominis immortalitatem Apostolica Sedes decernere consuevit, quorum honor cum eximiâ sit populorum utilitate coniunctus; hinc illi, qui peculiari alicui vitae instituto ideam sanctitatis exhibuerunt, et sacrorum praesertim Ordinum fundatores insigni virtute ac prodigiis illustres, libentissime sacras ad aras accipiuntur; quibus inunguntur ii, qui religiosas familias iam virtute florentes ad severiorem disciplinam revocarunt, et ad sanctioris instituti studium ab excelsâ virtute commendati invitavit; quorum merita exigunt ut Sanctorum albo adscribantur; magna siquidem haud dubium est¹ in sacram eorum militiam atque

Clementis IX
litterae recensentur.

¹ Cohaerentius legeretur *sunt pro est* (R. T.).

in universam Ecclesiam commoda profectura, quam egregio exemplo ad sanctitatem ardentius provocabunt; quamobrem, cum sanctissimus Deoque gratissimus vir Petrus de Alcantara optime meritis sit de christianâ republicâ, eo quod inculpatam religione et doctrinâ sancti Francisci familiam foetu novae prolis adauxerit, eamque iam per Hispaniae et Indiarum regna dilatatam, per semitas strictissimae paupertatis ambulare docuerit, et omnibus Christi fidelibus praebuerit exemplar incredibilem poenitentiae cum summâ innocentia coniunctae, deesse illi non debeat sancti nominis gloria, et populo christiano insigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutem¹ incitamentum: gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens praedecessor, qui sibi hanc mentem inspirasset decernendi supremos honores huic viro admirabili, quem praecipuo cultu venerabatur, et a quo salutarem opem in maximis huius infelicitum temporum discrimenibus, praesertim contra superbiam et ferociam Turcarum, implorabat. Ut autem celeberrima Petri sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur, et eius eximias virtutes universis christifidelibus imitandas exhiberet, ac illius in terris admiratione dignam et laudabiliter transactam vitam explicaret, sic proponere decreverat:

S. Petri natus.

§ 2. Exortus in lucem erat sanctissimus hic vir Norbae Caesareae, vulgo Alcantarae, in Baeturia Hispaniarum regione, anno Reparatae Salutis mdcxcix, ex parentibus genere ac pietate nobilibus, Petro Garabito et Maria Villela, idemque Petri nomen, quod in sacrâ familiâ perpetuum illi fuit, sacro e fonte susceperat. Ab ineunte aetate ambulans in innocentia, vitans lubrica et

Inrenitit aetatis virtutes.

voluptatibus obnoxia, et hominum commercium fugiens, contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut, amore caelestium incensus, aliquando extra se raperetur; ideoque, sapientia crescens et gratia, mensuram aetatis moribus senilibus excedebat. Studium litterarum ingressus acri ingenio fingentem spem suis parentibus et magistro indidit. Quia vero noverat sapientem futurum, qui cum sapientibus graditur, religiosorum virorum consortio delectabatur, ac, divinae praesertim inhians sapientiae, sacros avidissime quaerebat libros, a profanis abhorrens. Et quoniam ab infantia secum creverat misericordia, omnibus se charitatis operibus assidue dabat: infirmos proinde, in carcere positos, et egenos quantum poterat sublevabat. Cum autem in alios pius esset et misericors, sibi tamen ex tunc incipiebat esse austerus; nam non solum singulari abstinentia sensuales appetitus fraenare, sed et levissimos quoscumque defectus flagellis asperis consueverat expiare.

Studia.

§ 3. Licet autem, etiam dum in saeculo versaretur, animo caelum recoleret, magis tamen ac magis abundans in scientia et in omni sensu probavit potiora; et, annum aetatis sextumdecimum ingressus, in custodia S. Evangelii seu Extremadurae (quae nunc S. Gabrielis provincia dicitur) fratrum Minorum Discalceatorum habitum et evangelicam vivendi formam suscepit.

Inluit habitum Minorum.

§ 4. Quod consilium insigni prodigio approbavit Deus. Cum enim festinanti ad religiosi Ordinis portum moram obiceret fluvius Tietar, qui tunc forte imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas esset, effusus in preces, in alterâ se ripâ divinitus constitutum extemplo reperit Petrus. In coenobio tam magnos in virtute statim progressus fecit, ut initio tirocinii emeritis Christi mi-

In alteram fluvii Tietar ripam divinitus traiecit.

¹ Edit. Main. legit *virtutum* (R. T).

litibus emineret; ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosternens se.

Virtutes eximiae in tirocinio religionis.

§ 5. Praecinxit illum Deus virtute, et posuit immaeculatam viam eius; paupertate, religiosae disciplinae rigore, rarâ oculorum modestiâ, incredibili siti cruciatuum magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

Professionem religiosam emittit.

§ 6. Solemnem professionem, expleto tirocinii anno, emisit, et sese elevans supra se, humana omnia transcendens et anhelans ad caelestia, oculis tamen in terram semper deiectis, ignorabat an chorus ecclesiae (quem perpetuo adibat) fornice obductus esset, an laqueari; an cellula sua ex lapidibus, an ex lignis constaret: et exactis in quodam sui Ordinis coenobio tribus annis, fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens, per triennium quosdam in ore lapillos detulit, ut vel sic loquendi pruritum coëreeret.

Anno aetatis vigesimo renunciatur superior.

§ 7. Senili prudentiâ iuventutem supergressus, vigesimo aetatis anno, praeter sacri Ordinis morem, eustos coenobii S. Mariae Angelorum renunciatus est; ubi tot charismatum dona caelitus illi collata sunt, ut ex eo iam tempore prodigiis coruscaret. Cum enim annona omnis defecisset, ac fratres egredi ad petendam eleemosynam prohiberentur altissimâ nive conventum obsidente, conqueri de Petro coeperunt, qui etiam rigente hieme ipsis cogitare de crastino vetuisset, quidquid mensae supererat quotidie in pauperes distribuere consuetus: at ille, certo sciens enutriendos esse qui iactant cogitatum suum in Domino, iussit ad ostium querulos pergere, ubi, super acervum nivis postibus haerentem, praegrande canistrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, et itinere altâ nive obsito, non nisi ab angelis eo delatum: quam di-

vinæ providentiae curam aliis quoque vicibus est expertus.

§ 8. Sed mirabilior erat Petri vita, quae ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad sanctitatem. Pro quovis praecomio sufficeret referre illa, quae de hoc viro sanctissimo dixit sanctissima pariter virgo Teresia Carmelitarum Reformatorem parens, videlicet, ne momento quidem diei ac noctis Petrum ab oratione cessasse; et, ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tantum indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admove-^{ret}². Illius cella, eâdem Teresiâ teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depressa erat, ut flexis genibus et curvis semper humeris in illâ haerere cogeretur.

Abest ad sanctitatem provocat.

§ 9. Per quadraginta annorum decursum sesquihoram tantum somno concessit. leivium amavit, adeo ut ad triduum ordinarie, et ad octo aliquando dies inediam protraxerit; asperrimo praeterea cilicio armatus, bracteâ ferreâ per viginti annos praefixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissime animadvertens, itinera, quamvis longissima atque asperrima, capite semper detecto nudisque pedibus per aestus et frigora suscipiens; itaut, cum nudum caput imbribus et nivis exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, et aestate praefervidâ exurentibus solis radiis capite vehementissime cruciaretur; respondere solitus interrogantibus cur detecto capite semper incederet, nefas esse coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetustum ac vilem saccum abluebat, madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente hieme sese plerumque iniiciebat. Praeter haec, familiare illi

Somnus citiusque arctivimus.

Saeva membrorum maceratio.

1 Male edit. Maio. legit *sanctitatem pro* (R.T.).

2 Aptius edit. Cherub habet *admovebat* (R.T.).

erat, hieme summâ, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram et ianuam cellae reserare, ut, frigidissimo excepto aëre et gelu, acius torqueretur caro, mox eximenda¹ diris cruciatibus, cum fenestram clausisset et ianuam. Eo devenit hac saevâ maceratione membrorum, ut, ex narratione sanctae Teresiae, arido et exangui corpore radicem arboris speciem exhibuerit; oculis autem in caveam recedentibus, et sulcatis perpetuo lacrymarum imbregenis, mirabile poenitentiae simulacrum videretur.

Amor in Deum.

§ 10. Ex hac eximiâ vitae sanctitate vires hiansit ad egregia quaevis praestanda in honorem divinitatis, eaque prodigioso morum suorum exemplo assequi potuit. Latere ille quidem praepotasset, et, paternam sancti Francisci humilitatem secutus, regale sacerdotium formidasset accipere, nisi ad illud superiorum imperio coactus fuisset. Itaque, non sumens sibi honorem, sed vocatus a Deo tamquam Aaron, sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi eius viderentur fons hortorum et puteus aquarum viventium, quae flunt impetu de Libano.

Sacerdos factus.

§ 11. Iustus etiam est suggestum ascendere, ac verbi divini panem ex tempore populis esurientibus frangere: eumque de ore eius erumperent quasi sagittae potentis acutae, innumeros felicissimae sauciatos eruit de potestate tenebrarum, et traestulit in regnum Filii Dei. Praeterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo infimi et populares, sed etiam nobiles ac principes viri; quos mirâ suavitate et efficacîâ verborum ad salutarem poenitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V Caesarem declinavit, captus amore so-

Praedicationis uberes fructus.

litudinis et demissionis, ac metu discriminum aulae regalis.

§ 12. Plura coenobia sui Ordinis sanctissime temperavit, videlicet illud S. Hieronymi in provinciâ S. Gabrielis, S. Michaelis Placentiae, aliaque. Subinde provinciae diffinitor et custos, ac deinde omnium suffragiis in provincialem electus est provinciae S. Gabrielis; cuius regimini sedulo incumbens exemplis et verbis, quasdam edidit constitutiones, quibus strictioris observantiae nitor refloreret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Arrabidorum provinciam inuaret et promoveret.

Regularis observantiae promotor.

§ 13. Cum autem arctiorem sui Ordinis disciplinam vigere desideraret et longius extendi, superatis gravissimis difficultatibus, divino munitus praesidio, et apostolicâ fretus auctoritate, primum novae reformationis coenobium angustissimum et pauperrimum sub Immaculatae Conceptionis titulo, prope Pedrosam Cauriensis dioecesis in Bacturia, vulgo Extremadura, oppidum, construxit: ubi cum paucis sociis apostolicam sui patris Francisci vitam renovavit. Hinc, a Paulo IV summo Pontifice, eiusdem Clementis ac nostro praedecessore, commissarius generalis novae reformationis institutus, alios aedificavit conventus; ex quibus et quibusdam aliis eius se regimini ultro subdentibus provinciam S. Iosephi fundavit. Mox, destinatis ad regnum Valentiae sociis, provinciae S. Iohannis Baptistae fundamenta iecit. Ac tandem illud strictissimum vitae genus in varias Hispaniae provincias ad Indias et Iaponium usque feliciter dilatatum est, ubi ex ipsâ reformatione multi martyrio coronati sunt.

Zelus pauperum.

§ 14. Sanctam quoque virginem Teresiam in stabilicndâ Carmelitarum reformatione indefessus adinavit, ita ut, ipsâmet destante, recentis illius propa-

S. Teresiae adiutor.

¹ Edit. Cherub. habet *exurenda* (R. T.).

ginis sit praecipuus promotor existimandus. Et revera multas pro re tantâ peregrinationes suscepit et labores tulit; immo et absentî opem et consilium laturus aliquando miraculose apparuit.

Miracula.

§ 15. Quam gratum acciderit Deo studium hoc observantiae strictioris, et quanto haberi vellet in pretio seraphicum zelum huius viri, Deus ipse prodigiis ingentibus comprobavit; cum, non solum rapidissimas Tagi et alterius fluminis aquas siccis ipse pedibus aliquando transivit, sed et puer, qui asello insidens canistrum panibus refertum ad illum et fratres deferebat, Petri de Alcantara nomine invocato, inmentem impulit in flumen, quod solidum ac tutum supra suas aquas ingressum eidem praebuit.

Cum Ioannes de Neira, Petri in itinere socius, inediâ et siti confectus pene decideret, in loco, ubi ad orandum sanctus hic vir se composuerat, fons illico erupit, et panis cum pisce ad esum paratus apparuit.

Infixus ab eo terrae aridus baculus in vividam ficulneam excrevit, cuius fructus etiam nunc aegris salutem redonant.

Eius charitas.

§ 16. Atroce[m] pertinacis mulieris iniuriam non modo patientissime toleravit; verum etiam, flexis coram eâ genibus, pro culpâ, quam non patrarat, humillime deprecatus est.

Raptus in aëre.

§ 17. Semel crucem in horto Pedrosi devotis oculis contemplans, sursum ferri et in aëre coram ipsâ suspendi et lucidissimos quoque ex oculis radios in eandem crucem emittere visus est, candidâque nube caput eius circumdari.

Prophetia et
alia miracula.

§ 18. Quemdam adolescentem benedictionem suam enixe efflagitantem, cum ab Urbe quamprimum recedere decrevisset, de gravi discrimine quod illi imminabat in haereticam quandam opinionem incidendi praemonuit.

Scholarem alium respiciens, mundo quamprimum renunciaturum sacrumque religionis habitum suscepturum divinitus agnovit.

In magnâ siccitate precibus suis copiosum a Deo imbrem obtinuit.

Accensum ignem in quodam conventu per flammâ ipsas innoxius incedens sine morâ extinxit.

Demersum in puteo infantem, chordâ qua cingebatur in eum locum demissâ, mirabiliter extraxit.

Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, datâ ei benedictione, protinus illuminavit.

Feminam quandam, a daemone per natum temporis deceptam, de pravâ illâ consuetudine, quam cum maligno tentatore habuerat, commonefecit et liberavit.

In reditu ad conventum de Arenas a civitate Abulae obrutus fuisset nivibus, quarum vis ingens e caelo devolvebatur, nisi eius precibus coërcitae in aëre pendulae constitissent, et prodigiosa tabernaculi genus artificioso fornice composuissent, quo inclusus Petrus ab aliarum laesione nivium prohibebatur.

Imbres quoque copiosissimi eum madafacere non sunt ausi, quod etiam, dum augustum missae sacrificium offerret, ipsi et circumstantibus semel evenit. Corporaliter videndum se praebuit plurimis procul distantibus. Prophetico lumine remotissima locorum ac temporum spatio praedixit. Demum usque adeo fuit in deliciis Divinitati, ut omnium vota, quando Petrus intercessorem exhiberet se, implenda esse professus fuerit sanctae virgini Teresiae, ut ipsamet sibi semper accidisse fatetur.

§ 19. Et illius quidem preces adeo ^{Inter orandum in altum elevatur.} incensae erant igne divino ut inter orandum brachiis in modum crucis expansis in altum saepissime ferretur, ac dum sa-

crucem faceret elevari in sublime coram populo aliquoties conspectus fuerit; immo tanta eius erat assiduitas orationis, ut nunquam ab eâ cessaret, et intuentibus ipsum homo alterius saeculi videretur.

Mors.

§ 20. Edoctus ergo, etiam dum in terris agebat, ad caelum evolare, tandem meritis plenus, aetatis anno sexagesimo tertio in febrim ac dolores molestissimos incidit. Angebatur simul cum aegritudine hilaritas Petri, prohibentis religiosam suam familiam a lacrymis, in quas ob amittendum amantissimum parentem agebatur. Ecclesiae sacramentis rite susceptis, ac praedictâ mortis horâ, non iacens, sed humi erectus in genua, in altissimam extasim diripuit¹; ac deinde sensibus restitutus: *Laetatus sum* (inquit) *in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; et, manu fratribus benedicens, ita illos est allocutus: « Non intuemini, fratres mei, SS. Trinitatem, et dominam meam gloriosissimam Virginem Mariam et sanctum Ioannem evangelistam? » Quibus dictis, adhuc excepto² genibus corpore, migravit animo in caelum, et sancta Teresia, procul distans ab oppido de Arenas in quo Petrus decesserat, illum vidit recto et lucido tramite delatum ad sempiternam felicitatem; ac saepe postea eidem oranti apparuit plenus immensâ gloriâ et purissimae lucis radiis circumfusus. Corpus vero pulcherrimum, caelesti quodam colore perfusum, oculis apertis et miro splendore radiantibus, suavissimo de membris odore manante, intuentes replebat admiratione, utque fidelium adventantium devotioni satisfaceret, in eminentiori extra portam loco expositum fuit, ad cuius conspectum populus suspiriis ac vocibus Sanctum inelamabat, auxilium ab eo petebat, vel minimam habitus par-

¹ Edit. Cherub. legit *erupit* (R. T.).

² Edit. Cherub. habet *stante* pro *excepto* (R. T.)

ticulam pro summo quilibet bono reputabat. Inde processum est ad funus, numeroso populo cum facibus ac candelis accensis sacrum depositum comitante. Contigit autem inter cetera notabilia quod caelum imbre ac vento furens, delato in medium corpore, subito placaretur, dum in circuitu omnia streperent et inundarent, ita ut a valetudinario, in quo decesserat, usque ad conventum, duobus milliaribus distantem, quieto caelo, omnes innadefacti processerint, et ceram pro funere honorando accensam in tanto spatio nihil inminutam repererint. Eius corpus, in ecclesiâ fratrum Minorum Discalceatorum depositum, singulari populorum veneratione invisitur.

§ 20. Excessit anno salutis MDLXII, xviii die octobris.

Annus et dies obitus.

§ 21. Plurimis etiam post mortem miraculis coruscavit.

Miracula post mortem.

Alphonsus Sanchez faber lignarius, fracti cruris integrandi mortalem¹ omnem spem proiecerat; sed ad sepulchrum Petri momento temporis convaluit.

Laborantem exitiali morbo Mariam de Paramo, et a medicis desperatam, haustus aquae, reliquiarum Petri contactu sacrae, dicto citius integrae sanitati restituit.

Sacramento Extremae Unctionis munita iam erat Maria Velasquez, quae Petri opem exposcens illico surrexit incolumis.

Franciscus Ramirez sexennis puer, cruribus contractus, oleo lampadis ante Petri sepulchrum lucentis inunctus, repente sanatur.

Balthasari Rodriguez sexenni puero, fracto utroque latere, ac defluentibus intestinis pene confecto, effusae ante Petri sepulchrum preces saluti fuerunt.

Francisca Martinez triennio claudicans,

¹ Ita legit etiam edit. Cherub.; at forsân legendum *mortalem* (R. T.).

quae, desperatâ fracti pedis salute, genibus et manibus reptaverat ad Petri sepulchrum, incolumis, et solido pede innixa, regressa est domum.

Utrâque aure surdus Bartholomaeus Garzia, contactu aquae, cui fuerant admotae Petri reliquiae, recuperavit auditum. Et eodem contactu visum momento recepit Isabella Gonzalez a tribus mensibus caeca. Et foedo apostemate laborans in dextro genu Ioannes puer bimus repente convaluit.

Ad ipsius sepulchrum concursus.

§ 22. Iacuit autem Petri corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat; sed, cum undique ad illud ex totâ conflueretur Hispaniâ, episcopi Abulensis auctoritate in locum decentiorem a religiosis conventus de Arenas translatum est, et oleo similem liquorem distillans repertum, candidis velis fuit involutum, retentâ quadam reliquiae particulâ, et in arcâ prope altare maius iterum muro inclusum.

Clemens IX praeparat canonizationem.

§ 23. Gratias igitur immortales agebat omnipotenti Deo idem Clemens praedecessor, et in illo cor suum exultabat, quod, nullis eius suffragantibus meritis, sed altitudine divitiarum sapientiae et scientiae suae, hanc servi sui Petri de Alcantara canonizationis solemnitatem per eius humilitatis ministerium ad sui nominis gloriam et catholicae fidei exemplum voluerit celebrari. Cum enim, praeter eximia prodigia quibus Petri vita effulsit, post mortem etiam quamplurimis aliis miraculis¹, ut eius sanctitatem testaretur Deus, aditus aperiebatur ad sacros honores Petro deferendos.

Processus.

§ 24. Propterea crebrescente famâ eius sanctitatis, venerationis et miraculorum, editi super his fuere processus auctoritate apostolicâ et ordinariâ: et accedentibus precibus clarae memoriae Phi-

¹ Ed. Cherub. hic addit *claruerit*; vel comma et particula *ut delenda* (R. T.).

lippi III et IV catholicorum Hispaniarum regum, necnon fere omnium Hispaniae regnorum, ceterisque de more peractis, sacra rituum congregatio, cui supradictorum processuum revisionem iniunxerat Gregorius Papa XV etiam praedecessor noster, tunc suus, respondit, referente bonae memoriae Marco Antonio tituli S. Eusebii presbytero cardinali Gozadino, iuxta seriem relationis trium causarum palatii apostolici auditorum, pluries examinatum fuisse causam servi Dei Petri de Alcantara, ac plenissime constare de validitate processuum, famâ sanctitatis, fidei puritate, ceterarum virtutum excellentiâ, reliquiarum ac sepulchri veneratione, et plurimis tandem miraculis; ac propterea posse, si Summo Pontifici placuisset, eundem Petrum Sanctum ac in caelis regnantem omnibus fidelibus solemnî canonizatione proponi venerandum, dum interim episcopus Abulensis in cappellam quamdam novam a se dedicatam sacrum eius corpus odorem suavissimum spirans solemniter transtulisset, praesentibus nonnullis Hispaniae magnatibus, qui ferendis reliquiis nobiles humeros submiserunt.

§ 25. Quapropter idem Gregorius XV felicitis recordationis praedecessor noster, tunc suus, annuit precibus eiusdem Philippî IV regis, et ministri generalis et fratrum Ordinis Minorum, atque Petrum Beati titulo insignivit die xviii aprilis anno salutis mdcxxii; ac de eo tamquam de Confessore non Pontifice die xix octobris, qua ipsius memoriam celebrandam esse statuit, ubique terrarum ab universo Ordine Minorum Observantium utriusque sexus, in oppido vero de Alcantara, ubi natus est, atque in altero de Arenas, ubi corpus eius requiescere acceperat, ab omnibus tam regularibus quam saecularibus clericis recitari officium posse et missam celebrari, datis desuper

Beatificatio.

litteris in formâ Brevis, concessit. In provinciâ vero S. Iosephi, cuius auctor extitit Petrus, a fratribus Discalceatis de illo veluti de Patrono etiam cum octavâ officium ac missam celebrari posse.

Processus
alms ob decre-
ta Urbani VIII.

§ 26. Deinde vero novus processus conditus est ob nova decreta ab Urbano VIII edita, et fama sanctitatis perseverans et crescens fidelium veneratio reperta est.

Innocentius X
comprobat mi-
racula.

§ 27. Alia deinde miracula a felicitate recordationis Innocentio X prædecessore nostro, tunc suo, comprobata sunt die VIII martii MDCL, cum processus novi super his, quæ post Petri beatificationem¹, formati fuissent, instantibus in primis iteratis supplicationibus episcoporum, principum ac civitatum totius Hispaniæ.

Votum sacra-
rum congrega-
tionis.

§ 28. Repetito voto sacra rituum congregatio die XII aprilis anno MDCLX censuit posse tuto deveniri ad solemnem Petri canonizationem, ac in Domino plurimum expedire ut diuturnæ mortificationis assiduus labor, plane ad prodigii genus accedens, argumentum insignie perfectissimæ charitatis in Deum, cum salubri animarum profectu sane admirabili, christifidelibus colendus et imitandus omnino proponeretur.

Alexandri VII
obitu remorata
canonizatio.

§ 29. Sed interim succedente interitu felicitate recordationis Alexandri VII prædecessoris nostri, tunc sui, quo annuente decretum supradictum emanaverat ab eadem sacra rituum congregatione, et eodem Clemente ad S. Petri cathedralam evecto, priores diligentia fuerunt instauratae, et accedentibus novis principum catholicorum instantiis, præsertim vero regis catholici Caroli II, secretum consistorium fuit habitum die XVIII martii anno MDCLXIX, in quo per venerabilem fratrem nostrum, tunc suum, Martium episcopum Portuensem S. R. E. car-

¹ Forsan deest *contigerant*, ut habet edit Cherub. (R. T.).

dinali Giunettum status causæ beati Petri relatus fuit; et omnium cardinalium, qui adfuerunt, suffragia dixerunt placere eis ut idem Clemens ad solemnem canonizationem deveniret.

§ 30. Quapropter, sequente publico consistorio, in quo de canonizatione dicti beati Petri verba fecit dilectus etiam filius Alexander Capraria, nostræ, tunc suæ, consistorialis aulae advocatus, et nomine præfati Caroli regis, necnon regnorum prædictorum, ac ministri generalis et fratrum Ordinis Minorum eidem Clementi prædecessori fuit humiliter supplicatum,

Carolus II rex
Hispaniarum in-
stat pro canoniza-
tione.

§ 31. Idem Clemens prædecessor noster, in tam gravi causâ orationibus et ieiuniis publice indictis, et concessâ pro hoc fidelibus indulgentiâ, divinæ voluntatis beneplacitum explorare satagit.

Clemens IX
ieiunia indit
et indulgentiam
concedit.

In semipieno postmodum consistorio cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum (de quorum numero tunc eramus) scripta suffragia canonizationis solemnitate approbantium eidem Clementi prædecessori diem dominicum in Albis unanimiter innuerunt.

§ 32. Tandem, cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Ss. Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda et observanda erant, dictâ die dominicâ in Albis, quæ erat IV kalendas maii, anno MDCLXIX, pontificatus sui anno II, in sacrosanctâ beati Petri Apostolorum Principis basilicâ, in qua solemniter cum eiusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis Romanæ curiæ prælatis, officialibus et familiaribus suis, clero sæculari et regulari, et maximâ populi frequentia mane convenit, post repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine eiusdem Caroli regis a dilecto

Canonizatio.

etiam filio nostro, tunc suo, Iacopo tituli S. Sixti presbytero cardinali Rospiglioso nuncupato, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac eius naturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio, beatum Petrum de Alcantara Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesiâ, quolibet anno, xviii octobris, illius obitus die, memoriam eius inter Sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recolere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Sancti festum
decoratur.

§ 33. Postea idem Clemens, praedecessor noster, eiusdem Sancti festum die xix octobris celebrari quotannis decrevit, in qua die omnibus christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis universi Ordinis sancti Francisci, tam fratrum quam monialium, tam haecenus erectis quam in posterum erigendis, et ubicunque locorum existentibus, visitaverint, indulgentiam plenariam perpetuam concessit.

Pontificis gratiarum actio.

§ 34. Deo igitur optimo maximo, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, gratias agere eundem Clementem praedecessorem decebat qui benedixit hunc servum suum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et curreret in viâ mandatorum divinorum, dilatato

1 Aptius edit. Cherub. legit *nostrorum voluntatis et decreti* (v. r.).

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

corde ab eximâ charitate; cumque illi divina pietas huic nostro saeculo indulserit, qui antiquae prodigia sanctitatis instauraret, eundem singulari cultu proserequeretur, eiusque auxilium in luce christiana reipublicae necessitatibus enixius imploraret.

§ 35. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, aliisque praemissis, pro eo quod ipsius Clementis praedecessoris litterae eius superveniente obitu confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari: volumus et apostolicâ auctoritate decernimus quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio, aliaque praemissa a dictâ die iv kalendas maii suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis praedecessoris litterae sub datâ eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem, aliaque praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Decreti confirmatio.

§ 36. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Publicatio et fides.

§ 37. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum et decreti¹ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Glossula irritans.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno

Incarnationis Dominicae MDCLXX, v idus
maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 maii 1670, pontif. anno I.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS

- † Ego Franciscus episcopus Ostiensis
cardinalis Barberinus, S. R. E.
vice-cancellarius.
- † F. M. episcopus Tusulanus cardinalis
Brancaius.
- †
- †
- † Ego Uldericus episcopus Albanensis
cardinalis Carpinus.
- †
- † Ego Virginius tituli S. Laurentii in Lu-
cina presbyter cardinalis Ursinus.
- †
- † Ego Caesar tituli Ss. Quatuor Coro-
natorum presbyter cardinalis Fac-
chenettus.
- †
- †
- † Ego Alderanus tituli S. Praxedis pres-
byter cardinalis Cybo.
- † Ego Fridericus tituli S. Petri ad Vin-
cula presbyter cardinalis Sfortia.
- † Ego Benedictus tituli S. Honuphrii
presbyter cardinalis Odesealus.
- †
- †
- † Ego Aloysius tituli S. Alexii presby-
ter cardinalis Homodeus.
- † Ego P. tituli S. Marci presbyter car-
dinalis Ottobonus
- † Ego Laurentius tituli S. Chrisogoni
cardinalis Imperialis.
- †
- †
- † Ego Marcellus tituli S. Stephani in
Monte Caelio presbyter cardinalis
Santacrucius.
- † Ego Ioannes Baptista tituli S. Marcelli
presbyter cardinalis Spada.

- † Ego Franciscus tituli Ss. Quatuor Co-
ronatorum cardinalis Albitius.
- † Ego Octavius tituli S. Caeciliae pres-
byter cardinalis de Aquaviva et Ara-
gonia.
- † Ego Carolus tituli S. Priscae presby-
ter cardinalis Pius.
- † Ego Carolus tituli S. Eusebii presby-
ter cardinalis Gualterius.
- † Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo
presbyter cardinalis Chisius.
- †
- † Ego Iacobus tituli S. Pancratii pres-
byter cardinalis Franzonus.
- †
- † Ego Petrus tituli S. Calixti presbyter
cardinalis Vidonus.
- †
- †
- †
- † Ego Nereus tituli Ss. Nerei et Achil-
lei presbyter cardinalis Corsinus.
- † Ego Carolus tituli S. Anastasiae pres-
byter cardinalis Bonellus.
- †
- †
- † Ego Carolus tituli S. Susannae pres-
byter cardinalis Caraffa.
- † Ego P. tituli Ss. XII Apostolorum pres-
byter cardinalis de Alteriis.
- † Ego Caesar tituli S. Ioannis ante Por-
tam Latinam presbyter cardinalis
Rasponus.
- †
- †
- †
- † Ego Carolus tituli S. Mariae de Ara-
caeli presbyter cardinalis Robertus.
- †
- †
- †
- †
- † Ego Iacobus tituli S. Sixti presbyter
cardinalis Rospigliosus.

- †
 †
 †
 †
 †
 †
 †
 † Ego Fridericus tituli S. Nicolai in
 carcere diaconus cardinalis Nassia.
 † Ego Carolus S. Caesarei diaconus car-
 dinalis Barberinus.
 † Ego Decius S. Eustachii diaconus car-
 dinalis Azzolinus.
 † Ego Franciscus Maria Ss. Viti et Mo-
 desti diaconus cardinalis Mancinus.
 †
 † Ego Paulus tituli S. Georgii diaco-
 nus cardinalis Sabellus.
 †
 †
 † Ego Sigismundus S. Mariae in Do-
 mica diaconus cardinalis Chisius.
 †

II.

*Bulla sive litterae decretales canoniza-
 tionis S. Mariae Magdalenae de Paz-
 zis Ordinis B. M. V. de Monte Car-
 melo, quam Clemens IX Pontifex Ma-
 ximus unâ cum B. Petro de Alcan-
 tara Sanctorum catalogo adscripsit,
 a SS. Clemente X expedita¹.*

**Clemens episcopus,
 servus servorum Dei,
 ad perpetuam rei memoriam.**

Proemium

Rationi consonum et iustum reputa-
 mus ut Romanorum gesta Pontificum,
 praesertim maiorem Dei gloriam et San-
 ctorum eius laudes et honorem concer-
 nentia, super quibus, eorum superve-

¹ Nunc primum impressa

niente obitu, litterae apostolicae con-
 fectae non fuerunt, illa universis chri-
 stifidelibus pateant.

§ 1. Dudum siquidem felicitis recor- Bulla Clemens
IX recepitur.

dationis Clemens Papa IX. praedecessor
 noster, pie attendens quod singulari
 divinitatis consilio factum erat ut, in
 illo potissimum tempore quo pessimi
 veteratores et errorum magistri apud
 multas gentes ac praesertim in septen-
 trione bellum religiosiis familiis indixe-
 rant iridentes sanctissima vota quibus
 perfectionis studio ducti christifideles
 se divino famulatu consecrabant spe-
 ciali cultu, floruisent in sacris Or-
 dinibus quamplurimi sanctitate conspi-
 cui qui ceteris exemplo praelucent et
 currebant in via divinorum mandatorum
 et consiliorum ad confundendam Lutheri
 et sociorum insaniam et carbones ignis
 super illorum capita congerendos; quo-
 niam vero virginitatem praecipue con-
 temnebant nequissimi hostes coeno vo-
 luptatum immersi, sponsus divinus, qui
 pascitur inter lilia, excoluit sacris in
 hortis pulcherrimos flores, quorum cae-
 lestis odor alios illicio suavissimo invi-
 taret ad studium angelicae huius virtutis;
 hinc, praeter Teresiam a Iesu, Rosam
 de S. Maria, aliasque plurimas nondum
 albo Sanctarum aut Beatarum adscriptas,
 exhibuit admirationi et cultui popu-
 lorum sanctissimam virginem Mariam
 Magdalenam de Pazzis, cuius ea fuit
 caelestium virtutum fragrantia, ut caele-
 stem sponsum allegerit ad illam annulo
 subarrhandam; tanto autem divini amo-
 ris aestu in mediis virginitatis nivibus
 ardebat, ut prodigiosa et propemodum
 inaudita sint argumenta beatissimi in-
 cendii, quae praebuit in excessibus men-
 tis quibus frequentissime colloqueba-
 tur cum Deo: illam igitur Sanctarum
 numero adscribere divini Spiritus du-
 ctu decreverat ad solatium et exemplum

infelicis huius saeculi, cui singulare praesidium sperabat ab illa, quae hoc ipsum saeculum virtutum suarum prodigiis illustraverat; et gratias humillimo obsequio persolvit omnipotenti Deo, qui, sicut ineffabili providentiâ, nullis suis meritis, Ecclesiae suae ipsum praesesse voluerat, ita reservare ei dignatus erat sanctissimam hanc sponsam suam supremo cultu exornandam, ut celeberrima Mariae Magdalенаe sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur.

Nativitas
S. Mariae Mag-
dalенаe de Paz-
zis eiusque illu-
stres parentes
ac virtutes.

Sanctissima haec virgo exorta in urbem est Florentiae ii aprilis die anni MDLXVI ex illustribus parentibus Camillo de Pazzis et Maria Bondelmontia. Catharinae nomen inditum illi fuit, quod immutavit eum sacrae familiae nomen dedit. Ab ipsis inenarrabilis signatum super illam visum fuit lumen vultus divini, adeo ut, aetatis praecindicium supergressa, caelestibus rebus inhiaret, et quasi iam mundo nuncium remisisset, sericas vestes abhorreret, et integrâ die soluta in fletum fuerit, coacta patris imperio nobile indumentum adhibere domo egressura. Nedom illi rationis usus diluculum affulsisse per aetatem poterat, cum frangere coepit esurienti panem suum, consueta in pauperes erogare ientaculum matutinis et pomeridianis horis illi tributum. Statim ad sponsi divini nuptias adulta visa est, ideoque in illius perpetuo complexu vivebat, de illo tantum loqui, vel de eo loquentes audiri¹ cupiebat, et in secretis gynaeceis assiduo haerebat in contemplatione divinarum rerum, praesertim affecta mirifice erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quo recens refectos avidissime alloquebatur, quasi tunc praesentiâ in illis frueretur Christi servatoris, qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum*

sanguinem in me manet et ego in eo. Cum autem illius animum subibant crimina quibus offendi suum Deum audiverat, exulcerati cordis dolorem incredibili fletu protestabatur.

Anno aetatis decimo, feria v sanctioris hebdomadae, contemplata charitatem eximiam qua se mortalibus in augustissimo sacramento cibum Christus exhibuit, perpetuum illi munus devovit virginitatem suam; ac deinde quotiescumque a parentibus mortalis sponsi mentionem fieri audivit propemodum exanimari visa est: ac certe subituram se potius mortem profitebatur, quam unquam a concepto proposito resilire, beatius videri sibi dicens in carne imitari vitam angelicam, quam ex carne mortalium numerum augere. Matrem ergo sollicitè conciliare sibi studebat ut ad sanctimonialis vitam (ad quam avidissime ferebatur) liberum sibi iter indulgeret. Patri vero sancte asserebat se potius violentâ morte extinguendam, quam dimovendam a semel concepto religiosae vitae proposito.

Anno decimo
voluit
perpetuae vir-
ginitatis.

Ruri cum degeret pauperes puellas christianae fidei rudimentis imbuebat, utque¹ libentius et certatim confluerent singulis quibusque festis diebus, plerumque illis sudariola et gremialia, assentiente matre, donabat; cumque nata esset ruri pabulum hoc eximiae virtutis, aegerrime repetebat urbem; in qua tamen solitudinem inveniebat in aedium angulo piis precibus insistens, ac sedulo satagens ut idipsum domestici omnes praestarent. Exinde coenobium monialium S. Joannis equitum ingressa, ut ibidem, ut assolet, aliquot annos excoleretur, ea praebuit caelestis indolis argumenta, ea charitatis obedientiae et humilitatis specimina, ut moniales San-

Adolescentia.

¹ Aptius lege *audire* (R. T.).

¹ Male ed. Main. legit *ut quae pro utque* (R. T.).

etiam illam fore ac divae Catharinae Sen-
nensi non impari praesagirent. Aegris
praesertim sollicitam operam adhibebat,
illas sacrorum voluminum lectione re-
ficiens, et ignito de rebus divinis eloquio
ad caelestem amorem erigens. Ipsa vero
adeo vulnerata erat iaculis charitatis,
adeo inebriata nectare beatorum, ut vultu
praeserferret cordis incendium, ideoque
accensae rosae speciem interdum exhi-
beret, instar siderum illius oculi scin-
tillarent, immo angelicae formae radiis
intuentes bearet.

habuit habi-
tum religionis

Sextodecimo aetatis anno uberrimam
profusione lacrymarum a parentibus tan-
dem extorsit facultatem religiosi habitus
suscipiendi, et gaudio triumphans in
monasterio S. Mariae de Angelis (cuius
parietes suavissime osculabatur) Ordini
Carmelitarum adscripta est. Atque is in
illam statim solitudinis¹ amor exarsit, ut
nunquam ad ferreas crates accesserit,
nisi praecepto superioris coacta; quod si
aliquando a suis illam latebris abstraher-
et, ad supplicium impellere videbatur;
ipsorum etiam parentum et consanguineorum
colloquia, praesertim virorum, aversabatur.
Praeterea mirum in modum sollicita erat
ne frustra contereretur tempus, quod
divinis colloquiis consecrandum erat. Et
quia iustitiae custos silentium est, illius
leges servavit religiosissime.

Etiā in ar-
denti obedientis-
sima fuit.

A superiorum nutu ne latum quidem
unguem discedebat, licet non raro im-
perarent ardua; imo etiam illa, quae in
extasim raptae virgini Deus imperabat,
non nisi accedente superioris assensu
exequabatur. Sanctissimo ambitu vilium
officiorum incendebatur; paupertatis a-
mantissima gestiebat si quid interdum
vitae necessarium illi defuisset: novam
nunquam, sed magis attritam vestem

quaerebat; eumque omnium sese virtu-
tum ideam monialibus exhiberet, iisdem
interrogantibus quo pacto religiosa vita
instituta sit, respondere solebat eo
semper spiritu vivendum, quem primam
ingressus die conceperant, ac nullum
privatum commodum sacri Ordinis insti-
tuto praefendum.

Incredibili ardore animi professionem
emisit decimoseptimo aetatis anno: et
de claritate crescens in claritatem usque
ad perfectum diem, ut sorores omnes
divino amore incenderentur, illarum mu-
nera obibat, domesticos labores nocti-
bus peragens, quas plerumque traduce-
bat insonnes, ut illae secum transige-
rent dies in divinarum contemplatione
rerum. Quod si aliquando repugnantem
somnia opprimeret, miro pudore suffusa,
flagellis corpusculum cruentabat, et ad
opus regrediebatur, sed quod in aliis
fovere satagebat orandi studium, miri-
fice illo ipsamet virgo aestuabat, et per-
petuis precibus sanctam Deo Ecclesiam
commendabat, dicere consueta Christi
sponsam non appellandam esse sancti-
monialem illam, quae inter orandum se-
dulo memor non esset sponsae divinae
catholicae Ecclesiae. Choro defuit nun-
quam, nisi ab aegritudine prohiberetur.
Caelestis amoris incendium in omnium
animis excitare cupiebat, et ad illum
perpetui stimuli erant Magdalenae col-
loquia, perspicua ingenii acies, mode-
stissima serenae frontis tranquillitas,
prudentialis lumen illustre, et prodigiosa
eloquentia in sermone de rebus divinis
facilem illi aditum praebat ad animos
occupandos.

Sed uberiorem exercendi zeli ma-
teriam sortita est, cum illi vigesimum-
tertium annum agenti demandata est
tiruncularum cura, quas praesentia ipsa
erigebat ad studia divina, et uno in-
tuitu oculorum culpae alicuius conscias

Anno aetatis
suae decimo-
septimo profes-
sionem emisit.

Sto lia oratio-
nis aestuabat.

Anno aetatis
viginti tertio
magistra novit-
iarum deputa-
tur.

¹ Edit. Main. legit *solitudine* (R. T.).

Novitiae,
vel levissima
labe consper-
sae. Magdale-
nae conspectum
subire non au-
debant.

deterrebat, ita ut faterentur optimae adole-
scentulae se qualibet vel levissimâ labe
conspersas Magdalenae conspectum sub-
ire nunquam ausas fuisse. Atque adeo
constans de magistræ sanctitate opinio
discipularum animos occupaverat, ut ipsa
(quæ omnium imperfectissimam et cul-
pis obrutam arbitrabatur se) omni stu-
dio laboraret, quo eas ab hac mente
dimoveret, ideoque perturbationes animi
sui et hostis nequissimi tentationes iis-
dem memorabat.

Animorum in-
tima cognoscit.

Animorum statum et intima cuiusque
penetralia intuebatur; adeoque consen-
tanea cuilibet spiritus languori remedia
adhibebat, ut non solum tirumculas, sed
plerasque alias tentationibus vexatas eius
directioni confessarii¹ subiiceret: atque
ut solo verbo serenitatem animis alle-
rebat, ita solo nutu aliorum pervicaciam
infringebat. Incredibilis erat illius pro
periclitantium animarum salute zelus:
et, quoties ad innumeros infideles a Chri-
sti ovili devios flectebat oculum mentis,
medullitus cruciabatur, atque hæc co-
gitatio perpetuus illi erat fons lacryma-
rum, adeo ut cibo refici non posset,
et fletu stratum suum rigaret. Mariam
Mediceam Henrico IV Galliarum regi
desponsam² hortata impense fuit ut
haeresum extirpationi et catholicorum fi-
liorum educationi sedulam operam adhi-
beret.

Ingens marty-
rii desiderium.

Ad hæc incendebatur incredibili siti
martyrii, cuius delicias delibare cona-
batur assiduus corpusculi cruciatibus,
*semper mortificationem Iesu Christi in
se circumferens, ut vita Christi manife-
staretur in corpore suo.* Aegris adhaeret³
assidue, de vitâ periclitantibus solatium
et opem afferebat, insomnes noctes tra-

Ac illa infir-
mitati curat.

¹ Potius lege *confessarius*, vel postea *subiice-
rent* (R. T.).

² Ni legere malueris *desponsatam* (R. T.).

³ Potius lege *adhaerebat* (R. T.).

ducens, atque eo charitatis ardore mi-
nistrabat quovis etiam sordido morbo
laborantibus, ut ex foetidissimo cuius-
dam ulcere vermiculos et putredinem
obstergeret¹, cumque lamberet putres
eiusdem ulceris hiatus, exclamabat: *O
quam maiora passus est Iesus pro no-
bis.* Praeterea deformes scabiei crustas,
quibus obtegebatur corpus sororis Bar-
barae de Bassis, non absimiles leprae,
et Mariae Benignae de Orlandinis, foetido
itidem morbo et in lepram desituro per
sesquiannum confectae, lingendo, utri-
que prodigiosam salutem hoc eximiae
charitatis et tolerantiae miraculo redon-
avit.

Ulcera lam-
bebat.

Crustas le-
prae similes per
sesquiannum lan-
git et ita salu-
tem moribundis
infirmis donat.

Panis tantum et aqua cibus illi et
potus quinquennio fuit; proximo autem
biennio, medicorum iussu, modicum vi-
num adhibuit, ac dominicis diebus usa
est epulis, quibus vesci sinunt ieiunii
leges. Cum vero experiri voluissent mo-
deratores an Deo annuente illâ se ine-
diâ torqueret, pro imperio compulerunt
uti missioribus² cibus, sed eam difficulta-
tem in deglutiendo experta est, ut sin-
gulis propemodum spiritus illi fuerit
interclusus; idcirco mirabilem tam rarâ
abstinentiâ vitam protraherebat; nudis in-
cedebat pedibus, quanvis glacies hor-
rida rigeret, quoadusque, pedum usu
destituta, alienâ tantum ope progredi
potuit, et quamvis morbi deterrere illam
debuissent, tamen tam incredibili cru-
ciandi corpusculi studio incendebatur,
ut integras noctes sacris in precibus vi-
gilaret, ferreo cingulo et ciliciis pro-
tereret carnem, caput spineâ coronâ
transfigeret, et liquenti cerâ se interdum
ustularet.

Quinquennio
panis et aqua
illi cibus fuit.

Sed, quod admirabilius est, non solum
omnes corporis cruciatibus avidissime am-
plectebatur, verum etiam nullâ caelesti

Spirituales de-
licias animi sui
pro viribus oc-
cultabat.

¹ Forsan *abstergeret* (R. T.).

² Forsan *mitioribus* aut *melioribus* (R. T.).

dulcedine suum animum recreari, aut saltem clam omnibus esse divinas delicias animi sui exoptabat; ideoque, si forte incidisset in scripta, quae de suis visionibus sorores exarabant, illico ea comburebat; et oculis ac toto habitu oris summa modestissimi animi demissio suique contemptus mirifice promicabat; sed frustra caelestium charismatum dona tegere laborabat; tantus enim in illius animo flagrabat aestus amoris divini, ut per claustra transiliens exclamare cogeretur: *o amor, o amor, non bene notus, non bene redamatus, tot iniuriis affectus; oh! quam pauca pectora te norunt! ego pectus meum exhibeo, veni ad cor meum, veni ut forearis.* Interim miram corporis agilitate per claustra ferebatur, dilacerabat vestes, et procul abigebat quidquid illius in manus incurrisset, a felicissimo deinde mentis exilio regressa dicere solebat, quod, si blasphemis immunis esset infernus, illum non exhorruisset, ut combureretur magis.

Per octo dies a pervigilio Pentecostes sensibus destituta manet in raptu et quid ei acciderit.

Obsequentissimo cultu venerabatur augustissimam Trinitatem, quam perpetuis fere laudibus adorabat, et illius singulari beneficio, anno MDLXXXV, a pervigilio Pentecostes per consequentes octo dies ac noctes sensibus destituta, gavisata est intuitu divinarum rerum, atque in eo rapta quotidie matutinis horis divini Spiritus auram sub diversis formis acceperit. In extasim rapiebatur, ubi symbolum fidei recitabat, atque hoc illi non semel evenit alloquenti Alexandrum cardinalem Medicum (cui Pontificatum eumque brevissimum futurum praedixit) et qui postea re ipsa Leonis XI nomine Pontifex Maximus renunciatus est.

Feria quinta maioris hebdomadae participat dolores Passionis Domini.

Eodem anno, et MDXCII, feria v et vi sanctioris hebdomadae, similes animi excessus experta est, atque illi Christus indulisit participationem dolorum, quos acerbissimos iisdem ipse diebus pro ge-

neris humani redemptione toleravit, eique instrumentorum suae sacratissimae Passionis fasciculum porrexit.

Interdum per tres consequentes noctes arcana divinitatis intuita est, ac subinde augustissimae Trinitatis mysterium ea facundia exposuit, quae humani vires ingenii superabat, ac tanto divinarum personarum amore incendebatur, ut, dum inter horas canonicas laudes SS. Trinitati persolveret, exalbescere pallore niveo et amoris aestu pene confici videretur.

Praeterea cum Aeterno Patre eodem anno admirandum habuit colloquium de modo adornandi animam ante sumptionem SS. Eucharistiae; atque his profusae in se divinitatis muneribus ad illud amoris incendium evasit ut interdum exclamaret: *O amor, te amplius ferre non possum: amor in te revertere! tanti amoris incapax ego sum.* Exinde ad gelidum fontem vel ad putei crepidinem manus et brachia undis mergebat, easdem potabat avidissime, illarum copiosam aspergine pectoris. Ethnam refrigerabat; nempe semel hoc impetu charitatis acta, pendentis a cruce Reparatoris nostrae salutis imaginem amplectebatur, eamque a cruce divulsam lacrymis irrigabat, et sui capitis velaminibus innocens Magdalena tergebat. Interdum os tam avidè admovebat lateri crucifixi, ut videretur suavissimam ex illo fonte divino ambrosiam haurire.

Non semel sponsi divini manu eucharistico epulio refectam, et annulo nuptiali subarrhatam, idem sponsus sua spinea coronam, impressis in animam stigmatibus, ac suo divino corde muneratus est: et divus Augustinus (eius felicem animum in mentis excessu aliquando suspexit) illius cordi *Verbum, aureis, caro factum est, sanguineis notis inscripsit.*

1 Forsan neque pro nempe (R. T.).

Per tres consequentes noctes arcana divinitatis est intuita.

De preparatione ad sumptionem Eucharistiae.

Divinus sponsus non semel Eucharistiam ei praebet.

Statum animarum in altera vita perspexit. Pariter spiritu prophetico dotata, ex divina revelatione futuros rerum eventus praenunciavit, et quaedam in locis remotis facta et dicta tamquam praesens vidit et audivit.

Saepe saepius manualibus, qua suendo, qua Sanctorum imagines pingendo, qua aurum scindendo, similesve alias obsequendo functiones, implicita exercitiis, repente corripiebatur mentis excessu, quae fixis in caelum palpebris, imo fenestris clausis, oculisque fasciâ velatis, totâ immobilis et extatica, coeptum qualemque eo modo prosequabatur, et ita absolute perficiebat opus, quasi huic muce intenta foret.

Cum autem (sicut praedictus divinitatis amantissimus Augustinus) experiretur inquietum esse cor suum donec requiesceret in Deo, conquerebatur, quod incolatus eius prolongaretur. Amoris igitur aestu felicissime contabescens, vigiliis et afflictationibus corporis pene consumpta, quem delicatorem cibum ad illam decumbentem sorores allerebant, ad alias aegrotas mittebat; adeoque castitatis custos religiosa fuit usque ad interitum, et aegreferens sororis manibus contingi, ut, cum vires illi non essent quibus in aliam strati partem converteret se, iucundius sibi esse diceret in lecto marcescere, quam ab aliis attingi; cumque illi mors instaret, a confessariis interrogata, ingenue professa est, nullam sibi unquam in animo cogitationem fuisse quae quidquam de castitatis candore delibaret; atque hunc integerrimae pudicitiae florem a Beatissimâ Virgine indultum sibi fuisse asserebat, quae se in extasi candido aliquando velamento operuerat, quo protecta nullis unquam contrariis pudicitiae maculis infici potuit.

Quinque omnino menses cum aegri-

1 Praeposit. ut nos addimus (R. T.).

tudine constans praebuit argumentum invictae tolerantiae. Sacramentis deinde refecta, singulari animi dimissione veniam a sororibus flagitavit, quas, nihil ipsa mortem pertinens, consolabatur; spirituales vero patrem circa septimam noctis horam rogavit, ut ad quiescendum pergeret, spondens usque ad proximum mane superfuturam sibi vitae usuram. Sub interitum sororibus innuit, ut fidei symbolum recitarent, eoque inchoato in extasim rapta est, et sempiternae praeludia felicitatis illius in vultu effulserunt. Cum animam ageret integerrima virgo, iussa est a confessario praestolari quoad usque sacrum ipse faciens caelesti pane moniales reficeret, at Magdalena, quae usque tunc penitus obmutuerat, quasi reviviscens dixit, *Benedictus Deus*, ac deinde, regressis omnibus e sacro convivio, sanctissimum animum choris caelestibus inserendum emisit die xxv maii anno mdcvii, aetatis suae quadragesimo primo expleto.

Consequenti die cum illatum ecclesiae fuisset sacrum virginis corpus, vis hominum tanta confluit illius vestes incidere studiosissime, ut necesse fuerit tectis postibus turbam aditu prohibere. Prodigiosum fuit, quod, cum ad sinistram vergeret Magdalena facies, et feretrum nullo motu concuteretur, in dexteram invertit se quia sinister illi aderat adolescens proligetae vitae, cuius aspectum nec exanimatum virginis corpus tolerare potuit.

Humili primum loco sub arâ maiori sepultum est virgineum corpus, quod ibidem per annum quievit incorruptum, quamvis loci humiditas vestes penitus absumperit. Inde translatum manavit liquore suavissimo ad instar balsami, et variis languoribus saluberrimo, et in praesentia cuiuslibet corruptionis expers suavissimo etiam odore fragrat.

intus quibus mensum.

Obitus.

Ad eius Corporem ingens hominum multitudo.

Humili loco primo sepultum post annum incorruptum corpus reperitur.

Processus in-
formativi au-
thoritatis ordi-
nariæ.
Miracula.

Interim crescente famâ illius sancti-
tatis et miraculorum, editi sunt proces-
sus informativi auctoritate ordinariâ ;
cumque illos retulisset in congregatione
sacerorum rituum bonæ memoriæ Ale-
xander cardinalis Ursinus die x februarii,
anno mdccxiv, eadem congregatio con-
cessit remissorias litteras ad sumen-
das probationes in genere et in specie,
et sacræ rotæ auditoribus de more com-
misit discutendam causam.

Die vero iv aprilis anno mdccxvi, post
advectos ad Urbem processus Florentiæ
compilatos, referente bonæ memoriæ
Carolo cardinali Pio, supradicta congre-
gatio censuit constare de illorum vali-
ditate, deinde xxiv eiusdem mensis die
asseruit constare de virtutibus in gradu
heroico, et demum ii maii consequentia
miracula approbavit.

Acerbissimis doloribus urgebatur so-
ror Maria Catharina de Chellis ob ul-
cus, ex quo pars ossis putrefacti fuerat
educta; sed, fasciis a Magdalena obligata,
illico a dolore, subinde ab ulcere libe-
rata est.

Onnimodâ nervorum attractione labo-
rans soror Fides et lecto haerens immo-
bilis inter acerrimos cruciatus, acceptâ
e Magdalenaë manibus Deiparæ Virginis
imagine, extemplo convaleuit.

Formato signo crucis super Cathari-
nam de Spinis dire cruciatam a daemo-
ne, illico in fugam egit hostem.

Sororibus Barbaræ Bassæ et Mariæ
Benignæ de Orlandinis tabificâ scabie
et lepræ simillimâ infectis, purulenta
earum ulcera lambendo, sanitatem red-
didit.

Sensuum motum et integram salutem
restituit sorori Paci de Columbinis si-
nistri lateris apoplexiâ correptæ.

Destituta iam erat a medicis Cheru-
bina Rabatta pessimo ulcere in capite
infecta, et febri præterea atque atrocis-

simis doloribus aestuans, cui tamen ul-
cus, dolorem et febriem ademit produ-
ctum ter super illam a Maria Magdalena
signum crucis. Eademque Cherubina al-
lio ulcere et lethali febri confecta, iam-
que sacro muvita oleo fere cum morte
luctabatur, cum attingens stramentum,
in quo Magdalena decumbebat, saluti se
restitutam extemplo sensit.

Post mortem vero (præter diutinum
liquorem mire fragrantem, qui variis
languoribus saluberrimus affluxit e ti-
biis corporis sanctissimæ huius virginis
integri et incorrupti) Maria de Rovanis,
sexdecim iam menses lethali febri cor-
repta, et omni salutis spe destituta, ad-
movit sibi ad pectus fasciculum florum
ob contactum sacri corporis salutarium,
et statim in soporem facta est, et brevi
expergefata prosiliit e strato prorsus
incolumis. Eadem Maria, quadriennio
post, febri molestissimâ et variis morbi
symptomatibus in vitæ discrimine con-
stituta, ad tactum pulvilli, quo usa
fuerat Magdalena, convaleuit. Subinde
febri et acerbissimis stomachi doloribus
laborans, et duos menses lecto affixa,
statim atque Magdalenaë tunicam supe-
rinduit, ad sanitatem revocata est. Quam
etiam post annum recepit, cum duos iti-
dem menses febri aestuasset, producto
super illam signo crucis cum velo Ma-
riæ Magdalenaë.

Crudelissimo stomachi dolore et ca-
pitis cruciatu cum vertigine et febri Ca-
tharina de Tassis vitæ marginem atti-
gerat, sed, adnotâ stomacho particulâ
vestis Magdalenaë, repentino somno cor-
repta, atque evigilans, omni se dolore
et aegritudine exemptam reperit.

Magdalena de Rondonis, sexenni do-
lorum tormento propemodum extincta,
omni certe humani remedii spe desti-

1 Videtur legendum *cruciata* (R. T.).

tuta, adnotis corpori Magdalenae vestibus, voto vix nuncupato convaluit. Sicut etiam Petrus de Allis Romanus febricitans et doloribus contabescens, superinducto Magdalenae velo, extemplo convaluit.

Processus auctoritate apostolica comprobati.

Cum autem iam ab illius obitu celeberrima esse coepisset Mariae Magdalenae sanctitas et veneratio populorum, ac ipsius intercessione patrata miracula viae illius clarificationi aperirent, formati sunt processus auctoritate apostolica, quibus examinatis felicis recordationis Urbanus VIII praedecessor noster, tunc suus, annuens repetitis precibus dilecti filii nostri, tunc sui, nobilis viri Ferdinandi Etruriae sibi subiectae magni ducis, ac dilectarum in Christo filiarum monialium dicti monasterii S. Mariae Angelorum, die VIII maii MDCXXVI hanc Dei servam Beatae titulo insignavit, ac die XXII augusti universo Carmelitarum Ordini indulget ut illius officium et missam recitaret; die vero XV Ianuarii MDCXXVIII huiusmodi indultum extendit ad universam ditionem Florentinam.

Sacra congregatio censuit constare de casu excepto.

Post novissima autem decreta eiusdem Urbani praedecessoris, die I aprilis anno MDCLXII eadem congregatio censuit constare de casu excepto, nempe de cultu Beatae exhibito auctoritate apostolica; die X septembris MDCLXVIII, cum declaratum iam antea fuisset constare de validitate aliorum processuum super his quae beatificationi successerunt, decrevit constare de quinque miraculis post indultam Beatae venerationem consecutis.

Quinque miracula post indultum venerationem.

Perseveravit enim corporis incorruptio eam mirabili flexibilitate quarundam partium, in quibus caro tactu pressa cedit et post ad primum redit, in manibus et brachiis cernuntur venae, capilli adhuc suo fulvo rutilant colore, candorem servat caro in artibus qui

vestibus teguntur; quae et pinum inflammant affectum et sanctae devotionis stimulos accendunt.

Continuavit etiam suavissimi odoris ex singulis membris, sed praecipue et acutius ex stomacho fragrantia, tam mira suaveolentia, ut ei nec liquorum, nec florum, aut aromatum odores comparari queant: adeo ut plurimum medicorum assertionem et testimonio constet non nisi divinitus prodire ex illo virgineo corpusculo talem fragrantiam; quae adhuc longe suavius emanavit, quam anno Domini MDCLXIII pro solenni canonizatione exaratus fuit processus.

Solemni praeterea ritu celebrantes beatificationem illius moniales coenobii S. Mariae Angelorum (in quo eius sacrum corpus requiescit), divinam virtute factum est, ut vas, in quo oleum asservabatur, invenerint (postquam plurimum ex eo hauserant) plenum, et successive auferendo, merito huius Elianae virginis (adinstar sui patriarchae) per integram illius celebritatis octavam non imminutum fuisse; quod, exacta perquisitione in congregationibus discussum, inter praecipua caeli de huius virginis beatitudine testimonia numeratum fuit; et hoc eo magis, quod eiusdem olei usu plura alia mirabilia Dominus ad suae sponsae glorificationem operari dignatus est.

Inter ea priori non absimile fuit, quod anno MDCLIV¹, deficiente in mense augusto oleo (cuius penuria tunc monasterium illud laborabat), praefecta cellarii, soror Charitas dicta, interno afflata instinctu, sumens parum olei iam ante per annos caelitus multiplicati, una cum altera ex monialibus sorore Obedientia nomine orans, et applicata huius beatae imagine, obtinuerunt eius intercessione tantum illius augmentum, ut qualibet

¹ Sic edit. Main., nisi legendum sit 1664 (R.T.).

hebdomadâ haustis pluribus mensuris, pro ecclesiae et monasterii usibus usque ad festum Nativitatis Domini sufficeret, nec imminutus est lecythus usque ad novam in decembri oleitatem, quo quidem oleo ita multiplicato plura mirabilia patrata fuere.

Magdalena Angela Govina, monialis in coenobio Murattarum Florentiae, cum per biennium in oculo dextro morbo guttae serenae vexata fuisset, ita ut iam fere omnem videndi vim amiserit, et in laevo etiam notabilem diminutionem eiusdem potentiae experiretur, cum pluribus adhibitis curationibus adhuc magis visus ille imminueretur, desperans de omni humano remedio, beatæ Mariæ Magdalenaë invocato nomine, eiusque velum sibi transmissum retinens, statuensque firmiter se in posterum (obtentâ restitutionis visus gratiâ) ieiunaturam in pane et aquâ in eius pervigilio et curaturam missae celebrationem, cum argenteae imaginis appensione ad eius sepulchrum, cum totâ nocte acerbis doloribus cruciata fuisset et paulisper quievisset, expergefata, se utriusque oculi visivam virtutem recuperasse intercessionem eiusdem virginis experta est, quod expeditâ lectione (ad quam ante omnino impotens erat) abbatissa ipsius comprobavit, et debitis Deo persolutis gratibus, eiusdemque Beatæ applicato velo visum magis corroborari sensit, quod divinâ virtute supra naturae vires operante actum fuisse medici agnoscentes testati sunt.

Clemens IX
ieiunata, elemo-
synas et preces
ad hunc effe-
ctum iudicet.

His et aliis supra enarratis eius sanctitatis coruscantibus signis, quam in caelis adeo acceptam divinae maiestati patronam humana infirmitas experiebatur, accedentibus insuper carissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Leopoldi Romanorum regis in imperatorem electi, et carissimarum in Christo filiarum

Augustae illius coniugis, necnon christianissimæ Galliarum reginae, ac dilecti filii nostri, tunc sui, nobilis viri Ferdinandi Etruriae sibi subiectae magni ducis et dilectae in Christo filiae Victoriae de Rovere magnae ducissae Etruriae, et aliorum catholicorum principum fere omnium, et universi Carmelitarum Ordinis et monialium S. Mariæ Angelorum precibus, quibus id a dicto Clemente praedecessore summâ cum instantiâ expetebant, auditis insuper venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium, quibus id muneris commissum fuerat, votis et unanimi consensu, relatâque in secreto consistorio per venerabilem fratrem nostrum, tunc suum, Martium episcopum Portnensem et S. Ruffinae cardinalem Ginettum totius summâ processus, audentibus et approbantibus aliis tunc praesentibus cardinalibus, indicta fuere ab eodem Clemente praedecessore nostro consueta ieiunia, elemosynae et preces, ut in tanti ponderis negotio divinae voluntatis beneplacitum clarius innotesceret. Postmodum in semipublico consistorio accersitis cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis (de quorum numero tunc eramus), praesentibusque Sedis Apostolicae notariis et causarum palatii apostolici auditoribus, peractis omnibus quae ad hanc sacrosanctam functionem ex sanctorum patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiquâ consuetudine, novorumque decretorum praescripto requirebantur, dominicâ die, quae erat IV kalendas maii, pontificatus sui anno II, in celeberrimo Principis Apostolorum templo, solempni ritu, cum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis Romanae curiae praelatis, officialibus et familiaribus suis, clero sae-

Eamque San-
ctorum catalo-
go adserpsit in
templo Principis
Apostolorum.

ulari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenientibus, post repetitas trinas pro canonizationis decreto petitiones nomine eiusdem Leopoldi regis in imperatorem electi, per dilectum filium Iacobum tituli S. Sixti presbyterum cardinalem Rospigliosum nuncupatum, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, Spiritus Sancti gratiâ rite imploratâ, ad honorê SS. Trinitatis, ad catholicae fidei exaltationem, christianaeque religionis incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac suâ, maturâque deliberatione praehabita, divinoque saepius implorato praesidio, de eorundem cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio, beatam Mariam Magdalenam Sanctam esse decrevit, diffinivit, ac Sanctorum in numerum reposuit, statuens ut ab universali Ecclesiâ quolibet anno memoria eius inter sanctas virgines die xxv maii recoleretur. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Statuitur Sanctae festum quolibet anno die viginti-que maii.

His absolutis, Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilia omnium et invisibilia, ac Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et Sanctum Paraclitum Spiritum, necnon unum Deum, unumque Dominum laudibus, precibus et confessionibus, idem Clemens praedecessor pie veneratus, sacroque hymno *Te Deum* omni cum solemnitate decantato, peculiari in honorem beatae Mariae Magdalenae oratione precatus est, atque in primario eiusdem templi altari missam celebravit cum eiusdem sanctae commemoratione, omnibus et singulis christifidelibus tunc praesentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessit.

Summo igitur rerum opifici, qui suâ

ineffabili providentiâ hanc ancillam suam christianae reipublicae speciali sanctitatis dono decorare dignatus est, quae, quasi rutilans lucerna super aureum candelabrum posita, undique suae sanctitatis radios diffundit, innumeras dictus Clemens praedecessor persolvebat gratias, eandemque deprecabatur, ut eiusdem piâ apud Deum intercessione ipsam ac christianum populum in suo sancto servitio confortare et conservare ac ab omnibus periculis liberare dignaretur.

Ne autem de decreto, diffinitione, repositione, adscriptione, statuto, concessione, aliisque praemissis, pro eo quod ipsius Clementis praedecessoris litterae eius superveniente obitu confectae non fuerint, valeat quomodolibet haesitari, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod decretum, diffinitio, repositio, adscriptio, statutum, concessio, aliaque praemissa a dictâ die iv kalendas maii suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis praedecessoris litterae sub datâ eiusdem diei confectae fuisset, prout superius enarratur, quodque praesentes litterae ad probandum plene decretum, diffinitionem, adscriptionem, concessionem aliaque praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Decretum Clementis X.

Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ut opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam expressis¹, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostrarum voluntatum² et decreti infringere, vel ei ausu temerario

Sanctio poenalis.

¹ De solito lege impressis (R. T.).


² Aptius nostrorum voluntatis (R. T.).

contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLXX, v idus maii, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 11 maii 1670, pontif. anno 1.

✠ EGO CLEMENS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.



- † Ego Franciscus episcopus Ostiensis, cardinalis Barberinus, S. R. E. vice-cancellarius.
- † Ego F. M. episcopus Tusulanus cardinalis Brancatius.
- †
- †
- † Ego Uldericus episcopus Albanensis cardinalis Carpinus.
- †
- † Ego Virginius tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Ursinus.
- †
- † Ego Caesar tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Facchenettus.
- †

- †
- † Ego Alderanus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Cybo.
- † Ego Fridericus tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Sfortia.
- † Ego Benedictus tituli S. Nonuphrii presbyter cardinalis Odescalco.
- †
- †
- † Ego Aloysius tituli S. Alexii presbyter cardinalis Homodeus.
- † Ego P. tituli S. Marci presbyter cardinalis Ottobonus.
- † Ego Laurentius tituli S. Chrysogoni cardinalis Imperialis.
- †
- †
- † Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Sanctacrucius.
- † Ego Ioannes Baptista tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Spada.
- † Ego Franciscus tituli Ss. Quatuor Coronatorum cardinalis Albitius.
- † Ego Octavius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis de Acquaviva et Aragonia.
- † Ego Carolus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Pius.
- † Ego Carolus tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Gualterius.
- † Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Ghisius.
- †
- † Ego Iacobus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Franzonus.
- †
- †
- † Ego Petrus tituli S. Calixti presbyter cardinalis Vidonus.
- †
- †
- †
- † Ego Nerens tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Corsinus.

† Ego Carolus tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Bonellus.

†

†

† Ego Carolus tituli S. Susannae presbyter cardinalis Caraffa.

† Ego P. tituli Ss. XII Apostolorum presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Caesar tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Rasponus.

†

†

†

† Ego Carolus tituli S. Mariae de Araeae presbyter cardinalis Robertus.

†

†

†

†

† Ego Iacobus tituli S. Sixti presbyter cardinalis Rospigliosus.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Fridericus tituli S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Hassia.

† Ego Carolus S. Caesarei diaconus cardinalis Barberinus.

† Ego Decius S. Eustachii diaconus cardinalis Azzolinus.

† Ego Franciscus Maria Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Mancinus.

†

† Ego Paulus tituli S. Georgii diaconus cardinalis Sabellus.

†

†

†

† Ego Sigismundus S. Mariae in Domnica diaconus cardinalis Chisius.

†

III.

Indulta, gratiae et privilegia conclavistis, qui in conclavi adfuerunt, quando ad pontificatum fuit erectus concessa¹.

Clemens Papa X.
Motu proprio, etc.

Nos volentes dilectos filios conclavistas, qui conclavi, in quo, divini favente ^{Causae in-} clementiâ, ad summi apostolatus apicem ^{duo.} assumpti fuimus, nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus uti familiares et continui commensales inservientes interfuerunt, quique eâ de causâ labores, vigiliis et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum huiusmodi, favoribus, gratiis et privilegiis pro cuiusque meritis exornare,

§ I. Ipsosque conclavistas (quibus hodie, ac aliis participantibus descriptis in ^{Penatio sentorum decem millium auri pro conclavistis.} rolo seu divisione subscripto vel subscriptâ per dilectum filium magistrum Gasparem de Carpineo datarium nostrum, summam decem millium sentorum auri in auro, ex pretio tot officiorum vacabilium ad nos spectantium gratiose donavimus) in veros, indubitatos et non fictos familiares et continuos commensales nostros, ac eos, qui ex illis clericis existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres huiusmodi cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores, gradu, nobilitate et aliis meritis dignos tali dignitate indicaverint, in nostros et Sedis Apostolicae notarios, sine tamen praecudio dilectorum filiorum de numero participantium notario-

^{Receptio eorum in familiaribus, etc.}
¹ Similia privilegia et indulta conclavistis concessere plures Summi Pontifices, inter quos Clemens IX supra Const III, Nos volentes.

rum recipimus, et tam illos quam alios conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore reputati fuerint, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites, et tam illos quam omnes et quoscunque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis, vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis cives esse voluerint, singulos in eà ipsà civitate, quam singulatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar, et nullà prorsus differentiam inter eos et singulos alios veros originarios et antiquissimos etiam nobiles et participantes cives ipsius Urbis vel civitatis, itant ipsum ius civilitatis ad quoscunque illorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, deputamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insigniis decoramus, aliorumque familiarium et continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium et bibentium, ac nostrorum et Sedis praedictae notariorum palatii et aulae praedictorum comitum, militum et nobilium, ac civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris et indubitatis et non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibus, nobilibus, militibus et civibus deinceps haberi volumus ac reputari mandamus, eisque in quibuscunque impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam separatim seu utramque mixtim concernentibus, se familiares, continuos commensales, nostrosque comites, milites, nobiles et cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessionos

et litterae huiusmodi subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et quibuscunque ac prorsus similibus antelationum antelationibus, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii etiam de numero participantium existentes, etiam si habitum et rochetum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praedictorum comites, milites, nobiles etiam originarii, ac antiquissimi cives eiusdem Urbis, vel civitatis quam, ut praefertur, elegerint, quique ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs quomodolibet, etiam quoad assecutionem quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per quascunque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, pariter et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in iudicio et extra, siue tamen eorundem notariorum de numero participantium praedictorum, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant realiter et integre in omnibus et per omnia, etiam si in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vere nobili genere, et ex utroque parente nobili originario, ac antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessionos, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis e-

manarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem conclavistis in specie emanassent seu emanarent, et eis naturaliter de iure statuto, consuetudine, fundatione, vel aliis competere, auctoritate et tenore similibus indulgemus.

Exemptio a gabelis, decimis et oneribus.

§ 2. Ipsosque conclavistas praedictos a solutione et exactione decimarum et cuiuscumque pedagii, subsidii, gabellae et cuiuscumque oneris, tam ordinarii quam extraordinarii, ubique locorum, et ex quacumque quantumvis urgentissima et inexcoGITabili causa et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum et rerumpublicarum, etiam Venetiarum, et aliorum quorumcumque principum, impositorum et imponendorum pro tempore, ex nunc prout ex tunc, et e contra, et postquam casus huiusmodi impositionis et solutionis evenerit, liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus; districtius inhibentes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus eiusdem sanctae Romanae ecclesiae camerario, thesaurario, praesidentibus clericis, ac quibuscumque aliis officialibus camerae praedictae, et exactoribus pedagiorum, decimarum, subsidii, gabellarum et onerum huiusmodi, ac aliis personis, cuiuscumque ecclesiasticae vel saecularis dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, aut super praemissis, eorumve usu, possessione, vel quasi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare, vel aliis quomodolibet impedire quoquomodo praesumant.

Absolutio a censuris.

§ 3. Ne non omnes eosdem conclavistas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas quomodolibet propter contraventiones contentorum in constitutioni-

bus super creatione Romani Pontificis pro tempore editis, vel aliis quomodolibet incurrerunt, in foro conscientiae tantum absolvimus et liberamus, ac omnes et quoscumque defectus, si qui forte sint, omnium provisionum, beneficiorum, dignitatum, ac permutationum eorundem conclavistarum, tam ex multiplicitate titularum, ac ob incursionem quarumcumque censurarum et irregularitatis, quam aliis ex quavis causa provenientes, sanamus, ac huiusmodi provisiones, vigore eorum privilegiorum, in foro conscientiae tantum, perinde ac si novas provisiones obtinissent, revalidamus, et quatenus opus sit, omnibus et singulis eorum de omnibus et singulis dignitatibus et aliis cum cura et sine cura beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis et nuncupatis, etiam cuiusvis Ordinis regularium, per eos respective obtentis, de novo etiam respective providemus, ac omnes et singulas pensiones eis et eorum singulis super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum et nuncupatorum, etiam alicuius Ordinis regularium, fructibus, etc., respective reservatas, similiter de novo reservamus.

§ 4. Ipsisque conclavistis, eorumque singulis, quoscumque fructus, redditus et proventus ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, canonicatum et praebendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, et quarumcumque pensionum annuarum, ipsi et eorum cuilibet collatorum et reservatarum, tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus et occasionibus, etiam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum, indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus, ac cum eis super inhabilitate et irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo

Remissio fructuum male perceptorum.

quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis se immiscuerint, quodque, illà et aliis praemissis non obstantibus, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, aliàs rite, et dummodo nullum aliud alicui eorum obstet canonicum impedimentum, promoveri, et in illis et in susceptis per eos, aliàs rite, ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus.

Legitimitate illorum. § 5. Ac eosdem conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiantur, ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus et vilibus feminis forsitan procreati sint, etiamsi aliàs legitimitati existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, et cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis, aliorum consanguineorum seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen praepiudicio venientium ab intestato vel ex fideicommissò seu aliàs de iure validà dispositione, et praeterquam in bonis ecclesiasticis et ab Ecclesià provenientius, succedere, et illa donationis vel alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia iura, legitimas successiones, ex testamento vel ab intestato, haereditates, legata, libertates restituendo realiter et cum effectu, ac ad dignitates, honores et quaecumque alia officia saecularia, publica vel privata, etiam assumi, illaque gerere et exercere in omnibus et per omnia ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ut clericali characterè, qui illo non-

dum insigniti sint, insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sint, promoveri, ac postmodum characterè et ordinibus huiusmodi illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque cum curà et sine curà beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae, dignitates, non tamen maiores post pontificalem in cathedralibus, aut principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi fuerint, si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eisdem, recipere, et, dummodo plura simul non sint quam quae a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint retinere libere et licite valeant, similiter dispensamus.

§ 6. Quodque omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae et quaevis aliae litterae apostolicae provisionum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum huiusmodi prout nostris familiaribus continuis commensalibus gratis dentur, concedantur et expédiantur, ac etiam litterae ipsae in formà Brevis, tam de capiendà possessione nomine dietae camerae apostolicae, quam aliàs, uti illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, similiter gratis dentur, concedantur et expédiantur, ac dari, concedi et expédiri omnino debeant, etiam praecipimus et mandamus.

§ 7. Ac conclavistis praedictis, qui S. Ioannis Hierosolimitani seu cuiusvis alterius militiae regularis etiam expresse professi sunt, ut, etiamsi ab eorum con-

Expositio litterarum apostolicarum gratis.

Concessio antianitatis equitibus Hierosolimitanis seu militibus militiae.

ventu absentes existent, dum tamen quinquennalem seu aliam debitam residentiam in conventu fecerint et consueta servitia praestiterint, quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum et quarumvis pensionum et commendarum eorum militiae seu religionis capaces existant perinde ac si in eadem militia seu religione antianitatem de iustitia consequuti fuissent, similiter indulgemus. Eisdemque conclavistis et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii vel canonici metropolitanarum vel cathedralium seu duarum insignium Urbis collegiatarum ecclesiarum, aut personae aliae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiastica constitutae, tam in Romanam curiam, quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus et emolumentis universis, certis et incertis, quarumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium et abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis, etiam ratione servitii et mercedis, dignitatum, canonicatum et praebendarum, ceterorumque aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per praedictae S. R. Ecclesiae cardinales obtentorum et in posterum obtinendorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum reservatos seu reservandos, etiamsi semel vel pluries translatae seu translatae fuerint, usque ad summam centum ducatorum auri de camera similium, in toto vel in parte, ac in una seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, et postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus

et proventus huiusmodi, usque ad summam praedictam uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis vel etiam clericali characterе tunc temporis nondum insignitis, cum clausula tamen ex tunc prout postquam dicto characterе rite insigniti fuerint, per eosdem conclavistas et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quocumque et qualicumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, alias tamen pensionum capacibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et forma, quibus eisdem conclavistis reservatae seu reservati erant, etiam absque beneficia ipsa obtinentium consensu, integre persolvendas, ac per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas et levandas, aut percipiendos, exigendos et levandos, reservare, constituere, concedere et assignare valeant; praefatique translarii in quasi possessione dictas pensiones exigendi, in qua ipsi conclavistae tempore translationis per eos praesentium vigore faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus pariter et indulgemus; etiamsi similem gratiam a praedecessoribus nostris alias forsitan obtinuerint, tam vigore aliorum privilegiorum conclavistarum, quam ex quocumque alio indulto et privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam et concessionem impedire nolumus, sed cumulative concessam vel concessas esse volumus, itaut quilibet eorum cumulative et ampliative praedictis facultatibus praesentibus et praeteritis privilegiis hac in re concessis uti, frui et potiri possint.

§ 8. Decernentes ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi ut praefertur faciendas ex nunc prout post-

Ampliatio.

quam factae fuerint plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus, proventibus, aliisque huiusmodi reservatae fuerint, obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore; ac cum eisdem conclavistis, quod, ratione quarumcumque pensionum annuarum eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis etiam cathedralibus et aliis ecclesiis seu monasteriis etiam a praedictis S. R. E. cardinalibus obtentis, et ut praefertur obtinendis, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducatorum ducentorum parium pro quolibet, nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare et in illis, dummodo aliàs ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, censuras, ac etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum poenas occasione praemissorum incurere possint, sed easdem pensiones ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium iam contraxerint, vel posthac contrahere voluerint, cum unica tamen et virgine, recipere et libere retinere;

Exemptio a spoliis et facultas testandi.

§ 9. Postremo, quod bona quaecumque ad dictos conclavistas et eorum quilibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatum et praebendarum, ac dignitatum quarumcumque aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet et quovis quaesito colore vel ingenio, seu eorum industria, legitime tamen, ac aliàs licite acquisita et acquirenda, etiam in Urbe, eiusque districtu, ac ubique existentia, spoliis minime subiaceant; sed conclavistae

praedicti, etiamsi religioni alicuius militiae etiam praedicti S. Iohannis Hieronymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum de iure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum et cuiuslibet ipsorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari et aliàs disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus: praecipientes, mandantes eisdem S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis camerae nostrae praedictae, et quibusvis aliis spoliatorum huiusmodi collectoribus et subcollectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus aut prioribus, et quibusvis aliis personis, tam saecularibus quam regularibus, cuiuscumque gradus, status, ordinis et praecellentiae, etiamsi speciali notâ digni existant, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes praefatorum conclavistarum desuper molestare audeant seu praesumant; ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti et codicillorum per ipsos conclavistas de eorum bonis huiusmodi faciendas semper et perpetuo validas et efficaces fore.

§ 10. Nec eosdem conclavistas eorumque aliquem ad praesentem motum proprium seu litteras, super praesentibus si videbitur conficiendas, in dictâ camerâ insinuandum, aut admitti et registrari petendum teneri, nec illum seu illas, etiamsi motus proprius et litterae huiusmodi intra legitimum tempus insinuatæ, admissæ et registratæ non fuerint, seu illae insinuatæ, admissæ seu registratæ non fuerint, propterea minus validum seu validas censerî, sed suos plenarios effectus sortiri debere, ac motum proprium et litteras huiusmodi et

Exemptio ab insinuatione in camera.

in eis contenta quaecumque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis et constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent seu moderarentur, quae a nobis et a dictâ Sede et pro tempore, et de quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem Fidei et divini cultus augmentum, etiam consistorialiter vel aliâs quavis auctoritate hactenus vel in posterum emanaverint, minime comprehensum vel comprehensas esse, sed, quoties illae emanabunt, toties eum et eas in pristinum statum restitutum, repositum et reintegratum, seu restitutas, repositas et reintegratas esse censi.

Comprehensio
procuratoris in
privilegiis.

§ 11. Et insuper, cum dilectus filius abbas Ioannes de Spinosa, vicarius clericus Toletanae seu alterius civitatis vel dioecesis, tamquam dictorum conclavistarum procurator, in praemissis sedulani pro eis operam navaverit, propterea, et aliorum meritorum suorum et obsequiorum nobis et dietae Sedi impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi, eidem Ioanni, licet ipse in conclavi praedicto non intervenerit, nihilominus omnibus et singulis supradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, praerogativis, praeceminentiis, indultis, exemptionibus, ceterisque praemissis (non tamen quoad participationem decemmillium scutorum auri huiusmodi per nos, ut supra, dictis¹ conclavistis donatorum, et inter eos ut praefertur distributorum seu distribuendorum) tamquam conclavista frui et gaudere libere et licite possit et valeat, perinde ac si conclavi huiusmodi vere et realiter interfuisset, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque supradictis, et aliis

¹ Male ed. Main. legit *per nos ut supradictis* (R. T.).

contrariis nequaquam obstantibus, motu, scientiâ et auctoritate similibus de speciali gratiâ indulgens; sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet in quavis causâ aliter indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, irritumque, etc., attentari.

§ 12. Et insuper venerabili fratri nostro Francisco Ostiensi et Veliterneis cardinali Barberino nuncupato eiusdem S. R. E. vicecancellario et litterarum apostolicarum summatori, necnon dilectis filiis secretariis apostolicis, praesidenti plumbi, aliisque officialibus, ad quos litterarum praedictarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat et pertinet, sub poenâ indignationis nostrae, motu simili, et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine paribus, etiam mandamus ut praedictas litteras super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam separatim, pro singulis, quibus concessae fuerunt, ac seorsim et separatim, cum omnibus et quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis concessis, gratis etiam quoad compositionem in datariâ nostrâ et per eandem viam secretam absque alio mandato expediant et expediri faciant. Insuper omnia et singula privilegia, gratias et concessionem, eisdem conclavistis et eorum cuilibet a diversis summis Pontificibus praedecessoribus nostris hucusque concessa, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus confirmamus et approbamus, ac de novo liberalissime concedimus.

Expeditio gratiosa et per viam secretam.

§ 13. Non obstantibus praemissis, ac de certo eorundem notariorum numero, etiamsi ad illum non sit devenum, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de praestando consensu in pensionibus,

Derogatio contrariorum.

et felicis recordationis Pii Papae IV de similibus et dissimilibus gratiis in dictâ camerâ infra tres menses praesentandis et registrandis, ac Pii V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, contra illegitimos, nec non Pictavensis concilii, ac nostris et cancellariae praedictae regulis, etiam in crastinum dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem editis, et in praedictâ cancellariâ publicatis, ac etiam in universalibus et provincialibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, etiam S. Iohannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romae, ac aliarum civitatum, oppidorum et terrarum camerae praedictae, et quarumvis universitatum, etiam iuramento, etc., roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis et decretis, et novis reformationibus, etiam legibus, tam pontificiis quam imperialibus, regniis et ducalibus, ac saeris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac locis quibuscumque, in genere vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter, ac aliâ in contrarium concessis, confirmatis, approbatis et innovatis iuribus omnibus; quibus omnibus, etc., etiamsi de illis, etc., eorum tenores, etc., illis aliâs, etc., permansuris, hae vice dumtaxat specialiter et expresse, motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio E.

Et cum absolute a censuris ad ef-

fectum, etc., et quod obstantiae etiam beneficialibus conclavistarum, et ab eis subrogati huiusmodi, et dispensationes ac indulta habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi possint in litteris, et in casibus regulae de insordescendo, cum opportunâ illius necnon alterius regulae de non tollendo iure quaesito derogatione, et quarumcumque aliarum constitutionum apostolicarum, et conciliorum etiam generalium, et statutorum, stabilimentorum, usuum, naturarum, constitutionum synodaliû, statutorum, ac privilegiorum populi Romani, et Cluniacensis, Cisterciensis, S. Benedicti, S. Augustini et aliorum Ordinum et militiarum etiam S. Iohannis Hierosolymitani, et ecclesiis, monasteriis, civitatibus et locis et personis et dominis temporalibus, sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusvis efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam consistorialibus, etiam contra alienigenas et alias personas certis modis non qualificatas, aut aliâs quomodolibet concessis; quorum tenores, etc., latissime, ac de verbo ad verbum, prout ipsis conclavistis magis placuerit, exprimi possint, et cum suspensione quarumcumque gratiarum, indultorum quibusvis ordinariis collatoribus conferendi beneficia ecclesiastica etiam reservata, ad eorum collationem, etc., pertinentia, et in omnibus aut certis expressis causis quomodolibet concessis latissime extendendâ, ita ut omnia tollantur, et quod sola praesentis motus proprii signatura sufficiat et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regulâ contrariâ non obstante, et quod praemissorum omnium et singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris si videbitur, in quibus singulorum conclavistarum nomina et cogno-

mina, qualitates, ordines, gradus, dioecesis, patria et cetera requisita exprimi et describi seu pro expressis et descriptis haberi possint, inter eos sacrista et magistri caeremoniarum cappellae nostrae, necnon secretarius collegii eorundem cardinalium, et ceteri alii in notulâ per ipsos magistros caeremoniarum factâ et descriptâ adnotati et descripti, si aliâs ad pensiones et beneficia huiusmodi habiles et capaces fuerint, comprehendantur et adnotentur simul vel ad partem etiam in unâ non factâ mentione de aliâ vel aliis prout videbitur expediendis.

Transumptio-
rum fides.

§ 14. Volumus autem quod litterarum super praesentibus conficiendarum, seu praesentis motusproprii transumptis impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris seu praesenti motuiproprio originali adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae, aut exhibitus vel ostensus foret.

Fiat E.

Datum Romae, apud S. Petrum, v kalendarum iunii, anno I.

Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec quae sequuntur:

Reverendissimus D. Franciscus Maria Plicebus, Urbevitanus, archiepiscopus Tarsensis, praeceptor archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia, canonicus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, primus caeremoniarum magister;

Reverendissimus D. frater Joseph Eusanus, Aquilanus, episcopus Helenopolitanus, sacrista noster;

Carolus Vincentius Carcarasius, canonicus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, presbyter Romanus;

Fulvius Servantius presbyter de S. Se-

verino, canonicus insignis collegiatae ecclesiae S. Mariae in Violatâ de Urbe;

Petrus Antonius de la Pedacchia presbyter Romanus, perpetuus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum de Urbe;

Petrus Paulus Bona, presbyter Romanus, magister caeremoniarum;

Abbas Franciscus Polinus, presbyter Camerinensis, basilicae Lateranensis canonicus, sacri collegii secretarius;

Abbas Ascanius Paganellus, presbyter Camerinensis;

Nicolaus Gentilis, laicus Camerinensis, nostri dum cardinalatus honore fungebamur;

Abbas Ioannes Baptista de Palagio presbyter Romanus, canonicus insignis collegiatae ecclesiae S. Laurentii in Damaso de Urbe, Agapitus Colorsius presbyter Praenestinus, Philippus Balthasarus, presbyter Romanus, perpetuus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Francisci Ostiensis Barberini;

Benedictus Caccia presbyter Calliensis, Ioannes Antonius Quaglinus clericus Taurinensis dioecesis, Andreas Gioietus Romanus laicus, Martii Portuensis Ginetti;

Antonius Simon abbas Balleonus presbyter Pisarenensis, Faustus Tursius clericus Spoletanae dioecesis, Ugo Purra clericus Lugdunensis, Antonii Praenestini Barberini;

Dominicus Magrus presbyter Melitensis canonicus theologus cathedralis ecclesiae Viterbiensis, Dominicus Paglia presbyter de Vetralla Tuscanensis dioecesis, Franciscus Ciceri clericus Mediolanensis, Francisci Mariae Tuseulani Brancatii;

Federicus Bonaventura clericus Urbinas, Zenobius Casinus presbyter Florentinus, Ioannes Baptista Sardineus presbyter Ulturariensis dioecesis, Vincentius

Ghirellus clericus Eugubinus, Ulderici Albanensis Carpinei;

Ioseph Lampanus clericus de Monte Falisco, Ioannes Sbardella de Monte Rosco nullius dioecesis, Franciscus Maria Santandrea laicus de Brisighella Faventinae dioecesis, Iulii Sabinensis Gabrielli, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum S. R. E. cardinalium:

Paulus Nicolaus Venerius clericus Reccanatensis, Hieronymus Miletus clericus Civitatis Plebis, Laurentius Copellus laicus Camerinensis, Virginii S. Laurentii in Lucina Ursini;

Marchio Carolus Pallavicinus presbyter Parmensis, Alexander Mazzinius clericus Regiensis, Guillelmus Catanus laicus Mutinensis, Raynaldi S. Pudentianae Estensis;

Ioannes Andreas Borbonius presbyter Senensis, abbas Octavius Pierizzius clericus Bononiensis, Ioannes Michellinus presbyter Aretinus, Flaminius Iustus clericus Tiburtinus, Caesaris Ss. Quatuor Coronatorum Fachenetti;

Paulus a Lamma presbyter Faventinus, Dominicus Padova clericus Ferrariensis, Caroli S. Silvestri in capite Rossetti;

Ferratus Orsellus clericus Foroliviensis, Nicolaus Augustinus Foroliviensis, Ioannes de Ognatte laicus Pampilonensis, Nicolai S. Mariae in Transtiberim Ludovisii;

Marchio Claudius Pallavicinus clericus Parmensis, Iacobus Girod a Burgundia, Mignovillars clericus dioecesis Bisuntinae, Alderani S. Praxedis Cibo;

Antonius Sinibaldi clericus Romanus, Hyacinthus Fanciullus laicus Viterbiensis, Franciscus Beltraminus laicus Bononiensis, Federici S. Petri ad Vincula Sfortiae;

Franciscus Maria de Alice presbyter Mediolanensis, Ioseph Sanctes Flamma

laicus Comenensis, Benedicti S. Honuphrii Odescalchi;

Michaël Imperialis clericus Ianuensis, Thomas Piscius presbyter de S. Iusto Firmanae dioecesis, Horatius Bonellus presbyter Romanus canonicus cathedralis ecclesiae Burgi S. Domnini, Laurentii Ss. Quirici et Iulitae Raggi;

Dominicus de Malclerc a Sommerville clericus Tullensis, Carolus Frömentinus laicus dioecesis Svesionensis, Ioannes Gobin laicus Nannetensis, Ioannis Francisci Pauli S. Mariae super Minervam de Retz;

Abbas Verceilius Bigarolus clericus Mediolanensis, Nicolaus Antonius a Frusnone Verulanae dioecesis laicus, Aloysii S. Alexii Homodei;

Abbas Vincentius Lucciolus clericus de Mevania Spoletanae dioecesis, Petrus Paulus Pontinus clericus de Setia Terracinae dioecesis, Petri S. Marci Ottoboni;

Gregorius Lizzolius presbyter de Carraria nullius dioecesis, Ioannes Iacobus Lanzettus clericus a S. Barbara nullius dioecesis, Laurentii S. Chrysogoni Imperialis;

Federicus Calistus clericus de Monte Georgio Firmanae dioecesis, Angelus Chiavellonus clericus Reatinus, Giberti Ss. Ioannis et Pauli Borromaei;

Carolus Guallus clericus Romanus, Augustinus Vulpianus presbyter de Aquaviva Ripanae dioecesis, Marcelli S. Stephani in Monte Caelio Sanctacrucii;

Ioannes Ricchius Lucanus, Nicolaus Theobaldus presbyter Tullensis, Carolus de la Porta Militensis dioecesis, laicus, Ioannis Baptistae S. Marcelli Spadae;

Carolus de Marchis presbyter Asculanae dioecesis, Ioseph Sfasciamontius laicus Montisalti dioecesis, Francisci S. Mariae in viâ Albiti;

Abbas Honoratus Tondutus clericus

N.ensis, Honuphrinus Corradinus clericus de Fabriano Camerinensis dioecesis, Petrus Pantinus Romanus laicus, Octavii S. Caeciliae de Aquaviva;

Petrus Carolus Cappellettus Reatinus, clericus coniugatus, Salvator Serra presbyter Ferrariensis, Caroli S. Priscæ Pii;

Antonius Franciscus Passerinus presbyter Firmanus, Petrus Ioannes Bernardus clericus de S. Paulo Venciensis dioecesis, Caroli S. Eusebii Gualterii;

Comes Alexander Marescottus, Romanus, abbas Benedictus de Rubeis presbyter Firmanus dioecesis, Dominicus Viva clericus Urbevitanus, canonicus collegiatae ecclesiae S. Mariae ad Martyres de Urbe, Flavii S. Mariae de Populo Chisii;

Andreas Mansius presbyter Lucensis, canonicus cathedralis ecclesiae Lucensis, Lelius Cerchius clericus coniugatus Lucensis, Hieronymi S. Hieronymi Illyricorum Bonvisii;

Abbas Ioseph Paulutius clericus Pisaurensis, Octavius Maria Leopardus laicus Camerinensis dioecesis, S. Augustini Bichii;

Ioseph Palectonius clericus Spoletanus, Iulius Durantus laicus Calliensis, Petri S. Calixti Vidoni;

Gualterus de Leto clericus Aberdonensis, prior saecularis ecclesiae Beatissimae Virginis *de la Motte de Beaumont* Ruppellensis dioecesis, Franciscus de Magistris presbyter Camerinensis, Henricus Gial Rosenhemensis Bavarus Frisingensis dioecesis, Gregorii S. Thomae in Parione Barbarici;

Ioannes Vincentius de Caesaris clericus Romanus, Ioannes Claudius laicus Tullensis, Hieronymi Ss. Petri et Marcellini Boncompagni;

Abbas Decius Coccus clericus Mediolanensis, Paulus Fossatus presbyter Mediolanensis, Ioannes Franciscus Agliau-

lus laicus Taurinensis, Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littae;

Abbas Franciscus Milonus presbyter Vintimilliensis dioecesis, Michaël Turrius clericus Papiensis, Nerii Ss. Nerei et Achillei Corsini;

Ioannes Baptista Michelius clericus Sarsinatensis, Matthaeus Fatius presbyter Astensis dioecesis, Horatius Fulchignonus clericus Romanus, Caroli S. Anastasiae Bonelli;

Augustinus Felix Rugginus clericus Ravennatensis, Ioannes Maria Marabinus laicus Imolensis, Caellii S. Petri in Monte Aureo cardinalis Piccolominei.

Abbas Franciscus Antonius Gallus de Austrimion presbyter a Latertia Acheruntinae dioecesis, Stephanus Milner laicus Viennensis, Caroli S. Susannae Carafae.

Abbas Ludovicus Piccinus clericus Aesinus, Horatius Fortunatus presbyter de S. Arcangelo Anglonensis dioecesis. Palatii Ss. XII Apostolorum Palatii Albertonii, nunc Alterii.

Carolus Rasponus eques S. Stephani Ravennas, Carolus Antonius Corradus clericus Calliensis, Antonius Porta clericus Bononiensis, Caesaris S. Ioannis ante Portam Latinam Rasponi;

Ioseph de Anibaldensibus a Molaria clericus Romanus, Iulius Caesar de Caesaris clericus a Barbara nullius dioecesis, Nicolai S. Mariae Transpontinae de Comitibus;

Abbas Alexander Sozzinus clericus Senensis, Paulus Ciprianus laicus de Tolentino, Franciscus Caesarinus clericus coniugatus Theatinus, Iacobi S. Mariae de Pace Ninii;

Ioseph Zafonti presbyter Senensis, Michaël Braehler Brixellensis laicus dioecesis Malines, Iulii S. Martini in Montibus Spinulae;

Comes Philippus de Marsciano Urbe-

vetanus, Dominicus Antonacchius laicus de Scarpa Tiburtinae dioecesis, Caroli S. Mariae in Ara Caeli Roberti Victorii;

Iosephus de Grapellis a Frusinone clericus Verulanæ dioecesis, Vincentius Placentinus laicus Papiensis, Vitaliani S. Agathæ extra moenia Vicecomitis;

Ioseph Crispinus presbyter de Rocca Guglielma Aquinatensis dioecesis, Silvius Vincentius clericus Senensis, Innici S. Clementis Caraccioli;

Paulus Maronus canonicus metropolitanae ecclesiae Aquileiensis de Portu Naonis Concordiensis dioecesis, Carolus Bertocinus laicus de Vangelitia nullius dioecesis, Ioannis S. Salvatoris in Lauro Delphini;

Octavius Riarius, clericus Savonensis, Ioannes Theodorus Jacquet presbyter Ruperfortensis Leodiensis dioecesis canonicus metropolitanae ecclesiae Cameracensis, Amadeus Capitanei laicus Vercellensis dioecesis, Iacobi S. Sixti Rospigliosii;

Valentinus Bigorre clericus dioecesis Tolosanae, prior S. Mariae de Gondrecuria, Tullensis dioecesis, decanus Nannetensis, et abbas SS. Trinitatis Lucernæ Abricensis dioecesis, abbas Attus Melanus clericus Pistoriensis, Franciscus Herbet clericus Svessonniensis, Theodosii Emanuelis Buglioni;

Hieronymus Martinez de Alarion clericus Matritensis Toletanae dioecesis, Ioannes Roman a Fonte presbyter Oscanus Toletanae dioecesis, Christophorus Martinez laicus Caesaraugustanus, Ludovicus de Porto Carrero;

Vincentius Piottus presbyter Typhernatensis, Philippus Baronius laicus Romanus, Carolus Franciscus Gandulphus laicus Mediolanensis, Francisci Nerlii;

Ioannes Dominicus Corradus clericus Firmanus, Marcus Antonius Perfectus laicus Sarzanensis dioecesis, Caroli Cerri;

Abbas Carolus Tinellus presbyter Ari-

minensis, Ioannes Aloysius laicus de Monte Causario Firmanæ dioecesis, Franciscus Abundantius laicus Fanensis, Lazari Pallavicini;

Ioannes Baptista Carpanus presbyter Vercellensis dioecesis, Nicolaus Sallevranus clericus Taurinensis dioecesis, Ioannis Bonae, presbyterorum S. R. E. cardinalium:

Ugo Maffæus clericus coniugatus Volaterranus, Sanctinus Fanciulus presbyter Romanus perpetuus beneficiatus basilicæ S. Mariae Maioris de Urbe, Aegidius Brunacchius laicus de Caprarola Civitatis Castellanae dioecesis, Francisci S. Mariae in Viâlatâ Maidalehni;

Ioannes Mossovius Outrelouxhe clericus Leodiensis, Ferdinandus Fridericus baro de Hohenech laicus Moguntinus, Franciscus Haim laicus Augustanus, Ioannes Fridericus Ganser laicus Constantiensis dioecesis, Friderici S. Nicolai in Carcere Tulliano de Hassia;

Carolus Albanus laicus Urbinas, Ioannes Cecius clericus abbatiae Sublacensis nullius dioecesis, Caroli S. Caesarei Barberini;

Canonicus Stephanus Ricciardus presbyter Firmanus, Matthaens Passanus laicus Tiburtinus, Decii S. Eustachii Azzolini;

Ioannes Vincentius Condinius presbyter Ripanus, Philippus Capriolus laicus Romanus, Iacobi S. Mariae in Cosmedin Frauzoni;

Abbas Hilarius Mazzocchius presbyter Romanus, Simon de Amicis laicus de Camerino, Francisci Mariae Ss. Viti et Modesti Mancini;

Paulus Franciscus Scottus clericus Narniensis, Hieronymus Benvignatus clericus de Rocca Contrada Senogalliensis dioecesis, S. Angeli in Foro Piscium Celsi;

Ciccolinus de Ciccolinis eques S. Iacobi

de Spata Maceratensis, Paulus Bacchellius clericus Spoletanus, Pauli S. Georgii ad Velum Aureum Sabelli;

Hieronymus Ugurgerius eques S. Stephani Senensis, Fabritius Cecinus presbyter Florentinus canonicus collegiatae ecclesiae S. Frigidiani eiusdem civitatis Florentiae, Paulus Cenninus laicus Florentinus, Leopoldi Ss. Cosmae et Damiani Medices;

Abbas Guido Passioneus clericus Foroseniproniensis, Bernardinus Guerrinus laicus Perusinus,* Sigismundi S. Mariae in Domnica Clisii;

Fatinellus de Fatinellis clericus Lucensis, Ioseph Blasius laicus Ferrariensis, Nicolai Acciajoli;

Abbas Annibal Simoquetus clericus Auximanus, Bernardinus Felicius clericus Calliensis, Bonaccursii, diaconorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium nuncupatorum:

Carolus Vinius presbyter Senensis, Sebastianus Veronicus presbyter de Corinalto Senogalliensis dioecesis, Ioseph Montius clericus a Balneo S. Sepulchri dioecesis, bonae memoriae Scipionis tituli S. Sabinae cardinalis Ilcii nuncupati defuncti.

Ferdinandus Ximenes e Societate Iesu Florentinus, confessarius.

Abbas Dominicus Cappellus de Accumulo presbyter Asculanus, canonicus collegiatae ecclesiae S. Anastasiae de Urbe, cum praedicto reverendissimo D. Phoebo archiepiscopo Tarsensi.

Frater magister Carolus Bonettus Ordinis S. Augustini cum dicto reverendissimo domino sacrista.

Vincentius Cecchius presbyter Ripanus cum dicto secretario sacri collegii.

Ioannes Veranus laicus Vintimilliensis, custos fontis et aquarum conclavis.

Caesar Maucciis Perusinus, Caesar Macchiatus Firmanus, medici physici.

Gabriel a Porta de Villafranca Sarzanensis dioecesis, Ioannes Baptista Pierius e Scrofiano Pientinae dioecesis, chirurgi.

Ioannes Petrus Paulutius Pisaurensis, aromatarius; Blasius Mansuetus laicus Narniensis dioecesis, Ioannes Franciscus de Nicolis de Terra S. Ioannis Imperisiceti, Bononiensis dioecesis, eius auxiliatores.

Gaspar Mazzantes Fanensis, Ioseph Tiberius de Quadris romanus, barbitonsores; Antonius Rosellus Firmanus, Dominicus Altimanus de Vignola Mutinensis dioecesis, eorum auxiliatores.

Franciscus Gualdus, faber lignarius; Donatus Corsius, faber caementarius.

Laurentius de Laurentiis a Petrasancta Lucensis dioecesis, familiaris magistrorum caeremoniarum.

Antonius Comus, Ioseph Coletta, Pasqualis Honorantes, Ioseph Honorantes, Leonardus Christianus, Antonius Cavalionus, Ioannes Antonius Bruschetus, Ioannes Franciscus Zonus, Ioannes Dominicus Zonus, Paulus Antonius Brunus, Ioannes Maria Re, Ioannes Lussetus, Antonius Felicetus, Ioannes Baptista Christophorus, Gaspar Baldus, Carolus Antonius Gunettus, Antonius Piscis, Franciscus Catenaccius, Ioannes Maria Catenaccius, Bartholomaeus Ouginus, Bartholomaeus Tognettus, Petrus Eustachii, Ioannes Brunellus, Paulus Baroccius scopatores conclavis.

IV.

Confirmatio quarundam constitutionum pro Congregatione Missionis in conventu generali dictae Congregationis factarum, et a particulari congregatione praelatorum iussu Ss. Clementis IX revisarum et emendatarum, cum illarum insertione¹.

¹ Nunc primum impressa.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Pronemium.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis officio, congregationes personarum ecclesiasticarum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favore auxilio proferre assidue satagentes, in visceribus paternae gerimus charitatis; et illa, quae pro felici prospereque illarum regimine et gubernio, tuendâque et solidandâ in eis pace, ac laudabilibus earum institutis studiosisque in viâ Domini progressibus fovendis et iuvandis¹ prudenter atque² salubriter constituta esse noscuntur, ut firmâ atque irrefragabili stabilitate perennent, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

Expositio facti.

Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii superior generalis et presbyteri³ Congregationis Missionis, quod ipsi aliâs in eorum conventu generali congregati nonnullas constitutiones ad conservandam in eâdem Congregatione animorum concordiam, primævumque illius institutum atque spiritum firmis constabiliendum et fovendum apprime conducibiles ediderunt, quae a nonnullis Romanae curiae praelatis, quibus felicitis recordationis Clemens Papa IX praedecessor id negotii dederat, revisae ac emendatae, et ad formam redactae fuerunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens IX committit examen constitutionum dictae Congregationis ut infra.

Superior generalis esse debeat perpetuus, et quam iurisdictionem habeat.

§ 1. Superior generalis Congregationis Missionis erit in officio perpetuus, et omnimodam in totam congregationem idest in singulas domos, res et personas, superioritatem atque auctoritatem habebit eo modo temperatam, qui infra declaratur.

¹ Male ed. Main. legit *iuvantes* (R. T.).

² Pessime eadem editio habet *et quae pro* atque (R. T.).

³ Edit. Main. legit *presbyter* (R. T.).

§ 2. Tres vel quatuor assistentes illi adiunget conventus generalis, atque admonitorem dabit, omnes pluribus mediâ parte suffragiis eligendos, quorum officium usque ad electionem alterius superioris generalis durabit. Assistentium autem partes erunt generalem ipsum operâ et consilio iuvare in regimine Congregationis, ita tamen ut facultas discernendi quae agenda fuerint sit penes ipsum superiorem generalem, exceptis casibus infra exprimendis.

Assistentes quot esse debeant et quomodo eligendi, sent et admonitor.

§ 3. Illius erit toti Congregationi praeesse, visitatores, et praefatae Congregationis tam secretarium quam procuratorem, superiores domorum, ceterosque officiales ordinarios (assistentibus suis et admonitore exceptis), commissarios etiam, qui ordinarii officiales non sint, instituere, necnon rationabili de causâ sibi benevisâ destituere, quibus omnibus eas impertietur facultates, quae in regulis particularibus cuiusque officii continentur. Quas tamen facultates augere vel minuere poterit, cum ita expedire in Domino iudicaverit; ipsi vero ad reddendam ei suae administrationis rationem tenebuntur.

Quid superior generalis sine assistentibus et admonitore agere possit.

§ 4. Ex quo fuerit a conventu generali electus, ius habebit, tum in hoc ipso conventu, tum in aliis quibuscumque, duo ferendi suffragia, sive secreta illa fuerint, sive non secreta, atque praerogativam in paritate suffragiorum non secretorum; si quid tamen ab ipso et a quibusdam a conventu deputatis suffragiorum non secretorum viâ diffiniendum erit, unico tantum cum praerogativâ in paritate gaudebit. In electione quoque duorum assistentium et quatuor deputatorum ad seligenda proposita unicuique habebit suffragium, sed sine praerogativâ.

Ius suffragii superioris generalis.

§ 5. Licet ius plenum decernendi et statuendi quae ad Congregationis pro-

Ius plenum statuendi est.

penes conven-
tum generalem.

gressum felixque regimen conducere videbuntur apud conventum generalem resideat concurrente maiori suffragiorum parte; poterit tamen quoque superior generalis ordinationes et statuta condere, modo decretis conventuum generalium non repugnent, quae abrogare vel immutare nullatenus poterit nisi de consensu generalis conventus, modo etiam licita sint et honesta, nec sacris canonibus adversantia, aut contraria constitutionibus apostolicis, Bullis seu Brevibus Summorum Pontificum, quibus praefatae Congregationis institutum, constitutiones, regulae et munia declarantur aut confirmantur, nec speciatim his articulis quos vel leviter immutare nec superiori nec conventui generali licebit: ordinationes autem et statuta huiusmodi, a superiore generali edita, observanda erunt donec conventus generalis aliud decreverit, penes quem est potestas vim illis detrahendi, aut etiam addendi, ut in posterum obligent.

Quae possit
vel non possit
superior gene-
ralis.

§ 6. Idem superior generalis in Congregatione admittere poterit quos idoneos existimaverit, et indignos post emissam vota dimittere, si retinere non posse, absque magno praedictae congregationis damno, ipse et eius assistentes ad plura suffragia iudicaverint, ita tamen ut ipsi competat unicuique suffragium cum praerogativa in paritate.

Contractus
inire potest.

§ 7. Licebit ei quoslibet contractus, servatis de iure aliis servandis, inire, in rebus tamen maximi momenti de consensu suorum assistentium ad plura nimirum suffragia cum sua ipsius praerogativa in paritate.

Fundationes
dimittere non
potest.

§ 8. Admittere poterit de consensu Ordinarii fundationes et domos, non tamen eas alienare, abolere aut alio transferre nisi de consensu conventus generalis, servatis semper de iure servandis. Quod si dissolvendi aliquam domum, aut

fundationem deserendi necessitas tanta urgeat, ut conventus generalis expectari non possit, tunc res decernetur iudicio ipsius generalis, assistentium, visitatorum, qui fuerint in Europa, secretarii etiam Congregationis et procuratoris, aut saltem maioris ipsorum partis, servatis ut supra de iure servandis.

§ 9. Dignitates ecclesiasticas, absque consensu conventus generalis, acceptare non poterit, nisi Summus Pontifex id in virtute sanctae obedientiae praecipiat.

Dignitates non
acceptet.

§ 10. Penes illum erit facultas conventum generalem convocandi, ipsum dirigendi, et congregatos, de consensu tamen ipsius conventus, dimittendi.

Convocat et
dirigit conven-
tum generalem.

§ 11. Porro conventus generalis, ob causas quascumque congregatus, superiori generali superior erit. Praetereaque Congregatio in eundem auctoritatem potestatemque habebit in duobus potissimum casibus: nempe si inutilis foret ad gubernationem, vel gravissimum aliquod peccatum externum committeret.

Conventus ge-
neralis praest-
superiori gene-
rali.

Primo enim casu Congregationis erit substituere illi vicarium generalem, si ipse eum nominare non posset, aut nollet.

Secundo vero casu, qui tamen speratur non eventurus, poterit eadem Congregatio eum deponere.

Quod quidem ultimum ut legitime fiat, suffragia duas tertias partes excedere debent; ut vero substituatur illi vicarius, satis erit si maior pars congregatorum in id consenserit.

§ 12. Defuncto autem superiore generali, eius erit quem ipse in vicarium generalem nominaverit, vel primi assistentis, si vicarius nominatus non fuerit aut officio suo fungi non possit, Congregationem regere usque ad electionem novi superioris generalis; denique pro eiusdem electione conventum generalem intra sex menses, nisi gravis necessitas dilationem aliquam exigeret, convocare,

Quid a fun-
cto superiori
generali.

eidem praesidere, donec superior generalis fuerit electus.

In quibus casibus conventus generalis celebrari debeat.

§ 13. Praeter praedictum casum electionis, conventus generalis celebrabitur in casibus sequentibus: Primo singulis duodecim annis post ultimum conventum generalem; Secundo quotiescumque superior generalis ipsum ob res magni momenti indicendum indicaverit; Tertio si assistentes cum visitatoribus, qui sunt in Europa, ipsum esse necessario cogendum ad plura suffragia censuerint in causa depositionis ut supra; Quarto si ipsemet generalis, eius assistentes, Congregationisque secretarius et procurator cum deputatis, qui sexto anno post ultimum conventum generalem a singulis Europae provinciis mittuntur, ipsum cogendum esse pluribus suffragiis decreverint.

Quoam suffragium habere debeant in conventu generali.

§ 14. Ob quaecumque vero causam celebretur, intererunt ei, et ius suffragii habebunt superior generalis (nisi forte de ipsius depositione ageretur), sive vicarius itidem generalis, assistentes, visitatores, seu eorum loco vicevisitatores, Congregationis tam secretarius quam procurator, et duo sacerdotes ex singulis provinciis quos legitime a conventibus provincialibus pluribus suffragiis electos esse constabit. Si tamen conventus habeatur pro eligendo superiore generali, praedicti secretarius et procurator Congregationis intererunt ei tantum post peractam dicti superioris generalis electionem, nisi alio titulo ei interesse debeant.

Qui habeant ius proponendi in conventu generali.

§ 15. Non proponentur conventui generali nisi ea quae vel superior generalis proponere voluerit, vel proponenda censuerint ad plura suffragia, ipse scilicet superior generalis, duo eiusdem assistentes, et quatuor de numero congregatorum ad plura suffragia electi.

Electio superioris generalis

§ 16. Proceditur per suffragia secreta ad electionem superioris generalis, quae

mediam partem necessario excedent ut fiat per secreta suffragia. valide electus habeatur; quod si post quinque scrutinia electio facta non fuerit, totum illud negotium, si duae saltem tertiae partes electorum in id consenserint, referendum erit ad quinque compromissarios; deinde vero, si opus fuerit, etiam ad plures, modo omnes sint de congregatis, et numero impares. Praedicti autem compromissarii eligendi erunt ad plura mediâ parte suffragia secreta, et ipsi quoque superiorem generalem eligent ad plura similiter medietate suffragia itidem secreta, ex iis tamen qui saltem quatuor suffragia in ultimo scrutinio habuerint. Porro tam compromissarii quam ceteri electores, antequam suum suffragium dent pro eligendo superiore generali, iuramentum praestabunt de digniore eligendo, nec eligere poterunt nisi unum ex numero sacerdotum qui duodecim ut minimum annis completis post emissa vota in Congregatione vixerint.

§ 17. Ut in re tanti momenti omnis ambitus tollatur occasio, excommunicationis latae sententiae poenam incurret quivis ex nostris, qui ab obitu superioris generalis cum aliquo externo egerit eo fine, ut sive sui sive alterius promotionem ad generalatum, aut ab eo alterius exclusionem procuret, vel quocumque modo electionis libertatem impediatur aut perturbet. Item qui aliquem ex nostris ad suam ipsius electionem ambitiose sollicitando generalatum affectarit, vel qui ad ambientis inductionem pro eiusdem electione quempiam ex nostris sollicitaverit.

§ 18. Immediate vero ante electionem vicarius generalis congregatos absolvet, in quantum opus fuerit, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, et a quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis ad effectum legitimae

Poenae contra ambitum.

Absolutio a censuris ante electionem.

electionis dimittat, statimque ipse vicarius idem absolutionis beneficium, et ad eundem effectum, a congregatorum antiquissimo ratione receptionis in Congregationem percipiet.

Electio
factae omnes
acquiescant.

§ 19. Post legitimam promulgationem electionis superioris generalis, factae vel ab omnibus electoribus vel a compromissariis ut supra, omnes acquiescere tenebuntur, nec ulli fas erit suffragium suum revocare, aut novam electionem tentare, aut contra eiusmodi electionem quocumque praetextu protestare.

Si interim vel
statim dissoluto
conventu gene-
rali, contingat
obitus superio-
ri generalis aut
admonitoris, vel
aliquis ex asse-
sentibus, quo
modo providen-
dum.

§ 20. Quandocumque tandem habeatur conventus generalis, si contingat eo quavis de causa indicto, vel iam coacto, vel statim post ipsum dissolutum, superiorem generalem, vel aliquem ex eius assistentibus, vel ipsius admonitorem e vivis decedere, vel si accidat superiorem generalem in eo statu esse, qui vicarium exigat: in iis casibus electi a singulis provinciis pro conventu generali ius habebunt absque nova convocazione vel deputatione conventuum provincialium eligendi novum superiorem generalem, vel vicarium, vel assistentem, vel admonitorem. Idem ius habebunt pro sola electione superioris generalis, etiam post aliquorum discessum, si facile et intra breve tempus revocari possint.

Congrega-
tio praetatorum
censuit has con-
stitutiones posse
confirmari.

§ 21. Constitutiones revisas ac emendatas et ad formam redactas, ut supra, congregatio praetatorum deputata censuit posse confirmari cum illarum insertionem, si Sanctissimo placuerit. Et facta relatione, Sua Sanctitas annuit.

Die xxv augusti MDCLXIX.

S. UGOLINUS patriarcha Constantinopolitani.

- F. Archiepiscopus Florentinus.
- C. M. Archiepiscopus Atheniensis.
- C. Episcopus Amerinensis.
- P. FAGNANUS.
- P. PHILIPPUS de Rubeis.

§ 22. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes easdem constitutiones, quo firmiter subsistant et servantur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiti summiopere desiderent: nos, memoratam Congregationem in suo laudabili instituto confovere, dictosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae¹ existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas² fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis porrectis inclinati, omnes et singulas constitutiones praesentium, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio
apostolica.

§ 23. Decernentes easdem constitutiones praesentium ac praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum ir-
ritans.

§ 24. Non obstantibus constitutioni-

Derogatio
contrariorum.

¹ Edit. Main. legit *innodati* (R. T.).

² Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

bus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eidem Congregationi, eiusque superiori generali, presbyteris et aliis personis quibuslibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tēores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio-
rum fides.

§ 25. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides¹ adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 2 iunii 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis iunii, part. II, fol. 483.

V.

Confirmatio privilegiorum et indulgentiarum pro fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ in Terrasanctâ, aliisque qui dictam terram incolunt, aut eo devotionis causâ peregrinantur².

¹ Vocem *ipsis* deleimus, potius inserendum est *in iudicio et extra* (R. T.).

² Similem confirmationem habes supra in

Clemens Papa X, ad perpetuam rei memoriam.

Piis christifidelium votis, ex quibus sacrorum locorum venerationem et animarum salutem provenire conspiciamus, libenter annuimus, et illa¹, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus apostolicis confovemus.

Provenimus.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Iacobus a Iesu Maria frater expresse professus provinciae Valentiniensis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum ac commissarius et procurator generalis in Romanâ curiâ totius familiae Terraesanae nobis nuper exponi fecit, ipse ad eiusdem Terraesanae subsidium, eorundemque fratrum inibi vineam Domini assidue excellentium sacraque loca venerantium subventionem, necnon ad spirituales catholicorum in illis partibus degentium eoque devotionis causâ peregrinantium consolationem et profectum, omnia et singula gratias, privilegia, indulgentias, hucusque sacris² eiusdem Terraesanae locis apostolicâ auctoritate concessa et confirmata, per nos eâdem auctoritate etiam confirmari et approbari plurimum desideret:

Supplicatio.

§ 2. Nos, desiderio huiusmodi annuere ipsumque Iacobum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplica-

Confirmat pro-
ut in rubrica.

Constit. xxvi Alexandri VII tom. XVI, pag. 42 et Constit. xx Clementis IX, *Piis*, tom. XVII, pag. 577.

¹ Male edit. Main. legit *illam* pro *illa* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *sacrae* pro *sacris* (R. T.).

tionibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, ceterasque gratias spirituales et temporales eisdem locis, et illa visitantibus, necnon dicti Ordinis guardiano et fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam in genere vel in specie aut aliàs quomodolibet concessa, quatenus sint in usu, et non sint revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque canonibus, constitutionibus apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Indulgentiam plenariam in mortis articulo concedit.

§ 3. Necnon insuper omnibus et singulis eorundem fratrum interpretibus, nunc Hierosolymis, Bethlehem et Nazareth existentibus et viventibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacrà communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et largimur.

Contraria revocet.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xi iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 11 iunii 1670, pontif. an. 1.

VI.

Confirmatio prioris generalis, et decretum de assistentibus Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo mandat suspendi usque ad aliud futurum capitulum generale¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

In supremo militantis Ecclesiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam constituti, ad ea, quae religiosorum virorum coetibus in Ecclesià Dei pie sancteque institutis, uberesque bonorum operum fructus, Illo, a quo bona cuncta procedunt, donante atque adiuvante, proferre iugiter satagentibus, ut ab aeris alieni pondere sublevantur, ac recte salubriterque in vià mandatorum Domini dirigantur, conducibilia fore speramus, libenter intendimus, et pastoralis officii nostri partes propensà charitate desuper interponimus, sicut, rerum, temporum et personarum qualitate mature pensà, salubriter in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) Ordo fratrum B. Mariae de Monte Carmelo aere alieno viginti duorum millium scutorum monetae, ex causà expensarum occasione canonizationis S. Mariae Magdalenae de Pazzis factarum ad interesse seu interusurium captorum oneratus reperiat; si vero dilectus filius Matthaeus Orlandi prior generalis dicti Ordinis, qui eidem Ordini summà fide, prudentià et integritate hactenus praefuit, in suo generalatus officio ad aliud sexennium confirmaretur, et expensae capituli generalis dicti Ordinis, quod pro novi prioris generalis electione post lapsum de praesenti currens generalatus dicti Matthaei sexennium celebrari deberet, nempe pro accessu et recessu, ac

Causa huius constitutionis.

¹ Nunc primum impressa.

cibariis vocalium, aliorumque fratrum ad capitula generalia venire solitorum per provincias Ordinis praedicti faciendae, quae ad summam duodecim millium scutorum similium et forsitan amplius ascenderent, in extinctionem dicti aeris alieni erogarentur, inde non modicum dictus Ordo levamentum acciperet, et felici illius regimini peropportune consulere; eumque (sicut nobis insinuatam fuit) quatuor assistentes eiusdem Ordinis, non ita pridem introducti, Ordinem ipsum annua septingentorum scutorum dietae monetae impensa, quae pro eorum sustentatione fit, gravent, nec ita necessarii videantur, quin illis Ordo ipse sine prosperi gubernii detrimento carere possit :

Confirmat
priorem gene-
ralem ad aliud
sexennium.

§ 2. Hinc est quod nos, felici prospereque Ordinis praedicti regimini et gubernio, illiusque levamento, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, ac de spectata memorati Matthaei prioris generalis fide, prudentia, doctrina, integritate, charitate, vigilantia, rerum usu et religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eundem Matthaeum priorem generalem in suo generalatus Ordinis huiusmodi officio ad sex annos, a fine sexennii, ad quod in capitulo generali eiusdem Ordinis novissime celebrato in priorem generalem electus fuit, computandos, tenore praesentium confirmamus, eique generalatus

officium huiusmodi ad dictos sex annos ut praefertur computandos, cum omnibus et singulis praerogativis, praemissionibus, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, prorogamus ac extendimus et ampliamus.

§ 3. Volentes, et motu, scientia et potestatis plenitudine paribus decernentes, ut expensae, quae pro dicti capituli generalis celebratione per provincias dicti Ordinis faciendae essent, ut praefertur, in extinctionem supradicti aeris alieni omnino applicentur et erogentur.

Expensas pro
capituli gene-
ralis celebra-
tione faciendae
mandat erogari
in extinctionem
aeris alieni.

§ 4. Praeterea decretum de assistentibus praefatis, aliis editum, harum serie suspendimus usque ad capitulum generale Ordinis praedicti post absolutos a dicto Matthaeo priore generali sex annos ei, sicut praemittitur, a nobis prorogatos celebrandum, in quo examinari volumus, utrum expediat religioni ut aboleatur in totum, et Ordo praedictus ad formam gubernii a constitutionibus praescripti restituatur. Interim vero memoratus Matthaeus prior generalis Ordinem huiusmodi gubernet iuxta praescriptum earundem constitutionum. Pecuniae autem, quae pro sustentatione dictorum assistentium impendendae forent, in solutione fructuum censuum, ex causa expensarum occasione canonizationis praedictae factarum canonice impositorum, convertantur et erogentur. Volumus tamen ut illi duo fratres, qui actu assistunt dicto Matthaeo priori generali, remaneant eius socii usque ad terminationem primi sexennii, iuxta constitutiones eiusdem Ordinis.

Decretum as-
sistentium sus-
pendit usque ad
capitulum ge-
nerale et in eo
mandat exami-
nari.

§ 5. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis dicti Ordinis superioribus, fratribus et personis, ceterisque ad quos

Praeceptum
sanctae obe-
dientiae.

1 Vocem *omnibus* nos addimus (R. T.).

spectat et spectabit in futurum, ut praedictum Matthaeum priorem generalem in suo generalatus officio eiusque libero exercitio per sex annos ei per praesentes prorogatos, iuxta eorundem tenorem praesentium, continuare sinant et permittant, eique faveant et assistant, ac salubria eius monita humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§ 6. Ac decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Matthaeo priori generali plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, consequendum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII Iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

I. G. SLUSSIUS.

Dat. die 13 Iunii 1670, pontif. anno 1.

Registrata in Secret. Brevium in lib. mensis Iunii, part. II, fol. 227.

VII.

Privilegia, exemptiones et indulta dapiferis, qui in conclavi suae assumptionis S. R. E. cardinalibus inservierunt, concessa¹.

Clemens Papa X.
Motu proprio, etc.

Nos volentes dilectos filios, nostros, dum cardinalatus honore fungebamur, et venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium dapiferos, qui conclavi, in quo, divinâ favente clementiâ, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique eâ de causâ labores, vigiliâs et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum huiusmodi, favoribus, gratiis et privilegiis pro cuiuscumque meritis exornare, ac² eosdem dapiferos et eorum singulos,

Causa indulti.

§ 1. Motu proprio, non ad ipsorum dapiferorum vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate certaque scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, in veros, indubitatos et non fictos familiares, continuos commensales nostros, et eos qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres ex praefatis cardinalibus in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate et aliis

Dapiferi creantur commensales et notarii apostolici.

¹ Similia privilegia indulsit Clemens IX Constit. VII, *Nos volentes*, tom. XVII, pag. 533.

² Coniunctio ac redundat (R. T.).

meritis dignos tali dignitate indicaverint, in nostros et Apostolicae Sedis notarios, sine tamen praedictio dilectorum notariorum de numero participantium, tenore praesentium recipimus, et tam illos quam alios dapiferos singulos, qui singillatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tale honore approbati fuerunt¹, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites, ac tam illos quam alios omnes quoscumque dapiferos indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar, et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros originarios et antiquissimos et nobiles participantibus cives ipsius Urbis vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque² eorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et deputamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insigniis decoramus, aliorumque familiarium continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico servientium, et in illius tinello comedentium et bibentium, nostrorum et Sedis Apostolicae notariorum, palatiique et aulae praefatae comitum, militum et nobilium et civium huiusmodi originarium numero et consortio favorabiliter aggregamus, et pro veris, indubitatis et non fictis familiaribus continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibusque et militibus, nobilibusque ac civibus deinceps haberi et reputari volumus et mandamus,

§ 2. Eisque in quibuscumque impe-

1 Aptius lege fuerint (R. T.).

2 Praepositio in delemus (R. T.).

trationibus ac concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam separatim seu utramque mixtim concernentibus, se familiares continuos commensales nostros, et comites, milites, nobiles, ac cives et originarios nominare¹, nec propterea impetrationes, concessioniones et litterae ipsae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, ac ex nunc deinceps et in perpetuum omnibus et quibuscumque prorsus similibus antelationibus, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, et declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii, etiam de numero participantibus² existentes, etiamsi habitum et rocchetto notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praedictae comites et milites ac nobiles originarii et antiquissimi cives eiusdem Urbis vel civitatis, quam, ut praefertur, elegerint, quicumque ex utroque parente vere nobili ac cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine, vel aliâ ex aliquo speciali privilegio, seu aliâ etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in iudicio et extra, sine tamen eorundem notariorum de numero participantium praedictio, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant realiter et integre in omnibus et per omnia, etiamsi in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vero nobili ge-

1 Edit. Main. legit *nominari* (R. T.).

2 Aptius lege *participantium* (R. T.).

Nobiles et civi-
tatis.

Tales se no-
minare possunt.

nere ex utroque parente originario et antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem dapiferis in specie emanassent seu emanarent, et eis naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione vel aliis competere, vigore praesentium indulgemus.

A gabellis libertantur.

§ 3. Ac singulos dapiferos praefatos a solutione et exactione decimarum ecclesiasticarum, ubique locorum, et ex quacumque quantumvis urgentissima et inexcogitabili causa et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum, rerumpublicarum, etiam Venetorum, et quorumcumque aliorum principum, impositarum et imponendarum pro tempore liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus. Necnon ipsis dapiferis, eorumque singulis, quoscumque fructus et proventus ecclesiasticos, tam occasione pensionum annuarum ipsis vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus, ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, aut aliis in divinis se immiscuerint, ut, illa et eisdem praemissis non obstantibus, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliis tamen rite promoveri, et in illis etiam susceptis aliis rite per eos ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus.

§ 4. Ac eosdem dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiuntur, ex quocumque damnato et illicito coitu etiam si ex nobilissimis parentibus ac vilibus feminis forsam procreati sint, etiam si legitimi aliis existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergemus et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis, et aliorum consanguineorum seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudalibus et emphyteuticis, aut ecclesiasticis, vel ab ecclesia acquisitis, ac sine praedicio venientium ab intestato vel ex fideicommissis seu aliis de iure valida dispositione, succedere, et illa donationis seu alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia iura legitima et successiones ex testamento vel ab intestato, haereditates, legata, libertates restituendo et reintegrando realiter et cum effectu.

Illegitimos legitimis natalibus restituit.

§ 5. Necnon ad dignitates, honores et quaecumque alia officia saecularia publica vel privata etiam assumi, illaque gerere et exercere in omnibus et per omnia ac si de legitimo matrimonio procreati forent; ac, eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obstat impedimentum, ac clericali characterem, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si ad illos nondum promoti sunt, promoveri, et postmodum characterem et ordinibus huiusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualicumque cum cura et sine cura bene-

A.1 dignitates admitti iubet.

1 Coniunctio ac redundat, vel legendum ut pro ac (n. T.).

ficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae (non tamen in cathedralibus) ac dignitates (non tamen in eisdem cathedralibus post pontificalem maiores, nec principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi fuerint), si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa et instituantur in illis, recipere, et, dummodo plura simul non sint quam quae a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint retinere libere et licite valeant, similiter dispensamus.

Expeditionem
litterarum gra-
ti fieri man-
dat, etc.

§ 6. Quodque omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, ac praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae, ac etiam in formam Brevis, pro illis expediendae, gratis ubique expediantur, tam de capiendâ possessione nomine camerae apostolicae; quam in favore litterarum apostolicarum ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris familiaribus et continuis commensalibus etiam gratis dantur ac conceduntur, ac dari et concedi debent, praecipimus et mandamus. Ac dapiferis praefatis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, certis et incertis, ac distributionibus quotidianis qua-

rumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium et abbatialium, ac dignitatum et canonicatum, et praebendarum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per sanctae Romanae Ecclesiae cardinales obtentorum et imposterum obtinendorum, cum curâ et sine curâ, saecularium aut quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus, aliaque emolumenta et distributiones huiusmodi reservatas seu reservatos, ac reservandas seu reservandos, etiamsi aliàs semel vel pluries translatae seu translatae fuerint, usque ad summam centum ducatorum, in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus et proventus et alia emolumenta et distributiones huiusmodi, usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis per eosdem dapiferos et eorum singulos nominandis, quocumque, quaecumque et qualicumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, aliàs tamen pensionum huiusmodi capacibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ quibus eisdem dapiferis reservatae seu reservati erant, etiam absque beneficiis huiusmodi obtinentium consensu, integre persolvendas seu persolvendos, et per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos reservare, constituere et assignare valeant, ipsique translatae in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi dapiferi tempore translationis per eos vigore praesentium faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus et indulgemus, etiamsi similem gratiam a praedecessoribus nostris aliàs forsan obti-

nuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere et potiri volumus.

Confirmatio
validitatis.

§ 7. Decernentes ipsas translationes, et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum seu fructuum, reddituum et proventuum, aliorumque huiusmodi, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore; ac eisdem dapiferis, ut, ratione quarumcumque pensionum eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de camerâ pro quolibet, nunc et pro tempore reservatarum ac reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis, dummodo ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis seu cassationis ipsarum pensionum¹, ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unicâ tantum et virgine, recipere et retinere;

Bona ipsorum
a spoliis liberat.

§ 8. Postremo quod bona quaecumque ad dictos dapiferos et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum etiam canonicatum et praebendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, et quovis quaesito colore vel ingenio, seu eorum industriâ, legitime tamen et licite, acquisita et acquirenda, etiam in Urbe eius-

¹ Quomodo supplenda lectio defectiva, vide ad tom. xvi, pag. 207 a (R. T.).

que districtu ac ubicumque existentia, spoliis minime subiacent, sed ipsi dapiferi, etiamsi religioni alicuius militiae, etiam S. Ioannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de iure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco quantumvis remoto eos decedere contigerit, testari, et aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus.

§ 9. Praecipientes et mandantes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis camerae nostrae apostolicae, et quibuscumque aliis spoliarum huiusmodi collectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus aut procuratoribus, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes dictorum dapiferorum desuper molestare audeant seu praesumant; ac etiam decernentes donationes, etiam per viam testamenti et codicillorum per ipsos dapiferos de eorum bonis huiusmodi, servatis de iure servandis, faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore, nec eosdem dapiferos eorumque aliquem ad litteras super praesentes conficiendas in dictâ camerâ insinuandum, aut admitti et registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi intra tempus legitimum insinuatae, admissae seu registratae non fuerint, propterea minus validas censi, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque praesentes et in eis contenta quaecumque sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent aut moderarent, quae a nobis et dictâ Sede pro tempore, et de quibusvis causis, etiam urgentissi-

Eximit a molestia.

mis, etiam in divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate haecenus vel imposterum emanaverint, minime comprehendi, sed, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum repositas et reintegratas esse et censi, sicque per quoscumque iudices etiam commissarios quavis auctoritate fungentes, in quavis causà et instantià, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et defini debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Expeditionem
gratiosam man-
dat.

§ 10. Et insuper dilectis filiis rescribentario et computatori collegii scriptorum litterarum apostolicarum, et aliis ad quos earumdem litterarum expeditio spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenà indignationis nostrae, motu, scientià et potestatis plenitudine similibus, mandamus ut easdem praesentes et forsitan alias litteras super praemissis omnibus, tam coniunctim quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubique in omnibus officiis etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum plumbi et registri absque aliquà pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendà, omni contradictione et dilatione cessantibus, signent, expediant et expediri faciant.

Contrariis de-
rogat.

§ 11. Non obstantibus eisdem praemissis, ac de certo notariorum numero, etiamsi ad illum non sit devenum, quibus aliàs per praesentes non intendimus derogare, ac regulà nostrà de praestando consensu in pensionibus, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de similibus vel dissimilibus gratiis in camerà apostolicà infra tres men-

ses praesentandis ac registrandis, ac recolendae memoriae Pii Papae V etiam praedecessoris nostri contra illegitimos, ac Pictavensis concilii, et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus provincialibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, et monasteriorum, ecclesiarum, Ordinum, etiam S. Iohannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romae, et aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, aut camerae praedictae, ac quarumvis universitatum, etiam iuramento, confirmatione, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis, stabilimentis, usibus et naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus tam pontificiis quam imperialibus, regiis et ducalibus, etiam sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, superioribus ac personis et locis quibuscumque, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis, etiam vim contractus, et statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientià et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs forsitan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, inter alia disponentibus quod beneficia Urbis non nisi personis certis modo et formà qualificatis et oriundis ex certis locis ac trium Ordinum militiarum¹ expresse professis conferri et commendari soleant; quibus omnibus, etiamsi aliàs pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia ex-

¹ Forsan legendum *militarium* (R. T.).

pressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formam in illis traditam observatam inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio E.

Et cum absolute a censuris ad effectum, etc., et in casibus regulae de insordescensibus, cum opportuna illius, necnon alterius regulae de non tollendo iure quaesito, aliisque necessariis et opportunis derogationibus, quatenus opus sit, et quod indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque praemissorum omnium et singulorum maior et verior specificatio et expositio fieri possit in litteris, in quibus singulorum dapiferorum nomina et cognomina, ordines, qualitates, gradus, dioeceses, patriae et alia requisita exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint, iuxta notulam per ipsos seu eorum deputatos confectam, simul vel ad partem, etiam in una non factam mentione de alia vel aliis, prout videbitur expedire, etc.

Transumpto-
rum fides.

§ 12. Volumus autem quod litterarum super praesentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis, et sigillo et manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticae constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae¹ originalibus litteris adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Volumus autem quod sola praesentis motus proprii nostri signatura sufficiat, et² ubique fidem faciat

¹ Male edit. Main. legit *quam pro quae* (R. T.).

² *Coniunct.* et nos addimus (R. T.).

in iudicio et extra illud, regulam quacunque contrariam non obstante.

Fiat E.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, XVIII kalendas iulii MDCLXX, anno 1.

Dat. die 14 iunii 1670, pontif. anno 1.

Nomina eminentissimorum dominorum cardinalium et dapiferorum sunt haec, quae sequuntur.

ÆMILIUS ALTERIUS, nunc CLEMENS X, Romanus; Ioseph Barbius sacerdos terrae S. Genesii Camerinensis, noster dum cardinalatus honore fungebamur.

EPISCOPI VI.

Franciscus episcopus Ostiensis, sacri collegii decanus, cardinalis Barberinus S. R. E. vicecancellarius et summista, Florentinus; abbas Carolus Franconus, Neapolitanus.

Martinus episcopus Portuensis cardinalis Ginettus S. D. N. Papae vicarius, Veliternus; Ioseph Crucius, Tiburtinus.

Antonius Barberinus, episcopus Praenestinus, cardinalis Antonius nuncupatus, archiepiscopus Rhemensis, S. R. E. camerarius, signaturae Brevium praefectus, Romanus; Gaspar Marcaccionus, Romanus.

Franciscus Maria, episcopus Tusculanus, cardinalis Brancaecius, episcopus Viterbiensis, Neapolitanus; Archangelus de Paulis, clericus Eugubinus.

Uldericus episcopus Albanensis, cardinalis Carpiacus, Urbinatensis; Uldericus Nardi de Poppi Aretinae dioecesis.

Iulius episcopus Sabinensis; cardinalis Gabriellus episcopus Reatinus, Romanus; Ioseph Liberatorus, clericus Aesculanus.

PRESBYTERI XLVIII.

Virginus tituli S. Laurentii in Lucina, prior presbyterorum, cardinalis Ursinus, Romanus; Robertus Ursinus, clericus Romanus.

Raynaldus tituli S. Pudentianae cardinalis Estensis, Mutinensis; Ioannes Baptista Mozzarellus, canonicus Mutinensis.

Caesar tituli Ss. Quatuor Coronatorum cardinalis Facchenettus episcopus Spoletanus, Bononiensis; Nicolaus Sega, clericus Bononiensis.

Hieronimus tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio cardinalis Grimaldus, archiepiscopus Aquensis, Genuensis;....¹.

Carolus tituli S. Silvestri in Capite cardinalis Rossettus, episcopus Faventinus, Ferrariensis; abbas Benedictus Bartolus Potignani in terra Bari, nullius dioecesis.

Nicolaus tituli S. Mariae Transtyberim cardinalis Ludovisius, maior poenitentiarum, Bononiensis; Ioseph Messina, clericus coniugatus, Urbevetanus.

Alderanus tituli S. Praxedis cardinalis Cybo, episcopus Aesinus; Innocentius Serenus, sacerdos Avenionensis.

Federicus tituli S. Petri ad Vincula cardinalis Sfortia, Romanus; Angelus Dominicus Sinibaldus, clericus Romanus.

Benedictus tituli S. Honuphrii cardinalis Odescalchus, Comensis; Felix Bonafide, clericus Firmanus.

Laurentius tituli Ss. Quirici et Iulittae, cardinalis Raggius, Genuensis; Cinthius Guarinus, Terracinensis.

Ioannes Franciscus Paulus Gondus tituli S. Mariae super Minervam, cardinalis de Retz nuncupatus, Gallus; Franciscus Causeus *de la Chause* Lotaringius, Verdunensis.

Aloysius tituli S. Alexii cardinalis Homodeus, Mediolanensis; Ioannes Baptista Corraducci, clericus Anconitanus.

Petrus tituli S. Marci cardinalis Ottobonus, Venetus; Sertorius Ursinus, Romanus, clericus coniugatus.

Laurentius tituli S. Chrysogoni cardinalis Imperialis, Genuensis; Valerius Zachaeus, Spoletinus.

¹ Deesse videtur nomen illius dapiferi (R. T.).

Gibertus tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Borromaeus, Mediolanensis; Alexander Hostilius Layaro iuris utriusque doctor de Urbana.

Marcellus tituli S. Stephani in Monte Caelio cardinalis Santaerucius, episcopus Tiburtinus, Romanus; Thomas Botta sacerdos Camerinensis, archipresbyter parochialis ecclesiae S. Clementis, terrae Serrae Petrone.

Ioannes Baptista tituli S. Marcelli cardinalis Spada, Lucensis; Michael Priolius, clericus de Meldola, iuris utriusque doctor, Ravennatis.

Franciscus tituli S. Mariae in Violatà, cardinalis Albitius, Caesenatensis; Ioseph Herculanus de Sestino, nullius dioecesis.

Octavius tituli S. Caeciliae cardinalis Aquaviva, Neapolitanus; Iacobus Pegna, Romanus.

Carolus tituli S. Priscae cardinalis Pius, Ferrariensis; Ludovicus Contarinus, clericus Lucentinus.

Carolus tituli S. Eusebii cardinalis Gualterius, Urbevetanus; eques Tiberius Simoncellus de comitibus Baschi, Urbevetanus.

Flavius tituli S. Mariae de Populo cardinalis Chisius archipresbyter basilicae Lateranensis, S. R. E. bibliothecarius, et signaturae iustitiae praefectus, Senensis; Franciscus Baiocchi presbyter Adiacensis, sacrae theologiae ac iuris utriusque doctor.

Scipio tituli S. Sabinae cardinalis de Ilcio, archiepiscopus Pisarum, Senensis; Franciscus Fortunatus de Vecchis, eques Hierosolymitanus, Senensis.

Hieronimus tituli S. Hieronymi Illyricorum cardinalis Bonvisius, archiepiscopus Lucae, Lucensis; Iulianus Biscottus, civis Lucensis, coniugatus.

Antonius tituli S. Mariae Angelorum cardinalis Bichius, episcopus Auximanus, Senensis; Alexander Bonus, Urbinatensis.

Petrus tituli S. Calixti cardinalis Vidonus, Cremonensis; Paulus Guglielmus clericus, patritius Lucensis.

Gregorius tituli S. Thomae in Parione cardinalis Barbadius, episcopus Patavinus, Venetus; Thomas Raggiolus, clericus Romanus.

Hieronimus tituli Ss. Marcellini et Petri cardinalis Boncompagnus, archiepiscopus Bononiae, Bononiensis; Ioannes Thomas Sabatinus Camplensis.

Alphonsus tituli S. Crucis in Hierusalem cardinalis Litta archiepiscopus Mediolani, Mediolanensis; Hieronymus Archangeli Serrae[†] S. Quirici, Cameriniensis.

Nereus tituli Ss. Nerei et Achillei cardinalis Corsinus, legatus Ferrariensis, Florentinus; Franciscus Battistinus, clericus de Regio Lombardiae.

Carolus tituli S. Anastasiae cardinalis Bonellus, Romanus; Iacobus Raynaldus a Pergola, clericus Eugubinus.

Caelius tituli S. Petri in Monte Aureo cardinalis Piccolomineus, Senensis; Nicolaus abbas Finettus, iuris utriusque doctor, patritius Senensis.

Carolus tituli S. Susannae cardinalis Carafa legatus Bononiensis, Neapolitanus; Petrus Iacobus Tassius, clericus Sabinensis.

Palutius Palutius Albertonius tituli basilicae Ss. XII Apostolorum cardinalis Alterius, episcopus Montis Falisci, Romanus; Antonius Ghislerius, Romanus.

Caesar tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Rasponius, legatus Urbinatensis, Ravennatensis; Eleuterius Breseianus, civis Romanus.

Ioannes Nicolaus tituli S. Mariae Transpontinae cardinalis de Comitibus, episcopus Anconitanus, Romanus; abbas Ioannes Iordanus, Beneventanus.

Iacobus tituli S. Mariae de Pace car-

dinalis Ninus, Senensis; Christophorus Boldrinus, Fosumbronensis clericus.

Iulius tituli S. Martini in Montibus cardinalis Spinola, Genuensis; Propertius Aloysius Montis Altii.

Carolus tituli S. Mariae de Aracaeli cardinalis Robertus, legatus Romandiolae, Romanus; Dominicus a Lega sacerdos Faventinus, iuris utriusque doctor.

Vitalianus tituli S. Agnetis cardinalis Vicecomes, Mediolanensis; Philippus de Philippis de Appignano, Auximannus.

Innicus tituli S. Clementis cardinalis Caracciolus, archiepiscopus Neapolitanus, Neapolitanus; Angelus Turchius, Fulginatensis.

Ioannes tituli S. Salvatoris in Lauro cardinalis Delphinus, patriarcha Aquileiensis, Venetus; Ioseph Felicius ab Aposita, clericus Reatinae dioecesis.

Iacobus tituli S. Sixti cardinalis Rospiogliosius archipresbyter S. Mariae Maioris, legatus Avenionensis, signaturae gratiae praefectus, Pistoriensis; Ioannes Franciscus ex comitibus Guidis a Balneo, Mantuanus.

Emmanuel Theodosius tituli S. Laurentii Panisperna cardinalis Buglionus, Gallus; Renatus le Saunage presbyter dioecesis Constantiensis sacrae facultati, Parisiensis doctor theologus ac socius Sorbonicus, abbas commendatarius S. Petri de Bello loco Ordinis S. Benedicti in diocesi Lemovicensi.

Ludovicus tituli S. Sabinae de Porto Carrero, Hispanus; Desiderius Philippus Oddi, Romanus, clericus coniugatus.

Franciscus tituli S. Bartholomaei Insulae cardinalis Nerlius, archiepiscopus Florentiae, Florentinus; Iulianus Martinus, Lucensis.

Carolus tituli S. Adriani cardinalis Cerrus, Romanus; Carolus de Rubeis, clericus Romanus.

Lazarus tituli S. Mariae in Aquiro

[†] Forsan terrae legendum (R. T.).

cardinalis Pallavicinus, Iannensis; Gaspar Trullius, Romanus.

Ioannes tituli S. Bernardi cardinalis Bona Congregationis divi Bernardi Ordinis Cisterciensis, Pedemontanus; Thomas de Iulio a Phara S. Martini, nullius dioecesis.

DIAGONI XII.

Franciscus tituli S. Mariae in Viâlatâ primus diaconus cardinalis Mairalchini, Viterbiensis; prior Stephanus Stephaneus, Urbevitanus.

Fridericus S. Agathae cardinalis de Hassia, Germanus; Nicolaus Dencovit Talancourtinus, dioecesis Treveri.

Carolus Barberinus S. Caesarei cardinalis Carolus nuncupatus, archipresbyter basilicae S. Petri, Romanus; frater Vincentius Vinalduccius, eques Hierosolimitanus, Fanensis.

Decius S. Eustachii cardinalis Azzolinus, Firmanus; Petrus Bellonius Camerinensis.

Iacobus tituli S. Paneratii cardinalis Franonus, episcopus Camerinensis, Genuensis; Sigismundus Zanellus, Faventinus.

Franciscus Maria Ss. Viti et Modesti cardinalis Mancinus, Romanus; Franciscus Antonius Vitalis, clericus Romanus.

Angelus S. Angeli in Foro Piscium cardinalis Celsus, Romanus, eminentissimus frater.

Paulus S. Nicolai in Carcere cardinalis Sabellus Perettus, Romanus; Angelus de Massimis, clericus coniugatus, Romanus.

Leopoldus S. Mariae in Cosmedin cardinalis Medices, Florentinus; eques Ioannes Giraldus, Florentinus.

Sigismundus Chisius S. Mariae in Domnica cardinalis Sigismundus, Senensis; abbas Franciscus Ridolphus, canonicus Florentinus.

Nicolaus Ss. Cosmae et Damiani car-

dinalis Acciaiolus; Sperandus Ricciolinius, clericus Sabinensis.

Bonacursius S. Mariae de Scala cardinalis Bonacursius, Maceratensis; Caesar Rubertus, clericus Recanatensis.

VIII.

Indultum de officio sancti Francisci Xaverii in Breviario sub ritu duplici apponendo, et ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, de praecepto recitando.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

In eminenti Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divinâ disponente clementiâ constituti, muneris nostri esse arbitramur, ut Sanctorum in caelis regnantium, illorum praecipue, quibus annunciantibus evangelicae praedicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetravit, cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, augere satagamus.

Exordium.

§ 1. Itaque, pro peculiari nostrâ erga sanctum Franciscum Xaverium Societatis Iesu, qui, apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium apostolus unanimi totius christiani orbis consensu meruit appellari, devotione, eius venerationem condignis honorum incrementis ampliare cupientes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iubemus ut eius officium de mandato felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri in calendario romano sub ritu semiduplici appositum, in posterum sub ritu duplici de praecepto in eodem apponatur, ab omnibus qui ad horas

Statuit ut in rubrica.

1 Ne otiose repetam pluries dicta, vide quae sunt notata ad Const. IV, *Rationi*, Urbani VIII, tom. XIII, pag. 33, et de augendo devotionem erga eundem vide Constitutionem CLII, *Aliâs*, Innocentii X, tom. XV, pag. 686.

canonicas tenentur, tum saecularibus, tum regularibus utriusque sexus, ubique de praecepto recitandum.

Contrarius derogat.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fidos.

§ 3. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiv iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 14 iunii 1670, pontif. anno 1.

IX.

Indictio iubilaei universalis ad implorandum divinum auxilium initio sui pontificatus pro salutari sanctae Ecclesiae catholicae regimine¹.

Clemens Papa X,

Universis christifidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae Constitutionis.

Cum inscrutabilis divitiarum sapientiae et scientiae Dei altitudo humilitatem nostram his calamitosis temporibus ad supremum apostolicae dignitatis fastigium vocare, nobisque vicariam sui in terris potestatem committere dignata sit: nos, licet nihil magis desideraremus,

¹ Huiusmodi iubilaeum indixere plures Summi Pontifices initio pontificatus, inter quos Innocentius X Const. vi *Immensae*, tom. xv, pag. 336, et Alexander VII, Const. II, *Unigenitus*, tom. xvi, pag. 2, et demum Clemens IX, Const. 1, *Placuit*, tom. xvii, pag. 512.

quam ut immensam illam curarum pontificiarum molem, cui ferendae infirmitatem nostram longe imparem agnoscimus, defugere possemus; nihilominus, ne divinae voluntati nimium oblectari videremur, imposito nobis ingo collum ex charitatis necessitate humiliter suppsumus, omnem spem nostram collocantes in ineffabili bonitate Salvatoris et D. N. Iesu Christi, cuius auxilium pro catholicae Ecclesiae regimine quotidie privatis nostris sacrificiis et precibus supplices invocamus. Idipsum ut et vos, quibus apostolica sollicitudo a nobis impendenda est, communiter precibus nobiscum pariter faciatis, ac divinam misericordiam per ieiunia et eleemosynas aliaque pietatis opera demereri studeatis, paterne requirimus et hortamur, ut Deus patrum nostrorum et Dominus misericordiae, qui vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, det nobis sedium suarum assistricem sapientiam, mittatque illam de caelis sanctis suis et a sede magnitudinis suae, ut nobiscum sit, et nobiscum laboret, ad divini nominis gloriam, Ecclesiaeque sanctae utilitatem, et spiritualem omnium fidelium aedificationem; imbecillitatem nostram roborat, omniaque nostra consilia et actiones dirigat secundum beneplacitum voluntatis suae; haereses extirpet, fidem catholicam protegat et propaget, principum christianorum pacem et concordiam conservet, magisque et magis in die solidet, et nomen christianum ab infidelium incursionibus et insidiis potentiam virtutis suae tueatur. Haec autem ut ardentiori spiritu uberiusque fructu fiant, Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Deus, proferre et prudenti liberalitate largiter erogare decrevimus.

§ 4. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiam ac beatorum Petri et Pauli

Indictio de qua in rubrica.

apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solenni processioni, quam feriâ quartâ currentis hebdomadae ab ecclesiâ S. Mariae Angelorum in Thermis ad basilicam S. Mariae Maioris nuncupatam de eâdem Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, quos in Romanâ curiâ adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, praelatis quoque et officialibus eiusdem curiae, universoque clero et populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris ecclesias seu basilicas, vel earum aliquam, intra spatium eiusdem vel proxime subsequenter hebdomadae, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praefatis hebdomadis ieiunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti vel aliâ die intra eandem hebdomadam reverenter sumperint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam haec nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis, per Ordinarios, vel eorum

vicarios seu officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae, decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, et quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eandem hebdomadam sanctissimâ communionem refecti fuerint, et pauperibus aliquam elemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno imbilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

§ 2. Navigantes vero et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiori aut parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant; regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus quam regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

§ 3. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus et regu-

Extensio ad
impeditos.

Libertate eligendi confessarium.

1 Aptius ed. Cherub legit *vel pro quam* (R.T.).

laribus cuiusvis Ordinis et congregationis et instituti, tam in Urbe praefatâ quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam saecularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Coenae Domini legisolitis contentis, et aliâs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones (quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis) quomodoecumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, inunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Inhibentur
ubique publi-
cari iubet.

§ 4. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel im-

pedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliâs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, nullo modo suffragari posse aut debere.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis illorumque personis quomodo libet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem im-

Derogat contra-
fratris.

portantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice, specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praemissorum, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis
fidem adhiberi
mandat.

§ 6. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earundem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 iunii 1670, pontif. anno I.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCLXX, indictione VIII, die vero XVI mensis iunii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Clementis divina providentiâ Papae X, anno eius I, supradictum Breve affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Lateranensis, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris de Urbe, et in aede Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum apostolicum curso-

PETRUS MACHERATUS, mag. cursorum.

X.

Constitutio, in qua regularium privilegia, quoad praedicationem verbi Dei et

*sacramenti Poenitentiae administrationem, declarantur*¹.

Clemens episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Supernâ magni patrisfamilias praedicatione creditum nobis universalis Ecclesiae mysticum agrum circumspetâ providentiâ custodire atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes, animam in eas curas libenter intendimus, quibus valeant dissidia inter villicos et operarios componi, iurgia tolli, scandalis atque offensionibus aditus praeccludi; ut, quibus una Fides, una mater Ecclesia, et unus Dominus, qui charitas est, et pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum et anima una; sic etenim, evulsis opportune zizaniis, dum plantamus et rigamus, incrementum dabit Deus; quo benedicente messis multa fructu centesimo caeleste in horreum congregabitur.

Exordinum.

§ 1. Sane, cum sacri Concilii Tridentini decretis provide statutum fuerit ut regulares cuiuscumque Ordinis, nisi a suis superioribus de vitâ, meritis et scientiâ examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentiâ, etiam in ecclesiis suorum Ordinum praedicare non possint; cum qua licentiâ personaliter se coram episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant; in ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam episcopi licentiam, gratis ab eo dandam, habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo praedicare possint; atque ut nullus saecula-

Statutum Concilii Tridentini de regularibus.

¹ De hac materia vide Conc. Trid. sess. XXIII, cap. XV, et sess. XXIV, cap. IV, et Gregorii XV Constitutionem *Inscrutabili*, ubi plura ad rem videre poteris.

ris sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum contradicente episcopo praedicare praesumat: itidemque, cum nullus sacerdos regularis possit confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliis idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quaecumque non obstantibus: innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradicentem, examen et approbationem eiusmodi in aliquibus dioecesibus excitatas fuisse; ex quibus controversiae et dissensiones permultae in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quae per Sedem Apostolicam religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

Dubiorum resolutione.

§ 2. Nos, attendentes quod aliis diversis temporibus praedictae dubitationes et controversiae nonnullis praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum constitutionibus earumque declarationibus definitae fuerint, eiusmodi definitiones in unum collectas, ut magis magisque dissensionum tollantur semina, et in posterum firmior in agro dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, apostolatus officio, novis apostolicis litteris muniendas duximus et roborandas. Itaque, de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, pietate, doctrinâ et prudentiâ praestantium, et maturâ deliberatione nostrâ, atque ex certâ scientiâ, hac generali et perpetuo valiturâ constitutione decernimus et declaramus:

Regulares ab episcopo benedictionem petere tenentur.

§ 3. Regulares, qui in ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab episcopo dioecesano benedictionem pe-

tere; praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem ecclesiis licere regularibus praedicare, eosque contravenientes ab illo tamquam Sedis Apostolicae delegato censuris aliisque poenis ecclesiasticis in vim constitutionis felicis recordationis Gregorii XV praedecessoris nostri, incipientis *Inscrutabili Dei providentiâ*, coerceri et puniri posse. Episcopum tamen absque instâ et rationabili causâ contradicere non debere, et huiusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si in quibuscumque oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo vel in ecclesiis, aut ad crates monasteriorum sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem episcopum, licentiam concessurum regularibus in ecclesiis quae suorum Ordinum non sunt praedicare volentibus, illos, quamvis ab universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit, et licentiam praedicandi, semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen episcopum generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum Ordinum praedicent.

§ 4. Ad haec religiosos, ab episcopo ad confessiones saecularium in suâ dioecesi audiendas approbatos, non posse in aliâ dioecesi eas absque episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius episcopi a

Quid de confessionariis ab uno Ordinario approbatis.

quo ipsi religiosi iam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas nequaquam censi approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum; sed egere, quoad hoc, speciali episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. Itemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos¹ ab episcopo ad monialium confessiones pro unâ vice audiendas, haud posse, expletâ deputatione, in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones audire; sed toties ab episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Ceterum in monasteriis, ac etiam collegiis ubi iuxta regularia instituta vivitur, posse tam praelatos regulares quam confessores regularium eorundem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familiâ et continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque et indistincte absque aliquâ limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propriâ admitte-ndos; quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquere ipsos cum limitatâ facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere; semel autem simpliciter approbatos posse in dioecesi episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ullâ parochorum vel ipsius episcopi li-

¹ Male edit. Main. legit *approbatus* (R. T.).

centiâ; de qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorundem infirmorum parochum illico certiore reddere. Et hoc posse illis ab episcopo, sub poenâ suspensionis a facultate audiendi confessiones, praecipi: sufficere tamen ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquentem.

§ 5. Et eos, qui dictis religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quae incipit *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse censendos. Regulares vero ad eiusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ullâ temporis praefinitione ab ipsomet episcopo (secus autem si ab eius vicario aut ab antecessoribus episcopis) approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eiusdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illi¹ concessas revocari, nisi novâ superveniente causâ quae ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet; nec eam teneri episcopum ipsis regularibus significare; sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

§ 6. Porro si regulares cum scandalo aut aliâ inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationali episcopi iudicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum praecipua ministri sacramenti poenitentiae qualitas sit vitae integritas ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare quominus ob eam possit episcopus regulares a semetipso approbatos suspendere aut repellere a confessionibus audiendis. At-

Constitutioni *Omnis utriusque sexus*, in quantum satisfieri censendum sit, declaratur.

Regulares approbati, ob scandalum possunt suspendi.

¹ Potius lege *illis* (R. T.).

tamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab episcopo inconsultâ Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus, per *mare magnum* aliave privilegia regularibus cuiuscumque Ordinis, instituti aut societatis, etiam Iesu, concessis, factam eis non esse potestatem ab-olvendi in casibus ab episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares a Sede Apostolicâ post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revivisse privilegia prius ab eodem concilio aut deinde apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quae habebant, absolvendi a casibus episcopo reservatis.

De casibus
reservatis.

§ 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem regularem confessorem in eâ diocesi, in qua est approbatus, confluentes ex aliâ diocesi a peccatis in ipsâ reservatis, non autem in illâ, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinendâ migrare. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus, etiam satisfactâ parte, absolvere poenitentes a censuris quoad externum et iudiciale forum, et absolutos ab eis in foro poenitentiali utique non censi absolutos in exteriori iudicio et contentioso. Quinimmo censuris ecclesiasticis irretitos et denunciatos ab episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiam si a regularibus fuerint absoluti. Quoties, exhibitis aliquibus regularium apostolicis privilegiis coram episcopo, ab eo indicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint et ambigua, non

esse ad metropolitanum provocandum, sed, cum eius sit interpretari, cuius est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicae iudicio, prout aliâs constitutione praedecessoris nostri felicitis recordationis Clementis IV statutum fuit, esse requirendam.

§ 8. Decernentes sic et non aliâs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate et dignitate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et nuncios, et quosvis alios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque quorumvis Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, congregationum, Societatum, etiam Iesu, ac cuiusvis alterius instituti etiam necessario et in individuo exprimiendi, monasteriorum, conventuum, capitulorum, ecclesiarum, et aliorum quorumcumque tam saecularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ reboratis, statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ et titulo oneroso vel in limine fundationis concessis, etiam *in mari magno*, seu *bullâ aurea*, aut aliâs nuncupatis, conservatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus episcopi deferre minime teneantur, et quibusvis aliis, sub quibuscumque

Confratriis derogat.

tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolica potestate plenitudine, aut aliâs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis tradita observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis, quoad ea quae eisdem praesentibus adversantur, illis aliâs in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Constitutio-
nem iubet pu-
blicari.

§ 10. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, ut eae tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, atque cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae affigi et publicari.

Transumptis
fidei adhiberi
iubet.

§ 11. Volentes quod earundem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati, seu personae in⁴ ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

¹ Particulam *in nos* addimus (R. T.).

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, declarationis, derogationis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Sauctio poe-
nalis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXX, XI kalendas iunii¹, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 21 iunii 1670, anno 1.

Anno a Nativitate Domini Iesu Christi MDCLXX, indictione VIII, die vero II mensis augusti, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis divinâ providentiâ Papae X, anno eius 1, praesens constitutio affixa et publicata fuit ad valvas ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, locis solitis et consuetis Urbis, per me Hilarium Centellum sanctissimi domini nostri Papae eursorem.

PETRUS MARCHERATUS, mag. cursorum.

XI.

Indultum concessum clericis camerae apostolicae, tam praesentibus quam futuris, gestandi galeri redimiculum, cordone vulgariter nuncupatum, coloris violacei in quibuscumque functionibus et actibus publicis et privatis².

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, supremus gratiarum dispensator in terris a Domino consti-

Exordium.

¹ Legendum iulii (R. T.).

² Nunc primum impressa.

tutus, illis, quorum fidem, industriam, prudentiam et dexteritatem in gravibus et arduis Apostolicae Sedis muneribus gerendis multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit, per quae eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius in munerum suorum functione perseverent.

Indulget clericis reverendae camerae deferre galeri redimiculum coloris violacei.

§ 1. Itaque ad eximia dilectorum filiorum clericorum praesidentium camerae apostolicae in nos et dictam Sedem fidei et devotionis aliaque multiplicia merita paternae dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem aliquam honoris praerogativam condecorare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innotati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas¹ fore censentes, motu proprio, ex certa scientia et mera liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem camerae apostolicae clericis praesidentibus, praesentibus et futuris, ut ipsi omnes et singuli galeri redimiculum, cordone vulgariter nuncupatum, coloris violacei in quibusvis functionibus et actibus publicis et privatis ubique deferre et gestare libere et licite possint et valeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apo-

¹ Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

stolici¹, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublatam eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque

Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 21 iunii 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secret. Brev., mensis iunii, part. 1, fol. 10.

XII.

Declaratio quod vota in Congregatione Missionis, post illius apostolicam confirmationem emissa et emittenda, ab aliis quam a Summo Pontifice et superiore generali eiusdem Congregationis in actu dimissionis ab eadem Congregatione licite et valide dispensari, commutari aut dissolvi non possint².

Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Alias felicitis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster nonnulla

Alexander VII Congregationem Missionis confirmavit prout in rubrica.

¹ Deest vox *auditores* (R. T.).

² Nunc primum edita.

tatis et obedientiae, necnon stabilitatis in dictâ Congregatione ad effectum se toto vitae tempore saluti pauperum rusticorum applicandi, post biennium probationis faciendae; in quorum tamen votorum emissionem nemo interesset qui ea acceptaret, sive nomine Congregationis, sive pro tempore existentis Romani Pontificis nomine; et vota sicut supra emissa dissolvere posset solus Romanus Pontifex, necnon et superior generalis dictae Congregationis in actu dimissionis e Congregatione; nemo autem alius, etiam vigore cuiuscumque iubilaei, bullae cruciatae, seu alterius privilegii et indulti, aut cuiuscumque constitutionis sive concessionis, nisi in eis facta fuisset specialis mentio horum votorum sicut supra in dictâ Congregatione emissorum, dissolvere, aut commutare, vel dispensare posset et valeret, et aliâs prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXI septembris MDCLX expeditis, quorum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Motivum huius declarationis.

§ 1. Cum autem, sicut dilectus filius superior generalis dictae Congregationis Missionis nobis nuper exponi fecit, quod¹ aliqui post huiusmodi vota in eadem Congregatione emissa ipsam Congregationem deseruerint, asserentes se dictorum votorum dispensationem seu commutationem obtinuisse a quibusdam confessariis vigore litterarum apostolicarum super iubilaeo emanatarum, ac praedictos confessarios potuisse dispensare, seu commutare huiusmodi vota, quia in dictis litteris conceditur facultas commutandi vota quaecumque, castitatis et religionis exceptis, ac deinde in fine derogatur contrariis quibuscumque, et in specie statutis et consuetudinibus

¹ Particula *quod* praeter rem est (R. T.).

quoruncumque Ordinum et congregationum, seu institutorum regularium, etiam confirmatione apostolicâ roboratis, necnon privilegii, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus ac congregationibus concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda foret:

§ 2. Nobis propterea dictus superior generalis, cupiens occurrere dictae Congregationis praecudio, et insimul consulere conscientiam eorum, qui tales dispensationes seu commutationes obtinissent vel obtinere attentarent, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur. Nos igitur, ipsius superioris generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, quod vota praedicta, in dictâ Congregatione Missionis post illius confirmationem apostolicam praefatam emissa et emittenda, ab aliis quam a pro tempore existente Romano Pontifice et superiore generali eiusdem Congregationis in actu dimissionis ab ipsâ Congregatione, licite et valide non potuerint nec possint dispensari, commutari, aut aliâs quomodolibet dissolvi vigore cuiuscumque iubilaei, bullae cruciatae, seu alterius privilegii, indulti, constitutionis sive concessionis non facientium

Preces superioris generalis.

Declaratio.

expressam dictorum votorum mentionem, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, declaramus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandoenique spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae memoratus Alexander praedecessor in suis litteris praefatis concessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum trasumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus¹ si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiii iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSITS.

Dat. die 23 iunii 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis iunii, part. 1, fol. 239.

XIII.

Confirmatio decretorum S. R. E. cardinalis Barberini, in favorem pictorum

¹ Vocem *praesentibus* nos addimus (R. T.).

et aliorum academiae S. Lucae legitime aggregatorum emanatorum¹, pro exactione taxae, eiusdemque pro annuatis decursis et non solutis reductione

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales ecclesiae et academiae S. Lucae pictorum, sculptorum et architectorum de Urbe, quod venerabilis frater noster Franciscus episcopus Ostiensis S. R. E. cardinalis Barberinus nuncupatus, sacri venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium collegii decanus, cui felicis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster in signaturâ suae gratiae commiserat ut super exactione taxae iuxta ordinationem recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris pariter nostri a publicis venditoribus picturarum et sculpturarum in Urbe praedictâ solvendae arbitriâ suo provideret, nonnulla decreta edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

§ 1. « Fidem facio per praesentes ego notarius publicus infrascriptus qualiter die VII octobris MDCLXIX coram eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Francisco Barberino, iudice commissario pro venerabili ecclesiâ, confraternitate et academiâ S. Lucae Urbis, dominorum pictorum, sculptorum et architectorum principalibus² contra infrascriptos ex adverso principales, videlicet dominos Iosephum Constantinum, Joannem Petrum Berrettam, Laurentium Castrucium, Joannem de la Riviera, Aloysium Pileport, Peregrinum Perium, Joannem Andream Magnesium, Carolum Pratam,

Decretum cardinalis.

¹ Edit. Main. legit *emanata* (R. T.).

² Omnia referimus, prout sunt in editionibus Cherub et Main., lectoribus emendationem, si qua requiritur, dimitte: do (R. T.).

Vincentium Felicium, Georgium Pannum, Paulum Plinesnem, Andream Scottum et Franciscum Persichellum, hos duos exadverso principales ac procuratores deputatos universitatis regatteriorum Urbis exadverso principalium, Nicolaum patronum et D. Nicolaum Gallum procuratorem praedictorum Iosephi Constantini, Ioannis Petri Berrettae et omnium aliorum litis consortium exadverso principalium, Segnius sanctissimi domini nostri Papae cursor retulit in scriptis se die v huius personaliter supradictos D. Nicolaum Gallum, Andream Scottum, Franciscum Persichellum, Nicolaum Patronum, Aloysium Pileport, Ioannem Petrum Berrettam, Iosephum Constantinum et Laurentium Castruccium ac domi dimissâ copiâ alios¹ citasse ad comparendum coram eminentissimo domino die primâ iuridicâ horâ solitae audientiae et audiendum eius voluntatem, et loco voluntatis videndum per eundem eminentissimum dominum capi quamcumque provisionem, seu quodcumque decretum necessarium et opportunum fieri, et interponi ad primam diem, instantibus eisdem principalibus, sive, etc. Relatione factâ comparuit D. Franciscus Chiriacus, procurator, et petiit ut supra omni, etc.

Taxae pro annatis decursis et non solutis reductio.

§ 2. Ex tunc eminentissimus et reverendissimus dominus, pluries partibus auditis, utendo facultatibus sibi a sanctissimo domino nostro, in commissione de qua in actis, concessis, taxam annuorum scutorum decem in Brevi sanctae memoriae Urbani VIII contentam quoad coronarios, pro annatis decursis et non solutis, reduxit et reducit ad annua scuta tria monetae pro quolibet qui picturas vendiderit, et pro qualibet apothecâ, et in futurum mandavit et mandat solvi per eosdem coronarios, qui picturas ven-

¹ Forsan illos pro alios legendum (R. T.).

dunt, collective annua scuta vigintiquinque monetae inter eos dividenda, et ratam semestratim solvendam, cum hoc tamen quod teneantur et obligati sint constituere collectorem, qui onus exigendi praedicta scuta vigintiquinque in se suscipiat, illaque, seu ratam scutorum duodecim cum dimidio, ecclesiae et academiae praedictae solvendi, et quatenus huiusmodi collectorem constituere vel creare noluerint seu neglexerint, vel idem collector non solverit, tunc et eo casu teneantur et obligati sint in solidum pro dictâ solutione annuorum scutorum vigintiquinque, vel teneantur solvere pro dictâ taxâ scuta tria quolibet anno et pro qualibet apothecâ arbitrio academiae praedictae, hac tamen lege quod dicti coronarii retineant et vendant solummodo picturas adaptatas ornamentis per ipsos fieri solitis, et non alterius quantitatis seu magnitudinis.

§ 3. Quo vero ad propalas, qui picturas seu sculpturas cuiusvis generis retinuerint et vendiderint, pro annatis decursis et non solutis, eandem taxam annuorum scutorum decem reduxit et reducit ad annua scuta tria pro quolibet et qualibet apothecâ, et in futurum pro eadem taxâ mandavit solvi per universitatem regatteriorum, ac respective per camerarium et officiales pro tempore annua scuta quinquaginta, et sic scuta vigintiquinque pro quolibet semestri inter eos dividenda et exigenda a quolibet regatterio picturas seu sculpturas vendente, dummodo tamen dicti propalae seu regatterii, vel quilibet illorum, non retinuerint nec vendiderint, ac in futurum non retineant nec vendant picturas, seu sculpturas novas, illasque ad effectum vendendi emant vel fieri eurent; et si¹ dicti coronarii et regatterii vel quilibet eorum circa venditionem

Reductio pro regatteriiis, po-
nuntque in casu
transgressionis
pena.

¹ Male edit Main. habet *etsi* (n. T.).

picturarum seu sculpturarum non se continuerint, et in futurum non se contineant modo et formâ præmissis, eo casu voluit et mandavit, ac vult et mandat per quemlibet transgressorem (salvis taxis collective ut supra stabilitis) solvi scuta sex quolibet anno et pro qualibet apothecâ.

Reductio pro
lapidibus cal-
ceolaris, stuc-
catoribus, etc.

§ 4. Quo vero ad alios, nempe lapidicidas, calceolarios, colorum venditores, barbitonsores, sutores, stuccatores, onus depingi faciendi in se suscipientes, miniatores et alios cuiuscumque artis seu professionis, ac alterius cuiuscumque conditionis et qualitatis, apothecas picturarum seu sculpturarum cuiusvis generis retinentes, vel illas quovis alio modo venales exponentes, seu etiam privatim vendentes, eandem taxam annuorum¹ scutorum decem in prædicto Brevi sanctæ memoriæ Urbani VIII contentam, tam pro annatis decursis et non solutis, quam in futurum decurrendis, reduxit et reducit ad annua scuta sex pro qualibet apothecâ. Ad quam summam annuorum scutorum sex monetæ ad formam consensus congregationis generalis teneri voluit et declaravit, ac vult et declarat etiam ipsos academicos in nobili academiâ prædictâ descriptos, ac quoscumque alios eiusdem S. Lucae archiconfraternitati quomodolibet aggregatos, qui apothecas picturarum vel sculpturarum retinuerint, vel dictas picturas seu sculpturas venales exposuerint, ac in futurum retineant, vel illas quovis modo venales publice exponant, et ita, etc., non solum, etc., sed et omni, etc.,

FRANCISCUS card. BARBERINUS protect.;

Aliud decre-
tum cardinales
de annatis de-
curis et non
solutis.

§ 5. Item qualiter die iv decembris MDCXXIX² coram eodem eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Francisco Barberino pro venerabili ecclesiâ et

academiâ S. Lucae dominorum pictorum, sculptorum et architectorum Urbis, principalibus contra infrascriptos exadverso principales, videlicet dominos Laurentium Castruceium, Ioannem de la Riviera, Vincentium Felicium, Georgium Perannum, Ioannem Petrum Berrettam, Peregrinum Perium, Ioannem Andream Magnesium, Carolum Pratam, Paulum Plincesuem, Aloysium Pileport, Nicolaum Patronum, D. Nicolaum Gallum procuratorem dicti Ioannis Petri Berrettæ, et aliorum litis consortium exadverso principalium, Segnius sanctissimi domini nostri Papæ cursor retulit in scriptis se die iii huius, domi dimissâ copiâ, eosdem citasse ad comparendum coram eminentissimo domino die martis loco solitæ audientiae, et deducendum quidquid voluit et possunt, et informandum necnon videndum per eminentissimum dominum fieri quodcumque decretum necessarium et opportunum, instantibus eisdem principalibus, sive, etc. Relatione factâ comparuit D. Franciscus Chiriacus procurator supradictarum ecclesiae et academiæ sancti Lucae, et petiit ut supra, omni, etc. Ex tunc eminentissimus et reverendissimus dominus taxam annuorum scutorum decem in Brevi sanctæ memoriæ Urbani VIII demandatam, et in decreto per eminentiam suam facto sub die vii octobris proximi præteriti in vim commissionis sanctissimi ex plenâ signaturâ gratiæ sibi directæ redactam ad annua scuta sex tam pro annatis decursis, quam in futurum decurrendis, quoad pictores, seu alios legitime academiæ S. Lucae aggregatos, qui apothecas sculpturarum seu picturarum retinuerunt et retinent pro annatis decursis et non solutis, tantummodo reduxit et reducit ad iulios quatuor cum dimidio pro quolibet et qualibet apothecâ, et concessit facultatem

Eorum redu-
ctio.

¹ Edit. Main. legit *annorum* (R. T.).

² Forsan 1669 pro 1629 legendum (R. T.).

congregationi secretae eiusdem academiae cum aliis omnibus circa annatas decursas et non solutas concordandi, seu R. P. D. Carpineo, prout ei videbitur, circa dictas annatas decursas et non solutas providendi; in reliquis et quoad alios in omnibus et per omnia confirmavit et confirmat supradictum decretum, et taxam ut supra mōderatam in futurum mandavit solvi de semestri in semestre; et quoad regatterios, quatenus eorum universitas recuset solvere pro dictâ taxâ annua scuta quinquaginta collective, mandavit et mandat per eorum quemlibet et pro qualibet apothecâ solvi annua scuta tria de semestri in semestre, quatenus non vendant picturas novas, nec se diversimode contineant quam in praedicto decreto fuit provisum: et ita, etc., non solum, etc., sed omni, etc., et aliâs prout latius in supradicto decreto per dictum eminentissimum dominum cardinalem subscripto in folio, quod mihi notario consignavit tenoris, etc., et aliâs prout latius in actis meis, etc., ad quae, etc., in quorum fide, etc. Datum hac die XIX decembris MDCLXIX. Ita est.

IOSEPH MORUS curiae Capitolii not. ».

Pontifex supradicta decreta approbat et confirmat.

§ 6. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore cen-

sentis, supplicationibus eorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeserta a memorato Francisco cardinali facta, ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§ 7. Decernentes easdem praesentes litteras ac decreta praeserta semper firma valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores¹ pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III Iulii MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 Iulii 1670, pontif. anno I.

¹ Male edit. Main. legit *tenoribus* (R. T.).

XIV.

Licentia, ut fratres Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, etiam presbyteri, medicinae et chirurgiae periti, de suorum superiorum licentiâ, artes huiusmodi, ad commodum et utilitatem christianorum in Terrasancta existentium, possint exercere¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cum, sicut dilectus filius Iacobus Quintana a Iesu Maria, frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac Terraesanae in Romanâ curiâ commissariûs generalis, nobis nuper exponi fecit, in civitate sanctâ Hierusalem, totâque custodia Terraesanae dicti Ordinis, nullus adsit medicus vel chirurgus saecularis, qui infirmis et languidis in eorum infirmitatibus medeatur; ibi vero esse soleant fratres Ordinis praefati artium medicinae et chirurgiae periti, qui medicam chirurgicamque manum christianis infirmis adhibere possent;

Indulget ut artem medicinae et chirurgiae valeant exercere ut in rubrica.

§ 1. Nobis propterea dictus Iacobus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsius Iacobi desiderii hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fratribus dicti Ordinis artium medicinae et chirurgiae huius-

¹ Hactenus non impressa.

modi peritis, etiam in sacro presbyteratus Ordine constitutis, in Terrasanctâ praedictâ nunc et pro tempore commemorantibus, ut de superiorum suorum licentiâ artes medicinae et chirurgiae praedictas iuxta illarum praecepta ad commodum et utilitatem christianorum in eadem Terrasanctâ nunc et pro tempore existentium dumtaxat, gratis tamen et sine ullâ mercede, ac in casu necessitatis tantum, exercere, ac medicamenta et alia necessaria praebere et adhibere libere et licite, ac sine ullo conscientiae scrupulo, vel irregularitatis alteriusve poenae vel censurae ecclesiasticae incursu, possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Gratis sine ulla mercede, ac in casu necessitatis.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII Iulii MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 7 Iulii 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secretaria in libro Brevium mensis Iulii MDCLXX.

XV.

Indultum concessum generali et diffinitorio Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti, pro tempore existentibus, ut eundi facultate creandi abbates titulares eis per constitutiones Ordinis attributâ, etc.¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatorum curam gerentes, laudabilia eorum studia propositis praemiis excitare atque fovere, quantum nobis ex alto conceditur, satagamus.

Urbanus VIII prohibuit abbatas titulares in Congregatione Olivetana.

§ 1. Dudum siquidem per felicis recordationis Urbanum Papam VIII praedecessorem nostrum accepto, quod in Congregatione monachorum Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti ex multiplici abbatum titularium seu benemeritorum creatione seu deputatione nonnulla inconvenientia, non sine monasticae disciplinae et regularis observantiae detrimento, orirentur, idem Urbanus praedecessor, his obviare volens, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione suis, generali et aliis abbatibus, visitoribus, diffinitorio, et quibusvis aliis dictae Congregationis superioribus quocumque nomine nuncupatis, ne de cetero abbates titulares seu benemeritos in eâdem Congregatione quovis praetextu vel quaesito colore facere, creare, constituere seu deputare auderent vel praesumerent, sub privationis officiorum per eos obtentorum ac vocis activae et passivae eo ipso absque ullâ declaratione incurrendae et nullitatis poenis

¹ Nunc primum edita.

interdixit et prohibuit, et aliâs prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die xxvi ianuarii mdcxxvii expeditis, quorum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso⁴ ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius noster Caesar S. R. E. presbyter cardinalis Facchinettus nuncupatus, Congregationis praefatae apud nos et Sedem Apostolicam protector, nobis nuper exposuit, stricta illa Urbani praedecessoris prohibitio, quae salubri quidem consilio, ad excludendam ambitiosorum importunitatem, cavendaque rei familiaris atque regularis disciplinae detrimenta, emanavit, id tamen adferat incommodi, ut, praecisâ penitus spe praemiorum, monachos dictae Congregationis ad subeundos in obsequium ipsius Congregationis labores ac litterarum aliaque religiosa studia reddere possit segniores: nobis propterea dictus Caesar cardinalis et protector humiliter supplicavit ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eiusdem Caesaris cardinalis et protectoris desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, debitumque virtuti honorem et praemium rependi cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus abbati generali et diffinitorio Congregationis praefatae, ut facultate creandi abbates titulares, eis per constitutiones eiusdem Congregationis a Sede Apostolicâ confirmatas attributâ, uti libere et licite possint, ita tamen ut duos dumtaxat abbates titulares pro qualibet ex sex pro-

Preces cardinalis protectoris dictae Congregationis.

Indulget possit creare duodecim abbates titulares tantum.

⁴ Male edit. Main. legit *expressis* (R. T.).

Prohibet expectationes.

vinciis, quibus tota congregatio praefata constat, creare, illisque defunctis, alios duos in eorum loca subrogare valeant, expectativas autem concedere, aut abbates titulares supra numerum praefixum huiusmodi constituere nequeant, nec ad abbatiam titularem huiusmodi nisi eos, qui vel lecturam laudabiliter exercerint, vel verbi Dei praedicatione celebres, aut propter operam rei oeconomicae perfunctam de Congregatione praefata notabiliter benemeriti sint, promovere possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praefatis Urbani praedecessoris litteris, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis eiusque provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâ in suo robore permausuris, ad praemissorum effectum, haec vice dum-

taxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iulii MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 19 iulii 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium mensis iulii.

XVI.

Extensio concessionis officii et missae B. Rosae de S. Maria Tertiæ Ordinis sancti Dominici pro universo clero regnorum Poloniae, ducatu Lithuaniae, etc.¹.

§ 1. Aliâs felicis recordationis Clemens Papa IX, sub datâ XIV septembris MDCLXVIII, concessit universo Americae et Indiarum clero, tum saeculari tum regulari, utriusque sexus, cuiuscumque provinciae seu districtus, quod perpetuis futuris temporibus die XXVI augusti quotannis sub ritu duplici recitetur officium et missa celebretur de B. Rosa a S. Maria Limensi virgine tertiæ regulae S. Dominici iuxta rubricas brevii et respective missalis romani.

Indultum Clementis IX.

§ 2. Anno deinde sequenti MDCLXIX, die XXX octobris, idem Pontifex hoc suum indultum benigne extendit in perpetuum ad universum saecularem pariter ac regularem clerum Hispaniarum. Denique, post acceptam notitiam quod praememorata virgo Rosa, iam omnium ubique populorum solenni plausu devotissime honorata, utrumque tam veterem quam novum orbem in dies odoris sui fragrantia magis magisque implebat, idem sanctissimus hoc ipsum

Illius ampliatio.

¹ Beatorum albo adscripsit Rosam, eique officium et missam decrevit Clemens IX, Constit. XLV, tom. XVII, pag. 628.

indultum elementer ampliando, die IX novembris eiusdem anni MDCLXIX, universo saeculari et regulari clero utriusque sexus in omnibus augustissimo imperatori, regi catholico, domuique Austriae subiectis regionibus, provinciis, regnis atque dominiis ubivis locorum constituto paterne concessit ut supra, quod nempe singulis annis die XXVI augusti perpetuis futuris temporibus sub praefato ritu duplici recitetur officium et celebretur missa de eadem beatâ Rosa.

Extensio concessions de qua in rubrica.

§ 3. Porro SS. D. N. Clemens Papa X, habitâ pariter notitiâ communis illius devotionis, qua totius regni Poloniae, magni ducatus Lithuaniae, ditionum Russiae atque Borussiae, aliarumque dictae coronae subditarum regionum fideles venerationi eiusdem B. Rosae afficiuntur, instantiis eminentissimi domini cardinalis Ursini exoratus, illud ipsum praedecessoris sui indultum benignissime extendit ad universum pariter utriusque sexus tam saecularem quam regularem clerum Poloniae, Lithuaniae, Russiae, Borussiae, ceterorumque dominiorum ad Poloniae coronam pertinentium; concedens eidem universaliter et in perpetuum quod quotannis die XXVI augusti sub ritu duplici peragat officium et missam de B. Rosa a S. Maria iuxta rubricas missalis et breviarii romani. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Hac die XXVI iulii MDCLX.

M. episc. Portuensis card. GINETTUS.

Loco † sigilli

BERNARDINUS CASALIUS

sacrae rituum congreg. secretarius.

XVII.

*Confirmatio privilegii Leonis X favore
Congregationis eremitarum Camaldu-*

lensium Montis Coronae, ut, invitis monachis seu eremitis, in eorum ecclesiis episcopi locorum Ordinarii divina celebrare non possint¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Iniuncta nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut, paternam religiosorum virorum, eorum praesertim, qui, a saeculi turbis longe remoti, vota sua Altissimo mente quietâ et ad Deum per contemplationis sublimitatem atque suavitatem elevatâ reddere satagunt, curam gerentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad confvendam religiosam eorum tranquillitatem pie provideque concessa esse noscuntur, quo firmiter solidiusque perennent, apostolici muniminis nostri praesidio costabiliamus.

Prooemium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Congregationis eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, quod dudum felicis recordationis Leo Papa X, praedecessor noster, eidem Congregationi privilegium concessit, ut, invitis ipsius Congregationis monachis seu eremitis, in eorum ecclesiis episcopi locorum Ordinarii divina celebrare non possent; ipsumque privilegium unâ cum ceteris eiusdem Congregationis privilegiis pluries a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et novissime a recolendae memoriae Clemente Papa IX, motu proprio, per quasdam suas die XIX iulii MDCLXIX expeditas litteras, confirmatum fuit.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, privilegium praefatum dictae Congregationi ad conservandum in eâ solitudinis atque silentii spiritum maxime sit necessarium, attento quod

Causa indulti.

¹ Quae hactenus impressa non fuit.

eiusmodi functiones episcopales fieri non soleant sine erectione baldacchini ac populi affluentia, unde praefatorum eremitarum, inter silvas et nemora ut plurimum¹ degentium, monastica tranquillitas perturbaretur, simulque orationis atque contemplationis vigor relaxari posset: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eiusdem procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, privilegium supradictum memoratae Congregationi eremitarum Camaldulensium a praefato Leone concessum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illicque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Confirmat prout in rubricâ.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quancumque spectabit, inviolabiliter observari, necnon dictae Congregationi eiusque eremitis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii auditores, iudicari et definiri de-

¹ Videtur legendum plurimum pro plurium (A. T.).

bere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§ 2. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 augusti 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis septembris.

XVIII.

Alia extensio concessionis officii et missae B. Rosae de S. Maria Tertiâ Or-

dinis S. Dominici pro regnis et dominiis serenissimo regi catholico subiectis, necnon augusto imperatori et domui Austriacae.

Clemens Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad augendam in terris venerationem sacrarum virginum, quas caelestis sponsus virtutum omnium splendore fulgentes ad aeternae beatitudinis nuptias exivit, recte atque ordine facta esse noscuntur, ea nos pastoralis charitatis studio libenter ampliamus, sicut pia orthodoxorum regum vota flagitant, et nos, re mature perpensa, Dei gloriae, ipsarumque sacrarum virginum honori, et spirituali fidelium aedificationi conducibile fore in Domino arbitramur.

§ 1. Alias siquidem emanarunt a felicitis recordationis Clemente Papa IX praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, vide licet:

Tenor Brevis
Clementis IX.

Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam. Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui sacras virgines, sponsas suas, floribus multipliciter virtutum decoratas, inmarcescibilis gloriae praemiis donat in caelis, vices (licet immeriti) gerentes in terris, pia fidelium praesertim catholicorum regum vota, ad augendam illarum venerationem laudabili studio tendentia, libenter exaudimus, ac favoribus et gratiis prosequimur opportunis. Alias siquidem, diligentissime discussis atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de Sedis Apostolicae licentiâ confectis super vitae sanctitate et virtutibus in gradu heroico, quibus serva Dei Rosa de S. Maria virgo Limana Tertii Ordinis sancti Domi-

nici multipliciter claruisse, necnon miraculis, quae ad eius intercessionem a Deo patrata fuisse asserebantur, cum congregatio praedicta coram nobis constituta unanimiter censuisset, quando-cumque nobis videretur, ad solemnem eiusdem servae Dei Rosae canonizationem iuxta ritum eiusdem S. R. E. tuto posse deveniri, interim vero indulgeri ut in toto orbe terrarum Beata nuncuparetur: nos, piis atque enixis charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, ac charissimae in Christo filiae nostrae Mariannae reginae viduae eiusdem genitricis, et totius Ordinis sancti Dominici supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de praedictorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ indulsimus ut memorata Dei serva Rosa de S. Maria in posterum Beatae nomine nuncuparetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen processionibus circumferenda) exponerentur; imagines quoque radiis seu splendoribus exornarentur, atque de eâ sub ritu duplici recitaretur officium, et missa celebraretur de Virgine non Martyre singulis annis, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, die xxvi augusti, quae prima est non impedita post diem xxiv eiusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit: haec vero in locis dumtaxat infrascriptis, nempe in civitate et diocesi Limana, ac in universo Ordine sancti Dominici, tam fratrum quam monialium, et, quantum ad missas attinet, etiam a sacerdotibus confluentibus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die xii februarii proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut praedictorum Caroli

regis et Mariannae reginae nomine per dilectum filium nobilem virum modicum, marchionem de Astorga, eiusdem Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, nobis nuper expositum fuit, ipsi Carolus rex et Marianna regina, pro peculiari eorum erga B. Rosam praedictam devotionis affectu, ac ut spiritali populorum Americae, inde novus ille flos Ecclesiam universam suavi Christi odore recreans prodiit, consolationi atque aedificationi per amplius consulatur, indultum praedictum opportune a nobis extendi et ampliari plurimum desiderant: nos, laudabilia eorumdem Caroli regis et Mariannae reginae erga res sacras studia plurimum in Domino commendantes, piisque eorum precibus favorabiliter annuere paternâ benignitate cupientes, ut de cetero perpetuis futuris temporibus ab universo clero tam saeculari quam regulari quarumcumque provinciarum et regionum Americae et Indiarum dicto Carolo regi subiectarum officium et missa de eâdem B. Rosa, servatâ tamen in omnibus et per omnia praedictarum litterarum nostrarum formâ et dispositione, recitari et celebrari respective libere et licite possit et valeat, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris nostris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsis praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub

annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno I.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus marchio de Astorga, dicti Caroli regis pariter apud nos et Sedem Apostolicam orator, memoratorum Caroli regis et Mariannae reginae viduae nomine nobis nuper exponi fecit, praedicta Rosa de S. Maria, iam omnium ubique populorum solemnî plausu devotissime honorata, utrumque tam veterem quam novum orbem sui odoris fragrantia in dies magis magisque impleat, cupiantque propterea dicti Carolus rex et Marianna regina, pro singulari eorum erga eandem B. Rosam devotione, indultum a praedicto praedecessore per litteras praesertas concessum ad conservandam promovendamque fidelium pietatem opportune a nobis extendi et ampliari: nos, enixis devotisque eorumdem Caroli regis et Mariannae reginae precibus nobis super hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, ac memorati Clementis praedecessoris vestigiis inhaerentes, ut de cetero perpetuis futuris temporibus ab universo clero tam saeculari quam regulari utriusque sexus, per omnes provincias, regna, status, regiones et dominia ubivis locorum dictis Carolo regi et charissimo in Christo filio nostro Leopoldo Romanorum regi illustri in imperatorem electo domuique Austriacae subiecta, officium et missa de memoratâ B. Rosa virgine Limana Ordinis sancti Dominici quotannis, die XXVI augusti, sub ritu duplici, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, recitari et celebrari respective libere pariter et licite valeat, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus similiter et indulgemus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae dictus Cle-

Extensio de qua in rubricâ.

Derogatio contrariorum.

mens praedecessor in suis litteris praedictis concessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transcriptio-
rum fides.

§ 5. Ceterum volumus pariter ut eorundem praesentium litterarum transcriptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xi augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 11 augusti 1670, pontif. anno 1.

XIX.

Confirmat decretum electionis B. Rosae in regni Peruani patronam a Clemente IX emanatum, quod ad singulas provincias, regna et regiones terrae firmae totius Americae, Philippinarum et Indiarum extendit¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti apostolatus cura, quam inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, imponere dignata est, nos urget ut piis orthodoxorum regum votis, ad augendam in terris sacrarum virginum cum caelesti sponso in beatâ aeternitate regnantium venerationem tendentibus, favorabilem assensum paterno affectu praebeamus.

Institutum Cle-
mentis IX.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster B. Rosam de S. Maria, virginem Limanam, tertii Ordinis sancti Dominici,

¹ Rosam Beatæ titulo insignivit, eique officium et missam decrevit Clemens IX Const. XLV.

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

10

in patronam principalem civitatis Regum, seu Limanae, totiusque regni Peruani, cum omnibus praerogativis, quae patronis principalioribus debentur, auctoritate apostolicâ elegit et declaravit, et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

§ 2. *Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.* Orthodoxorum regum de Ecclesiâ Dei multis nominibus optime meritorum studia, quibus christianorum populorum erga beatos regni caelestis incolas devotio atque pietas fovetur, apostolico favore libenter prosequimur, sicut spirituali eorundem populorum consolationi atque praesidio conducibile in Domino arbitramur. Cum itaque nos, per nostras in simili formâ Brevis die xii februarii proximi praeteriti emanatas litteras, B. Rosam de S. Maria, v'rginem Limanam, tertii Ordinis sancti Dominici, multiplici virtutum decore florentem, inter Beatas apostolicâ auctoritate iuxta huius Sanctae Sedis ritum retulerimus, aliaque ad eiusdem B. Rosae honorem et venerationem statuerimus et indulserimus, prout in eisdem litteris continetur;

et, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici et carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae reginae viduae eius genitricis per dilectum filium nobilem virum modernum marchionem de Astorga eiusdem Caroli regis apud nos et Sedem praedictam oratorem nobis nuper expositum fuit, quod¹ ipsi Carolus rex et Marianna regina (ut eidem B. Rosae, quam caelestis sponso tot charismatum decoravit monilibus, tot virtutum ornavit floribus, tantâque et tam late sparsâ de unguentorum suorum

Cuius tenor
hic refertur.

¹ Particula *quod*, praeter syntaxis rationem intrusa, delenda (R. T.).

odore imbuit fragrantia, ut ex Dei servis, quos occidentales Indiae protulerunt, prima publici cultus honore per hanc sanctam Sedem decorari meruerit, venerationis fiat accessio, et ex illius intercessione tanto potentius partium illarum populi patrocinium sperent, quanto populi ipsi illam crebriori interiorque devotione colere atque honorare studuerint) ipsam B. Rosam in patronam principalem civitatis Limanae, seu Regum, totiusque regni Peruani eligi et declarari summopere desiderent: nos, quamvis constitutiones apostolicae et decreta congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum vetent beatorum huiusmodi nondum canonizatorum electiones in patronos principales, ac requisita necessaria pro eiusmodi electione valida desint; nihilominus, piis enixisque eorumdem Caroli regis et Mariannae reginae, magno in ecclesiam Dei meritorum splendore fulgentium, precibus, nobis super hoc humiliter porrectis, pro praecipuo paternae nostrae in eos charitatis affectu duximus annuendum. Itaque memoratam B. Rosam de S. Maria in patronam principalem civitatis Regum, seu Limanae, et totius regni Peruani praedictorum, cum omnibus praerogativis quae patronis principalibus debentur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, eligimus et declaramus; ipsiusque B. Rosae festum in universo regno huiusmodi ut¹ de patrona principali ab omnibus utriusque sexus christifidelibus illic degentibus de praeecepto servari, et sicut alia festa de praeecepto celebrari, eiusque officium ab universo clero, tum saeculari tum regulari, ut² de principali patrona iuxta

¹ Particulam *ut* addimus ex ed. Cherub. (R. T.).

² Iterum particulam *ut* addimus ex edit. Cherubini (R. T.).

rubricas breviarii Romani inibi recitari, auctoritate et tenore praedictis mandamus. Non obstantibus quibusvis decretis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut eorumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 11 ianuarii MDCLXIX, pontificatus nostri anno II.

§ 3. Cum autem, sicut praedictus marchio de Astorga, dicti Caroli regis pariter apud nos et Sedem Apostolicam orator, eorumdem Caroli regis et Mariannae reginae viduae nomine nobis nuper exponi fecit, quod¹ ipsi Carolus rex et Marianna regina, fovendae et propagandae fidelium erga eandem B. Rosam devotioni laudabili pietate studentes, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras ad universa Americae et Indiarum loca a nobis extendi plurimum desiderent: nos, gloriosae B. Rosae praedictae, quae Ecclesiam universam bono Christi odore longe lateque perfundit, merita magno cum spirituali animi nostri gaudio recolentes, piisque et devotis dictorum Caroli regis et Mariannae reginae supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, ac memorati Clementis praedecessoris vestigiis inhaerentes, eandem B. Rosam de S. Maria in universam et principalem patronam omnium et singularum provinciarum, regnorum, insu-

Et modo hic Pontifex confirmat prout in rubrica.

¹ Particula *quod* delenda (R. T.).

larum et regionum terrae firmae totius Americae, Philippinarum et Indiarum, cum eisdem praerogativis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, eligimus pariter et declaramus; ipsiusque B. Rosae festum ibidem tamquam de patronâ principaliori ab omnibus utriusque sexus christifidelibus illic degentibus de praeecepto servari, et sicut alia festa de praeecepto celebrari, eiusque officium et missam ibidem ab universo clero, tam saeculari quam regulari, sicut¹ de principaliori patronâ, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, recitari et celebrari, eâdem auctoritate harum serie similiter mandamus: firmis tamen simul remanentibus particularibus patronatibus, si qui sint pro aliquâ vel aliquibus civitatibus aut locis praedictarum regionum aliâs legitime constitutis². Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae praedictus Clemens praedecessor in suis litteris prainsertis concessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Ceterum volumus pariter ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 augusti 1670, pontif. an. I.

XX.

Indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis fratrum et monialium B. Virginis

¹ Vocem *sicut* addimus ex ed. Cherub. (R. T.).

² Aptius edit. Cherub. legit *constituti* (R. T.).

Mariae de Monte Carmelo pro festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

, Agni immaculati, qui sacras virgines sponsas suas spiritualium charismatum donis multipliciter decoratas aeterno sibi consortio in caelis sociavit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, caelestes Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem nobis credidit Deus, libenter erogamus, ut fidelium erga easdem beatas virgines devotio, eiusmodi muneribus incitata, multipliciter in dies, benedicente Domino, proficiat incrementis.

§ 1. Itaque gloriosae beatae Mariae Magdalenae de Pazzis monialis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quam felicis recordationis Clemens Papa IX ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum, solemniter Sanctam esse auctoritate apostolicâ decrevit et definivit et Sanctarum catalogo adscripsit, merita intra mentis nostrae arcana devotâ consideratione recolentes, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum (etiam Discalceatorum nuncupatorum) quam monialium dicti Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo haecenus erectis et in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo eiusdem S. Mariae Magdalenae de Pazzis, nempe xxv maii, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiam, haeresum extirpationem, ac sanctae Matris

Exordium.

Sanctificatio S. Mariae Magdalenae de Pazzis a Clemente IX praedecessore expleta

Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptorum fides.

§ 2. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 11 augusti 1670, pontif. an. I.

Registrata in Secretaria Brev. in lib. mensis augusti.

XXI.

Decretum, quod procurator generalis seu zelosus totius Ordinis Minimorum interveniat in comitiis generalibus ubique locorum, et in illis suffragium ferat¹.

Clemens Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus de Consentia, procurator generalis seu zelosus Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, quod in eodem Ordine singulis sexennis capitulum generale plenissimum, pro eligendis correctore generali eiusque collegis ne non procuratore generali Ordinis huiusmodi quem vocant

¹ Antea non impressum.

zelosum, celebrari solet; huiusmodi autem procurator generalis, sive zelosus, ex praescripto specialis cuiusdam regularis statuti generalibus comitiis intervenire debet ad suffragandum in iis tamquam unus ex capitularibus, dummodo tamen eadem comitia in almâ Urbe, vel in circuitu celebrari contingat, prout in correctorio dicti Ordinis, capit. x, num. 93, contineri dicitur.

§ 1. Porro in primordiis eiusdem Ordinis, quando praefatum correctorium acceptatum fuit, saepius generalia comitia Romae celebrari consueverunt ex liberâ designatione fieri solitâ in singulis capitulis generalibus, in quibus ex praescripto eiusdem correctorii locus proxime celebrandi capituli generalis assignari debet.

§ 2. Verum progressu temporis mos inolevit, quo in singulis comitiis generalibus alternatim assignari solet locus futuri capituli generalis, semel nimirum in Italia, et tunc in civitate Iannensi, semel in Galliâ, et tunc in conventu Massiliensi, et semel in Hispania, et tunc in conventu Barchinonensi, ex quo fit ut procurator generalis suo semper voto frustretur, cum nunquam in Urbe ex introductâ iam consuetudine capituli generalis celebratio praescribi et assignari soleat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plurimum referat procuratorem generalem capitulis generalibus dicti Ordinis interesse ad dandam inibi informationem eorum quae in Romanâ Curia in sexennio sui officii erga Ordinem huiusmodi facta et disposita sunt, eaque ad universalem Ordinis notitiam in actibus capitularibus inserenda, nec tamen a tempore, quo capitula generalia huiusmodi extra Urbem praedictam celebrata sunt, procuratores generales, sive zelosi, ad illa accedere con-

Capitulum generale olim saepius Romae celebrari consuevit.

Nunc ubi celebrari soleat.

In eo procurator generalis, sive zelosus, votum non habet.

sueverint, quippe voti sive suffragii in illis ferendi praerogativâ destituti; quod profecto inconveniens videtur, cum dictis capitulis generalibus intersint collegae generales, quorum successores ibidem, quemadmodum et successor procuratoris generalis, eligi solent, et plerumque aliorum Ordinum procuratores generales illorum capitulis generalibus interesse consueverint :

Supplicatio
procuratoris ge-
neralis pro se
et successoribus.

§ 4. Nobis propterea dictus Petrus procurator generalis sive zelosus humiliter supplicari fecit ut sibi suisque in officio successoribus opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur.

Mandat im-
posterum pro-
curatores genera-
les in dictis ca-
pitulis votum
habere ubicum-
que celebrentur.

§ 5. Nos igitur, ipsum Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium nostrum Flavium tituli Sanctae Mariae de Populo eiusdem S. R. E. cardinalem Chisium nuncupatum, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, audiverunt, consilio, ut in posterum praedictus Petrus, eiusque successores procuratores generales, quos vocant zelosos, praedicti Ordinis fratrum Minorum, quibuscumque capitulis generalibus eiusdem Ordinis, ubicumque celebrentur, respective interveniant, et in illis suffragium ad instar aliorum capitularium ferant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et in-

dulgemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorundem cardinalium.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiii augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 13 augusti 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secret. Brev. in lib. mensis augusti part. II, fol. 286.

XXII.

Confirmat sententiam Ordinarii Gienensis lalam super cultu ab immemo-

rabili tempore exhibito sancto Petro Paschasio de Valentia, martyri Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, episcopo Giennensi, ac decretum sacrorum rituum congregationis illam approbans.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Proemium

Ecclesiae catholicae regimini meritis licet imparibus per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam praesidentes, illa, quae a catholicis antistitibus in partem sollicitudinis nostrae vocatis super cultu et veneratione beatorum martyrum, qui, bono certamine peracto, victores coronam iustitiae ab agonothetâ Christo Iesu Domino nostro in caelis acceperunt, recte atque ordine facta esse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocínio libenter constabilimus.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, quod aliàs a venerabili fratre Ferdinando de Andrade et Castro, olim archiepiscopo tunc episcopo Giennensi, super cultu immemorabili beato Petro Paschasio de Valentia martyri¹ ex Ordine praedicto, episcopo Giennensi, exhibito, et casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in congregatione sanctissimae inquisitionis adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica institutâ super non cultu editis, emanavit sententia definitiva tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor sententiae.

§ 2. « Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de iurispritorum consilio ferimus in his scriptis in causâ et câusis servi Dei beati Petri

1 Edit. Main. legit *martyre* (n. r.).

Paschasii de Valentia martyris ex Ordine B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum episcopi Giennensis, inter admodum reverendum patrem magistrum fratrem Melchiorrem de Torres pro Baeticâ provinciâ electorem atque procuratorem in hac causâ a reverendissimo patre magistro fratre Ildefonso de Sotomayor totius Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum magistro generali legitime constitutum, et Petrum Verbel presbyterum et promotorem in hac causâ de et super cultu immemorabili et extra centum annos ipsi Beato exhibito ac casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani VIII in sanctissimâ inquisitione super non cultu editis; visis litteris deputationum sub die xx mensis iunii anno Domini MDCLII a nobis factis et relaxatis in personis doctoris domini Didaci Domedel et Quesada magistri scholarum et portuarii sanctae nostrae cathedralis Giennensis ecclesiae, iudicis delegati, et domini Ferdinandi de Nava in sacrâ theologiâ doctoris et eiusdem sanctae ecclesiae canonici poenitentiarum, et domini Nicolai de Adarue in iure canonico licentiati et eiusdem Giennensis canonici doctoralis adiunctorum, ac Petri Verbel promotoris, et aliis nostris et eorundem deputatorum decretis; visis depositionibus testium coram ipsis delegatis legitime inductorum, iuratorum et examinatorum; visis scripturis ac iuribus productis et compulsatis; visâ constitutione procuratoris; viso toto processu, et visis videndis, atque examinatis examinandis; Christi nomine repetito: dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus et diffinitive sententiamus constare servo Dei beato Paschasio de Valentia martyri¹, ex Ordine B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, episcopo Giennensi,

1 Edit. Main. legit *martyre* (n. r.).

nensi, cultum exhibitum esse a centum annis et supra et ad praesens exhiberi, et hoc scientibus ac tolerantibus Ordinariis Giennensi et Granatensi, et eandem causam istam versari in casu excepto a decretis felicitis recordationis Urbani VIII super non cultu editis, et propterea in hac causâ dictis decretis nullo modo esse vel fuisse contravenitum: et ita dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus et definitive sententiamus. Non solum praemisso, sed omni meliori modo pronunciaui ego Ferdinandus archiepiscopus episcopus Giennensis. Lata et lecta fuit praesens sententia per illustrissimum et reverendissimum dominum D. Ferdinandum de Andrade et Castro archiepiscopum episcopum Giennensem pro tribunali sedendo in suo loco solitae audientiae, et per me infrascriptum notarium causae promulgatae citato, praesente ac intelligente Petro Verbel presbytero fiscali promotore die xxxi mensis martii anno Domini MDCLXV, praesentibus etiam ibidem multis, et nominatim domino Gabriele de Flores et Antonio de Espinosa presbytero, testibus vocatis et rogatis. Actum fuit praedictâ die xxxi mensis martii, hora tertiâ post meridiem. Et ego notarius huius causae publicus et apostolicus fidem facio.

LUDOVICUS A DELGADO

notarius publicus et apostolicus ».

Confirmatur
prout in rubrica.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus procurator generalis sententiam praedictam, quo firmitus subsistat, apostolicae approbationis nostrae praesidio communiti et aliâs opportune in praemissis a nobis provideri plurimum desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis, ac iure, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et in-

terdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum, qui, proposito dubio, an sententia praeserta esset confirmanda vel infirmanda in vim processus ab Ordinario Giennensi peracti, causam mature discussissent, et prius in scriptis et voce dilectum filium promotorem fidei audiverunt, ac quasdam anonymas scripturas contra dictam causam eorum congregationi porrectas viderunt et considerarunt, consilio, praesertam Ordinarii sententiam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus. Ideoque constare de culto memorabili eidem B. Petro Paschasio episcopo Giennensi Ordinis B. Mariae de de Mercede redemptionis captivorum exhibito, et casu excepto a decretis dicti Urbani praedecessoris, ac ad ulteriora in causâ ad formam decretorum eiusdem Urbani praedecessoris et sanctissimae inquisitionis procedi posse, auctoritate et tenore praesentis¹ declaramus et decernimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorundem cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praes-

Et secundum
eam indicari
mandatur.

¹ Forsan praedictis pro praesentis legendum (R. T.).

missis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiv augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 14 augusti 1670, pontif. anno 1.

XXIII.

Indultum de missa et officio in Polonia, Lithuania et alibi a patribus Societatis Iesu et aliis, in honorem beati Stanislai Kostkae die XIII novembris recitandis.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In apostolicae dignitatis fastigio, ad quod ineffabilis divinae clementiae abundantia humilitatem nostram nullo meritum nostrorum suffragio evehere dignata est, pastorem sollicitudinem Ecclesiae catholicae nobis creditae omni studio, quantum nobis ex alto conceditur, repraesentare iugiter satagentes, pia fidelium, praesertim sublimium principum praeclaris in Ecclesiam Dei me-

ritis fulgentium, et religiosorum virorum propriae alienaeque saluti laudabiliter incumbentium vota, ad augendam in terris beatorum in caelis regnantium venerationem tendentia, libenter exaudimus, sicut ad omnipotentis Dei et Patris Domini nostri Iesu Christi, qui electos suos devotione supra aetatem et virtute supra naturam instruit, gloriam, sanctaeque Ecclesiae decus, et spiritualem fidelium aedificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§ 2. Itaque gloriosa beati Stanislai Kostkae Poloni Societatis Iesu merita devota consideratione magnoque cum spirituali animi nostri gaudio recolentes, ac piis enixisque carissimi in Christo filii nostri Michaëlis Poloniae regis illustri et dilectorum filiorum praepositi generalis et presbyterorum dictae Societatis precibus nobis humiliter porrectis favorabilem assensum praebere cupientes, ipsorumque praepositi generalis et presbyterorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de dicto beato Stanislao Kostka quotannis die XIII novembris in universo regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae, necnon in in ecclesia S. Andreae in Monte Quirinali huius almae Urbis nostrae ubi eiusdem beati Stanislai corpus requiescit, ac omnibus et singulis ecclesiis dictae Societatis Iesu, missa etiam a sacerdotibus eo die ad ecclesias huiusmodi confluentibus et a religiosis eiusdem Socie-

Indulget prout in rubrica.

tatis ubicumque terrarum existentibus celebrari et officium recitari de communi Confessorum non Pontificum iuxta rubricas breviarii et missalis romani libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Contrariis de
rogat.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto-
rum fides.

§ 3. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii dictae Societatis vel notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae, vel praepositi aut vicarii generalis eiusdem Societatis pro tempore existentis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 augusti 1670, pontif. anno I.

XXIV.

Decretum emanatum in congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo domino nostro domino Clemente divina providentiâ Papa X ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolica specialiter deputatis.

Feria V die XXI augusti MDCLXX.

Decretum.

Cum aliâs per sacram congregationem S. Officii iteratis instructionibus ab eadem emanatis de anno MDCLVII

et MDCLXV, locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit ut, praescriptis interrogatoriis faciendis testibus qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero coniuge, aut aliâs impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus sanctissimus dominus noster quamplures locorum Ordinarios, vel eorum vicarios et deputatos ad excipiendas testium depositiones, necnon parochos et notarios, in casibus expressis aut omittere aut non observare earundem instructionum tenorem, et, licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus:

§ 1. Ideo, volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature consideratâ cum eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus, generalibus inquisitoribus, praesenti decreto perpetuis futuris temporibus duraturo iterum iniungit omnibus vicariis seu deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, necnon parochis, notariis et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio sacrae congregationis, ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Pontifex man-
dat observari.

§ 2. Ut autem praesens decretum et instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit illa ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae apostolicae ac in acie Campi Flore de Urbe ac palatio S. Officii eiusdem Urbis per aliquem ex cursoribus Sanctitatis Suae publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere ac aretare ac si

Et publicari.

illorum uniuersis personaliter notificata et intimata fuissent.

Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in curiâ eminentissimi et reuerendissimi domini cardinalis Urbis vicarii, quam in aliis curiis ceterorum Ordinariorum.

i. Inprimis testis moneatur de gravitate iuramenti in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana maiestas laeditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam et gravitatem, et quod imminet poena treremium et fustigationis deponenti falsum.

ii. Interrogetur de nomine, cognomine, patriâ, aetate, exercitio et habitatione.

iii. An sit civis vel exterus, et, quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

iv. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus: si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

v. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

vi. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis vel conditionis existant.

Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

vii. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentiâ

contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu de eo tempore quo permanserunt in suâ civitate vel dioecesi. Ad probandum vero eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestaciones Ordinariorum locorum in quibus contrahere volentes moram traverunt.

Si vero responderit contrahere volentes esse cives,

viii. Interrogetur sub qua parochiâ hactenus contrahere volentes habitaverunt vel habitent de praesenti.

Item an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliquâ religione approbatâ, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum neque aliud impedimentum ut supra,

ix. Interrogetur de causâ scientiae, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem vel maritum vel aliud impedimentum, etc., et quod ipse testis nesciat.

Si responderit affirmative, superseatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum, etc.

Si vero responderit negative,

x. Interrogetur de causâ scientiae, ex

qua deinde index colligere poterit an testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos,

XI. Interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certâ ecclesiâ, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti praedecesserunt, vel a rectore ecclesiae in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, sacra congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

XII. Interrogetur an, post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negative,

XII. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

Si responderit affirmative, superseadeatur in licentiâ donec producantur testes, per quos negativa coaretetur concludenter.

Si vero negative,

XIV. Interrogetur de causâ scientiae, qua perpensâ, iudex poterit indicare, an sit concedenda licentia vel ne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis servatâ formâ Concilii Tridentini in cap. *Multi*, sess. XXIV.

Fides aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manuum et sigillum, et attente consideretur quod¹ fides seu testimonia bene et concludenter identificent² personas de quibus agitur.

Pro testibus in hac materiâ recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri; nec admittantur homines vagi et milites, nisi datâ causâ et maturo consilio; et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausulâ, *michi bene cognitus*, sin minus, examen non recipiat, nisi unâ cum personâ testis aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. Et huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe, intra notarium, officialis specialiter deputandus ab eminentissimo vicario; si extra Urbem, vel vicarius episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea ab episcopo specialiter deputanda: aliâs puniatur notarius arbitrio sacrae congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis nisi certiorato Ordinario, a quo, vel eius generali vicario, prius teneantur authenticam reportare quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, etc.

¹ Partic. quod addimus ex ed. Cherub. (R. T.).

² Forsan *indicent* vel *significent* pro *identificent* legendum (R. T.).

Contravenientes autem severe puniuntur.

Anno a nativitate domini nostri Jesu Christi MDCLXX, indictione VIII, die vero xxx mensis augusti, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Clementis divina providentiâ Papae X anno 1, supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Principis Apostolorum, cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe, ac palatii S. Officii eiusdem Urbis per me Petrum Paulum Desiderium, eiusdem sanctissimi D. N. Papae et sanctissimae Inquisitionis cursorem.

XXV.

Confirmatio nonnullorum decretorum capituli generalis Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti de conditionibus circa electionem et administrationem officii procuratoris generalis observandis¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex iniuncti nobis divinitus pastoralis officii debito, illa, quae a congregationibus religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi vitae monasticae iugo mancipatorum pro felici earum regimine et gubernio provide facta esse noscuntur, ut firma semper atque inviolabilia persistant, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis nostri praesidio roboramus.

Decretum capituli generalis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, quod in capitulo generali dictae Congregationis, mense maio proxime praeterito Mantuae celebrato, edita

¹ Ne pluries dicta otiose repetam, te remitto ad ea quae notavi ad Const. CDXXXVI, *Sancta mater*, Urbani VIII, tom. XIV, pag. 284.

et facta fuerunt nonnulla decreta et ordinationes seu conditiones tenoris qui sequitur, videlicet:

I. « Cum a patribus capituli generalis celebrati in monasterio S. Benedicti de Mantua unanimi consensu sancitum sit, ut, ad evitandas expensas ac itinerum incommoda, capitulum generale, quod a constitutionibus nostris singulis annis celebrandum mandatur, imposterum altero quoque anno ad mentem felicitis recordationis Alexandri Papae VII cogi debeat: idecirco, quo praefato patrum decreto maius robur accedat, patri procuratori generali iniungimus, ut, cum primum Romam accesserit, a sanctissimo D. N. eiusdem decreti confirmationem per Breve speciale impetrare solerter studeat.

II. Et quoniam eminentissimus cardinalis protector, praevis SS. D. N. beneplacito, facultatem patribus capituli generalis concessit, ut pro suo arbitrio idem capitulum pro hac vice tantum ad procuratoris generalis munus unum ex abbatibus regiminis eligere posset, cognoscentes patres summopere Congregationi expedire, ut hoc ipsum in perpetuum (sub certis tamen conditionibus ac limitationibus inferius exprimendis) inviolatae executioni demandetur, omnes unanimiter decreverunt quod in futurum ad praedictum procuratoris generalis officium nonnisi unus ex abbatibus regiminis (prout ab aliis novem congregationibus monasticis servatur) assumi possit. Propterea praedicto patri procuratori generali mandamus ut huiusce decreti confirmationem per Breve speciale a SS. D. N. studeat impetrare.

III. Conditiones servandae circa electionem et administrationem officii procuratoris generalis, si SS. D. N. placuerit quod procurator generalis ex abbatibus de regimine eligatur:

I. Procurator generalis sit alius abbas ab abbate S. Pauli de Urbe, inter quos servandam mandamus provinciarum alternativam perinde ac si⁴ ad praedictum procuratoris generalis officium unus ex prioribus claustralibus promoveretur.

II. Idem procurator in quolibet generali capitulo secretis patrum calculis exponi debeat, ac per secreta abbatum suffragia confirmari, prout in constitutionibus.

III. Ad officium procuratoris generalis nullus assumatur, qui per integrum biennium abbas de regimine non fuerit; et, quousque in officio procuratoris generalis permanserit, eligi non possit in diffinitorem, nec in visitatorem, nec ullo modo ad dictam celebrandam admitti valeat.

IV. Eligatur dictus procurator per secreta omnium abbatum, qui generali capitulo intererunt, suffragia, eo prorsus modo eaque forma quibus diffinitores eliguntur; itant quilibet abbas praedicti officii capax sigillatim totius capituli scrutinio subiaceat.

V. Procurator in eo capitulo generali, in quo procuratoris officium expleverit, aut ab eo se abdicaverit, vel quoquo modo absolutus fuerit, ad diffinitoris atque visitatoris munus assumi non possit, neque eligi in abatem sive administratorem S. Pauli de Urbe. Quemadmodum firmiter statuimus, quod abbas S. Pauli, immediate postquam praedictae abbatiae regimen reliquerit, nullo pacto in procuratorem generalem eligi possit.

VI. Durante procuratoris generalis officio ipse procurator nullam abbatiam de regimine administret, sed titulari tantum abbatia sit insignitus.

VII. Praesidens generalis et procurator in curia non possint esse unius

⁴ Particulam *si* addimus ex ed. Cherub. (R.T.).

et eiusdem monasterii professi, nec duo abbates eiusdem monasterii professi possint immediate unus post alium ad procuratoris officium promoveri.

VIII. Quanto tempore quis procuratoris officio functus fuerit, tanto etiam ab ipso cessare debeat ut iterum ad idem munus assumi possit.

IX. Sive ob mortem sive ob alias causas quis ab officio generalis procuratoris vacaverit, aut amotus fuerit, eius vices exequatur abbas S. Pauli usque ad proximum capitulum generale: inviolato tamen perseverante statuto, quod abbas S. Pauli de Urbe ad procuratoris officium eligi nequeat.

X. Procurator generalis more solito iuramentum in manibus diffinitorum praestet, quod nullas dispensationes ad gradus, dignitates, officia, aliaque nostris constitutionibus repugnantia, tam pro se, quam pro aliis quibuscumque nostris religiosis, cuiuscumque conditionis fuerint, impetrabit, aut impetrare sive obtinere tentabit: quod si contigerit ad praedictum procuratoris officium eligi abbatem a capitulo generali absentem, hoc ipsum iuramentum, cum primum Romam pervenerit, infra octo dierum terminum in manibus abbatis S. Pauli praestare, et de huius decreti executione patrem praesidem certiore facere teneatur.

XI. Bis in anno procurator generalis rationem dati et accepti abbatibus S. Pauli de Urbe, ac S. Mariae de Farfa, et computa in scriptis reddere et exhibere teneatur cum assistentia minus computatoris a diffinitorio designandi. Quod si hoc neglexerit, graviter in ipsum a capitulo generali vel diaeta animadvertendum esse mandamus.

XII. Cum autem patres visitatores monasterium S. Pauli de Urbe visitabunt, procurator generalis annua computa ac dati acceptique rationes ad procurato-

rem generalem pertinentes ipsis visitatoribus reddere teneatur; libros vero, in quibus praedicta continentur, ad capitulum generale deferat, quo a diffinitoribus diligenter examinari valeant.

xiii. Capsa procuratoria penes computatorem minime sit, sed penes alium a diffinitoribus designandum.

xiv. Computator Congregationis nullam audeat pecuniae summam expendere, aut creditoribus exsolvere, sine mandato in scriptis patris procuratoris generalis manu signato.

xv. Quotiescunque contigerit aliquam reductionem ad minus intersumum, sive aeris alieni extinctionem fieri, computator Congregationis, pro tempore existens, talis reductionis sive extinctionis instrumentum intra mensem ad monasterium, ad cuius beneficium fuerit facta reductio vel extinctio, transmittere teneatur, poenam depositionis et inhabilitatis ad omnes gradus, si secus egerit¹, puniendus.

xvi. In computatorem Congregationis nemo imposterum eligatur qui decaniam de regimine actu non sit insignitus.

Horum omnium et singulorum, ut supra, constitutionem procurator generalis per Breve speciale nomine totius Congregationis a SS. D. N. impetrare curet, in quo Breve declaretur nulla et invalida electio procuratoris generalis, in qua haec omnia et singula servata minime fuerint.

Volumus tandem, quod praesens procurator generalis iuramentum in manibus diffinitorum praestet, quod quantum sua interest praedictum Breve a SS. D. N. omni meliori via et forma obtinere solerter studebit ».

Confirmat pro-
ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator ge-

neralis praemissa, quo firmiter subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communitur plurimum desideret: nos, specialem ipsi procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet immodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula praeinserta decreta et ordinationes seu conditiones, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 5. Decernentes praeserta decreta, ac ordinationes, seu conditiones, ac easdem praesentes litteras, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum ir-
rogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudini-

Contrariis de-
rogat.

¹ Edit. Main. legit *exegerit* pro *egerit* (R. T.).

bus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem; ræsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsi praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 augusti 1670, pontif. anno I.

XXVI.

*Privilegia, indulta, gratiae et exemptiones nonnullis Sanctitatis Suae familiaribus concessae*¹.

Clemens Papa X.

Venerabilibus fratribus, Stephano Ugolino, Costantinopolitano, Federico Borromaeo, Alexandrino, secretario Status, Iacobo Altovito, Antiocheno, et Camillo Maximo, Hierosolymitano, patriarchis, cubiculi nostri praefecto, ac Iacobo de Angelis, olim Urbinatensi, Francisco Mariae Phoebaeo, Tarsensi, Bernardino Roccio, Damasceno, palatii nostri apostolici praefecto, Stephano De Augustinis, Heracleae, elemosynario secreto, Gaspari Carpineo, Nicaeno, datario, et Nestori Ritae, Sebastensi, archiepiscopis, necnon Camillo Piazza, Dragoniensi, Honuphrio de Hippolytis,

¹ Similia privilegia concessit Clemens IX Constit. LX, *Circumspecto*, tom. XVII, pag. 661.

Porphyriensi, et Iosepho Eusanio, Helenopolitano, episcopis, sacrarii nostri praefecto, ac dilectis filiis magistris Francisco Mariae Antaldo Urbinatensis, Ioanni Muto de Papazurris Romanae, Bernardino Casali Romanae, Ioanni Baptistae Rubino Venetae, Ioanni Gualterio Slusio, Leodiensis, secretario Brevium nostrorum secretorum, Prospero Bottinio Lucensis, auditori, et Aeneae Pio Ferrariensis, in utraq; signaturâ nostrâ referendariis, praelatis domesticis nostris, ac Iosepho Vallemanio, pincernae, Francisco Polino, Nicolao Gentili Camerinensis, architriclino, Carolo Balduccio Tusculanae, vestiario, Ascanio Paganello, Venantio Benigno, Octaviano Cambio Camerinensis, Antonio Simoni Baglione Pisauriensis, notarum arcanarum secretario, Florido Salvatorio Civitatis Castelli, medico secreto, Alexandro Caracciolo Neapolitanae, Deminico Panti Pisaurensis, Pomponio Cavallio Ravennatensis, Ioanni Angelo ab Altaemps Romanae, Mario Taddaei Ilciensis, Mario Spinulae Ianuensis, litterarum nostrarum in formâ Brevis ad principes secretario, Nicolao Piccolomineo Senensis, libellorum supplicum nobis porrectorum secretario, Octavio Falconerio Florentinae, Petro de Ioanne Syracusanae, Nicolao Antonio Fili de Altamura, cubiculariis secretis nostris, ac Pompeio Roccio Romanae, foreris maiori, et Theodoro Cellesio Pistoriensis, fratri militi magnae crucis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, itidem cubiculario secreto, Sancti de Pilastris Caesinatensis, subdatario, necnon Riccardo Cruciano Camerinensis, caudatario, Antonio Mariae Martorello Tusculanae, crucifero, Iosepho Barbio Camerinensis, et Ferdinando Gonsalvio Auximanae, cappellanis secretis nostris, marchioni Octavio Mariae Lancellotto, militum utriusque custodiae corporis nostri, et Angelo Maximo Romano tiremum pontificiarum respective praefectorum locumtenentibus generalibus, marchioni Antonio Sanctacrucio et Francisco de Cavalariis, Romanis, equitum levis armaturae custodiae corporis nostri capitaneis, Francisco Ceriolo Cremonensis, magistro domus nostrae, Brunoni Bellozio Asculanae, Petro Baios Tornacensis, Evangelistae Caesaris Romanae, Simoni de Amicis Camerinensis, Sebastiano Mirolio Ci-

vitatis Castellanae, et Bartholomaeo de Leone Cordubensis respective civitatum vel dioecesium clericis seu presbyteris, vel laicis, cubiculi nestri auditoribus, familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§ 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos et fideles suos, illos praesertim qui grata familiaritatis obsequia iugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris et famae amplioribus praeconiis ac praeclaris dignitatibus titulis decorare et ornare necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Pontifex
supranominatus
privilegia sub-
sequentia con-
cedit.

§ 2. Hinc est quod nos, ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, et quilibet vestrum nobis hactenus impendistis, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitae ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personas vestras, etiam familiari experientia iuvare percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiari favore gratiae ac specialis honoris et excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vosque et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, metu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et certa scientia nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vos et

quemlibet vestrum respective in nostros et Sedis Apostolicae notarios (sine tamen praepiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium), apostolicam auctoritate, tenore praesentium, recipimus, ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites, necnon auratae militiae equites, ac nobiles romanos et urbis Romae, ac civitatum Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis et Beneventanae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, cives cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praerogativis et insignibus debitis et consuetis creamus ac constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae huiusmodi comitum, equitum et nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum et terrarum praedictarum referimus et conscribimus.

§ 3. Vobisque, etiamsi habitum et rochetum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis concilii novissime celebrati non deferatis, aut civitates huiusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis et facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis gaudeatis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, ac comites, equites et nobiles (citra tamen exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceatis Ordinariis, et citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, notarios seu tabeliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis et comitibus praefatis praetensa, itaut illis nullibi uti valeatis, ac irritum et inane existat, quicquid

Ipsorum privilegia, etiamsi habitum non deferant, servantur.

secus per vos, aut quemlibet vestrum respective attentari contigerit),

Etiam in as-
secentione bono-
rum ecclesiasti-
corum.

§ 4. Necnon cives originarii, etiam in dignitatibus, beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum ac saecularium, etiam ex personis Romanorum civium originariorum vacantium, assecentione et exercitio, tam in Urbe, quam in omnibus et singulis civitatibus praedictis, et aliis ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aequè principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta huiusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis deinceps nomine vestro conficiendi, vos notarios, comites, equites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanos, et aliarum civitatum et terrarum cives, prout libuerit, inscribere, et vos illis subscribere valeatis, ac pro veris et non fictis notariis, comitibus, equitibus et nobilibus ac civibus habeamini, nihilque, qualecumque id fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, nec non honoris causâ insignia gentis nostrae sive integre sive cum vestris respective composita gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Exemptio a
decimis et aliis
impositionibus.

§ 5. Et insuper vos vestraque beneficia et officia ecclesiastica, quaecumque, quotecumque et qualiacumque, illorum fructus, res et iura, ubicumque locorum, regnorum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia, praedia,

domos, possessiones et bona patrimonialia, aliaque temporalia, mobilia et immobilia, ac semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, et cuiusvis etiam annui valoris fructus, redditus et proventus huiusmodi sint ac fuerint, ac etiam quaecumque a vobis vendenda, ac pro vestris et familiarumstrarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datis, pedagogis, collectis, et quocumque alio nomine muncipatis, angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticanis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum moenium et pontium, portarum et moliturarum et mercium cuiuscumque generis, transitus seu passus et vecturae etiam in aliud territorium seu provinciam, terrâ, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi et gravissima causâ (pro subventionem contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis, ita quod vos et quilibet vestrum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneamini, nec per cameræ apostolicæ aut alios commissarios seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate sufful'os, aliâ quam ut praefertur valeatis coarctari (quandiu servitiis nostris institeritis dumtaxat), eximimus et liberamus.

§ 6. Ad haec vobiscum et cum quolibet vestrum respective, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque

Dispensatio.

trium cathedralium, etiam metropolitana-
rum, aut aliarum etiam collegiatarum
ecclesiarum consistentia, etiamsi unum
ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas
etiam maior et principalis canonicatus
et praebenda, personatus, administratio
vel officium fuerit, et ad dignitatem,
personatum, administrationem, vel offi-
cium huiusmodi consueverit quis per
electionem assumi, eique cura etiam iu-
risdictionalis imminet animarum, si ali-
cui vestrum aliâs canonice conferantur,
aut quisque vestrum eligatur, praesen-
tetur, aut aliâs assumatur ad illa, et in-
stituatur in eis, recipere, et, dummodo
illa omnia (uno excepto) personalem re-
sidentiam non requirant, insimul quoad
vixeritis retinere;

Necnon a resi-
dentia durante
servitio Ponti-
fice.

§ 7. Necnon etiam, quamdiu nobis in-
servieritis tantum, in beneficiis ecclesia-
sticis, etiam curatis, non tamen paro-
chialibus, nec curatis curâ animarum
parochianorum, per vos pro tempore
respective obtentis, etiam de iure, sta-
tuto, fundatione vel privilegio perso-
nalem residentiam requirentibus, etiamsi
dignitates in cathedralibus etiam me-
tropolitanis maiores, ac collegiatis ec-
clesiis huiusmodi principales fuerint,
personaliter residere non teneamini, nec
ad id per locorum Ordinarios, aut ec-
clesiarum earundem capitula, seu quos-
vis alios ad residendum interim in il-
lis invitati compelli possitis; omnesque
et singulos vestrorum beneficiorum ob-
tentorum fructus, redditus et proventus
durante servitio praedicto cum eâ inte-
gritate (distributionibus quotidianis dum-
taxat exceptis) cum qua illos perciperetis¹,
si in eisdem ecclesiis sive locis
personaliter resideretis², percipere, exi-
gere et levare:

Facultas re- § 8. Ac interim, vel postmodum, si

¹ Male edit. Main. legit *perceperitis* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *resideritis* (R. T.).

volueritis, hic in Romanâ curiâ vel ex-
tra eam, a quocumque, quem malueritis,
catholico antistite gratiam et commu-
nionem eiusdem Sedis habente, quem
duxeritis eligendum, ad omnes etiam sa-
cros et presbyteratus ordines aliquibus
tribus dominicis vel aliis festivis diebus,
etiam extra tempora a iure statuta, pro-
prij Ordinarii aut cuiusvis alterius li-
centiâ desuper minime requisitâ, si al-
liâs ad id idonei reperti fueritis, super
quo antistitis conscientiam oneramus,
promoveri, et promoti in illis etiam in
altaris ministerio ministrare:

§ 9. Necnon, etiamsi presbyteri fueri-
tis ac dignitates et officia obtinueritis,
leges et iura civilia, etiam publice, in
scholis et universitatibus studiorum ge-
neralium ad quinquennium dumtaxat,
dummodo trigesimum aetatis annum non
excesseritis, audire, et, si habiles et suf-
ficientes reperti fueritis, etiam ad docto-
ratus gradum in huiusmodi facultate vos
promoveri facere, ipsaque iura etiam
publice docere, atque iudicis, advocati
et procuratoris officium in causis eccle-
siasticis et civilibus tantum exercere li-
bere et licite possitis et valeatis, aucto-
ritate et tenore praedictis, de specialis
dono gratiae dispensamus.

Indultum do-
cendi leges.

§ 10. Liceat quoque vobis et cuilibet
vestrum aliquem idoneum et approbatum
ab Ordinario presbyterum saecularem
vel cuiusvis Ordinis regularem in vestrum
eligere confessorem, qui, vitâ cuiuslibet
vestrum comite, vos et quemlibet ve-
strum a quibusvis excommunicationis,
suspensionis et interdicti, aliisque eccle-
siasticis sententiis, censuris et poenis, a
iure vel ab homine, quavis occasione
vel causâ latis, et per vos incursis, et
quibus vos etiam apostolicâ auctoritate
illaqueari contigerit, etiamsi absolutio
nobis et successoribus nostris Romanis
Pontificibus pro tempore existentibus

Licentia eli-
gendi confessa-
rium.

specialiter vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos, vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectioibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum canonicarum aliorumque divinorum officiorum), et denique ab omnibus et quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus et excessibus ac delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis, sine tamen alicuius praecudicio, auctoritate apostolicâ absolvere, et vobis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

§ 11. Vobisque ulterius et cuicumque vestrum respective, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ quam extra eam ad id per vos respective coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum abbatialium seu capitularium ac episcopaliû et archiepiscopaliû, ac quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, saecularium et

quorumvis Ordinum et Militiarum regularium, etiam hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani praedicti, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta vobis nunc et pro tempore assignata et reservata ac reservanda pro summâ videlicet trecentorum ducatorum auri de camerâ quoad singulos vestrum, quando cumque alicui vestrum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet vestrum mortis articulo, cassare et extinguere, ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventus, iuribus, obventionibus et distributionibus et emolumentis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta huiusmodi, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus clericis seu clericali caractere insigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, seu eorum procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo et formâ quibus vobis assignatae et reservatae seu assignata et concessa fuerint respective, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas vel illa alias cassari et reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones ac distributiones et emolumenta huiusmodi etiam pluries cassata et de novo assignata fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apo-

stolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris iuribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integre persolvendas (servatà tamen formà constitutionis felicitis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri quoad excessum medietatis fructuum) reservare, constituere et assignare valeant, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratià indulgemus.

Facultas te-
standi.

§ 12. Necnon etiam vobis, ut de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis, ac iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarium ecclesiarum vobis commissarum ministerio seu alicui speciali earundem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad vos (ratione ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, quibus vos forsitan praeesse contigerit, necnon monasteriorum, prioratum, praepositarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curà et sine curà, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinaeritis, obtinetis et obtinebitis, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super simili-

bus fructibus, redditibus et proventibus vobis reservatorum et assignatarum, ac reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperitis, percipitis et percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae Curiae officiorum, et aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus et pensionibus annuis, necnon vestrà et cuiuslibet vestrum industrià et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs quavis occasione vel causà seu contemplatione ad vos perventis et perventuris, etiamsi in pecunià numeratà, et iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictà curià, quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae generali appellatione bonorum et supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specificè et sigillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de camerà, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus et proventibus et pensionibus debitis et debendis (servatà tamen formà constitutionum apostolicarum iam editarum et si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis), etiam cumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus quam etiam pro remuneratione illorum qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum et affinium ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, ac aliàs pro arbitrio et voluntate vestris et cuiuslibet

vestrum absolutis, testari, et testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemnî, coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ manû vestrâ scriptâ vel subscriptâ, et aliâs in omnibus et per omnia prout et quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ curiâ et in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione præsentis vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velitis et intendatis, semel atque iterum aut pluries disponere, statuere et ordinare, itaut, quicquid testatum, gestum aut ordinatum, seu aliâs dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliâs omnimeliori modo valeat et servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare ac etiam in totum revocare, et aliâs de novo condere libere et licite valeatis, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore præsentium, plenam et liberam concedimus facultatem.

Successio ab intestato.

§ 13. Et insuper statuimus et ordinamus, vobisque indulgemus, quod, si vos ab intestato, et sine ullâ vel minus validâ bonorum et rerum, ac fructuum, reddituum et proventuum prædictorum dispositione, in dictâ curiâ vel extra eam, tam continuâ quam interpolatâ inibi cuiuslibet vestrum respective mansione, ac etiam extra beneficia vestra vel alia loca debitae a vobis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedatis, omnia et singula bona, res et iura etiam ut præfertur qualificata, necnon spolia cuiuscumque quantitatis et valoris existentia, etiam ex prædictis, et aliâs undecumque prove-

nientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integre deveniant, et, illis deficientibus, inter familiares vestros arbitrio personae seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione vestrâ, scripturâ etiam minus solemnî, -secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu exequutores omnino exequi et adimplere illique sese conformare in omnibus et per omnia debeant. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones et aliâs forsân a vobis etiam nullâ aut minus sufficienti facultate suffultis de huiusmodi bonis, iuribus et actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium prædictorum, et aliâs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea quae per vos in futurum fient, ex nunc prout ex tunc et e contra, pro dictâ summâ sex millium ducatorum, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatium omissarum et omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, quod specialis, specifica et expressa de illis mentio præsentibus habenda esset, supplemus.

§ 14. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis, episcopis aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon camerae prædictae praesidentibus et clericis, ac eorum, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac cruciatae sanctae et aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et

Inhibitio contra molestantes.

potestate fungentibus, sub excommunicationis maioris aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ne universitates, collegia, ac loca et legatarios, haeredes et personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequentores praedictos directe vel indirecte quovis quaesito colore vel ingenio molestare audeant quoquomodo vel perturbare.

Clausulae praeservatae.

§ 15. Ac decernentes praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, et testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones et alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt aut fieri contigerit, tam vigore praesentis quam etiam aliarum concessionum vobis factarum, ac deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde sequutis et sequuturis, etiamsi vos intra curiam, aut in quacumque aliâ mundi parte extra ecclesias et beneficia personalem residentiam requirentia qualiterumque qualificata per vos nunc et pro tempore obtenta, etiam pro vestrà solâ voluntate et nullâ subsequente causâ non residendi, ab humanis decedere contigerit, sub litteris recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos et alios praelatos necnon parochialium ecclesiarum rectores ceterosque residentiae personali praedictae adstrictos extra illam quomodocumque decedentes, vii kalendas decembris, pontificatus sui anno v, aut alio veriori tempore, emanatis, et sub quibuscumque aliis constitutionibus et revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus apostolicis, cancellariae apostolicae regulis, ex quibuscumque causis quantumcumque maximis, urgentibus et inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei et divini cultus

augmentum, ac consistorialiter, etiam a nobis et Sede praedictâ hactenus vel nunc et pro tempore factis et editis, minime comprehendi, sed semper ab illis excepta, et, quoties emanata fuerint, toties in pristinum et validissimum statum, et etiam sub datâ posteriori, etiam cum derogationibus et clausulis etiam derogatoriis irritantibusque et aliis decretis per vos eligendâ apponendis et latissime specificandis, reposita, restituta et plenarie reintegrata, ac de novo concessa, validaque et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios et omnes effectus, qui de iure, stylo, consuetudine aut aliâs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, iurati, stipulati, validi et efficacis contractus, inter vos ex unâ, ac nos et cameram praedictam ex alterâ partibus, habere, nec etiam per promotionem ad ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam, aut translationem, vel aliam status et personae vestrae mutationem, nec per similes vel dissimiles gratias vobis concessas et concedendas, confundi, sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec haeredes, legatarios, ac loca, ad quos seu quae bona, iura et actiones huiusmodi devenerint, vel quibus relinquuntur, aut executores praedictos ad tertiam seu aliam eorum partem (quam etiam ex nunc vobis, ac locis, haeredibus, legatariis ac donatariis praedictis liberaliter concedimus et donamus) camerae vel fabricae aut beneficii praedictis, etiam pro expeditione contra infideles et quibusvis aliis quantumlibet piis usibus, solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem praesentium a nobis

vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum aut impetrandum, vel etiam in aliâ simili gratiâ seu confirmatione illius, vobis, quomodocumque concedendâ, de praesenti mentionem aliquam faciendum ullatenus teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse;

Classula sub-
latâ.

§ 16. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem S. R. E. cardinales, necnon pro tempore existentes dietae camerae camerarium, praesidentes et clericos, in quavis causâ et instantiâ, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores
deputat.

§ 17. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi cardinalibus episcopis, et dilecto filio curiae camerae apostolicae generali auditori, per apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacifice frui et² gaudere, non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earundem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari et inquietari vel perturbari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, alia-

que opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 18. Non obstantibus praemissis, ac piaec memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliâs derogare non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus et quibusvis aliis, etiam per nos et Sedem praedictam editis, et in posterum edendis cancellariae apostolicae regulis, ac stylo in similibus haecenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri Papae VI etiam praedecessoris nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem Bonifacii Papae VIII, per quam concessionem fructus in absentia percipiendi sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii IV praedecessoris pariter nostri de gratiis quaecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in dietâ camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita quod praesentes in eadem camerâ nullo unquam tempore registrare teneamini, ac similis recordationis Urbani Papae VIII etiam praedecessoris nostri de pensionibus aliâs translatis iterum non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis edi-

Derogat con-
tractis.

1 Partic. et nos addimus ex ed. Cherub. (R.T.).

2 Partic. et nos addimus ex ed. Cherub. (R.T.).

tis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus, etiam imperialibus et municipalibus, tam Urbis quam aliarum civitatum et locorum in quibus cives originarii creati existitis, et quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedictorum, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dietae curiae et regnorum, provinciarum et Urbis, ac aliarum civitatum et locorum, ac camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiamsi de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliis quomodolibet concessis utendo, vos per vos vel procuratores vestros praestiteritis forsitan hactenus vel vos in posterum praestare contigerit iuramentum, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et hospitalibus, illorumque praesulibus seu administratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis, illorum communitatibus et universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis Ordinariis, etiam eisdem cardinalibus, ac dietae curiae officialibus, illorumque collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum et onerum exactoribus et appaltatoribus et aliorum onerum redemptoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores no-

1 Aptius lege *hospitali* (R. T.).

stros, ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, et de eorundem cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientia similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac aliis quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite, quod Urbis nisi originariis civibus Romanis, ac civium eorundem filiis conferantur, quodque nonnullarum ecclesiarum beneficia nisi per personas illustres vel nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliis certo modo in illis expresso qualificatos, obtineri non possint, et nulli cives Urbis ac civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsitan ad certum valorem ascenduntia possederint, quodque praepetoriae et alia beneficia quaecumque dietae hospitalis, tam ex eius institutione quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione, pensionibus clericis secularibus et aliis personis etiam apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, privilegiis praedictis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quascumque litteras apostolicas et quavis etiam derogatoriis derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur nisi derogatio huiusmodi de consilio cardinalium eorundem fiat, et tunc demum magistri et conventus praedictorum ad id accedat assensus,

sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et praefato conventui, per diversas in formam Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis interval-
lis praesentatas, intimatae, et non alias, nec alio modo, et semper in omnibus, quae sic fient, etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non alias, nec alio modo; quodque ipsi exactores et appaltatores decimas, pedagia et onera huiusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant; quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, in genere et in specie, ad effectum praesentium sufficienter et expresse derogamus ac derogatum esse decernimus, quodque vos primam non feceritis in ecclesiis huiusmodi personalem residentiam consuetam; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 19. Volumus autem quod, antequam gratiam creationis in nostros et Sedis Apostolicae notarios vobis ut supra factam perfrui valeatis, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede praedicta propositos expresse emittere et solitum fidelitatis iuramentum praestare omnino teneamini; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvi augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 augusti 1670, pontif. anno I.

XXVII.

Concessio, ut in toto orbe terrarum celebrari possit missa B. Rosae ex voto vel devotione.

Crescente in dies mirabili populorum devotione erga B. Rosam de S. Maria, virginem Limanam, ex tertio Ordine sancti Dominici, ac virtutum illius fragrantiam sese latius quaquaversus diffundente, sanctissimus D. N. Clemens Papa X admissis excellentissimi domini oratoris marchionis de Astorga instantiis ex nomine catholicae maiestatis sibi porrectis, universo tam saeculari quam regulari clero per totum terrarum orbem benigne indulset pro futuris perpetuis temporibus, quod de praedicta B. Rosa possit ubique in ecclesiis quoruncumque, tum regularium tum saecularium, celebrari¹ missam per anni circulum, sive ex voto, sive ex libera devotione, iuxta rubricas ac dispositionem missalis romani, tametsi nondum praedicta B. Rosa solemni canonizationis ritu fuerit ab universali Ecclesia inter Sanctas relata. Et ad hunc effectum specialiter dispensavit in decretis tum felicitis recordationis Urbani VIII, tum sacrae Congregationis Rituum, et quibuscumque aliis huic indulto quomodocumque obstantibus. Hac die xxvii augusti MDCLXX.

M. episcopus Portuensis,
cardinalis GINETTUS.

Loco † sigilli.

BERNARDINUS CASALIUS,
sacrae Rit. Congregationis secret.

¹ Edit. Main. habet *celebrare* (R. T.).

¹ Concessio ut
in rubrica.

XXVIII.

Confirmatio quorundam decretorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium in congregatione generali dicti Ordinis anno MDCLXVIII editorum, cum insertione eorundem decretorum ¹.

Clemens Papa IX.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Bernardinus a S. Elpidio, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in congregatione generali dicti Ordinis anno MDCLXVIII habitâ pro felici prosperoque eiusdem Ordinis regimine et gubernio edita fuerunt nonnulla decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta congregationis generalis Ordinis Minorum Conventualium a die XVII maii convocatae.

Varia decreta capituli generalis recensentur.

Generale diffinitorium, praesidente reverendissimo patre magistro Andrea Bino ab Hispello eiusdem Ordinis ministro generali, conferentis iteratis, quae notitia quaeve profutura Ordini pervestigans, infrascripta edidit decreta sanctissimo domino nostro Papae humiliter exhibenda, ut apostolicâ auctoritate, Urbanisque constitutionibus inserta, fratres omnes ad intactam eorum observantiam tenacius adstringerent.

Ad provinciales ministros.

I. Ministros provinciales in quibuscumque suarum provinciarum conventibus, etiam de mensâ reverendissimi, ordinariam habere iurisdictionem tempore visitationis et extra, posseque ordinationes ferre et fratres omnes, quocumque gradu polleant, ad earum observantiam

¹ Antea non impressa.

compellere, dummodo in conventibus ipsi ministro generali immediate subiectis, inconsulto ministro generali, non ferant sententiam, sancitum est. Teneri insuper guardianos de mensâ ministros provinciales per eorum conventus transcutes omnibus charitatis officiis prosequi et conventuum expensis perbenigne tractare.

Ad provinciales titulares.

II. Huiusmodi provincialatus titulares illis deinceps conferantur (habitâ provinciarum discretionem) qui cunctis conditionibus in Urbani constitutione expressis decorati fuerint. Et, ut talis collatio fiat duntaxat a diffinitorio generali in capitulis seu congregationibus generalibus per schedulas et secreta suffragia decernimus quod, si aliquem ex titularibus infra triennium decedere, vel aliqua ex causâ officio privari contigerit, tunc generalis minister, adhibito assistentium consilio, alium eius loco sufficiat.

Ad guardianos et locales superiores.

III. Quicumque in superiorem localem seu guardianum electus fuerit, et, iniunctum onus suscipere recusans, eidem renunciaverit, ad cetera officia per triennium inhabilis esto, nullaque admittatur excusatio, nisi ex urgente causâ approbanda. Teneantur vero guardiani omnes advenarum fratrum obedientiales litteras propriis oculis examinare et itineris causam diligenter perscrutari. Si quem tamen deprehenderit sine legitimis suorum superiorum litteris, carceribus mancipent, superioresque illos quamcunq; admoneant. Si secus fecerint, officio suo priventur.

Ad regentes et lectores.

IV. Ut virtus, decenti praenio irrigata, pulchrius et amoenius revirescat, statuimus gymnasia primae classis, quae ab Urbanâ constitutione assignantur, nimi-

rum Venetum, Panormitanum, Mediolanense, Ferrariense, Pemsinum, Florentinum, Viennense, Iannense et Leopoliense, haberi deinceps debere pro collegiis, itaut regentes, qui per novem continuos annos in aliis gymnasiis tertiae, secundae et primae classis insudarunt, promoti postea ad praedictas regentias, ad collegia intelligantur assumpti, ut in posterum frequens regentium numerus incepto cursu non privetur, et illi, qui expressis sudoribus per tot annos defatigarunt, ad bravium paternitatis comprehendendum faciliorem habeant accessum. Teneantur tamen singuli regentes tractatum unum ad minus quolibet anno suis auditoribus explanare et complete finire; insuper et disputationes et (ut aiunt) *circulos* tribus in hebdomadâ vicibus ad horam protrahendos habere. Quod si non fecerint, atque authenticam fidem a guardianio conventus subscriptam de completâ lecturâ habitisque disputationibus non ostenderit, non posse eis sufficere ad provinciae paternitatem; immo, si maxima super hoc remissio deprehendatur, lecturâ etiam ipsâ privandos esse statuimus.

Ad diffinitores perpetuos.

v. Omnes perpetui diffinitores et provinciarum patres a generali ministro patententes instituti, atque a¹ provinciarum diffinitoriis approbati et recepti, suffragium ferant (ut in Urbana constitutione praescribitur) in quibuscumque electionibus seu capituli seu congregationis, cum pro illis certus numerus praescribi non possit: quod aliâs attentatum plurimarum fuit causa perturbationum, et a laboribus pro religione obeundis multi etiam ex cordatis animos deflexerunt. Ideo statuitur ut in futuro capitulo generali revideantur patententes et requisita

illorum qui non adhuc convenerunt in diffinitorio seu congregatione, et solum admittantur illi in diffinitorium seu congregationem ad votum ferendum qui inventi fuerint cum debitis requisitis. Illegitimi autem talibus indecorati praescriptis, ab ingressu solum diffinitorii excludantur, remanentes in primaevo statu circa praerogativas et praecedentiam, sicque in qualibet provinciâ catalogus fiat eorum patrum qui debent in diffinitorio admitti. Cautum proinde est ne deinceps ad tales paternitates ob conciones praestitas admittantur nisi illi qui per duodecim integros annos in primoribus nostri Ordinis templis, videlicet Assisiatensi, Romano, Patavino, Bononiensi, Veneto, Neapolitano, Panormitano, Mediolanensi, Florentino, Ferrariensi, Taurinensi, Caesenatensi, Ariminensi, Urbinatensi, Ascolano, Pisano ac Senensi, conciones quadragesimales (non autem annuales) magnâ populorum frequentiam et eruditione habuerint.

Ad collegiales.

vi. Collegia religionis iuxta formam et methodum Urbanae constitutionis ad pristinum reducantur, itaut quolibet triennio ex convocatis baccalaris ad examen doctores eligantur, et iuxta numerum ab eisdem constitutionibus praefixum certis collegiis deputentur. Elapso triennio, iterum ad severius examen cuncti vocentur, qui, si publicas theses egregie prius sustinuerint, ac in examine non vulgaris doctrinae specimen dederint, doctorali laurea a generali ministro donentur. Illi vero, qui parum profecisse inventi fuerint, per aliud triennium in eodem collegio probentur; quod si provocati iterum ad examen post secundi triennii periodum nullam spem profectus dederint, a collegialium albo penitus proseribantur, tanquam simplices in posterum baccalari habendi. Vetitum tamen est

¹ Praeposit. a nos addimus (R. T.).

non posse baccalarios non sacerdotes, etiamsi fuerint multarum litterarum et probatae doctrinae, ad collegia concurrere, et multo minus ad illa admitti. Quia vero controversiae, circa praecedentiam inter collegiales et magistros denuo laureatos exortae, plurimarum fuere causa perturbationum, praesenti decreto statuimus praecedentiam semper debere attendi a die ingressus ad collegia, itaut, qui in eodem anno ingressi sunt, inter eos praecedat qui prius professionem emisit. Pari modo qui per Breve Summi Pontificis laureati sunt, locum cedere debent cunctis, qui eodem tempore erunt collegiales adscripti, licet isti in fine triennii laureati fuerint.

Ad concionatores.

vii. Ad concionatoris munus nemo deinceps promoveatur qui prius in privatis claustris ingenii sui publica non ostenderit facinora, et ab examinatore deputatis per strictius et severius examen de scientiâ et moribus approbatus pariter non fuerit; nec posse praedicationis officium exercere, quamvis a generali ministro patentes litteras obtinuerit, nisi a suae provinciae diffinitorio acceptatus fuerit, praesenti decreto statuimus.

Ad patrum et fratrum aggregationes.

viii. Cum adversus Urbanam constitutionem inoleverit abusus transferendi filiationes a conventu in conventum, firmissime decernimus non licere deinceps nostri Ordinis religiosi, quacumque fulgeant dignitate, renunciato proprio conventu, ad alium se aggregare, sine expressâ et raro concedendâ ministri generalis auctoritate.

Ad novitios eorumque magistros.

ix. Cum a novitiorum rectâ selectione et institutione totius aedificii spiritualis in seraphicâ nostrâ religione mittantur fundamenta, quae si perperam

iaciantur, evidens ruina timenda est; hinc provincialibus ministris demandatur, ut non nisi eruditos, ac liberalibus aptos disciplinis, bonaeque indolis ac probati spiritus iuvenes tirocinio committant, quos inde solertibus magistris instruendos in regulari disciplinâ consignent. Illi autem magistri instituantur, qui iudicio, prudentiâ et ingeniorum et spirituum disquisitione, solertiâ valeant, qui concreditos ad regulam et constitutiones maximaeque mortificationis studium forment, cum ab hac unâ totius religionis spes omnium maxima, vitaeque ac interitus pendeat. Sint propterea novitiorum magistri (quantum fieri poterit) seniores provinciae religiosi, moribus graves, spiritu probati, pro quibus sublevandis (si opus fuerit) vicemagister etiam instituaturs eiusdem spiritus et indolis.

Quoad transitum Cappuccinorum ad Conventuales.

x. Hinc, cum experientiâ longâ probatum fuerit alterius Ordinis religiosos, et maxime Cappuccinos, ad nostram admissos religionem, varia experiri fratrum iudicia, cum diversi sint unius mores et alterius, et propterea plurimae sint obortae rixae, contentiones et taepor spiritus; decernimus firmiterque statuimus neminem alterius Ordinis ad nostram admitti posse religionem, nisi prius a generali diffinitorio per secreta suffragia et paria acceptatum.

Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentâ relatione eminentissimi dicti Ordinis apud hanc sanctam Sedem protectoris, censuit (si sanctissimo domino nostro placuerit) posse per litteras apostolicas in formâ Brevis eidem eminentissimo protectori committi, ut, veris existentibus narratis, pe-

Decretum sacrae congregationis episcoporum et regularium.

titam suprascriptorum decretorum confirmationem pro suo arbitrio et prudentiâ oratoribus impartitur.

Romae, xxii novembris MDCLXIX.

M. cardinalis GINETTUS.

Loco † sigilli.

Ratio petita
confirmationis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nonnulla ex decretis quibusdam felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri litteris adversentur, licet Ordinis praefati constitutionibus sint conformia, cupiatque propterea dictus Ioannes Bernardinus eadem decreta apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiti: nos, ipsius Ioannis Bernardini procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum. qui relationem dilecti filii nostri Giberti eiusdem S. R. E. cardinalis Borromaei nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis considerarunt, consilio, eidem Giberto cardinali et protectori per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, suprascripta decreta auctoritate nostrâ apostolicâ et approbet, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiiciat, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si desuper quomodolibet intervenerint, eâ-

Mandat cardinali
protectori
ut dicta decreta
auctoritate apo-
stolica confir-
met.

dem auctoritate suppleat; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorundem cardinalium.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis
derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 30 augusti 1670, pontif an. 1.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis septembris part. 1, fol. 213.

XXIX.

Ampliatio indultorum abbreviatoribus litterarum apostolicarum maioris praesidentiae a sanctae memoriae Urbano VIII concessorum.

◉ Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Creditae nobis divinitus dispensationis ratio postulat, ut, illos, qui laudabilem in gravibus nostris et Apostolicae Sedis ministeriis operam impendunt, peculiari paternae charitatis affectu prosequentes, gratias et privilegia, eis in praemium laborum suorum a Romanis Pontificibus

Proemium.

praedecessoribus nostris prudenti liberalitate concessa, uberiori benignitate ampliemus, sicut eorum meritis convenire arbitramur.

Indultum Urbani VIII.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus Papa VIII, praedecessor noster, tunc et pro tempore existentibus abbreviatoribus litterarum apostolicarum maioris praesidentiae in cancellariâ apostolicâ perpetuo concessit et indulisit ut ipsi et eorum singuli pensiones annuas apostolicâ auctoritate eis super quibusvis fructibus ecclesiasticis reservatas, et pro tempore reservandas, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ, ad favorem unius seu plurium personarum ecclesiasticarum, seu clericorum, ac aliâs pensionum huiusmodi capacium, etiam in mortis articulo coram notario et testibus, ac cum alienius praelati seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae interventu, dummodo tempore eorum obitus officia abbreviatorum dictarum litterarum adhuc obtinerent, transferre; necnon in oratoriis seu cappellis in eorum aedibus bene ac decenter constructis, ac rebus omnibus ad missae sacrificium requisitis instructis, et ab omnibus domesticis usibus liberis, missam per se ipsos celebrare, seu per alium quemcumque presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem ab Ordinario approbandum, quamdiu tamen officia huiusmodi obtinerent, non autem illis dimissis, celebrari facere; necnon, dimissis officiis huiusmodi, habitum praelatorum Romanae curiae coloris violacei perinde ac si sua abbreviatorum officia adhuc retinerent, quamdiu viverent, dummodo tamen per decennium officia huiusmodi obtinuissent, etiamsi illa elapso decennio dimisissent, et non aliter, deferre libere et licite valent; et aliâs, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris sub plumbo desuper anno

Incarnationis Dominicae MDCXXIII, XIII kalendas aprilis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiori continetur.

§ 2. Nunc autem nos, ad praeclara dilectorum filiorum modernorum abbreviatorum litterarum apostolicarum maioris praesidentiae huiusmodi merita paternae dirigentes considerationis intuitum, ac benigne perpendentes quantum ex eorum collegio Romanae curiae decoris, quantumque ex sedulo illorum labore Ecclesiae catholicae proveniat utilitatis, eosque proinde, ac illorum successores, ut eo alacrius fidem, operam, industriam atque sedulitatem in huius sanctae Sedis obsequium abhibere studeant, amplioris favore gratiae prosequi volentes, et ipsorum modernorum abbreviatorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et merâ liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictis modernis et pro tempore existentibus litterarum apostolicarum abbreviatoribus maioris praesidentiae in cancellariâ supradictâ, ut ipsi, dimissis abbreviatorum huiusmodi officiis, dummodo tamen illa per quinquennium exereuisse seu obtinuisse reperiantur, facultate transferendi pensiones annuas usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ, ac licentiâ celebrandi seu celebrari faciendi missas in privatis eorum oratoriis seu cappellis, a memorato Urbano praedecessore per

Innovat et confirmat prout in rubrica.

suas litteras praedictas ut praefertur concessis, uti, frui et gaudere, necnon habitum praelatum violacei coloris huiusmodi deferre et gestare libere pariter et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia perinde ac si¹ eorum officia abbreviatorum huiusmodi adhuc obtinerent, et usque ad eorum obitum retinerent, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae prae-
servativas appo-
nunt.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus², aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos iuris reduci, aut in controversiam revocari, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integram, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iurare posse; neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos, vel Romanos Pontifices successores nostros, et Sedem praedictam, in genere vel in specie, aut alias quomodolibet et quodcumque faciendis, comprehendi vel comprehensas censi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo, sub quacumque posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda,

¹ Partic. *si nos addimus* (R. T.).

² Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

concessas intelligi, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari,

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeminentiam et potestate fungentes et functores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definituri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum ir-
ritans.

§ 5. Quocirca dilectis filiis nostris eiusdem S. R. E. vicecancellario ac camerario, et causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praedictorum abbreviatorum, seu alicuius eorum, vel aliorum interesse in praemissis pro tempore habentium, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque modernos et pro tempore existentes abbreviatores, et alios quos eadem litterae concernent in futurum, praesentium litterarum et in eis contentorum eorumdem commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos seu

Executorum
deputatio.

cordum quempiam desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio
contrarium.

§ 6. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, supradictis Urbani praedecessoris litteris, necnon omnibus et singulis illis, quae in eis concessa sunt non obstando, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx augusti MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 augusti 1670, pontif. anno I.

Nomina illustrissimorum et reverendissimorum dominorum abbreviatorum sunt quae sequuntur:

R. P. D. Nicolaus Oregius e S. Sophia, decanus proregens, admissus III decembris MDCLXIV.

R. P. D. Ioannes Augustinus Vicentinus, Reatinus, admissus xx ianuarii MDCLVI.

R. P. D. Ludovicus Arbona, Mediolanensis, admissus xxii aprilis MDCLIX.

R. P. D. Petrus Alberinus, Romanus, sacrae consultae ponens, admissus xx aprilis MDCLX.

R. P. D. Ioannes Bussius, Romanus, sacrae congregationis Avenionensis votans, et sacrae Congregationis Aquarum secretarius, admissus xi aprilis MDCLXI.

R. P. D. Franciscus Filicaia, Florentinus, admissus xxx maii MDCLXI.

R. P. D. Ioannes Dominicus Thoma-

tus, Pedemontanus, admissus xxiii decembris MDCLXV.

R. P. D. Iacobus Lombardus, Ferrariensis, admissus xxix decembris MDCLXV.

R. P. D. Felix a S. Petro, Romanus, protonotarius apostolicus de numero participantium, admissus xxviii iunii MDCLXVIII.

R. P. D. Dominicus Paraccianus, Romanus, admissus xvii maii MDCLXX.

R. P. D. Ioannes Franciscus Rota, Cremonensis, admissus xix iunii MDCLXX.

R. P. D. Ioannes Baptista de Silva, Mediolanensis, admissus xxi iunii MDCLXX.

XXX.

Confirmatio et extensio litterarum Gregorii XIII et Urbani VIII de monachis Ordinis sancti Benedicti ad favores principum et aliorum, pro assequendis praelaturis, dignitatibus et aliis officiis recurrentibus¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam

Ecclesiae catholicae regimini, meritis licet imparibus, divina Dispositione praesidentes, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ad recidendam et excludendam a religiosis viris, quos in humilitatis spiritu Deo servire decet, ambitiosam honorum et dignitatum cupiditatem, pie prudenterque constituta esse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocínio libenter constabilimus, novisque praesidiis, ut servantur exactius, corroboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Prooemium.

¹ Consimilem materiam habes supra in Constit. dcxxxii, *Quoniam*, Urbani VIII, tom. xiv, pag. 698, et Const. xviii, *Alias*, Alexandri VII, tom. xvi, pag. 30.

Litterae Gregorii XIII.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XVIII aprilis MDLXXIV expeditas litteras, inter alia, omnes et singulos monachos Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, cuiuscumque aetatis, gradus, conditionis, praecminentiae et litteraturae existentes, et quacumque dignitate praefulgentes, qui, ad praelaturas et alia officia dictae Congregationis assequenda intenti, ad principum et praelatorum de gremio dictae Congregationis non existentium favores recurrerent, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad dignitates seu officia in Congregatione praefatâ obtinenda aspiravissent, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesivissent, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia spiritualia vel temporalia, et praesertim in ipsâ Congregatione obtenta et obtinenda, perpetuo inhabiles declaravit, ac obtentis praelaturis, dignitatibus, administrationibus vel officiis eo ipso privavit, ac privatos, voce tum activâ tum passivâ carere decrevit et declaravit;

Et poenae in illis latae.

§ 2. Et in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnibus dictae Congregationis monachis, qui pro tempore regimini eiusdem Congregationis deputati essent, praecepit districteque mandavit, ne aliquos, precibus, litteris vel favoribus principum, vel praelatorum, aut aliorum extra dictum gremium existentium adducti, ad cuiusvis generis praelaturas, dignitates, officia, administrationes et gradus promovere praesumerent; imo, promovendorum meritis et virtutibus tantum inspectis, quod Dei causam agerent memores essent, quo magis puro et sin-

cer. corde, nullâ privata aut mundanâ affectione commoti, in electionum negotio procederent; decernens electiones et promotiones ad monasteria sic litteris aut aliis favoribus principum, praelatorum, vel aliorum extra gremium ut praefertur existentium, eorumque precibus aut pollicitationibus iniuste ac indebite extortas, nullas invalidasque esse, et adversus eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda monasteria vel prioratus aut alia officia se eligi aut assumi obtinuissent, per eiusdem Congregationis superiores quaecumque procedi, et, rei veritate cognitâ, eos condignis poenis tamquam publicae dictae Congregationis quietis perturbatores affici posse et debere.

§ 3. Et subinde recolendae memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, per quasdam suas pariter in formâ Brevis litteras die XI maii MDCCXXXVIII emanatas, praefatas Gregorii praedecessoris litteras, toto illarum tenore inserto, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate confirmavit et approbavit, ac, quatenus opus esset, innovavit; necnon omnibus et singulis quorumcumque monasteriorum dictae Congregationis abbatibus et superioribus quomodolibet nuncupatis, tunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ praecepit et mandavit, ne ad instantiam, preces et requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum, extra gremium dictae Congregationis consistentium, etiam cardinalatus honore et quacumque saeculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, quosvis dictae Congregationis monachos ad cuiusvis generis rectorias, vicariatus, administrationes et officia quaecumque tam spi-

Litterae Urbani VIII.

ritualia quam temporalia singulorum monasteriorum deputare praesumerent; eisdemque dictae Congregationis monachos, cuiuscumque aetatis, gradus, conditionis, praecminentiae et litteraturae existerent, et quaecumque dignitate praefulgerent, qui, tam ad praelaturas, dignitates, gradus, et alia officia a praelatis pro tempore regimini dictae Congregationis deputatis assequenda, quam etiam ad rectorias, vicariatus, administrationes, et alia officia quaecumque tam spiritualia quam temporalia a praelatis et superioribus singulorum monasteriorum impetranda, ad praedictarum personarum principum et praelatorum de gremio Congregationis praefatae non existentium favores, per se vel interpositam personam, directe vel indirecte, occulte vel palam, aut alias quomodolibet recurrerent, vel ad praelaturas, dignitates, administrationes et alia¹ huiusmodi dictae Congregationis et monasteriorum officia aspiravissent, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere conati fuissent, praedictas excommunicationis latae sententiae aliasque inhabilitatis et privationis poenas, in praefatis Gregorii praedecessoris litteris contra similia perpetrantes comminatas², eo ipso incurrere et incurrisse decrevit et declaravit.

Ipsarumque
publicatio.

§ 4 Voluitque ipse Urbanus praedecessor easdem litteras suas in generali dictae Congregationis capitulo singulis annis publice legi, illasque in dicto capitulo lectas sic arctare, ac si legitime cuique personaliter intimatae fuissent, et alias, prout in praefatis Gregorii et Urbani praedecessorum litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et suf-

ficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 5. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum monachorum praefatae Congregationis Cassinensis nobis nuper expositum fuit, licet praemissa a memoratis Gregorio et Urbano praedecessoribus saluberrimo fuerint constituta et ordinata consilio, illa nihilominus quorundam ambitione, caecaque honorum cupiditate non ita exacte et accurate, ut par est, in eadem Congregatione servantur: hinc est quod nos, considerantes quod nemo debet sibi assumere honorem nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et proinde pravum hoc ambitionis malum omnino tollere et a dicta Congregatione penitus excludere cupientes, ut Congregatio ipsa praeclara semper humilitatis religiosae laude floreat, illiusque numera non mendicatis studiis procurentur, sed a viris vitae sanctitate et virtutibus conspicuis obedenter suscipiantur et humiliter administrentur; ac dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inmodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula praemissa a praefatis Gregorio et Urbano praedecessoribus constituta, ordinata, decreta et declarata ut praefertur, et, quatenus illa concernunt, supradictas eorundem praedecessorum litteras, auctoritate praedicta, tenore praesentium, approbanus et confirmamus, ac, qua-

Clemens X
confirmat prout
in rubrica.

¹ Edit. Main. legit *alias*, at legendum esse *alia* constat (n. 1.).

² Edit. Main. legit *communitas*; perperam ut patet (n. 1.).

tenus opus sit, innovamus et de novo constituimus, ordinamus, decernimus et declaramus; illaque omnia et singula inviolabiliter et inconcusse in praefatâ Congregatione perpetuo servari mandamus et praecipimus.

Bis in anno legi publice praesentes iubet.

§ 6. Volentes et eâdem auctoritate decernentes easdem praesentes litteras, perpetuis futuris temporibus, bis quolibet anno in refectorio uniuscuiusque monasterii dictae Congregationis, nempe proximâ post festum sancti Benedicti et dominicâ itidem proxime subsequenti post festum sancti Placidi Ordinis eiusdem sancti Benedicti, publice legi, illasque semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 7 Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae praefati Gregorius et Urbanus praedecessores in litteris supradictis respective voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis eadem addit.

§ 8. Ceterum volumus pariter ut eandem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu scribae capituli generalis dictae Congregationis vel notarii publici subscriptis, et sigillo praesidentis eiusdem Congregationis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ix

septembris MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 9 septembris 1670, pontif. anno 1.

XXXI.

Decretum pro Congregatione eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, quomodo possint egredi a suis monasteriis¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Ut in Congregatione eremitarum Camaldulensium Montis Coronae fervor orationis conservetur, nec per inconsultas eremitarum vagationes taepeseat, sed ipsi eremitae, iuxta laudabile institutum ac constitutiones a felicis recordationis Clemente Papa IX praedecessore nostro specificè confirmatas, in suis eremis permanentes, divinis obsequiis eo studiosius incumbant, quominus eorum spiritus rerum temporalium tractatione laicorumque conversatione distractus fuerit, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito providere cupientes,

Exordium.

§ 1. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie praecipimus et mandamus, ut (postquam a capitulo generali vel maiore et visitoribus dictae Congregationis familiarum in singulis eremis ipsius Congregationis assignatio facta, et illi, qui toto anni decursu, cum debitis priorum localium licentiis, propter urgentem aliquam necessitatem eremis per spatium quinquaginta miliarium iuxta praescriptum dictarum constitutionum egredi possunt, deputati fuerint) nec ullis prioribus localibus nec ullis deputatis ad negotia, sine licentiâ maioris et visitorum praedictorum semel in anno obtinendâ, intra

Prohibet prioribus localibus et deputatis ad negotia et detectorum priorum subditis absque maioris et visitorum licentiâ egredi ab eremis.

¹ Quae bulla hactenus impressa non fuit.

spatium quinquaginta miliarium huiusmodi, neque ullis dictorum priorum subditis, sine speciali eorumdem maioris et visitatorum licentiâ toties quoties impetrandâ, eremis egredi ac extra illas pernoctare de cetero ullo modo liceat.

Maioris et visitatorum conscientiam obligat super huiusmodi licentiâ.

§ 2. Volentes ut maior et visitatores praedicti serio invigilent, super quo eorum conscientiam oneramus, ne dicti priores locales, licentiâ huiusmodi abutentes, eremis sine necessitate egrediantur, vel praedictos deputatos ad negotia egredi permittant.

Mandat huiusmodi licentiam suspendi contra abutentes.

§ 3. Quod si aliquos hac in re minus observantes repererint, licentiam egrediendi eis concessam suspendant, aut etiam omnino adimant, et alios ad negotia praedicta deputent.

Nec deputati ad negotia, nec priores locales egrediantur pro his, quae per oblatos fieri possunt.

§ 4. Porro ad eas res curandas quae per oblatos non professos expediri possint, quales sunt, exempli gratiâ, provisiones rerum eremis necessariarum, nec mittantur deputati ad negotia, nec ipsi priores locales egrediantur.

Vicarii priorum localium ne alius quam oblati licentiam concedant.

§ 5. Ipsi autem prioribus localibus ex aliquâ urgenti necessitate extra eremos existentibus, eorum vicarii sive superiores in eremis remanentes nullam habeant facultatem concedendi aliis, quam oblati praedictis, licentiam egrediendi et pernoctandi.

Poenas statuit.

§ 6. Praemissa vero omnia et singula, sub poenis per constitutiones praedictas contra illos qui sine debita licentiâ eremis egrediuntur et extra illas pernoctant constitutis, inviolabiliter et inconcusse perpetuo observari volumus.

Decretum irritans.

§ 7. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus⁴, aliove

¹ Male edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci posse, sique et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis illiusque eremitarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

§ 9. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

In reliquis mandat in suo robore permanere.

§ 10. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat die 12 septembris 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secret. in lib. *Erevis mensis septembris part. xv, fol. 174.*

XXXII.

Erectio custodiae S. Petri de Alcantara Minorum Discalceatorum sancti Francisci in regno Neapolis¹.

Dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis
in regno Neapolitano nuntio,
Clemens Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis sapientiae atque clementiae Dei altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, committere dignata est, exigit, ut, paternam religiosorum virorum divinis obsequiis sub suavi arctioris vitae iugo mancipatorum propriaeque et alienae salutis laudabiliter incumbentium curam gerentes, coetibus illorum stabiliendis, prosperoque et felici eorum regimini et gubernio peculiari charitate intendamus, ac pastoralis numeris nostri partes desuper interponamus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Series facti.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Petrus de Aragonia dux de Segorbe et Cardona, regno² Neapolis prorex, quod aliàs felicis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster conventum S. Luciae de Monte Neapolitano, olim fratrum reformatorum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, fratribus Discalceatis Hispanis provinciae S. Petri de Alcantara Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantia nuncu-

¹ Nunc primum impressa. — De reformatione fratrum Conventualium eorumque transitu ad aliam religionem, latam vel strictiorem, vide Const. XIII, *Debitum*, et Const. CI, *Ex iniuncto*, Clementis IX, tom. XVII, pag. 556 et 778.

² Lege in regno vel regni (R. T.).

patorum, pro eorum habitatione, ad hoc ut missionibus ad spiritualem militum Hispanorum Neapoli degentium, prout eatenus fructuose fecerant, operam in postremo dare possent, concessit, ac fratribus Conventualibus reformatis, qui in eodem conventu reperiebantur, indulisit ut inter fratres Discalceatos huiusmodi incorporari possent attento quod reformationem eorundem fratrum Conventualium extinxerat, et idipsum permisit quoque fratribus Conventualibus reformatis in aliis quatuor eiusdem instituti conventibus in regno praedicto consistentibus, nempe S. Mariae Gratiarum de Squinzano, S. Iacobi Liciensis, S. Catharinae Graemi, et S. Iohannis Baptistae de Trippalta, respective degentibus; qui fratres, vigore licentiae huiusmodi, institutum praedictorum fratrum Discalceatorum amplexi sunt, memorato conventu S. Luciae dictae provinciae S. Petri de Alcantara Hispaniarum incorporato remanente; et, considerato per eundem Clementem praedecessorem quod dictus conventus nec bene gubernari nec sustentari poterat sine instituti sui detrimento si solus remaneret, visum est ipsi Clementi praedecessori ex eodem S. Luciae et aliis quatuor conventibus praedictis institui custodiam per custodem provincialem gubernandam, cum minister provincialis dictae provinciae in Hispania residens, propter locorum distantiam, custodiae huiusmodi curam genere non posset. Verum suspensa fuit huius intentionis dicti Clementis praedecessoris institutio¹, quia fratres Minores Conventuales allegarunt conventus praedictos ad se spectare, quippe qui eorum expensis pro fratribus reformatis eorum Ordinis aedificati fuissent, et huiusmodi allegationis praetextu litteras apostolicas in simili formâ

¹ Forsan executio pro institutio legend. (R. T.).

Brevis expeditas obtinuerunt ad hoc ut, exclusis fratribus Discalceatis, dicti conventus eis consignarentur. Sed hae litterae executioni mandatae non fuerunt, eo quod repertum fuit eosdem conventus esse de iure patronatus fundatos ab incolis ipsorum oppidorum, eorumque dominis, qui ingressui dictorum fratrum Conventualium, ac egressui memoratorum fratrum Discalceatorum in eis tunc hodieque degentium minime consentiebant, et huius sanctae Sedis determinationem super erectione custodiae huiusmodi expectandam esse censebant.

Proces Petri de Aragonia regis Neapolitani proregis

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositione subiungebat, praedictus Petrus dux et prorex, S. Luciae de Monte et alios quatuor conventus supradictos in novam custodiam, quae institutum, doctrinam et caeremonias S. Petri de Alcantara servare debeat, ad Dei gloriam, ac tam Hispanorum, quam aliorum regni praedicti incolarum spiritualem aedificationem, bonorumque operum incrementum, a nobis erigi et institui, ipsiusque novae custodiae custodem et definitores pro hac prima vice auctoritate nostrâ deputari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica digneremur.

Quinque conventus in regno Neapolitano factum Discalceatorum S. Petri de Alcantara mandat erigi in custodiam prout in rubrica.

§ 3. Nos igitur, piis eiusdem Petri ducis et proregis volis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni

tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, et auditis illis quorum interest, praedictos quinque conventus fratrum Discalceatorum provinciae S. Petri de Alcantara Hispaniarum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, videlicet S. Luciae de Monte Neapolis, S. Mariae Gratiarum de Squinzano, S. Iacobi Licicensis, S. Catharinae Grami¹ et S. Iohannis Baptistae de Trippalta, in novam custodiam sub praenarratâ provinciâ S. Petri de Alcantara, quae pro tempore existentis commissarii generalis vel ministri generalis dicti Ordinis, quando ex familiâ cismontanâ fuerit, quemadmodum in litteris dicti Clementis praedecessoris circa praedictum conventum S. Luciae de Monte in formâ Brevis emanatis ordinatum reperitur, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni immediate subiaceat; provinciam tamen S. Petri de Alcantara praedictam tanquam matrem agnoscat, ita ut reciproca suffragiorum pro defunctis utriusque illorum communicatio fiat, iuxta discretam distributionem pro numero personarum faciendam; ipsaque custodia deinceps post hanc primam vicem per unum custodem et quatuor definitores ac guardianos conventuum ex corpore eiusdem custodiae, iuxta constitutiones et stylum Ordinis huiusmodi eligendos, regi et gubernari debeat, auctoritate nostrâ apostolicâ perpetuo erigas et instituas; ac eiusdem custodiae sic erectae et institutae custodi pro tempore existenti, ut eandem in suae custodiae² auctoritatem et facultatem habeat, quae per litteras apostolicas aliis omnibus eiusdem Ordinis custodibus ab hac sanctâ Sede concessa reperitur; ipsa vero custodia ac illius superiores

Post hanc primam vicem mandat regi per unum custodem et quatuor definitores ac guardianos prout in rubrica.

Gaudeat omnibus privilegiis

¹ Paulo ante lectum fuit *Graemi* (R. T.).

² Potius lege *in sua custodia* (R. T.).

et gratiis qui-
bus gaudent a-
liae custodiae
eiusdem Ordi-
nis.

et fratres omnibus et singulis privile-
giis, praerogativis, gratiis et indultis,
quibus aliae custodiae Ordinis huiusmodi
illarumque superiores et fratres ex con-
cessione dictae Sedis utuntur, fruuntur
et gaudent, ac uti, frui et gaudere pos-
sunt et poterunt in futurum, pari modo
et absque ullâ prorsus differentiâ uti,
frui et gaudere libere et licite possint
et valeant, dictâ auctoritate concedas et
indulgeas.

Pro hac prin-
cipali vice provi-
det de custode
et diffinitoribus
ad triennium
duraturis.

§ 4. Praeterea, eidem novae custodiae
de idoneis custode et diffinitoribus, qui
illam, adiuvante Domino, salubriter di-
rigant, pro hac primâ vice providere
cupientes, ac de infrascriptorum Ordi-
nis praedicti professorum fide, prudentiâ,
charitate, vigilantia, integritate et
religionis zelo plurimum in Domino con-
fisi, eidem discretioni tuae harum serie
committimus pariter et mandamus ut
dilectos filios Ioannem de S. Beraardo
in custodem, ac Bartholomaeum Imma-
culatae Conceptionis, alias de Pectorano,
Andream Massiam, Carolum *delle Pia-
ghe* et Iosephum *de Robles*, fratres Dis-
calceatos supradicti Ordinis sacerdotes
expresse professos, in diffinitores novae
custodiae huiusmodi respective ad trien-
nium tantum in officiis huiusmodi du-
raturis, cum omnibus et singulis privi-
legiis, praerogativis, praecellentis, au-
toritate, facultatibus, gratiis et indultis,
ac honoribus et oneribus solitis et con-
suetis, eadem auctoritate deputes atque
constituas; ipsisque custodi et diffinito-
ribus sic deputatis guardianos conven-
tuum dictae custodiae capitulariter eli-
gendi facultatem dictâ auctoritate im-
pertiaris: nos enim quamcumque ne-
cessariam et opportunam ad praemissa
facultatem tibi harum serie auctoritate
praedictâ tribuimus et impertimur.

Decretum ir-
ritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes
litteras omniaque et singula in illarum

executione a te ut praefertur facienda
valida, firma et efficacia existere et fore,
suosque plenarios et integros effectus
sortiri et obtinere, ac illis, ad quos
spectat et pro tempore spectabit, in om-
nibus et per omnia plenissime suffragari,
et ab eis respective inviolabiliter ob-
servari, sicque et non aliter in praemissis
per quoscumque iudices ordinarios et
delegatos, etiam causarum palatii apo-
stolici auditores, ac etiam S. R. E. car-
dinales, etiam de latere legatos et Sed-
dis praedictae nuncios, sublata eis et
eorum cuilibet quavis aliter iudicandi
et interpretandi facultate et auctoritate,
iudicari et definiri debere, ac irritum
et inane si secus super his a quoquam,
quavis auctoritate, scienter vel ignoran-
ter, contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac
constitutionibus et ordinationibus aposto-
licis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis
ac provinciae et conventuum huiusmodi,
aliisque quibuscumque, etiam iuramento, con-
firmatione apostolicâ, vel quavis firmi-
tate aliâ roboratis, statutis et consuetu-
dinibus, privilegiis quoque, indultis et
litteris apostolicis in contrarium praem-
issorum quomodolibet concessis, con-
firmatis et innovatis; quibus omnibus
et singulis, illorum tenores praesentibus
pro plene et sufficienter expressis et ad
verbum insertis habentes, illis aliâ in
suo robore permansuris, ad praemisso-
rum effectum, hac vice dumtaxat, specia-
liter et expresse derogamus; ceterisque
contrariis quibuscumque.

Derogat con-
trariis.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-
iorem, sub annulo Piscatoris, die xxx
septembris MDCLXX, pontificatus nostri
anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat die 30 septembris 1670, pontif anno I.

Registrata in Secretaria in lib. *Brevium
mensis septembris MDCLXX.*

XXXIII.

*Indulgentia die 11 augusti pro ecclesiis
Ordinis sancti Francisci Minorum
Conventualium ubique locorum erectis
vel erigendis[†].*

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem nobis commisit Deus, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad excitandam fovendamque fidelium religionem atque devotionem et promovendam animarum salutem profuturum speramus.

Concedit ut in rubrica. § 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Laurentii Brancati a Laurea, fratris expresse professi Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, in sacra theologia magistri, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione reffectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum dicti Ordinis, tam haecenus erectis quam in posterum quaecumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die 11 augusti a primis vespere usque ad occasum solis festi huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptorum fides. § 2. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis,

† Nunc primum impressa.

etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 octobris 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium mensis octobris.

XXXIV.

Statutum in quo declaratur omnes generaliter Montis Pietatis debitores in formam camerae esse obligatos, et tamquam tales ad eidem Monti satisfaciendum teneri.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Æquitatis et iustitiae ratio exigit, et plurimae quae ex Monte Pietatis de Urbe in publicum assidue proveniunt utilitates suadent, ut illius indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere studeamus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii provisores et deputati dicti Montis, quod, ex dispositione quarundam felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri, bona dicti Montis, ad favorem illorum qui pecunias in banco ipsius Montis deponunt, pro restitutione depositorum efficaciter obligata sunt, perinde ac si cum unoquoque camerale obligatio intercessisset. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, interdum eveniat, ut Montis praedicti debitores remaneant aliqui privati, ac etiam nonnulla loca pia; ac

Prooemium.

Causa huius Constitutionis.

quum vero videatur illos et illa ad satisfaciendum eidem Monti pari cameræ obligationis vinculo adstringi: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut ipsi Monti in præmissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ diguaremur.

Declarat ut
in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, ipos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inodatae existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulos memorati Montis ex quacumque causâ debitores præsentis et futuros, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiae et dignitatis, ac etiam si ecclesiae, monasteria, conventus, collegia, hospitalia, archihospitalia, confraternitates, archiconfraternitates et alia loca pia quacumque etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digna existant, ad satisfaciendum eidem Monti de eorum debitis respective efficaciter obligari, ac obligatos et obligatas existere et fore, in omnibus et per omnia, perinde ac si ab eorum singulis cameræ obligationi ad favorem ipsius Montis facta fuisset, auctoritate apostolicâ, tenore præsentium, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Monti, illiusque provisoriis et deputatis, aliisque officialibus et ministris in omnibus et per omnia plenissime suf-

fragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodocumque spectabit, inviolabiliter observari,

§ 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et curiae cameræ apostolicæ generalem auditorem, necnon vicarium, gubernatorem et senatorem dictæ Urbis, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, dictæque cameræ præsidentes, clericos, thesaurarium generalem, et alios officiales et ministros, nunc et pro tempore quodocumque existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definituri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariæ apostolicæ regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictæ Urbis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stilis, usibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hæc vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicu-

ius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3^a octobris 1670, pontif. anno I.

XXXV.

Declaratur statutum Alexandri VII et Clementis IX circa reformationem Ordinis Cisterciensis non afficere nec obligare monasteria dicti Ordinis in quibus monachi perpetuam stabilitatem promittunt².

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

¹ Tenor Brevis
Alexandri VII.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii abbates monasteriorum Germaniae, Poloniae, Helvetiae, Belgii, Patriae Leodiensis et Hispaniae Ordinis Cisterciensis, quod aliàs (postquam felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster per suas super reformatione generali dicti Ordinis die XIX aprilis MDCLXVI in simili formâ Brevis expeditas litteras inter alia statuerat et ordinaverat ut in singulis provinciis universi Ordinis huiusmodi, etiam extra Galliam, designarentur duo monasteria communis observantiae, unum scilicet pro novitiatu et alterum pro professorio, seu secundo novitiatu, unâ cum magistris pro educandis novitiis et noviter professis, et cum familiâ selectâ),

² Clementis IX
Coesstae.

§ 2. Recondendae memoriae Clemens

1 Ed. Main. ad marg. habet 50; ed. Cherub. tum in textu, tum ad marg. legit 17 (R. T.).

2 Quid statuerit Alexander VII habes in Constit. CCCXLVI *Nuper*, et Constit. CCCLXVII *Aliàs*.

Papae IX praedecessor noster per quasdam suas itidem in formâ Brevis die XX decembris MDCLXVII emanatas litteras ipsis abbatibus exponentibus concessit ut proprios novitios educare possent in illis dumtaxat monasteriis, in quibus viginti quinque religiosi existerent.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, haec dispositio tam abbates praefatos, qui minorem religiosorum numerum habent, quam novitios, qui stabilitatem in illis minoribus monasteriis servant, multum gravet; abbates quidem, quippe qui proprios, quos per professionem suis monasteriis incorporare et cum quibus usque ad mortem vivere debent, probare, eorumque mores, inclinationes et defectus, si alibi educarentur, explorare nequirent; novitios vero, utpote qui incommoda locorum, aëris et onerum personalium illorum parvorum monasteriorum, in quibus perpetuo stabilitatis voto adstricti, absque spe commutationis seu translationis ad alia monasteria, permanere tenentur, experiri non possent; accedit quod pleraque ex praefatis monasteriis, vel ex fundatione, vel ob bellorum et temporum iniurias, non nisi duodecim religiosos sustentare possunt, in quibus tamen, iuxta primaevas Ordinis praefati constitutiones et usum, tam in choro quam extra chorum vigent observantiae quibus satisfieri non posset sine subsidio novitiorum, qui ab Ordinis primordio, etiamsi familiae numerum duodecim non excederent, in huiusmodi monasteriis educari et probari soliti fuerunt: nobis propterea abbates praedicti humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Ratio huius
Constitutionis.

§ 4. Nos igitur, ipsos abbates specialibus favoribus et gratis prosequi vo-

Declarat ut in
rubrica.

lentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas¹ fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supraexpressum statutum seu ordinationem dicti Alexandri praedecessoris non afficere nec obligare monasteria Ordinis praefati in quibus monachi perpetuam promittunt stabilitatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus.

Clansula praeservativa.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praefati² Alexandri et Clementis praedecessorum litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio litterarum.

§ 3. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

¹ Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

² Aptius lege *praefatis* vel *praefatorum* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die iii octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 octobris 1670, pontif. anno I.

XXXVI.

Concessio privilegiorum pro suis cappellanis communibus¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Michaëlangelus Lualdus Romanus², canonicus saecularis et collegiatae ecclesiae S. Marci de Urbe, Paulus Brancondius Romanus, Barnabas Berardus Reatinae, Carolus Iacobellus Verulanus, Vincentius Dinus Civitatis Castellae, et Philippus Baldassinus Aesinensis, respective civitatum vel dioecesium, presbyteri, moderni cappellae nostrae pontificiae cappellani, familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi haecenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas, tam familiari experientiâ quam etiam fide dignorum testimoniis, invari percipimus, nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Prooemium.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes illos specialibus favoribus et gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat conse-

Creantur nobiles et crues, etc.

¹ Similia privilegia concesserunt Innocens X et Clemens IX, ut videre est in tomis praecedentibus.

² Aptius hic et postea lege *Romanus* (R. T.).

quendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad supradictarum Michaëlisangeli, Pauli, Barnabae, Caroli, Vincentii et Philippi, vel alienius ipsorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ nostrâ deliberatione ac certâ scientiâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, Michaëlemangelum, Paulum, Barnabam, Carolum, Vincentium et Philippum praedictos, et illorum singulos, in nostros et Sedis Apostolicae notarios recipimus, ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites (sine tamen dilectorum filiorum notariorum de numero participantium praedictorum), necnon nobiles Romanos, et urbis Romae omniumque et singularum aliarum civitatum terrarum et locorum S. R. E. mediate vel immediate subiectorum cives creamus et constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae comitum ac nobilium Romanorum aliorumque civium civitatum et oppidorum praedictorum referimus et conscribimus.

Ipsorum privilegia etiam si habitum non deferant.

§ 2. Ipsisque, etiamsi habitum et rochetum notariorum dictae Sedis iuxta decretum Lateranensis concilii novissime celebrati non deferant, aut civitates huiusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus et quibuscumque privilegiis et facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, necnon comites et nobiles, ac cives originarii, etiam in dignitatibus et beneficiis ecclesiasticorum et saecularium, etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium, assecutione et exercitio, tam in Urbe quam civitatibus praedictis, ac aliis ubique locorum et

gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aequè principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatae, ita ut, necdum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceant Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis Sedis Apostolicae et comitibus palatinis praetensa, ita ut illis supramemorati cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum et inane existat si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari), uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis deinceps eorum nomine conficiendis sese notarios, comites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanae et aliarum civitatum cives, ut liberit, inscribere et se illis subscribere valeant, ac pro veris et non fictis notariis, comitibus, nobilibus et civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit cum iis expressionibus subreptitum, obreptitum aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus et per omnia censeatur, concedimus et indulgemus.

§ 3. Et insuper illos, eorumque beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, quocumque et qualiacumque, illorum fructus, res et iura, ubicumque locorum, regionum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia, praedia, domos, possessiones et bona patrimonialia-

Exemptio a decimis et aliis impositionibus.

lia, aliaque temporalia, mobilia et immobilia et semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatibus, quantitatis et naturae, et cuiusvis etiam annui valoris fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque ab illis vendenda, ac pro illorum familiarumque suarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datis, pedagiis, collectis, et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, parangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum moenium et pontium, portarum et moliturarum et mercium cuiuscumque generis, transitus, seu passus et vecturae, etiam in aliud territorium seu provinciam, terram, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi et gravissima causa (pro subventionem contra infideles dumtaxat excepta) nunc et pro tempore impositis, ita quod illi et quilibet eorum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneantur, nec per camerae apostolicae, aut alios commissarios seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, alias quam ut praefertur valeant coartari, quamdiu servitiis nostris institerint dumtaxat, eximimus et liberamus.

Dispensatio
ad beneficia.

§ 4. Ad haec cum eisdem, ut quaecumque duo dissimilia, vel simplicia similia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium etiam metropolitanarum aut aliarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis

omnibus cum eadem, aut dignitas etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis imminet animarum, si eis alias canonice conferantur aut eligantur, praesententur aut alias assumantur ad illa, et instituantur in eis, recipere, et, dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere; necnon etiam, quamdiu nobis inservierint tantum, in beneficiis ecclesiasticis, non tamen parochialibus vel curam animarum parochianorum habentibus, per eos pro tempore obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis vel cathedralibus maiores et in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios seu ecclesiarum earundem capitula, aut quosvis alios, ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque et singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus et redditus durante servitio praedicto cum eadem integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis), cum qua illos perciperent si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, percipere, exigere et levare, proviso tamen per eos ut onera eisdem dignitatibus et beneficiis quovis modo incumbencia congrue supportentur.

§ 5. Necnon, etiamsi presbyteri fuerint, ac dignitates et officia obtinuerint, leges et iura civilia etiam publice in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum aetatis an-

Indulgentiam
reali leges.

num non excesserint, audire, ac, si habiles et sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium, in causis ecclesiasticis et civilibus tantum, exercere libere et licite possint et valeant, de specialis dono gratiae dispensamus.

Licentia eligendi confessarium.

§ 6. Liceat quoque ipsis et eorum singulis aliquem idoneum et ab Ordinario loci approbatum presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem in suum eligere confessorem, qui, vitâ eis comite, eos et ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ lapsis, et per eos incursis, et quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat, ac quorumcumque votorum et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectioibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus, necnon recitationis horarum canonicarum aliorumque divinarum officiorum, ac denique ab omnibus et quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ, et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodolibet reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessioni-

bus illorum diligenter auditis (sine tamen alicuius praecedentis), praedictâ auctoritate apostolicâ absolvere, et pro illis¹ commissis poenitentiam pro modo culpae iniungere salutarem, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum, castitatisque et religionis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit;

§ 7. Ac etiam eisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ quam extra eam, etiam ad id per eos aut eorum singulos coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super mensarum abbatialium seu episcopaliû aut archiepiscopaliû, et quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, saecularium, et quorumcumque Ordinum regularium, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque aliorum qualificatorum, fructibus, redditibus, proventus, iuribus, obventionibus et distributionibus, etiam quotidianis, seu illorum² loco fructus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta, sibi nunc et pro tempore assignata et reservata, quando-cumque, simul vel successive, in toto vel in parte, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ, de eorundem cappellanorum vel cuiuslibet ipsorum consensu, in toto vel in parte, etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventus, iuri-

Indultum transferendi pensionibus.

¹ Potius lege et illis pro (R. T.).

² Aptius lege illarum (R. T.).

bus, obventionibus et distributionibus, seu illorum¹ loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi, etiam usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis, etiam per eosdem cappellanos et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotecumque et qualicumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, seu² clericali caractere insigniri volentibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus, eisdem modo et formâ, quibus eisdem cappellanis assignatae, aut reservari vel assignari concessae seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones ac distributiones et emolumenta huiusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatae et de novo assignatae fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, ac aliâs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, integre persolvendas reservare, constituere et assignare;

§ 8. Necnon ut iidem cappellani et eorum quilibet de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis, etiam iurisdictionibus, ceterisque bonis immobilibus et mobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarum ecclesiarum ipsis cappellanis nostris praedictis commissarum ministerio seu alicui speciali earundem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad eos ratione ecclesiarum,

¹ Potius lege *illarum* (R. T.).

² Aptius edit. Cherub. legit *se pro seu* (R. T.).

etiam cathedralium et metropolitauarum, monasteriorum, prioratum, praepositarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliâs quomodolibet obtinuerint, obtinent ac obtinebunt, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus eis reservatarum et assignatarum ac reservandarum et assignandarum, quos et quas perceperint, percipiunt et percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac aliâs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus ac pensionibus annuis, necnon eorum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliâs etiam de numeribus et officiis, quae exercuerint ac eos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad eosdem perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, ac focalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates et veros annuos valores, etiamsi talia forent quae in generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specificè et sigillatim exprimerentur et denotarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus), ac etiam de ipsis proventibus ac pensionibus debitis ac debendis, ac nondum

perceptis et exactis, etiamsi eorum solutionis aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illâ ratâ quae illis debita erit, constitutione declaratoriâ super fructibus et pecuniis non exactis, quae forsam ad successores in ipsis beneficiis spectare et pertinere debeant, non obstante, etiam accumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, et aliâs, pro eorum arbitrio et voluntate absolutis, testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solenni, etiam coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedula solâ eorum manu scriptâ vel subscriptâ, ac aliâs in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsâ curiâ, non tamen extra residentiam, etiam in mortis articulo, et non factâ mentione praesentis vel aliarum eis pro tempore concessarum similiarum facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velint et intendant, semel atque iterum et pluries disponere, statuere et ordinare, ita ut quicquid testatum, gestum aut ordinatum, seu aliâs ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliâs omni meliori modo valeat et servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta etiam pluries, ac toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in

totum revocare et alia de novo condere etiam libere et licite valeant, plenam et liberam concedimus facultatem.

§ 9. Statuentes nihilominus et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod si contigerit ipsos ab intestato et sine ullâ vel cum minus validâ bonorum et rerum ac fructuum, reddituum et proventuum praedictorum dispositione in dictâ curiâ vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia aut alia loca debitae ab eis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedere, omnia et singula eorum bona, res et iura, etiam ut praefertur qualificata, necnon spolia pro dictâ summâ, etiam ex praedictis et aliâs undecumque provenientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes sanguinis eorundem integre deveniant, et, illis deficientibus, inter eorum familiares, arbitrio personae seu personarum, quas ad id ipsi scripto nominaverint, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione eorundem scripturâ etiam minus solenni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu exequutores omnino exequi et adimplere, illisque sese conformare in omnibus et per omnia debeant. Et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones et alia forsam aliâs ab ipsis, etiam nullâ aut minus sufficienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus, actionibus, fructibus, pecuniis, localibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum, et aliâs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quae per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc et e contra, pro dictâ summâ ducentorum ducatorum dumtaxat, approbamus et confirmamus, om-

Supplementum defectuum.

nesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum onissarum et omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint quod specialis et specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Contraria omnia removet.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum devenitum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praedictam quomodolibet editis et in posterum edendis cancellariae apostolicae regulis et stilo in similibus haecenus servato, ac piae memoriae Alexandri Papae VI, etiam praedecessoris nostri, tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri, per quam concessionem de fructibus in absentia percipiendis sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in¹ universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus imperialibus, et aliis etiam municipalibus tam Urbis quam quarumvis aliarum civitatum et locorum in quibus cives originarii creati sunt, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedicti, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae, ac regnorum, provinciarum et Urbis ac aliarum civitatum et locorum, ac praedictae camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, stabili-

¹ Praep. in nos addimus (n. r.).

mentis, usibus et naturis, etiamsi de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliàs quomodolibet concessis utendo ipsi cappellani per se vel eorum procuratores praestiterint forsitan haecenus vel imposterum eos praestare contigerit iuramentum, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et hospitali S. Iohannis Hierosolymitani, illorumque praesulibus, seu administratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus, etiam antianis, capitulis et conventibus, civitatibus et locis, aliisque personis, etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus, ac dictae camerae officialibus, illorumque collegiis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogariis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, et de eiusdem S. R. E. cardinalium consilio, ac per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientia paribus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et marchionum ac aliorum principum instantiam, seu illorum contemplationem, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis et innovatis, et in posterum concedendis, confirmandis et innovandis: etiamsi in iis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite quod Urbis nonnisi originariis civibus Romanis, ac civium eorundem filiiis, aliarum vero partium beneficia nisi per personas il-

lustres seu nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificados obtineri aut conferri non possint; et nullus in civem Urbis, aut civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis et locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsam ad certum valorem ascendente possideat; quodque praeceptoriae et alia benèficia quaecumque dicti hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani, tam ex eius institutione quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione, non in titulum¹ perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam commendatariorum revocabiliter concedi debeant, et sic pensionibus ecclesiasticis saecularibus aut aliis personis apostolicam auctoritate reservandis gravari non possint; quodque stabilimentis et privilegiis praefatis, etiam vigore clausulae implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quasvis litteras apostolicas et quasvis etiam derogatorias derogatorias, efficacioresque et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio dictorum cardinalium fiat, et tum demum ad id magistri et conventus praefatorum ad id expressus accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magnum magistrum subscriptae, ac ei et praefato conventui per diversas in formam Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in huiusmodi litteris, quae sic fient, etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula quod illa-

¹ Edit. Main. legit *indultum pro in titulum* (R. T.).

rum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praefatorum, et non aliàs nec alio modo: quibus omnibus, et eorum singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitae derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in litteris exprimi vel extendi nequeat, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore et firmitate permansuris, hac vice dumtaxat harum serie in genere et in specie ad effectum praemissorum specialiter et expresse, motu et scientia similibus, derogamus ac derogatum esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur et adhiberi posset si forent exhibitae vel ostensae;

Fides transumptorum.

§ 12. Quodque praefati, antequam gratia notariatus perfrui possint et valeant, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede praefata propositos emittere et solitum fidelitatis iuramentum omnino praestare teneantur, et quilibet ipsorum teneatur.

Iuramentum praestandum.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

iozem, sub annulo Piscatoris, die vi octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 octobris 1670, pontif. anno I.

XXXVII.

Constitutio revocatoria exemptionum a vectigalibus, aliisque publicis oneribus¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In gravissimis rerum omnium difficultatibus maximisque angustiis, in quibus camera nostra apostolica, ac communitates et universitates civitatum, terrarum et locorum temporalis S. R. E. ditionis, propter tot sumptus antehac in causam publicam, et nuper in subsidium belli contra Turcas, apostolicae charitatis zelo factos graviaque onera propterea imposita, versantur, nemini mirum videri debet, si, praecipuam aequitatis atque iustitiae publicaeque utilitatis rationem habentes, dum eisdem camerae ac communitatibus et universitatibus quacumque opportuniore atque aequiore ratione sublevandis omnem operam atque industriam nostram assiduo labore et studio, quantum nobis ex alto conceditur, adhibemus, illis aliquod etiam levamen adferre studeamus sublatis immunitatibus et exemptionibus ab onerum publicorum supportatione per nonnullos Romanos Pontifices et Sedem Apostolicam, ac forsitan illius de latere legatos, aliosque earundem Sedis et camerae officiales et ministros, ad importunas supplicantium preces, et aliàs quovis modo concessis, ne illud, quod per eas ali-

¹ Huiusmodi revocationem habes supra Constit. cxxx, *In sublimi*, Alexandri VII, tom. xvi, pag. 222, ubi alia ad materiam annotata reperire poteris.

quibus, iisque ut plurimum locupletioribus, remittitur, in ceteros et quidem plerumque pauperiores subditos nostros refundi necesse sit, atque ita eorum inopia praegravetur.

§ 1. Itaque, camerae ac communitatum et universitatum subditorumque nostrorum praedictorum indemnitati et levamento, quantum cum Domino possumus, aequè principaliter consulere cupientes, ac felicitis recordationis Sixti V, Pauli etiam V, Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII et Clementis IX, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui constitutiones similium exemptionum et immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhaerentes, necnon quaruncumque concessionum, immunitatum et exemptionum huiusmodi, litterarumque apostolicarum, sub plumbo ac in simili formà Brevis, cedularum motusproprii, chirographorum cuiusvis Romani Pontificis praedecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum litterarum et scripturarum desuper quomodolibet emanatarum, pluriesque etiam confirmatarum, tenores etiam veriores et datas ac occasiones, et alia etiam speciali ac individua expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertis respective habentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certà scientià et maturà deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrà perpetuo valiturà constitutione, omnes et quasemque exemptiones et immunitates a solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adiuncti, quatrinoz carnis, taxarum equorum, talliarum, censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, dolianarum, gabellarum quaruncumque, taxae portus Aucionae, quatrinoz, tractarum, peda-

Revocatio, de qua in rubrica.

giorum, vectigalium, collectarum et quorumlibet aliorum onerum et numerum, personalium, realium et mixtorum, ordinariorum et extraordinariorum, solitorum et insolitorum camerarum quorumcumque, ac etiam eorum, quae per communitates et universitates, directe vel indirecte, pro eorundem onerum camerarum solutione publicorumque numerum supportatione, ac pro viis et pontibus construendis, instaurandis, muniendis et manutenendis, aliisque indigentis et usibus quibuscumque tam camerae quam communitatum et universitatum praedictarum, seu aliis, indicta et imposita ac exigenda solita sunt, necnon ab obligatione recipiendi et hospitandi milites et Sedis praedictae officiales, barigellos, executores, aliosque iustitiae ministros, eisque utensilia et alia necessaria subministrandi, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, et quosvis Sedis et camerae praedictarum officiales et ministros quacumque auctoritate et potestate fungentes, et etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, etiam camerarios, ceterosque etiam speciali nota et expressione dignos ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis communitatibus, universitatibus, civitatibus, terris, oppidis et locis ditionis temporalis S. R. E. praedictae, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis nobilibus, baronibus, comitibus, marchionibus, ducibus, principibus, et aliis cuiusvis status, gradus, conditionis praecminentiae existentibus, ac quavis dignitate etiam ecclesiastica et auctoritate praeditis¹, etiam cardinalatus honore fulgentibus, qui castra et iurisdictiones intra limites dietae ditionis temporalis S. R. E. possident,

¹ Male edit. Main. legit *praeditis pro praeditis* (R. T.).

etiam qui nihil ratione castrorum et iurisdictionum huiusmodi Sedi praedictae annuatim seu aliis persolvunt, et tam incolis quam extraneis et forensibus bona stabilia seu mobilia vel se moventia habentibus et tenentibus seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis et laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu et contemplatione, ac ex alia quacumque quantumvis favorabili ac urgentissima et de necessitate specialiter exprimenda causa, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, etiamsi in appaltum¹ et locationum camerarum instrumentis promissum et cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliis quomodocumque et qualitercumque, in genere vel in specie, ad vitam vel ad tempus sive in perpetuum, concessas et datas, ac pluries et iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas et innovatas, et inde etiam iudicis auctoritate sequuta quaecumque, necnon quasvis litteras etiam apostolicas sub plumbo vel in simili forma Brevis, motusproprii cedulas, chirographa et scripturas huiusmodi ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque et effectu penitus ac omnino evacuamus, ac revocata, cassata, sublata et abrogata, irrita, abolita et annullata, viribusque et effectu penitus ac omnino vacua esse,

§ 2. Nec ulli prorsus in petitorio aut possessorio, etiam summarissimo, contra praesentium litterarum tenorem et dispositionem suffragari posse, sed prae-

¹ Male edit. Main. legit *appaltum pro appaltum* (R. T.).

Nemini amplius suffragari.

dictos omnes et singulos exemptos ad omnium et singulorum onerum praedictorum solutionem et supportationem pro ratâ eos tangente in posterum realiter et cum effectu teneri in omnibus et per omnia perinde ac si dictae exemptiones et immunitates eis nullatenus concessae fuissent, nec litterae ac cedulae motusproprii, chirographa et scripturae huiusmodi unquam emanassent, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine praedictis, decernimus, statuimus et declaramus.

Privilegia ecclesiasticis concessa quomodo intelligenda.

§ 3. Praeterea omnia et quaecumque privilegia et indulta, personis ecclesiasticis tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti ac Societatis etiam Iesu regularibus, super similibus immunitatibus et exemptionibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, ad limites iuris communis, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore praedictis, reducimus; illa vero quae nonnullis collegiis in almâ Urbe nostrâ existentibus per dilectos filios clericos regulares dictae Societatis Iesu sive alios quoscumque administrari consuetis similiter a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerunt, quoad victum et vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgo dicitur, a fundaco et magazzino, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus et decernimus.

Privilegia nepotibus Pontificum concessa revocata.

§ 4. Ac demum similia privilegia et indulta, nepotibus et aliis consanguineis vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respective concessa, itidem revocamus et abolemus, ac revocata et abolita esse ac censi debere volumus et statuimus; declarantes illa nemini eorundem nepotum sive consanguineorum vel affinium a die nostrae ad summi apostolatus api-

cem assumptionis suffragari posse et debere, seu potuisse ac debuisse.

§ 5. Per praemissa autem non intendimus revocare exemptiones et immunitates quibuscumque personis ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus de iure competentes, neque thesaurariis, appaltatoribus et conductoribus honorum, introituum et iurium dictae camerae nostrae ab ipsâ camerâ seu aliis illius nomine in appaltuum et locationum instrumentis et illorum ratione ex contractu tituloque vere oneroso concessas. Ac insuper a revocationibus et aliis supradictis excipimus et exceptas esse volumus et declaramus immunitates et exemptiones quibusvis universitatibus et personis datas et concessas in vim contractus ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae, et effectualis pecuniarum solutionis, et non aliâs, eidem camerae apostolicae vel ipsis communitatibus legitime factae, vel ex aliis rationabilibus causis per nos cognoscendis et approbandis, ac etiam declarandis; quas omnes causas onerosas non nisi legitimas ac licitas et honestas prout de iure approbare intendimus¹.

Exceptiones a revocatione.

§ 6. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dictâ camerâ, citato dilecto filio ipsius camerae commissario generali, verificare et in ipsâ camerâ examinari et admitti facere teneantur, etiamsi concessionibus earundem immunitatum et exemptionum, ac litterae, cedulae motusproprii, chirographa, et aliae scripturae desuper emanatae et emanata aliâs in camerâ praedictâ admissae et admissa, ac in illâ eiusque libris registratae et registrata fuerint et sint; quatenus tamen causae onerosae huiusmodi pro vere onerosis et legitimis, ut supra, aliâs in eadem camerâ verificatae et approbatae, ac praeviâ iudiciali discussione non

Sed prius verificandae.

¹ Edit. Main legit *intendamus* (R. T.).

sint legitime habitae; quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem, eosdem obtinentes teneri volumus; interim vero, quoad non fuerint verificatae, minime suffragari, et praesentis revocationis effectum retardare non posse, declaramus.

Exemptiones
cardinalium ad
terminos consti-
tutionum apo-
stolicarum re-
ducit.

§ 7. Praeterea nostrae intentionis non est sub revocationibus et aliis supradictis comprehendere immunitates et exemptiones eiusdem S. R. E. cardinalibus ratione dignitatis cardinalatus, nec non camerae praedictae clericis praesidentibus, aliisque cameralibus, qui in eadem camera sederunt et sedent, concedi seu admitti solitas; nec illas, quibus praelati et officiales Romanae curiae, ac praelati domestici, cubicularii secreti, ac secretarii, et alii familiares et continui commensales nostri et Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti gaudent et gaudere consueverunt; neque illas ob numerum duodecim filiorum a praedecessoribus nostris et aliis supra expressis concessas; quas tamen ad terminos constitutionis recolendae memoriae Pii IV praedecessoris pariter nostri et aliarum constitutionum apostolicarum super similibus exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum et pro tempore et personis¹, ac eo modo et forma quibus de iure communi illis competunt, ac alias iuxta ipsius iuris communis ac supradictarum et aliarum constitutionum apostolicarum dispositionem reducimus, neque aliter quam ut praefertur sive in possessorio sive in petitorio suffragari volumus et decernimus.

Inhibito pro
exequutoribus.

§ 8. Ceterum appaltatoribus, thesaurariis, depositariis, commissariis, executoribus et ceteris agentibus et ministris dictae camerae, ac communitatum et universitatum praedictarum, eandem

¹ Forsan *personas pro et personis* (R. T.).

serie praesentium districtius inhibemus, ne, contra ipsarum praesentium dispositionem, immunitates et exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas, quas ex causa vere onerosa concessas in camera praedicta, ut praefertur, admitti contigerit, ullatenus admittant; et si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eandem cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

§ 9. Postremo lites quaslibet occasione privilegiorum ac indultorum nec non immunitatum et exemptionum huiusmodi quomodolibet suscitatas et in quibusvis tribunalibus pendentes (illarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina iudicium et colligantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, et alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes) a quibuscumque tribunalibus huiusmodi ad nos earundem serie praesentium avocamus, illasque penitus et omnino perpetuo supprimimus et extinguimus, et pro suppressis et extinctis haberi volumus et declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Lites ad so-
avocat.

§ 10. Derecentes praesentes litteras, ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis sive eorum aliqui interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu alias sufficienter aut etiam ullatenus iustificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo

Supradictis
robore addit.

unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae vel quorumvis interesse habentium consensus¹ aut alio quovis quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperi- tionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari aut impetrato, seu etiam motu simili concessio quem- piam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similibus vel dissimi- lium constitutionum ac revocationum et ordinationum revocationibus, suspen- sionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi aut comprehen- sas censi; sed semper ab illis excep- tas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum resti- tutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, quatenus opus sit, de novo concessas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros ef- fectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et quodcumque spe- ctabit, inviolabiliter observari,

Sic et non
aliter iudicari
mandat.

§ 11. Sicque in praemissis per quos- cumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis et camerae praedictarum officiales et mi- nistros, et alios quoscumque quavis au- ctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et

interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel igno- ranter, contigerit attentari.

§ 12. Quocirca dilectis filiis nostro ac S. R. E. praedictae camerario seu pro- camerario, necnon vicecamerario, the- saurario, ac clericis praesidentibus, com- missario et aliis camerae praedictae of- ficialibus, ad quos spectat, praecipimus et mandamus, ut praesentem nostram constitutionem, et in eâ contenta quae- cumque, in omnibus et singulis firmiter et inviolabiliter observent, et faciant ab aliis observari.

Exequutores
deputat.

§ 13. Non obstantibus supradictarum litium pendentia, aliisque omnibus et singulis praemissis, necnon nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac, quatenus opus sit, praedicti Pii praedecessoris de gra- tiis quaecumque interesse dictae came- rae concernentes in eadem camerâ prae- sentandis et registrandis, ita ut prae- sentes in eâ praesentari aut registrari nunquam necesse sit, aliisque apostoli- cis, ac in universalibus provincialibus- que conciliis editis, generalibus vel spe- cialibus, constitutionibus et ordinationi- bus, necnon quibusvis, etiam iuramen- to, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et con- suetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessio- nibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuumproprio- rum, et aliis scripturis et litteris, etiam apostolicis, praedictis et quibusvis aliis, etiam ut praefertur qualificatis, ac spe- ciali notâ et mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendi, sub qui- buscumque verborum tenoribus et for- mis, ac cum quibusvis etiam derogato- riarum derogatoriis, aliisque efficaciori-

Contrariis
derogat.

¹ Male edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

bus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam inexcogitabilibus, et necessario exprimentis, etiam contractus iurati cum camerâ nostrâ apostolicâ initi et cameradi obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis, seu factis, ac aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod nullo unquam tempore sub similibus vel dissimilibus exemptionum et immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus et constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum eumque validissimum statum restituta, reposita et reintegrata, ac etiam sub posteriori datâ per quascumque personas eligendâ de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro pro plene et sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectue habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicari mand.
dat.

§ 14. Ut autem eadem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, et auctoritate apostolicâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae

apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae, sic publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et aereant ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent,

§ 15. Utque earundem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptis
fidem addit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 octobris 1670, pontif. anno I.

Anno a nativitate domini nostri Iesu Christi MDCLXX, indictione VIII, die vero XI mensis octobris, pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Clementis divina providentiâ Papae X, anno eius I, praesens Constitutio affixa et publicata fuit ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, locis solitis et consuetis Urbis, per me Laurentium Signum sanctissimi domini nostri D. Papae cursore.

IOSEPH PIZZARDUS cursorum magister.

XXXVIII.

Indulgentiam plenariam concessam a Clemente IX quibuscumque personis, qui visitaverint aliquam ex ecclesiis fratrum Minorum de Observantiâ, ac Reformatorum Discalceatorum et Recollectorum, necnon Conventualium et Cappuccinorum munitatorum, ac monialium Ordinis sancti Francisci die

*festo sancti Petri de Alcantara, nempe die XIX octobris, extendit ad omnes ecclesias Tertii Ordinis, tam erectas quam erigendas*¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Clemens IX indulgentiam plenariam perpetuam concessit, ut in rubrica.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa IX, praedecessor noster, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Minorum de Observantiâ, ac Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum, necnon Conventualium et Cappuccinorum nuncupatorum, ac monialium Ordinis sancti Francisci, tam haecenus erectas quam imposterum quandoque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die festo sancti Petri de Alcantara, nempe die XIX mensis octobris, a primis vespere usque ad occasum solis festi huiusmodi annis singulis devote visitavissent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et aliàs, prout in ipsius Clementis litteris desuper in simili formâ Brevis die XI octobris MDCLXIX expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

Eam Pontifex extendit ad omnes ecclesias tam erectas quam erigendas Tertii Ordinis in eodem festo.

§ 2. Nunc autem nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, necnon supplicationibus dilecti filii Antonii Cotoni procuratoris generalis Tertii Ordinis sancti Francisci nomine nobis super hoc humiliter porrectis in-

¹ Haecenus non impressa.

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

clinati, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem a memorato Clemente praedecessore concessam, ut praefertur, ad omnes et singulas ecclesias Tertii Ordinis huiusmodi tam haecenus erectas quam imposterum erigendas, et ubicumque locorum existentes, itant omnes et singuli utriusque sexus christifideles, qui vere similiter poenitentes et confessi ac sacrâ communionem refecti aliquam ex ecclesiis huiusmodi eodem die festo a primis vespere usque ad occasum solis festi huiusmodi annis singulis devote visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, eandem plenariam indulgentiam et remissionem consequantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus; in contrarium facientibus quibuscumque¹.

§ 3. Volumus autem ut earundem ipsis praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 9 octobris 1670, pontif. anno I.

XXXIX.

Innovatio declarationum nonnullorum Pontificum de curialibus meretricibus et cortesanis, in qua census vitalitii et contractus cum earum vitâ peritari in praeiudicium monasterii monialium S. Mariae Magdalenae de Poenitentia in Urbe ipsis prohibentur.

¹ Adde non obstantibus (R. T.).

Fides transumptorum.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

Statutum Leo-
nis X.

§ 1. Dudum felicitis recordationis Leo Papa X praedecessor noster monasterio monialium S. Mariae Magdalenae de Poenitentia in Urbe per ipsum erecto, pro illius oneribus supportandis, omnia et singula bona ac spolia curialium meretricum, ex illicito quaestu et extra matrimonii claustra et pudorem viventium in eadem Urbe pro tempore ab intestato et absque condendi testamenti facultate decedentium, perpetuo applicavit et incorporavit, reservatâ tamen eisdem curialibus facultate testandi, dummodo praedicto monasterio quartam vel quintam partem eorundem bonorum reliquissent;

Quod Clemens
VII et Innocen-
tius X extende-
runt.

§ 2. Et huic dispositioni inhaerens recolendae memoriae Clemens Papa VII pariter praedecessor noster decrevit, ut tam cortesanae nuncupatae quam quae palam in postribulis quaestum faciunt, et alias ex quocumque turpi quaestu viventes et quomodolibet etiam in domibus propriis vel alibi ad instantiam certarum personarum saecularium vel ecclesiasticarum detentae vitam impudicam agentes mulieres, quartam vel quintam partem (quam piae memoriae Innocentius Papa X etiam praedecessor noster ad tertiam auxit) eidem monasterio vere et cum effectu non relinquentes, careant omni facultate disponendi de propriis bonis, nedum per viam testamenti, sed etiam donationis causâ mortis, vel inter vivos, aut alterius dispositionis, adeo ut tali casu earum bona quaecumque dicto monasterio applicata ac perpetuo appropriata esse intelligerentur; et alias, prout in eorundem Leonis, XIV kalendas iunii MDXX, et Clementis, idibus augusti MDXXV, ac Innocentii praedecessorum die XXXI maii MDCXLIX expeditis litteris, quarum tenores pra-

sentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 3. Cum autem (sicut accepimus) antedictae mulieres saepenumero suas pecunias investiant in censibus vitalitiis et aliis contractibus cum earum vitâ perituris, et ex hoc mens et finis earundem litterarum eludatur non sine gravi dicti monasterii detrimento quod a multo tempore ob tales contractus in obitu dictarum mulierum nihil fere ex earum bonis consequi potuit, et hoc subsidio destitutum ingenti aere alieno gravatum reperitur:

Causa declara-
tionis.

§ 4. Hinc est quod nos, eiusdem monasterii indemnitati quantum cum Domino possumus consulere cupientes, de consilio particularis congregationis nonnullorum Romanae curiae praelatorum, qui iussu felicitis memoriae Clementis Papae IX itidem praedecessoris nostri rem mature discussissent, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus et decernimus ut in posterum memoratae mulieres huiusmodi census et contractus facere nullatenus possint, nisi prius obtentâ in scriptis licentiâ a protectore unâ cum aliis pro tempore deputatis ad regimen ipsius monasterii.

Declarat ut
in rubricâ.

§ 5. Quam quidem licentiam iidem deputati impartiri nequeant nisi eodem contextu praedictae mulieres vel tertiam partem, quae illi ex pecuniâ investiendâ obventura esset, vel aliam certam summam per eosdem deputatos congrue arbitrandam, monasterio praedicto tradiderint, aut saltem pro dictâ tertiâ parte specialiter alia bona hypotecaverint, aut venditor census in formâ iuris validâ se obligaverit ad eam eidem monasterio solvendam, itant statim sequutâ illarum morte monasterio acquiratur, aut alio

modo pro eorum arbitrio et prudentiâ provideant ut ex huiusmodi contractibus nullum praëiudicium eidem monasterio inferatur. Quatenus vero ipsum monasterium pecuniâ, ut praefertur, investiendâ indigeret, vel quavis aliâ ratione aut causâ ipsi expediret eandem pecuniam in proprios usus convertere, tunc monasterium in censibus et contractibus huiusmodi celebrandis cum iisdem pactis et conditionibus praefertur omnibus aliis cuiuscumque sint status, gradus et conditionis, etiamsi esset ecclesia, vel alius locus pius, et eo casu dictae mulieres ad traditionem vel assecurationem tertiae partis vel alterius summae ut supra minime teneantur. Quod si census et contractus huiusmodi sine dictâ licentiâ ut praefertur obtentâ fuerint celebrati, monasterium praedictum post obitum mulierum sic contrahentium procedere possit et valeat, non quidem contra alios contrahentes aut bona ipsorum, sed contra alia bona earundem mulierum defunctarum, perinde ac si tales census et contractus cum eis initi non fuissent.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto monasterio in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, nec de subreptionis, et obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus¹, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, in controversiam vocari, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel

¹ Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

impetrari, seu impetrato, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae memorati praedecessores in suis respective litteris suprascriptis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 8. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 octobris 1670, pontif. anno I.

Anno a nativitate domini nostri Iesu Christi MDCLXX, indictione VIII, die vero XXIV octobris, pontificatus sanctissimi domini nostri D. Clementis divini providentiâ Papae X, anno eius I, suprascripta constitutio affixa et publicata fuit ad

valvas curiae et in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Carolum Franceschinum apostolicum cursorum.

IOSEPH PIZZARDUS, magister cursorum.

XL.

Breve in quo dispensatur cum clericis et laicis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei, etc., qui in dicta Congregatione tamquam in statu regulari et sub titulo religionis solemniter profiteri non intendunt.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Clemens IX
quod decrevit.

§ 1. Cum felicitis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster Congregationem saecularem Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatam, in qua vota simplicia demtaxat cum iuramento perseverantiae ad praescriptum litterarum recolendae memoriae Alexandri Papae VII praedecessoris pariter nostri in simili forma Brevis die xxiv ianuarii mdcxvi expeditarum emittebantur, ad primarium statum regularem et titulum religionis, in quo illam pia memoriae Gregorius Papa XV etiam praedecessor noster olim per suas itidem in forma Brevis die xviii novembris mdcxxi emanatas litteras constituerat, auctoritate apostolica restituerit ac reintegraverit, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris pariter in forma Brevis die xxiii octobris mdcxix desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur;

Causa huius
Constitutionis.

§ 2. Nonnulli vero tum clerici tum
1 De horum clericorum Congregatione, vide quae indicavi tibi ad Constitutionem, *Cum saecul*, Alexandri VII.

laici, qui ante praenarratam reintegrationem vota simplicia et iuramentum perseverantiae huiusmodi in dicta Congregatione emisserant, supplices a nobis petiverint, ut, quando ad professionem solemnem in hoc novo religionis statu emittendam minime se vocari sentiunt et iater solemniter professos ipsi non solemniter professi quiete ac sine regiminis perturbatione degere non satis valeant, eosdem a praenarratis votis simplicibus et iuramento in praedicta Congregatione emissis prorsus eximere atque ab eorum vinculis absolvere de benignitate apostolica dignaremur:

§ 3. Nos, illorum ac dictae Congregationis statui et quieti quantum cum Domino possumus providere cupientes, de nonnullorum Romanae curiae praelatorum super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui rem semel atque iterum examinarunt et mature perpendunt ac etiam dilectum filium procuratorem generalem dictae religionis audiverunt, consilio, dilecto pariter filio praeposito generali eiusdem religionis harum serie praecipimus et mandamus ut omnibus tum clericis tum laicis, qui alias in statu dictae Congregationis vota simplicia et iuramentum perseverantiae emisserunt, et adhuc solemniter iuxta enarratam reintegrationem professi non sunt, terminum, intra Italiam quidem existentibus, duorum mensium, intra insulas vero Italiae adiacentes, trium, extra Italiam autem et insulas adiacentes, quatuor mensium respective auctoritate nostra apostolica statuat ad declarandum an velint, supradictae reintegrationis beneficio utentes, solemniter profiteri et ad ipsam professionem solemnem emittendam:

Dispensat ut
in rubrica.

§ 4. Quo termino elapso, et solemniter professione non secuta, laici quidem et clerici minoribus tantum ordinibus ini-

Laici et clerici professione non secuta a voti vinculo absolvantur.

tati dimittantur, et a suorum votorum simplicium et iuramenti vinculo per dictum praepositum generalem eximantur et absolvantur;

De clericis sacris ordinibus initiatis.

§ 5. Clerici vero sacris ordinibus initiati, si patrimonium aut beneficium ecclesiasticum congruae sustentationi ad praescriptum sacri Concilii Tridentini sufficiens obtineant, pariter dimittantur, sub Ordinarii loci obedientiâ permansuri: iis vero, qui patrimonio aut beneficio caruerint, permittatur ut in domibus sive conventibus dictae religionis unâ cum solemniter professis voce tam activâ et passivâ caritari permaneat. Quod si discedere malint, etiam dimittantur, itidem sub Ordinarii loci obedientiâ permansuri, et ab exercitio suorum ordinum, donec et quousque patrimonium aut beneficium sufficiens obtineant, suspensi.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarius derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus

et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 18 octobris 1670, pontif. anno 1.

XII.

Confirmatio et extensio indulgentiarum et privilegiorum Congregationi fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum ab Urbano VIII concessorum ¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui, se ipsum exinanens, formamque servi accipiens, pretiosi sui sanguinis profusione nos redemit, exempla assiduâ meditatione pensantes, continuis excitamur stimulis, ut, tantae liberalitatis memores, gemitus maxime filiorum Ecclesiae in vinculis compeditorum misericordiam a nobis postulantium audientes, paternâ sollicitudine ad opem illis quam possumus ferendam eo promptius excitamur, quo illos apud gentes barbaras et incultas durior servitus premit, vincula coarctant, perdita patria et amissi parentes affligunt; necnon eorum, quos frequens sacramentorum Ecclesiae participatio non recreat, imo spiritualis perditionis evidentius terret periculum,

Proceditur.

¹ Vide, quae notavi de his fratribus ad Const. *Supremo*, et ad Constit. *Ex clementi Urbani VIII*.

saluti quantum cum Domino possumus libenter consulamus, illosque ab illâ miserabili servitute sublevemus, ac operarios illi messi, quae utique non pauca existit, ex professo invigilantes adiuvemus, eorumque pium exercitium, quo ipsi, labores expeditius suscipiendo, tam pium opus alacrius continent et promptius exequantur, gratiis et favoribus quibus possumus amplissimis confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa indulti.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Franciscus a Stephano procurator generalis Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum nobis nuper exponi fecit, ¹ fratres et religiosi eiusdem Congregationis in captivorum redemptione pro viribus occupentur, et longos ac taediosos labores in transfretando mari, et apud ipsos infideles dietim sustineant, et non modo in redemptione ipsâ, quae ad omnes captivos nunquam extendi potest, sed etiam exhortationibus, concionibus et admonitionibus ad reliquos, qui dictam duram servitutem continent, ne fides eorum deficiat, occupentur, proprias facultates libenter exponant, discrimina quaelibet et pericula alacriter indefessi subeant, et ut tam pium opus eo alacrius fratres ipsi continent et utilius exequantur, promptioresque ad id reddantur, plurimum cupiant aliarum religionum et Ordinum gratias et privilegia a Sede Apostolicâ concessa, quae felicitis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, per quasdam sub plumbo, anno incarnationis Dominicae mdcxxxiv, v kalendas aprilis, pontificatus sui anno xi. expeditas litteras, Congregationi fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum concessit et communicavit, Congregationi primodictae, illius¹ fratribus et locis per nos et Sedem eandem pariter concedi et communicari: nobis propterea idem Franciscus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, primodictam Congregationem firmissimis praesidiis vallare desiderantes, ipsumque Franciscum procuratorem generalem, et singulares Congregationis huiusmodi personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabili fratribus nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem diligenter examinarunt atque discusserunt, et ea omnia privilegia et indulta apostolica, quibus religio SS. Trinitatis redemptionis captivorum fruitur et gaudet, competere posse et esse itidem proportionata superscriptae religioni de Mercede redemptionis captivorum censuerunt, consilio, eidem Congregationi fratrum Discalceatorum praedicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, illiusque domibus et regularibus locis sub illâ comprehensis, necnon superiori generali pro tempore existenti, diffinitoribus et procuratoribus generalibus, visitori, consultoribus, assessori, superioribusque provincialibus et conventualibus, aliisque cuiuscumque nominis officialibus,

Confirmat prout in rubrica.

¹ Particulam quod heic delentus (n. r.).

¹ Aptius legi illiusque (n. r.).

superioribus, ac religiosis omnibus et singulis in eâ professis fratribus pro tempore ad captivos redimendos transmissis, et capitulis generalibus, personis regularibus, novitiis, conversis, donatis, oblatiis, ministris, famulis, cunctisque tam officariis quam domesticis et eorum domibus inservientibus, et ceteris primodictae Congregationis ac domorum et regularium locorum personis quibuscunque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis ac christifidelibus illorum ecclesias seu cappellas pro tempore visitantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeminentiis, autelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque praerogativis et gratiis universis et singulis, tam spiritualibus quam temporalibus, singulis domibus, conventibus et aliis regularibus locis ac personis tam canonicorum quam clericorum regularium ubivis existentium institutis, et non solum Ordinibus monasticis regularibus Mendicantium et non Mendicantium, tam pro redimendis captivis, quam aliâs quomodolibet Ordini¹ SS. Trinitatis redemptionis captivorum, illiusque domibus, conventibus et fratribus, necnon Ordini Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, ac etiam omnibus et quibuscunque congregationibus regularibus, et praecipue clericorum regularium Infirmis Ministrantium, et canonicorum Congregationis SS. Salvatoris Lateranensis, S. Salvatoris de Bononia, ac etiam S. Ruffi Valentiae, et S. Crucis Conimbriae, clericorum regularium de Somascha, et Pauperum Matris Dei ac² Scholarum Piarum, ipsisque monasticis congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque monachis et monasteriis

S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, conventui B. Mariæ de Guadalupe, necnon Societati Iesu, ipsisque Carthusiensium, Praemonstratensium et reformatorum Cisterciensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque familiis et societatibus regularibus, militiis, hospitalibus quibuscunque, et piis locis regularibus, ac quibuscunque personis, nunc et pro tempore existentibus, praedictorum et quorumlibet Ordinum, societatum et congregationum regularium, per nos et Sedem praedictam ac alios quoscunque praedecessores nostros Romanos Pontifices, necnon eiusdem S. R. Ecclesiae cardinales de latere legatos, et quosvis Sedis praedictae nuncios, vel etiam tam apostolicâ praedictâ quam ordinariâ et regiâ vel imperiali auctoritatibus respective, aut aliâs quomodolibet, quibuscunque verborum expressionibus et tenoribus, in genere vel in specie, ac particulariter, tam per modum communicationis et ampliacionis, quam simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus, concessis hactenus vel confirmatis aut approbatis, et quibus illi, tam in vitâ quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, et iniunctarum poenitentiarum relaxationes, aut aliâs quomodolibet de iure, usu, aut privilegio vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, quanvis illa sint speciali notâ digna, difficilisque concessionis, et quae in generali concessione non veniunt, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem, et ad illorum instar, sed speciatim et nominatim, pariformiter et aeque princi-

¹ Edit. Main. legit *Ordinis* (R. T.).

² Particula *ac* redundat (R. T.).

paliter in omnibus et per omnia, absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si illa primodictae Congregationi, illius capitulis generalibus, superiori generali pro tempore existenti, illiusque superioribus et personis praedictis specialiter, expresse et nominatim, etiam per viam et modum simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut communicationis et ampliacionis, concessa fuissent (quatenus tamen sint in usu et non revocata, nec sub aliquâ revocatione comprehensa), uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant (ita quod omnes et singuli primodictae Congregationis et illius domorum, locorumque regularium superiores et ministri, quocumque nomine appellati, eosdem favores, gratias apostolicas et privilegia, quae aliarum religionum, Ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Iesu, monasteriorum, conventuum domorum, aut locorum regularium et familiarum generales, superiores, praepositi, provinciales, rectores, priores conventuales aut claustrales, visitatores, guardiani, custodes, aut alio quocumque nomine, titulo aut dignitate insigniti habent, similiter ut supra habeant, fratresque et personae regulares primodictae Congregationis generales, superiores, ministri et ceteri alii cuiuscumque appellationis praepositi et praefecti in primodictâ Congregatione expresse professi, et in eius gremio et observantiâ viventes, fratres et personas regulares primodictae Congregationis cum privilegiis, gratiis et favoribus apostolicis Ordinum et congregationum huiusmodi perpetuo secundum observantiam regularem et canonicum institutum Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum regere et

gubernare et respective visitare valeant, neque primodicta Congregatio super praedictis omnibus et singulis a quocumque quavis auctoritate vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut aliâs quomodolibet in iudicio et extra impediri possit), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes semper et perpetuo, tanquam ad divini cultus et bonorum operum augmentum et religionis propagationem tendentes, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis firmiter atque inviolabiliter observari et adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore, quovis praetextu, occasione vel causâ, recedi aut resiliiri, easdemque praesentes sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque praedictam, sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis, minime comprehendi vel confundi, sed semper et perpetuo ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum atque validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, primodictaeque generalis superioris et fratrum Discalceatorum huiusmodi Congregationi suffragari,

Clausula praeservativa.

§ 4. Sicque et non aliâs per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos ac Sedis Apostolicae praedi-

Clausula sublatâ.

ctae nuncios, indicari et definiri debere, irritum quoque et inane quicquid serus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarium derogatio.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, et in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non regularium demorem, locorum et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis primodictae Congregationi, illiusque superioribus et personis, in genere vel in specie, ac aliâs, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliâs de illis eorumque totis¹ tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliâs in suo robore permansuris, hae vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum lites.

§. 6. Volumus autem quod ipsarum praesentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo et notarii publici manu obsignatis, stetur, eademque prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maior-

1 Edit. Main. legit *toties pro totis* (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

18

rem, sub annulo Piscatoris, die xxii octobris mdcclxx, pontificatus nostri anno i.

Dat. die 22 octobris 1670, pontif. anno i.

XLII.

Communicatio privilegiorum et gratiarum Congregationi Carmelitarum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo a Sede Apostolicâ concessorum et concedendorum, favore Ordinis Carmelitarum Calceatorum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Ad uberes bonorum operum fructus, quos dilecti filii fratres Calceati Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, adspirante superioris favoris auxilio, in Ecclesiâ Dei proferre assidue satagunt, paternae dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum reputamus, ut religiosa eorum studia felicesque progressus spiritualium gratiarum atque privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus.

Exordium.

§. 1. Cum itaque, sicut¹ dilectus filius Matthaeus Orlandus prior generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, dudum felicitis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas die xxiii martii mdcxciv et die xx augusti mdcxiii expeditas litteras, quae subinde a recolendae memoriae Paulo Papa V praedecessore pariter nostro confirmatae fuerunt, Congregationem fratrum Discalceatorum nuncupatorum eiusdem B. Mariae de Monte Carmelo esse unum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem scilicet Carmelitanum, ipsisque Congregationi et fratribus Discalceatis omnia, ad praedictum Ordinem tam de iure quam ex privilegiis attinentia, tamquam propria competere, ac

Fratres Discalceati B. Mariae de Monte Carmelo faciunt unum Ordinem Carmelitarum, eisque omnia pertinent quae pertinent ad dictum Ordinem.

1 Vocem *sicut* nos addimus (R. T.).

eiusdem Congregationis praepositum generalem, fratres et moniales, domos, conventus, collegia, ceteraque eisdem pertinentia respective, privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis et gratiis, dicto Ordini concessis et concedendis, uti, potiri et gaudere debere declaraverit, et alias prout in praefatis litteris uberius continetur;

Causa huius
communicationis
Calceatis.

§ 2. Licet autem fratres Carmelitae Calceati omnibus privilegiis, indulgentiis et gratiis praefatae Congregationi fratrum Discalceatorum concessis hactenus frui sint in vim dictae declarationis, qua, ob identitatem eiusdem Congregationis eum Ordine Carmelitano, decernitur id, quod uni est concessum, alteri quoque tanquam proprium competere, nonnulli tamen circa hoc scrupulum subinde patiantur, eo quod non adsit expressa declaratio pro fratribus Carmelitis Calceatis sicuti est pro Discalceatis: nobis propterea dictus Matthaeus prior generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur. Nos igitur, ipsius Matthaei procuratoris generalis votis hac in re quantum eum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac tam praefatarum, quam aliarum quarumcumque litterarum apostolicarum, ad favorem memoratorum fratrum Discalceatorum eorumque Congregationis quomodolibet et quocumque emanatarum, tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi

Communicatio

supplicationibus inclinati, praefato Ordini eiusque fratribus Calceatis et monialibus, ac domibus, conventibus, collegiis, ceterisque ad eosdem quomodolibet pertinentibus respective, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis et gratiis, quae dictae Congregationi fratrum Discalceatorum, eiusque fratribus, monialibus, domibus, collegiis, ceterisque ad ipsam congregationem quomodolibet pertinentibus hactenus per Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam cum clausulâ prohibitivâ communicationis, concessa fuerunt et in futurum quocumque concedentur, dummodo tamen sint in usu, nec revocata aut sub aliqua revocatione comprehensa, pariformiter, et absque ullâ prorsus differentiâ, uti frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant in omnibus et per omnia perinde ac si eidem Ordini eiusque fratribus Calceatis et monialibus, ac domibus, conventibus, collegiis, ceterisque ad ipsum Ordinem spectantibus huiusmodi nominatim et expresse concessa fuissent et in futurum concederentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ

Contrariorum derogatio.

de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praefatis litteris apostolicis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxxi octobris MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 30 octobris 1670, pontif. an. 1.

Registrata in Secretaria Brev. in lib. mensis novembris, fol. 156.

XLIII.

Bulla confirmationis et ampliationis privilegiorum auditorum Sacrae Rotae¹.

**Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Romani Pontificis consueta benignitas ea, quae per praedecessores suos, praesertim personarum non solum pro ipso Romano Pontifice, sed etiam pro universali Ecclesia ac Sedis Apostolicae honore et personis ad illam in dies confluentibus, in² iustitiam administrandam continuos et indefessos labores impendentium commodum et utilitatem concernentia, concessa sunt, ut firma perpetuo et illibata persistent, libenter approbat, aliaque etiam ipsis concedit prout in Domino salubriter prospicit expedire. Cum ita-

¹ Nunc primum impressa.

² Praep. in nos addimus (R. T.).

que felicium recordationum Julius II, Leo X, Clemens VII, Paulus III et Alexander VII Romani Pontifices, praedecessores nostri, dilectis filiis cappellanis nostris causarum palatii apostolici auditoribus, ac eorum locumtenentibus tunc et pro tempore existentibus, eorumque collegio, huius Urbis atque adeo totius christiani orbis supremo tribunali, diversa per ampla privilegia, concessionem, exemptionem, antelationem, praerogativas, libertates, facultates, gratias ac indulta tunc expressa benigne concesserint et approbarint:

§ 1. Nos, auditorum et locumtenentium praedictorum, quorum assidui labores quotidie probantur et incorrupta iustitia orbi christiano elucet, meritis invigilantes, ac eos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnia et singula privilegia, exemptionem, antelationem, praerogativas, concessionem, gratias, libertates, facultates, litteras, ac indulta huiusmodi per dictos praedecessores eisdem auditoribus et locumtenentibus, ac eorum singulis, in genere vel in specie, concessa, quaecumque et qualiacumque sint, ac cuiuscumque tenoris et continentiae existant, quorum¹ omnium formas et tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, cum omnibus et singulis derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, in omnibus et per omnia, motu proprio, non ad ipsorum auditorum et locumtenentium vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae vim, robur et efficaciam adiungi-

Pontifex omnia dicta privilegia motu proprio confirmat.

¹ Vel haec horum pro quorum legendum, vel paulo post habemus pro habentes (R. T.).

mus et innovamus, illaque eisdem et eorum cuilibet, et prout dicti praedecessores nostri concesserunt, de novo pro potiori cautela concedimus, indulgemus et ampliamus.

Clemens VIII
mandavit litteras
apostolicas
pro auditoribus
eorumque locum-
tenentibus
gratis expediri
prout in rubrica.

§ 2. Et insuper, cum idem Clemens, inter alia per eum tunc eisdem cappellanis, auditoribus et eorum locumtenentibus concessa, quod singuli auditores et locumtenentes praedicti quascumque provisionum, commendarum, dispensationum, unionum ad vitam praefectionum, reservationum, fructuum, pensionum, et aliorum quorumcumque, ac facultatum, mandatorum, gratiarum et indulgentiarum ac alias litteras gratiam vel iustitiam separatim seu utrumque mixtim concernentes, a Sede praedicta etiam ratione quarumcumque dignitatum, etiam episcopali, monasteriorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque pro tempore, ut praefertur, ab eodem Clemente et successoribus suis Romanis Pontificibus pro tempore existentibus a Sede praedicta qualitercumque impetrandas, ac sibi etiam motu proprio et ex certa scientia concedendas, et de personis eorum consistorialiter faciendas, in abbreviatorum, scriptorum bullarum, ac registri, necnon, qui etiam de suis apostolicis gratiis expectatis taxam recipiebant, sollicitatorum litterarum apostolicarum, necnon secretariorum et procuratorum audientiae suae litterarum contradictarum, ac aliis quibusvis Romanae curiae officiis gratis, cum subscriptione videlicet *gratis pro auditore seu locumtenente Rotae* per rescribendum litterarum earumdem faciendam expedire possent et deberent, apostolica auctoritate, motu pari, pariter indulserit; mandans tunc et pro tempore existentibus litterarum praedictarum rescribendario, et aliis scriptoribus et abbreviatoribus, sollicitatoribus, secreta-

riis, dictae audientiae procuratoribus, et quibusvis aliis dictae Romanae curiae officialibus expeditioni litterarum huiusmodi pro tempore praesidentibus et ministris, sub excommunicationis latae sententiae, privationis et suspensionis suorum officiorum et perceptionis emolumentorum eorumdem poenis, per eos, ad quos pertinet, et qui eas gratis subscribere vel concedere noluerint, eo ipso incurrendis, ut, absque alio suo et successorum et Sedis praedictae ulteriori mandato, eas gratis subscriberent, et per omnia usque ad, et alia necessaria inclusive omni contradictione et dilacione cessante expedirent, prout in litteris eiusdem Clementis desuper expeditis plenius continetur:

§ 3. Nos, eorundem auditorum et eorum locumtenentium indemnitati consulere, eosque amplioris gratiae favore prosequi volentes, ipsosque auditores et locumtenentes huiusmodi, dictique collegii singulares personas, a quibusvis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innotati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon privilegiorum, exemptionum, facultatum, aliorumque praemissorum et inde secutorum quorumcumque etiam veriores et totos tenores etiam datas causasque, occasiones et qualitates etiam circumstantias ac litium, si quae sint, merita, statum, cum omnibus aliis de necessitate exprimendis, praesentibus pro expressis habentes, motu simili, ac ex scientia, et apostolicae potestatis plenitudine praedictis, indultum circa dictarum litterarum expeditionem gratis, ut praefertur, faciendam,

Hoc indultum
decum Pontifex
confirmat.

1 Particulam *ut nos addimus* (R. T.).

a dicto Clemente, ut praefertur, concessum, etiam quoad expeditionem gratiarum praedictarum in eorundem auditorum et locumtenentium favorem per viam secretam gratis faciendam, perinde ac si in dictis litteris eiusdem Clementis de eadem viâ secretâ circa dictam expeditionem expressa et individua mentio facta fuisset, motu pari extendimus et ampliamus.

Alexander VII
auditores sa-
erae Rotae cre-
avit subdiaconos
apostolicos
in locum collegii
suppressi dictorum
subdiaconorum,
quibusdam excep-
tis redditibus
et emolumentis.

§ 4. Ac propterea, cum, post suppressionem et abolitionem collegii subdiaconorum apostolicorum nuncupatorum a praedicto Alexandro praedecessore factam, idem Alexander praedecessor dictos auditores subdiaconos apostolicos fecerit, creaverit, constituerit et declaraverit; ipsumque praedictorum auditorum collegium in locum subdiaconorum per eum ut praefertur suppressorum et abolorum, cum eodem omnino onere assistendi et inserviendi nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici in quibusvis functionibus pontificiis, ad quod dicti subdiaconi ante officiorum suorum suppressionem et extinctionem ut praefertur factas quomodolibet tenebantur et obligati erant, et cum omnibus et singulis honoribus, praerogativis, praecedentiis et praeceminentiis, quae, de iure et ex constitutionibus et indultis apostolicis, ¹ ut praefertur suppressis et abolorum, illorumque collegio, ante suppressionem et abolitionem huiusmodi competebant, quibusdam tamen redditibus et emolumentis exceptis, motu suo proprio substituerit et subrogaverit, indeque eisdem auditoribus cura et custodia palliorum, quae de corpore sancti Petri sumpta in consistorio patriarchis, archiepiscopis et nonnullarum ecclesiarum insignium usu pallii huiusmodi gaudentium episcopis distribui solent, incumbat;

¹ Deest *subdiaconis apostolicis* (B. T.).

§ 5. Ratio postulat ut qui sentit onus, sentiat et commodum: nos provisionem scutorum octo monetae, quae idem Alexander praedecessor intuitu curae et custodiae praedictarum usque ad suum beneplacitum canonicis altaristis S. Petri pro tempore existentibus in singulos menses assignaverat, ex nunc collegio auditorum praedictorum perpetuo assignamus, applicamus et appropriamus; mandantes dilectis filiis provisoribus Montis Pietatis ut deinceps in perpetuum dictam provisionem octo scutorum singulis mensibus iuxta formam et tenorem chirographi dicti Alexandri praedecessoris sub die XIX martii anni Domini MDCLVII, illiusque confirmationis, quorum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, emanatorum, non amplius canonicis altaristis S. Petri pro tempore existentibus, sed collegio auditorum praedictorum solvant, ita ut altaristis menstrua provisio praedictorum octo scutorum non amplius proveniat, nec ab ipsis ratione curae et custodiae palliorum praedictorum vel sub quovis alio praetextu aut colore praetendi vel exigi possit, sed collegio auditorum praedictorum obveniat et cedat, illique perpetuo assignata, applicata et appropriata sit et esse censeatur tenore praesentium: per quas venerabili fratri nostro archiepiscopo Sebastensi moderno canonico altaristae, cui, donec officium seu beneficium altaristae huiusmodi obtinuerit, praedicta provisione octo scutorum frui et gaudere permittimus, quoad emolumentum praedictum praeiudicare non intendimus.

§ 6. Ac omnes et singulos iuris et facti necnon solemnitatum quarumcumque, tam iuris canonici et constitutionum apostolicarum praescripto, quam aliis quomodolibet in similibus et de necessitate observandarum, et alios quos

Pontifex menstrua scuta octo quae dabantur canonicis altaristis S. Petri applicata collegio auditorum sacrae Rotae.

Omnes defectus et omissions tales supplet.

cumque etiam quantumvis magnos, formales, incognitos¹ et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis et eisdem partibus, vel eorum aliquo vel earum parte, principaliter vel accessorie, antecedenter vel consequenter, aut concomitanter, vel aliàs quomodolibet intervenierint, seu intervenisse dici, censi, vel praetendi possent, plenissime et amplissime supplemus, sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Mandat nulla ex causa huiusmodi litteras posse impugnari et invalidari.

§ 7. Decernentes ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, quaecumque specificà et individuà mentione et expressione dignà, etiamsi in praemissorum vel eorum aliquo interesse habentes seu habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut aliàs ex alià quacumque instà, pià, privilegiatà causà, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, et enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis ac nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus², aliove quomodolibet, quantumvis magno, formali, substantiali aut inexcogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, limitari aut in controversiam vocari, aut adversus illa aperiitionis oris et restitutionis in integrum aut³ aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, vel impetrato, vel etiam motu, scientià et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio et extra illud uti seu se iuvare posse,

1 Forsan *incogitatos* legendum (R. T.).

2 Editi. Main. legit *consensu* (R. T.).

3 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

§ 8. Sed praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis auditoribus illorumque locumtenentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, nec sub quibusvis suspensionibus, perpetuis vel ad tempus, derogationibus, revocationibus in contrarium factis vel faciendis minime comprehendi, neque illis derogari posse, nisi eorundem auditorum vel locumtenentium ad id accesserit assensus, sicque et non aliàs in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae nostrae apostolicae praesidentes, clericos, auditorem, thesaurarium et commissarium generales, aliosque officiales et ministros, ceterosque quaecumque praecminentia et potestate fungentes et functuros, sublatà eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandat illis derogari non posse nisi dictorum auditorum accedat assensus.

Decretum irritans.

§ 9. Quocirca pro tempore existentibus S. R. E. vicecancellario et datario ac curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per presentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum auditorum, locumtenentium, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacioris defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrà eos et eorum quemlibet confirmatione, adiunctione, innovatione, concessione, indulto, ampliatione, assignatione, applicatione, approbatione,

Exequutores desigual.

suppletionem, sanationem, abolitionem, decreto ac aliis praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos¹ per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores et rebelles per censuras ecclesiasticas ac alia iuris remedia appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrarius
derogat.

§ 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, piarum memoriarum Sixti, et Pauli II, Pauli IV et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae et camerae praedictae non alienandis, ac recolendae memoriae Pii Papae IV, praedecessoris pariter nostri, de gratiis quaecumque interesse dictae camerae concernentibus in eadem camera intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut ipsas praesentes litteras ibidem praesentari, admitti et registrari nunquam necesse sit, necnon nostrae et cancellariae apostolicae regulam de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis editis et edendis, necnon, etiam inramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque et perpetuis indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, in contrarium praemissorum per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam, cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, secretariis apostolicis ac cancellariae et camerae apostolicarum officialibus, ac de communi et annata ac plumbo necnon de quibusvis aliis emolumentis participantibus, et quibuscumque aliis, quocumque

¹ Vocem eos nos addimus (R. T.).

nomine nuncupentur et dignitate seu maiori praeferantur, in genere vel in specie, seu eorum collegiis, et in actu eorum erectionis, concessis, approbatis et innovatis, et imposterum concedendis et innovandis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia causa¹ exquisita forma ad hoc servanda foret, ac in eis caveatur expresse quod illis nullatenus ac sine consensu interesse habentium derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, motu ac scientia similibus expresse derogamus; necnon omnibus illis quae in litteris eisdem auditoribus et locumtenentibus seu eorum collegio voluerunt dicti praedecessores non obstare, quae pro repetitis habeantur; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem quod earundem praesentium transumptis eadem prorsus fides in iudicio et extra ac aliis ubicumque adhibeatur, quae adhiberetur originalibus si forent exhibitae vel ostensae. Per praesentes autem non intendimus illa, quae per Concilii Tridentini decreta et alias posteriores constitutiones apostolicas specificiter revocata sunt, in aliquo approbare.

Transumptum
fides.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, adiunctionis, innovationis, concessionis, indulti, ampliationis,

Sanctio
pos-
nalis.

¹ Vox causa redundat (R. T.).

assignationis, applicationis, approbationis, suppletionis, sanationis, abolitionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXI, XIV kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 decembris 1670, pontif. anno I.

Locus † plumbi.

XLIV.

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, tam erectis quam erigendis, in festis Ss. Ioannis de Matha et Felicis de Valois fundatorum eiusdem Ordinis².

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores aliis³ decoravit honoribus et caelestis beatitudinis consortes efficit, vices licet immeriti gerentes in terris, specialium munerum thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, libenter erogamus, sicut ad fovendam et incitandam fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

In indulgentiae plenariae perpetuae pro visitantibus ecclesiis Ordinis § 1. Itaque, praeclara Ss. Ioannis de Matha et Felicis de Valois fundatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis ca-

¹ Edit. Main. legit 1671 (R. T.).

² Nunc primum edita.

³ An *altis pro aliis* legendum iudicet lector scius (R. T.).

ptivorum merita devote recolentes, ac ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia devotione intenti, necnon de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione reffectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum tam Calceatorum quam Discalceatorum et monialium dicti Ordinis hactenus erectis et in futurum quaecumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, eorundem Ss. Ioannis de Matha et Felicis de Valois festis diebus, a primis vespers usque ad occasum solis festorum huiusmodi, annis singulis devote visitaverit, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die festo praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus perpetuis futuris temporibus valituram.

§ 2. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in iudicio et extra, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 20 decembris 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secret. Brev. lib. 1, diversor., fol. 636.

XLV.

Declaratio super innovationibus factis circa provisiones ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium regnorum Portugalliae et Algarbiorum, eorumque Indiarum et conquistarum, post decessum regum Sebastiani et Henrici, quod per eas principaliter vel accessorie sive antecederet vel consequenter aut concomitanter vel aliàs quomodolibet factas¹ iuribus coronae Portugalliae nullo modo praediudicatum sit aut praetendi possit, sed omnia et singula, provisiones dictarum ecclesiarum quovis modo concernentia, in eo statu, in quo ante innovationes huiusmodi tempore praefatorum eorumque antecessorum regum erant, remanerent et remanere debeant in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem nullo modo unquam factae fuissent².

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium et
raio huius de-
clarationis quo-
ad provisiones
factas ecclesiarum
regnorum
Portugalliae et
Algarbiorum,
atque Indiarum
ac conquista-
rum tantum.

Cum, sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri principis regnorum Portugalliae et Algarbiorum gubernatoris per dilectum filium et nobilem virum Franciscum de Sausa comitem de Prado et marchionem de las Minas, eiusdem Petri principis gubernatoris apud nos et Sedem Apostolicam oratorem nobis nuper expositum fuit, circa provisiones ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in dictis regnis eorumque Indiis et conquistis consistentium nonnullae innovationes, post decessum clarae memoriae Sebastiani et Henrici, dum vixerunt, Portugalliae et Algarbiorum regum illustrium, factae fuerint, propter quas praetendi forsitan posset iuribus coronae Portugalliae aliquo modo praediudicatum esse :

¹ Ed. Main. legit *factarum pro factas* (R. T.).

² Antea non impressa.

§ 1. Nos, eundem Petrum principem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, per quascumque innovationes, quae circa provisiones ecclesiarum praedictarum post decessum memoratum¹ Sebastiani et Henrici regum principaliter et accessorie sive antecederet vel consequenter aut concomitanter vel aliàs quomodolibet factae fuerunt, iuribus coronae praedictae nullo modo praediudicatum esse aut praetendi posse, sed omnia et singula, provisiones earundem ecclesiarum quovis modo concernentia, in eo statu, in quo ante innovationes huiusmodi tempore praedictorum Sebastiani et Henrici eorumque antecessorum regum erant, remansisse et remanere in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem innovationes nullo modo factae fuissent, tenore praesentium declaramus.

§ 2. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicut in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, aliosque quoslibet, quaecumque praecemin-

¹ Aptius leg^o *memoratorum* (R. T.).

Manlat di-
clas provisiones
post decessum
dictorum Seba-
stiani et Hen-
rici regum fac-
tas iuribus co-
ronae nullatenus
obesse.

Decretum ir-
ritans et clan-
sula sublatâ.

tiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defuiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus praemissis, nec non apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, aliisque quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCLXX, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 22 decembris 1670, pontif. anno I.

Registrata in Secret. Brev., in lib. I diversorum, fol. 457.

XLVI.

Declaratio ad favorem Sedis Apostolicae super innovationibus circa provisiones ecclesiarum regnorum Portugalliae et Algarbiorum eiusque Indiarum et Conquistarum post decessum regum Sebastiani et Henrici factis, quod per eas nullum sit illatum praedictum iuribus sanctae Sedis Apostolicae.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum nos hodie, motu proprio ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, per quascumque innovationes, quae circa provisiones ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Portugalliae et Algarbiorum regnis eorumque Indiis et Conquistis consistentium, post decessum clarae memoriae Sebastiani et Henrici, dum vixerunt, Portugalliae et Algarbiorum regum illustrium, quomodolibet factae fuerunt, iuribus coronae Portugalliae nullo modo praedictum esse aut praetendi posse, sed omnia et singula, provisiones earundem ecclesiarum quovis modo concernentia, in eo statu, in quo ante innovationes huiusmodi tempore praefatorum Sebastiani et Henrici eorumque antecessorum regum erant, remansisse et remanere, in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem innovationes nullo modo unquam factae fuissent, declara-

Declaratio facta favore in-
rius coronae
Portugalliae.

1 Hactenus non impressa.

vimus¹, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberrime continetur; et (sicut accepimus) praetendi forsitan possit per innovationes huiusmodi aliquid praeiudicii iuribus huius sanctae Sedis Apostolicae illatum esse, aut inferri quoquo modo posse:

Declarat provisiones ecclesiarum sequutas in regno Portugalliae, etc. post decessum Sebastiani et Henrici regum, nullatenus obesse iuribus Sanctae Sedis.

§ 2. Hinc est quod nos, qui, ex debito pastoralis officii nobis divinitus commissi, iura dictae Sedis tueri et illibata conservare tenemur, eiusdem Sedis indemnitati hac in re quantum cum Domino possumus consulere volentes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, per praefatas et alias quascumque innovationes, quae circa provisiones metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum praefatarum, seu alterius illarum, post decessum memoratorum Sebastiani et Henrici regum, principaliter vel accessorie, sive antecedenter vel consequenter aut concomitanter, vel aliàs quomodolibet, factae fuerunt, seu quas factas fuisse in posterum quandocumque apparuerit, ac inde secuta et secutura quaecumque, nullum omnino etiam quantumvis modicum et minimum praeiudicium quibuslibet Sedis Apostolicae praefatae iuribus circa provisiones ecclesiarum huiusmodi, illi undecumque ac quomodocumque et qualitercumque competentibus et competitoris, vel ab eâ praetensis, illatum esse seu fuisse, aut illatum dici, censeri, intelligi vel praetendi unquam posse, neque quidquam iuris, etiam quantumvis modicum et minimum, in praeiudicium dictae Sedis, per innovationes huiusmodi coronae praefatae, et aliis quibusvis, etiam specificâ et individua mentione dignis, quovis modo additum

¹ Aptius lege *declaraverimus* (R. T.).

vel acquisitum esse vel fuisse, aut quandocumque fore, sed omnia et singula eiusdem Sedis iura huiusmodi semper integra, illaesa, intacta, illibata, ac in nihilo diminuta vel labefactata, tam in possessorio quam in petitorio, et aliàs quomodolibet, perpetuo remanere, in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem innovationes; indeque secuta et secutura quaecumque, nunquam factae nec secutae¹ fuissent, neque unquam sequerentur, tenore praesentium declaramus et decernimus.

§ 3. Ac, ad maiorem et abundantiore cautelam, et quatenus opus sit, eandem Sedem eiusque iura praefata adversus praeiudicialia quaecumque, quae illis ex praemissis seu eorum occasione quoquo modo enata esse dici, censeri vel praetendi unquam possent, in integrum et pristinum, ac eum in quo antequam praefatae innovationes fierent quovis modo erant statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

§ 4. Decernentes pariter easdem ipsas praesentes litteras, etiam ex eo quod praefati et quicumque alii in praemissis interesse habentes vel habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque vocati et auditi fuerint, vel ex aliâ quacumque, etiam quantumvis legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus², aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali defectu notari, redargui, impugnari vel infringi, aut in controversiam vocari, seu ad tramites iuris reduci, aut adversus illas aperi-

Sanctam Sedem adversus dictas provisiones restituit in integrum.

Tollit facultatem impugnandi dictam declarationem ex quocumque capite.

¹ Cohaerentius lege *secuta* (R. T.)

² Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

nis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis censi, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praefatae nuncios, alios vel quoslibet quacumque praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Amplissime
derogat contra-
rus.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus, necnon ecclesiarum praefatarum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac eam quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili ac consistorialiter et aliâ

quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâ in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI decembris MDCLXX, pontificatus nostri anno 1.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 22 decembris 1670, pontif. anno 1.

Registrata in Secret. Brevium, in lib. 1 diversorum, fol. 461.

LXVII.

De erectione et custodia manuscriptorum archivii datariae in aedibus eiusdem erigendi.

Clemens Papa X,
Motu proprio, etc.

Admonet nos cura pastoralis officii, nobis meritis licet imparibus divinâ dispositione commissi, ut ad ea libenter intendamus, per quae Datariae nostrae apostolicae, a qua gratiae nostrae pro-

Exordium.

1 Nunc primum edita.

deunt, administratio per illius ministros et officiales facilius exerceatur, et ad id tum illius consuetudinis et styli, tum etiam de praeterito sequutorum notitia¹ et documenta necessaria habeantur, eaque habita sub bonâ et fidei custodia perpetuo praeserventur; et ut id facilius subsequi possit, quandoque nova loca et administrationes, quae pro notitiarum et documentorum huiusmodi conservatione opportuna esse cognoscimus, erigamus et instituamus, et alias desuper disponamus prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Manuscripta
ac documenta
datariae penes
multos.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, plura manuscripta, notitiae et documenta dictam administrationem concernentia, et alia huius sanctae Sedis interesse respicientia, ac datariis seu prodatariis pro tempore praedecessorum nostrorum ab iisdem praedecessorum² commissa, laboribus et studio tum eorumdem datariorum seu prodatariorum praedictorum tum et aliorum pro tempore ministrorum seu officialium eiusdem Datariae et forsitan aliorum virorum sedulorum et peritorum coacervata et conscripta, penes diversas particulares personas reperiantur, illaque in eadem datariâ desiderentur, ex quo datariis seu prodatariis pro tempore, eiusque substitutis³ et ministris, continui labores pro notitiarum et documentorum huiusmodi exemplaribus et cognitionibus retroactorum exquirendis resultare dignoscuntur, ac etiam, sicut accepimus, dilecti filii nostri Petrus tituli S. Marci Ottobonus, qui felicis recordationis Clementis Papae IX praedecessoris nostri prodatarii munere functus fuit, et Iacobus tituli S. Pancratii Franzonus, nuncupati, presbyteri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, non-

¹ Cohærentius lege notitiae (R. T.).

² Videtur legendum praedecessoribus (R. T.).

³ Legere eorumque (R. T.).

nulla manuscripta et documenta huiusmodi, eorum et cuiuslibet ipsorum studio et laboribus perquisita et per eos conservata, eidem Datariae nostrae apostolicae ex eorum laudabili liberalitate donare et tradere libenti animo intendant:

§ 2. Nos, quibus inter alia praecipue cordi est, ut Romanae curiae officiorum et tribunalium praeserim vero Datariae nostrae praedictae administratio, facilitate et tranquillitate ac sedulitate semper et perpetuo peragatur, et ut necessaria adhibeantur media ad illam consequendam in praemissis opportune quantum in nobis est consulere volentes:

§ 3. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum archivium secretum datariae nostrae apostolicae nuncupandum in eiusdem datariae aedibus sub protectione et supremâ superintendentiâ dilecti filii nostri Gasparis tituli S. Prudentianae eiusdem S. R. E. presbyteri cardinalis de Carpineo nuncupati, nostri in Urbe eiusque districtu vicarii in spiritualibus generalis, et de praesenti prodatarii nostri, et successorum suorum pro tempore existentium datariorum seu prodatariorum, ac curâ et administratione dilecti filii Sanctis de Pilastris, litterarum apostolicarum per viam de curiâ abbreviatoris ac subdatarii, et successorum suorum pro tempore existentium subdatariorum (ad quod tam praedicta, si illa consequi contingat, quam quaecumque alia similia manuscripta et documenta, seu notitiae, aliaque, quae idem Gaspar cardinalis prodatarius et eius successores praedicti pro servitio eiusdem datariae et illorum conservatione transferri expediens putaverint, transferri et conservari, nec inde absque eiusdem Gasparis cardinalis

Motu proprio
petitionis
archivii in aedi-
bus secretis
datarii.

et illius successorum praedictorum licentiâ in scriptis desuper obtinenda aliquo modo extrahi debeant), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

§ 4. Statuentes et mandantes quod statim atque Petrus et Iacobus cardinales praedicti manuscripta et documenta huiusmodi, ut praefertur, donaverint, illorum inventarium, modo et formâ ab eodem Gaspare cardinali praescribendis, confici, et, in eventum in quem ab aliis similium manuscriptorum et documentorum donationes aut aliâs quoquo modo transportationes fiant, etiam ut praefertur donanda et transportanda huiusmodi pro tempore in eodem inventario pariter describi et notari, quodque eiusdem archivii duae similes claves, una videlicet penes eundem Gasparem cardinalem et successores suos, altera vero penes dictum Sanctem et pro tempore existentes subdatarios pro commodiori et faciliiori in dictum archivium cuiuslibet illorum aditu et ingressu tantummodo et private quoad alios remanere debeant; et insuper, casu quo licentia praedicta manuscripta seu documenta huiusmodi extrahendi, ut praefertur, concedatur, a tergo eiusdem licentiae manuscriptorum seu documentorum huiusmodi extrahendorum propriâ manu illa recipientis receptionis confessio adnotari, et ulterius nota receptionis huiusmodi in⁴ pro tempore existente libro ad id desuper conficiendo et destinando, ac in eodem archivio asservando, ad hoc ut extractorum huiusmodi memoria quandocumque extet et illa recipientes ad illorum reportationem compelli possint, adnotari et describi debeant.

Confectio inventarii omnium manuscriptorum et documentorum quae ibi erunt.

Facultas cardinalis prodatarii asportandi ad dictum archivium manu-

§ 5. Et insuper tam dicto Gaspari cardinali prodatario, quam eius successoribus praedictis, quaelibet manuscripta,

1 Praep. in nos addimus (R. T.).

documenta et notitias tam in datariâ quam ubilibet existentia, etiam ab aliis officiis, et praesertim illo *de Missis* nuncupato, ad idem archivium pro eorum arbitrio transferendi, et illa in eodem inventario augendi¹ et notandi, plenam et liberam ac omnimodam facultatem et auctoritatem motu simili tribuimus et impartimur.

Scripta ubilibet existentia.

§ 6. Et praeterea, quantum ex alto conceditur, eiusdem archivii conservationi et mantentioni consulere volentes, motu pari, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate fungens, absque dictâ licentiâ et supradictâ formâ non servatâ, ac aliâs quam ut praefertur, manuscripta et documenta ac notitias huiusmodi, eorumque quinterna, libros, folia etiam impressa, in² dicto archivio asservanda et ad illud spectantia et pertinentia, extrahere seu ut extrahantur permittere aut consentire sub quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio audeat seu praesumat, sub excommunicationis et etiam ab eodem datario seu prodatario pro tempore illius arbitrio infligendis poenis per contrahentes eo ipso incurrendis, eâdem auctoritate, motu etiam pari, perpetuo interdicens et prohibemus.

Poenae contra extrahentes a dicto archivio manuscripta, etc., non servata formâ ut supra.

§ 7. Nihilominus, cum rationi consonum et aequum sit quod manuscriptorum et documentorum huiusmodi tam praedicti quam pro tempore donatores aliquo speciali privilegio gaudeant, tam Petro et Iacobo cardinalibus praedictis, postquam donatio, ut praefertur, per eos facienda, secuta fuerit, quam aliis qui eidem archivio similia manuscripta seu documenta aut notitias seu libros dono dederint, ut³ documentorum huiusmodi, aliorumque per eos, ut praefertur, do-

Inclitum donantibus extrahendi manuscripta et documenta donata, absque licentiâ, relicta tamen in archivio schedula receptionis.

1 Forsan *adiungendi* pro *augendi* leg. (R. T.).

2 Praep. in nos addimus (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *et pro ut* (R. T.).

natorum usu, relictâ tamen schedulâ dictorum documentorum seu librorum receptionem continente (factâ tamen per dictum subdatarium in suo libro praedicto extractorum adnotatione) eorum manu subscriptâ et in eodem archivio asservandâ, quodcumque ad tempus gaudere et frui possint et valeant, motu similiter pari, perpetuo concedimus et indulgemus.

Decretum irritans, etiam quoad futura.

§ 8. Decernentes propterea praesentes et desuper conficiendas litteras, etiam ex eo quod quicumque forsitan interesse habentes aut habere praetendentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, vel ex eo quod illae nullâ subsistente causâ vel etiam de facto processisse dici possent, sive etiam processerint, aut ex aliâ quavis iuridicâ et legitimâ etiam necessario¹ exprimentâ causâ, vel quocumque praetextu, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari et ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu et potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibuscumque constitutionibus et cancellariae apostolicae regulis editis et edendis ac litteris apostolicis in contrarium, etiam pari motu et consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus et limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo ante praemissa erant validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas; ac de novo etiam sub qua-

¹ Edit. Main. legit *necessaria* (n. r.).

cumque posteriori datâ per modernos et pro tempore existentes datarium seu prodatarium ac subdatarium praedictos quodcumque eligendâ concessas, validas et efficaces, etiam ex eo quod in camerâ nostrâ apostolicâ nullo unquam tempore registrarentur aut praesentarentur, fore et esse; sicque et non aliâs per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, et camerae praedictae praesidentes et clericos, necnon eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, sublata eis et eorum cuilibet aliter super his iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 9. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, etiam, quatenus opus sit, pie memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, sub datum videlicet VIII idus augusti pontificatus sui anno VI editâ, inter alia disponente, quod omnes gratiae quaecumque camerae praedictae interesse concernentes infra certum inibi expressum tempus in eadem camerâ praesentari et registrari debeant, et, quatenus in aliquo obstet, similis memoriae Sixti Papae V similiter praedecessoris nostri super institutione quindecim aut aliarum congregationum editâ, aliisque apostolicis, ac etiam, quatenus opus sit, eiusdem datariae et aliorum officiorum erectionibus et institutionibus, ac eorundem officiorum collegiis, constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis,

Contrarius derogat.

etiam motu huiusmodi, ac etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac in futurum concedendis, approbandis et innovandis;

Etiã spectatam aut individua mentionem seu formam requirentibus.

§ 10. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu itidem pari, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque, eum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio E.

Absolutio a censuris et facultas extendendi latissime superius expressa.

§ 11. Et cum absolute a censuris ad effectum, etc., et de erectione, institutione, statuto, mandato, interdieto, prohibitione, concessione, indulto, decreto, derogatione, aliisque praemissis, ut supra, latissime extendendis;

Quod maior et verior expressio fieri possit in litteris.

§ 12. Et quod praemissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris;

Quod sola signatura sufficiat.

§ 13. Et cum de cetero, quod sola praesentis nostri motusproprii signatura sufficiat ut ubicumque fidem faciat in iudicio et extra illud, regulà quaecumque contrarià non obstante, seu, si magis videbitur, litterae desuper in formà Brevis seu etiam per viam de curià in formà gratiosà et cum clausulà perpetuo et ad perpetuam rei memoriam expediri possint;

Transumptio non fides.

§ 14. Quodque eiusdem praesentis motusproprii, seu earundem litterarum transumptis eadem prorsus fides adhibeatur tam in iudicio quam extra illud,

quae eidem praesenti motu proprio, seu litteris super illo conficiendis adhibeantur, si foret exhibitus vel ostensus, aut exhibitae vel ostensae forent.

Fiat E.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, III idus ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 ianuarii 1681, pontif. anno I.

I. G. SLUSIUS.

Registrata in Secretaria in lib. Brevis mensis ianuarii.

XLVIII.

Exemptiones collegii Germanici et Ungarici Urbis confirmatae a sanctissimo domino nostro Clemente Papa X.

Hieronymus Gastaldus protonotarius apostolicus, utriusque signaturae SS. D. N. Papae referendarius, eiusdemque sanctissimi et reverendissimae camerae apostolicae thesaurarius generalis, illustri domino Caesari Baldinotto dohanarum almae Urbis generali appaltatori, et ad quem spectat.

De mandato sanctissimi domini nostri Papae, ac in vim specialis chirographi manu eiusdem sanctissimi signati, nobisque directi et praesentati tenoris sequentis, videlicet: « Monsignor Girolamo Gastaldi, nostro tesoriere generale. Volendo noi far grazia particolare al Collegio Germanico di Roma per le singolari qualità e circostanze che in esso concorrono, vi ordiniamo che facciate intendere a Cesare Baldinotti, doganiere di Roma, essere nostra mente, che, nonostante la Bolla pubblicata sopra la rivocazione dell' esenzioni, lascino passare franche di dogana, nel numero delle quattromila centocinquanta botti di vino di ripa, al detto collegio per quella quantità di botti di vino che bisognerà di più ogn' anno per servizio

Chirographum super exemptione vini, prout in corpore.

† Nunc primum impressa.

di esso oltre le botti ottanta che ha avuto per il passato, purchè in tutto non passino botti centotrenta l'anno, tanto nelle barche, come ne' magazzeni, anco quanto alli quattro per cento et alli quattro giuli a botte, in conformità della Bolla della felice memoria di Gregorio XIII nostro predecessore, data sotto li xv luglio MDLXXXIV, quale in tutto approviamo e confermiamo; e darete in ciò gl'ordini necessari, acciocchè gli ne siano fatte le spedizioni opportune in esecuzione di questa nostra volontà, ancorchè il presente nostro chirografo non si presenti, nè ammetta in camera e nelli suoi libri; non ostante la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De regstrandis*, e la revocatoria dell'esenzioni, e qualsivoglia altra cosa che facesse in contrario; alle quali tutte, avendo il loro tenore qui per espresso a sufficienza, per questa volta sola deroghiamo, non volendo però che passi in esempio. Dato nel nostro palazzo di Monte Cavallo questo di xxxi dicembre MDCLXX. CLEMENS Papa X »; tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus statim, visis et receptis praesentibus, etc., debeas in computum doliorum quatuor mille centum et quinquaginta vini ripalis, de quibus in capitulis sui ¹ appaltus fit mentio, totam quantitatem vini ripalis quolibet anno Collegio Germanico Urbis necessariam ultra dolia octoginta in praeteritum habita, dummodo in totum quantitas ipsa non excedat dolia centum triginta, tam in barchis quam magazzenis existentia, liberam, immunem et exemptam a solutione gabellae et dohanae, etiam quoad quatuor pro centenario, ac pariter iulios quatuor pro quolibet dolo vini, iuxta formam Bullae felicis recordationis Gregorii Papae XIII sub datum Romae, apud S. Marcum, anno In-

¹ Forsan tui pro sui legatura (v. r.).

carnationis Dominicae MDLXXIV, idibus iulii, pontificatus sui anno III, tenoris sequentis, videlicet:

« *Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Ut ceteri de republica benemeriti immunitate interdum iuvandi sunt, ita maxime eorum ratio hac in re habenda est, quos ad fidei catholicae incrementum in sinu nostro confovemus. Quocirca, ¹ collegium Germanicum pridem a nobis in Urbe nostra institutum, in quo non minus quam centum pueros ex universa Germania septentrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos liberalibus scientiis ac disciplinis necnon sacris canonibus et theologia institui atque erudiri volumus, et ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi collegio perpetuo attribuimus, speciali privilegio prosequi volentes, motu proprio, deque nostra mera liberalitate, collegium praefatum, eiusque res et bona quaecumque praesentia et futura, ac ipsius collegii res, scholares, et alios in eo degentes, ab omnibus et singulis portarum, molendinorum farinae trium pro centenario, et quatuor iuliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, aliisque dantiis, vectigalibus, angariis, ac terrae marisque gabellis et dohanis ordinariis et extraordinariis, hactenus quomodolibet impositis et imposterum quandocumque quavis occasione vel causa etiam de necessitate exprimenda imponendis, etiam ad instar exemptionis dilectorum filiorum camerae apostolicae clericorum, etiam ratione Ripae et Ripettae, dohanae terrae ac etiam grasciae nuncupatae Urbis praedictis, necnon carniurn, vinorum, granorum, pannorum lini, lanae, serici, et quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum et vestitum neces-

Bulla Grego-
rii XIII.

¹ Particulam ut deleamus (v. r.).

sariarum, ex toto Statu Ecclesiastico et quibuscumque aliis locis extra dictum Statum consistentibus ad collegium praefatum tam per terram quam per mare et aquam dulcem ac aliàs quomodolibet conducendarum, ac etiam iam ad dictam Urbem quomodolibet conductarum, et in eà existentium, et pro eodem collegio, in magnà seu parvâ quantitate, tam in barchis quam in magazzenis et aliàs ubilibet emendarum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo eximimus et liberamus, liberaque, immunia et exempta esse volumus. Districtius inhihentes omnibus et singulis tam Urbis quam Status praedictorum gabellarum, dationum et vectigalium eorundem dationariis, conductoribus seu appaltatoribus, ceterisque ad quos spectat et spectare poterit quomodolibet in futurum, ne collegium praefatum, illiusque scholares et personas, vel pro eis agentes, et eorum bona quaecumque, aut eorum quemlibet, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare, impedire vel perturbare audeant seu praesumant; quinimmo eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant ipsos et eorum quemlibet immunitate, exemptione et aliis praemissis pacifice frui et gaudere. Ac decernentes irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Urbis et dohanarum praedictarum, ac quorumcumque tribunalium et curiarum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem tribunalibus et curiis, iudicibus, necnon appaltatoribus et dohanariis praedictis, ac quibuscumque aliis personis, sub qui-

buseumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientiâ similibus, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorumque¹ derogatione de illis eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter² et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium³ transumptis, etiam impressis, manu notarii publici eiusdem collegii secretarii subscriptis, et sigillo communi eiusdem collegii munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ac aliàs ubicumque opus fuerit adhibeatur, ac si praesentes forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, inhibitionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXIV, idibus iulii, pontificatus nostri anno III.

CAESAR GLORIERIUS M. A. de ALEXIIS.

¹ Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

² Lectio defectiva supplenda ex solitis formulis (R. T.).

³ Edit. Main. legit *praesentibus* (R. T.).

Confirmatio
et executio di-
ctae bullae.

Quae quidem Bulla per SS. D. N. in omnibus et per omnia in suo praeinserto chirographo confirmata et approbata. Nos pro omnimodâ illius executione tibi, tuisque praedictis praesessorum et superius ordinatorum observantiam committimus et ordinamus, et sic dicta dolia vini libera a dictis gabellis et dohanâ transire permisisse et ordinasse, dictumque collegium Germanicum pariformiter in libris dohanae et ubi opus fuerit pro executione et partitione eiusdem praeinserti chirographi liberum et exemptum ut supra a praedictâ solutione dictarum gabellae et dohanae, etiam quoad dictas quatuor pro quolibet dolio vini, et sic pro huiusmodi ac superius expressâ quantitate vini, ibi in dictis libris distincte descripsisse et adnotasse, ac per tuos agentes et ministros fieri et describi fecisse mandasse et curasse. Quam quantitatem vini per te ut supra exemptam faciendam et transeundam in numero dictorum quatuor mille centum et quinquaginta doliorum vini exemptorum iuxta formam capitulorum appaltus dohanarum acceptamus et admittimus, acceptarique et admitti, ac respective bonam faciemus, iuxta formam praeinserti chirographi sanctissimi domini nostri Papae: contrariis non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, etc., hac die xiv ianuarii MDCLXXI.

HIERONYMUS GASTALDUS, thesaur. gener.

Locus † sigilli.

IOSEPHI GEZZIUS.

Mandatum vigore chirographi Sanctissimi.

Dat. die 14 ianuarii 1671, pontif. an. 1.

XLIX.

Confirmatio decretorum S. R. E. cardinalium de revocandis attentatis a fratribus Excalceatis eremitarum Ordinis sancti Augustini in Lusitania circa iurisdictionem procuratoris generalis et novorum conventuum erectionem¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Idiâs emanarunt a congregatione nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium a nobis specialiter deputatorum decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Proemium.

§ 1. « Cum fratres Excalceati Ordinis eremitarum sancti Augustini in regno Lusitaniae monasterium S. Conceptionis, in quo degunt, erectum pro curâ monasterii eiusdem Ordinis, a iurisdictione patris generalis totius Ordinis huiusmodi exemerint, et Congregationi Excalceatorum Hispaniae subiecerint, novitios ad habitum admiserint, et nova monasteria ibidem erigere et fundare intenderent, pendente controversiâ super huiusmodi re in sacrâ congregatione eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ; et procurator generalis totius Ordinis praedicti institerit revocari praefata omnia, utpote attentata, et huiusmodi novas erectiones dictis fratribus Excalceatis interdici ac prohiberi: quapropter congregatio nonnullorum S. R. E. cardinalium ad supra dictas preces examinandas a sanctissimo domino nostro specialiter deputata, auditis pluribus rationum momentis tam in facto quam in iure per utramque par-

Reformatur
decreta cardi-
nalium.

¹ Declarationem decretorum, circa materiam de qua in rubricâ editorum, habes infra in Constitutione huius Pontificis quae incipit, *Ex inuncto*.

tem allatis, die xxvi septembris MDCLXX censuit revocanda esse attentata praedicta, nullum ius competere fratribus Excalceatis Hispaniae super illo monasterio Ulyssiponae erecto pro curâ monialium, neque esse locum dismembrationi a religione; et die v decembris eiusdem anni MDCLXX censuit non esse locum erectioni novorum conventuum fratrum Discalceatorum Ordinis sancti Augustini in regno Lusitaniae; ac propterea illos erigi aut fundari tenore praesentis decreti prohibuit. Et praedictis fratribus Excalceatis circa suprascriptam controversiam perpetuum silentium imposuit.

M. cardinalis GINETTUS ».

Quae Pontifex approbat et confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Hieronymus Valvas rius prior generalis dicti Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini nobis nuper exponi fecit, ipse decreta huiusmodi, quo firmiter subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino pussimus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praesentia, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robore adiicimus.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac

illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari;

§ 4. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, et in causarum palatii apostolici auditoribus, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula sublatâ.

§ 5. Quocirca venerabili fratri Francisco archiepiscopo Sidoniensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncio, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, aut alios, ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte in praemissis interesse habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficaciae defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum eorundem commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Exequutoris deputatio.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis

Contraria derogat.

de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis fratrum Excalceatorum Hispaniae, et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hae vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 ianuarii 1671, pontif. anno I.

L.

Confirmatio declarationis S. R. E. cardinalium de cultu immemorabili beatæ Ludovicae, et casu a decretis Urbani VIII excepto, uti et de missâ et officio in honorem dictæ Beatae die xxxi ianuarii in ecclesiâ S. Francisci fratrum Minorum in regione Transiberina recitandis¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Agrum Ecclesiae, quem excolendum ab aeterno agricolâ accepimus, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduita-

¹ Consimile indultum concessit in honorem Ferdinandi III regis Castellae hic idem Pontifex in seq. Const. *Gloriosissimos*.

tis gravitate pollentem, nunc etiam coniugii fructibus redundantem, pio mentis affectu considerantes, gloriosa sanctarum viduarum, quae, non humanum, sed divini spiritus depromptum infusione apostolicum consilium secutae, cogitarunt quae sunt Domini ut essent sanctae corpore et spiritu ac in Deum sperarent instantes obsecrationibus et orationibus die et nocte, merita condignis honoribus celebranda esse censemus, et proinde tendentia in id ipsum christifidelium praesertim huius almae Urbis nostrae, ex quâ bonorum operum exempla in omnes christiani orbis partes assidue promanant, vota libenter exaudimus, sicuti, maturâ deliberatione præviâ, spirituali fidelium consolationi atque aedificationi conducibile fore in Domino arbitramur.

§ I. Cum itaque, sicut dilecti filii senatus populusque Romanus nobis nuper exponi fecerunt, ipsi beatam Ludovicam viduam concivem suam Tertii Ordinis sancti Francisci ex vetustissimâ Albertoniorum gente claris natalibus ortam, non minus pietate quam munificentiâ pretiosum calicem et cereos quotannis die xxxi ianuarii, qua obdormivit in Domino, ecclesiae S. Francisci in regione Transiberinâ dictae Urbis sitae fratrum Minorum Ordinis eiusdem S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, in qua venerabile eiusdem beatæ Ludovicae corpus requiescit, offerendo, per longissimi temporis decursum coluerint, et in ipso pontificatus nostri primordio nobis humiliter supplicaverint ut causam canonizationis memoratae beatæ Ludovicae, ad effectum probandi eius cultum immemorabilem, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum committere de benignitate apostolicâ dignaremur,

Causa indulti.

§ 2. Nos vero, eorumdem exponentium desiderio paternâ clementiâ annuentes, commissionem causae huiusmodi manu nostrâ signaverimus, et in illius vim peculiaris processus in curiâ servatis servandis fabricatus fuerit, eoque per dilectum filium nostrum in Urbe praedictâ vicarium in spiritualibus generalem recognito¹ emanaverit ab eodem vicario sententia super casu excepto, ac deinde praedicta cardinalium congregatio, re acriter et mature discussâ, sententiam huiusmodi confirmaverit, ac de cultu immemorabili dictae beatae Ludovicae et casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri constare declaraverit:

Declarat ut in rubrica.

§ 3. Hinc est quod nos, piis enixisque senatus et populi praedictorum precibus favorabilem assensum, quantum cum Domino possumus, praebere cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dimittaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, declarationem a memoratâ cardinalium congregatione factam ut praefertur, quod scilicet de cultu immemorabili dicæ beatæ Ludovicae et casu excepto a decretis praedicti Urbani praedecessoris constet, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adiicimus.

Missam et officium concedit.

§ 4. Praeterea ut de eadem beatâ Ludovica quotannis die xxxi ianuarii in praedictâ ecclesiâ S. Francisci de Urbe officium recitari et missa etiam a sacer-

¹ Pessime edit. Main. legit *recognitio* pro *recognito* (R. T.).

dotibus eo die ad ecclesiam huiusmodi confluentibus celebrari de communi nec Virginum nec Martyrum, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et indulgemus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque

Derogatio contrariorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii ianuarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 ianuarii 1671, pontif. anno I.

LI.

Indultum de celebrandâ missâ et officio in honorem Ferdinandi III regis Castellae et Legionis per regna Hispaniae et omnes eius ditiones, uti et in ecclesiâ Ss. Iacobi et Ildephonsi de Urbe nationis Hispanorum, die xxx maii sub ritu duplici recitando¹.

Clemens Papa IX,
ad futuram rei memoriam.

Gloriosissimos caelestis Hierusalem ci-
ves, illos praesertim, qui in diebus peregrinationis suae, tametsi in rerum humanarum sublimitate positi essent, non sperarunt in lubrico divitiarum, nec in regiae potentiâ dignitatis, sed magnâ

Proemium.

¹ Simile indultum pro beata Ludovica vide in Const. praeced., *Agrum Ecclesiae* (R. T.).

illâ virtute humilitatis (qua fit ut omnia terrena cacumina, temporali mobilitate¹ nutantia, non humano usurpata fastu, sed divinâ gratiâ donata celsitudo transeundat) solidati, bellarunt bella Domini, et, unico illi fundamento, quod est Christus Iesus, innixi, supraedificarunt aurum, argentum, lapides pretiosos, manentisque operis mercedem in aeternae salutis stabilitate accipere meruerunt, congruis honorum laudumque praeconiis in terris celebrandos esse merito censemus, ac proinde flagrantia ad ipsum regum orthodoxorum non minus pietatis, aliarumque christianarum virtutum, quam regii fastigii splendore fulgentium vota paterno affectu exaudimus, sicut ad Ecclesiae catholicae decus, spiritualemque fidelium populorum aedificationem atque devotionem fovendam et promovendam conducibile in Domino fore arbitramur.

Sacra congregatio cardinalium quid decernit.

§ 1. Cum itaque aliâs, videlicet die XXIX maii MDCLV, congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum ex deductis in processu auctoritate apostolicâ confecto super casu excepto declaraverit de illo constare ex cultu exhibito servo Dei Ferdinando III regi Castellae et Legionis cognomento Sancto per immemorabilem temporis cursum excedentem metam centum annorum ante decreta felicitis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri cum scientiâ vel tolerantia Ordinariorum, et emanatum desuper dictae congregationis decretum recolendae memoriae Alexander Papae VII etiam praedecessor noster die xxxi eiusdem mensis approbaverit, et inter alia plenissime constiterit de celebratione missarum in honorem praedicti servi Dei, prout de Sanctis celebrari solent, tam in

¹ Pessime edit. Main. *nobilitate pro mobilitate* (R. T.).

sacratio veteri, quam in cappellâ B. Mariae Regum nuncupatâ metropolitanae ecclesiae Hispalensis ubi extat illius sepulchrum :

§ 2 Hinc est quod nos, piis enixisque carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, ac carissimae in Christo filiae nostrae Mariae earundem Hispaniarum reginae catholicae viduae eius genitricis precibus, nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia, ducem Segorbiae Cardonae, regni Neapolitani proregem, ac eiusdem Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem ad praestandam nobis ipsius Caroli regis nomine obedientiam missum, super hoc humiliter porrectis, favorabilem assensum, quantum cum Domino possumus, praebere cupientes, ut in omnibus regnis Hispaniarum et ditionibus eidem Carolo regi subiectis, et in ecclesiâ Ss. Iacobi et Idelphonsi de Urbe nationis Hispanorum, de memorato servo Dei Ferdinando III rege missa et officium de communi Confessorum non Pontificum sub ritu duplici iuxta rubricas breviarii et missalis romani quotannis in perpetuum die xxx maii, qua idem servus Dei obdormivit in Domino, celebrari, et ab¹ omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari libere et licite possint et valeant respective, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Indultum de quo in rubrica.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac decretis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae mu-

Fides transumptorum.

¹ Praeposit. ab nos addimus (R. T.).

nitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub anno Piscatoris, die VII februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 februarii 1671, pontif. anno I.

LII.

Diversae declarationes et ordinationes super aequalitate in abbatibus aliisque officiis servanda inter monachos Congregationis S. Bernardi Hispaniae Ordinis Cisterciensis ex locis citra et ultra montes Castellam veterem a nova separantes silis respective oriundos¹.

Clemens Papa X.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Iniunctae nobis caelitus apostolicae servitutis ratio exigit, ut, paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae iugo mancipatorum curam gerentes, felici illorum regimini et religiosae tranquillitati, quantum nobis ex alto conceditur, providere satagamus. Cum itaque felicis recordationis Clemens Papa IX predecessor noster, ut opportunum malis, quae ex nationalibus factionibus in Congregatione S. Bernardi Hispaniae monachorum Ordinis Cisterciensis enata erant, remedium adhiberet, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XIV octobris MDCLXIX expeditas litteras multa decreverit circa distributionem aequalem abbatiarum, officiorum capitularium, et mutuam alternativam generalatus praedictae Congregationis inter monachos oriundos ex

Brevis Clementis IX

¹ Nunc primum impressa.

terris silis citra et ultra montes Castellam veterem et novam dividentes, prout in dictis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto¹ haberi volumus, uberius continetur;

§ 1. Exortis vero circa litterarum huiusmodi intelligentiam nonnullis dubitationibus, dilecti filii Michaël de Fuentes in sacrâ theologiâ magister, generalis reformator, ac Ioannes Aracho, Ludovicus Sanchez, Petrus de Guadalaxara, Antonius de S. Petro, Iosephus de Almonacid et Benedictus de Oroscho, definitores eiusdem Congregationis, in monasterio Palaziolensi Palentinensis diocesis congregati pro celebrando capitulo intermedio die VIII maii MDCLXX, eisdem litteris debitâ cum veneratione ac reverentiâ susceptis, decreverint esse nobis humiliter supplicandum ut dubitationes huiusmodi nostrae declarationis oraculo dilucidare ac decidere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Processus dictae Congregationis pro declarandis dubiis inde exortis.

§ 2. Hinc est quod nos, specialem praedictis reformatori generali ac definitoribus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super reformatione Ordinis Cisterciensis deputatorum consilio, quia in memoratis Clementis praec-

Absolutio a censuris.

¹ Edit. Main. legit *expressis insertis* (R. T.).

decessoris litteris habentur sequentia verba: «Concordiam autem praecursantem auctoritate et tenore praedictis approbamus et confirmamus sub hac moderatione ut omnes dignitates abbatiales et omnia officia tam intra quam extra capitulum generale, a reformatore generali dictae Congregationis conferri solita, distribuantur in aequali quantitate et qualitate religiosorum ex utraque parte ut supra divisâ oriundis, ita ut si sint vocales in numero pari, tot sint ex unâ parte quot ex aliâ»: auctoritate apostolicâ tenore praesentium declaramus atque decernimus praecursantia verba ita esse ab omnibus intelligenda et observanda ut omnia officia capitularia, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, sive intra sive extra capitulum generale, distribuantur aequaliter religiosorum oriundis ex terris ultra montes et citra praedictos montes sitis, taliter quod si praedicta officia capitularia, quorum electiones quolibet triennio celebrantur, sint paria, tot habeant monachi oriundi ex terris ultra montes, et monachi oriundi ex terris citra montes sitis; id est officia definitorum et procuratorum habeat una et alia; ex terris sitis ultra montes sit unus visitator generalis et unus suppletor; alius visitator generalis et alius suppletor ex terris sitis citra montes; et, si promotor fiscalis sit ex unâ parte sic divisâ, secretarius capituli generalis sit ex aliâ.

Altera declaratio.

§ 3. Praeterea, quia in praedictâ Congregatione sunt triginta octo abbatiae capitulares, quarum aliquae conferuntur per electionem factam a generali reformatore et definitoribus, ut Salmanticensis, Matritensis et Complutensis, ceterae aliae per nominationem aliquorum monachorum pro quolibet monasterio factam a praedictis generali et definito-

1 Edit. Main. legit *cetera alia* (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

21

ribus et per electionem monasteriorum, ut strictius servetur aequalitas in quantitate et qualitate quam in memoratis litteris decrevit idem Clemens praecessor, declaramus ex praedictis triginta octo abbatibus, ad novemdecim abbatias promovendos esse monachos oriundos ex terris sitis ultra montes, et ad alias novemdecim monachos oriundos ex terris citra montes memoratos sitis.

§ 4. Rursus, ut in qualibet abbatiarum servetur aequalitas, declaramus praedictas triginta octo abbatias capitulares dividendas esse in tres classes: Prima classis sit abbatiarum collegiorum, artium et theologiae, quae sunt sex, videlicet abbatia Salmanticensis, Complutensis, Matritensis, Montis Romensis, Bellomontensis, et S. Martini de Castaneda, et quod ad tres abbatias ex praedictis promoveantur monachi oriundi ex terris ultra montes, et ad alias tres monachi oriundi ex terris citra montes sitis:

§ 5. Secunda classis abbatiarum quae nuncupantur matricae, sive monasteriorum in quibus recipiuntur educanturque novitii, et emittunt professionem, et quod, si praedictae abbatiae fuerint pares, tot dentur monachis oriundis ex unâ terrâ ut supra divisâ, quot oriundis ex aliâ; si vero fuerint in numero impari, una abbatia, in qua unus numerus alium excedat, ad libitum generalis et definitorum possit conferri sive monacho oriundo ex unâ terrâ sive ex aliâ, dummodo habeat qualitates iuxta statuta Congregationis requisitas, ita tamen ut si unâ vice conferatur monacho oriundo ex terrâ ultra montes, aliâ vice conferatur monacho oriundo ex terrâ citra montes, et e contra si unâ vice conferatur monacho oriundo ex terrâ citra montes, aliâ vice conferatur monacho oriundo ex terrâ ultra montes, et sic deinceps alternis vicibus.

Quoad sex abbatias theologiae.

Quoad abbatias nuncupatas matricae.

Quoad abbas
abbatias, quae
matrices non
sunt.

§ 6. Tertia classis abbatiarum monasteriorum, in quibus non educantur novitii, nec admittuntur ad professionem, nec vulgo nuncupantur domus matrices, et quod, si praedictae abbatiae fuerint pares, tot abbatias obtineant oriundi ex terris ultra montes ac citra montes constitutis. Si vero impares fuerint, una abbatia, in qua numerus abbatiarum excedit aliam, pro libito generalis et definitorum detur monacho aliàs habili, sive oriundo ex unâ terrâ, sive ex aliâ, servato tamen ordine alternativae, ut supra proxime dictum est in matricibus, et dummodo aequalitas in distribuendis abbatias taliter servetur ut ex triginta octo abbatias supra memoratis novemdecim distribuantur religiosi oriundi ex unâ parte et aliae novemdecim religiosi ex aliâ parte ut supra in memoratis litteris divisâ.

Vacante generalatu, vel abbacia, aut officio ante capitulum, quomodo sit providendum.

§ 7. Insuper declaramus quod si in decursu triennii vacaverit per mortem aut aliam ob causam dignitas generalatus, aut aliqua abbatia capitularis, vel officium definitoris, aut aliud quodlibet officium capitulare ex iis quorum electiones celebrantur quolibet triennio, ad dignitatem generalatus, abbatiae vel officii capitularis sic vacantis promoveri debet monachus oriundus ex eâdem terrâ sic divisâ, ut erat ille, ob cuius mortem, promotionem, renunciationem aut privationem talis dignitas, abbatia vel officium capitulare vacaverit, ita tamen ut sic promotus durare debeat pro residuo temporis dumtaxat, quod supererat ei in cuius locum fuerit suffectus.

Abbatia de Palazuolos non cadit inter alias aequaliter dividendas.

§ 8. Ulterius declaramus abbatiam monasterii de Palazuolos non esse annumerandam pro computando numero aequali abbatiarum, quae in aequali quantitate et qualitate distribuendae sunt religiosi ex utrâque parte sic divisâ oriundi, cum generalis reformator, qui

est abbas Palazuolensis, non habeat suffragium in capitulo generali, nec componat numerum vocalium cum ceteris abbatibus et capitularibus pro celebrando capitulo generali; generalemque reformatorem posse pro libito monachum habilem, quem maluerit, in priorem monasterii de Palazuolos eligere sive ex hac sive ex illâ terrâ in litteris supra dictis divisâ oriundum, cum prior Palazuolensis numerum parem cum aliis capitularibus, qui vocem habent in capitulo ratione abbatiarum et officiorum quorum electiones celebrantur quolibet triennio, non componat, sed numerum impari constituat. Ceterum si unâ vice prior eligatur oriundus ex terrâ ultra montes, aliâ vice eligi debeat ex terrâ citra montes, et e converso, servato semper ordine alternativae.

§ 9. Ad haec decernimus ut triennio, quo generalis reformator eligitur ex terris citra montes, abbas monasterii Matritensis S. Annae sit oriundus ex aliâ parte divisâ, scilicet ex terris ultra montes sitis; et e contra, quando generalis reformator oriundus fuerit ex terris sitis ultra montes, abbas praedicti monasterii Matritensis oriundus esse debeat ex terris citra montes constitutis. Si quis vero monachorum contra praesentium tenorem quidquam facere vel attentare praesumpserit, poenam privationis vocis activae et passivae eo ipso absque aliâ declaratione incurrat.

Abbas monasterii S. Annae qualis esse debeat.

§ 10. Volumus autem, ac praecipiendo mandamus, ut in proximo immediato capitulo generali omnes capitulares, antequam ad aliquam electionem procedant, iurent super sancta Dei Evangelia observare memoratas litteras Clementis praedecessoris, ac praesentes nostras, et tam illae quam praesentes collocentur inter definitiones iuratas, et futuris temporibus in singulis capitulis generalibus

Praeceptum sanctae obedientiae pro observantia harum declarationum.

celebrandis omnes capitulares iureiurando se adstringant ad illarum observantiam ante quamlibet electionem, ut moris est iurare definitiones quae in dictâ Congregatione nuncupantur *iuratae*.

Decretum irritans.

§ 11. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis¹, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime sullragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorem designat.

§ 12. Quocirca venerabili fratri episcopo Salmanticensi per² praesentes committimus et mandamus, ut capitulo generali in dictâ Congregatione proxime celebrando auctoritate apostolicâ praesideat, ac, per se, vel per alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium seu alicuius eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat eadem auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifico³ frui

¹ Edit. Main. legit *illos pro illis* (R. T.).

² Praeposit. *per nos* addimus (R. T.).

³ Aptius lege *pacifice* (R. T.).

et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 13. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, congregationis et monasteriorum ac Ordinis huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 14. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur; quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 14 februarii 1671, pontif. anno I.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis februarii, part. II, fol. 202.

LIII.

Concessio et extensio indulgentiarum, confratribus et consororibus confraternitatum SS. Rosarii concessarum, ad omnes etiam non confratres aut consorores, dummodo missae et processionis de Rosario celebrandae et quolibet mense faciendae intersint¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostrae commisit Deus, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium personarum regali fastigio ac multiplici virtutum decore splendentium eximiâque in nos et hanc sanctam Sedem devotione conspicuarum vota postulant, et nos ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Supplicatio.

§ 1. Itaque, piis et devotis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici ac carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae earumdem Hispaniarum reginae catholicae viduae eius genitricis nomine nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia ducem Segorbiae et Cardonae, regni Neapolis proregem, ac dieti Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam orato-

¹ Plures Summi Pontifices indulgentias similes huic confraternitati concesserunt, ut videre poteris in repertorio sub verbo *Confraternitas Rosarii* (Ed. Chesub.).

rem ad praestandam nobis eiusdem Caroli regis nomine obedientiam missum, humiliter porrectis supplicationibus paterno affectu annuere cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis sacerdotibus saecularibus vel regularibus, quibus missam de SS. Rosario iuxta constitutiones et decreta dictae Sedis celebrare licet, missam huiusmodi de cetero celebraturis, nec non omnibus et singulis fratribus et monialibus, etiam tertiariis, Ordinis Praedicatorum, seu S. Dominici, ac confratribus ac consororibus quarumcumque confraternitatum eiusdem SS. Rosarii, tam haecenus erectarum quam in futurum quandocumque erigendarum, et ubicumque locorum existentium, qui vere poenitentes et confessi, vel saltem confitendi propositum habentes, missae de Rosario huiusmodi ut praefertur celebrandae devote interfuerint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice id egerint, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas confratres et consorores dictarum confraternitatum totum Rosarium recitando ex concessione dictae Sedis consequuntur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Praeterea omnibus et singulis praefatis, qui missam de Rosario sicut permittitur¹ celebrare vel audire consueverint, si vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, ut praefertur oraverint, ut quolibet mense easdem pariter indulgentias ac peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequuntur confratres et consorores praef-

Concedit ut in rubrica.

¹ Videtur legendum *praemittitur* (B. T.).

fatarum confraternitatum, qui processioni SS. Rosarii huiusmodi primâ dominicâ cuiuslibet mensis intersunt, utque omnes et singulae indulgentiae ac peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes huiusmodi animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, auctoritate et tenore praefatis concedimus pariter et indulgemus.

Contrarius derogat.

§ 2. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra illud, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvi februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 16 februarii 1671, pontif. anno 1.

LIV.

Indultum de celebrando festo et recitando officio sancti Didaci Confessoris die XIII novembris, ob impeditam diem XII eiusdem mensis, in quo idem festum et officium celebrari et recitari consueverat¹.

¹ Sanctorum catalogo adscripsit Didacum eique officium et missam decrevit Sixtus V.

Clemens Papa IX. ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, dudum felicitis recordationis Sixtus V et Clemens VIII Romani Pontifices praedecessores nostri officium et festum S. Didaci Confessoris dicti Ordinis professoris quotannis die XII novembris celebrari et recitari concesserint, prout in eorum litteris desuper expeditis uberius continetur; dicta vero dies XII novembris officio S. Martini Papae et Martyris impedita reperiatur: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Causa indulti.

§ 2. Nos igitur, ad ea quae Sanctorum venerationem concernunt favorabiliter intendentes, ac praedicti procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon praedictorum Sixti et Clementis praedecessorum litterarum huiusmodi tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero festum et officium S. Didaci Confessoris annis singulis die XII eiusdem mensis novembris sub ritibus et formis ac a personis, quibus id per litteras praedictas concessum fuit, et aliâs in omnibus et per omnia iuxta eandem litterarum formam et tenorem,

Indultum de quo in rubrica.

celebrari et recitari respective libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quancumque spectabit, plenissime suffragari.

Clausula sub-
iuda.

§ 4. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum
derogatio.

§ 5. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus sunt contraria, praedictis Sixti et Clementis praedecessorum litteris, necnon omnibus et singulis illis quae in eis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio-
rum fides.

§ 6. Volumus autem ut eandem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 februarii 1671, pontif. anno I.

LV.

Confirmatio constitutionum Pii IV et Gregorii XIII de poenis monachis Montis Oliveti, Ordinis sancti Benedicti, infligendis, qui munus abbatis

postulant, aut ad idem vel alia munera publica per favores principum aut aliorum aspirant¹.

Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis fecit dilectus filius procurator generalis congregationis Montis Oliveti monachorum Ordinis sancti Benedicti, quod, licet per constitutiones dictae congregationis caveatur expresse ut, qui munus abbatis postulaverit, eo censeatur ipso iure exclusus; similiter et ii, pro quibus postulatum fuerit, in poenam inhabilitationis incurrant, iuxta quasdam felicis recordationis Pii PP. IV praedecessoris litteras in formâ Brevis die II iunii MDLXV expeditas, multaque alia in dictis constitutionibus ad excludendum ambitum disponantur; et in eisdem constitutionibus insertae reperiantur quaedam recolendae memoriae Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri litterae, quarum initium, *Cum nihil ita alienum, etc.*, per quas, sub poenâ excommunicationis ac privationis officiorum perpetuaeque ad illa inhabilitatis, prohibetur cuicumque monacho, cuiusvis gradus et praecminentiae existat, ne favores exterorum ad praelaturas, aliave quaecumque maiora vel minora dictae congregationis munera assequenda procuret: nihilominus nonnulli eiusdem congregationis monachi et abbates aditum sibi ad praelaturas et munera publica congregationis huiusmodi exterorum favoribus facere satagunt, non sine maximâ ipsius congregationis perturbatione.

¹ Ne pluries dicta otiose repetam, vide, quae annotata sunt supra ad Const. XXX, *Ecclesiae*, huius Pontificis; vide etiam quae infra ab eodem Pontifice disponuntur de renunciatione seu alternatione abbatum, quoad qualitates et requisiti monachorum ad quorum favorem fieri possint, in Constitutione incipiente, *Nuper emanarunt*.

Quare dictus procurator generalis, de consilio et assensu dilecti filii nostri Caesaris tituli Ss. Quatuor Coronatorum S. R. E. presbyter cardinalis Fachenetti nuncupati et congregationis praedictae apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, considerantes quod nemo debet sibi assumere honorem nisi vocatus a Deo tanquam Aaron, ac proinde ambitionis huiusmodi perniciosum malum a praedictâ congregatione omnino excludere cupientes, dictumque procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones memoratae congregationis ad excludendum ambitum sicut praemittitur factas, necnon praedictas Pii et Gregorii praedecessorum litteras, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Praeceptum de observando.

§ 3. Ut autem praemissa firmiter acque inviolabiliter observentur, volumus ut dilecti filii moderni et pro tempore existentes abbas generalis et alii ex definitorio ac procurator generalis dictae congregationis poenas in constitutionibus et litteris sicut praemittitur confirmatis et innovatis impositas contra transgressores irremissibiliter exequantur¹:

¹ Edit. Main. legit *exequatur* (R. T.).

alioquin si eâ in re negligentes fuerint, postquam eis clare constiterit ambitiosos huiusmodi monachos vel abbates favores extra eandem congregationem procurasse, poenam privationis suorum respective officiorum eo ipso incurrant.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, inviolabiliter observari,

Clausula praeservativa.

§ 5. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula sublatâ.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 27 februarii 1671, pontif. anno 1.

LVI.

*Indultum pro creatione duodecim abbatum titularium abbati generali unâ cum definitorio congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti concessum*¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex commissae nobis divinitus dispensationis officio cupientes ut debitus virtuti honor in congregatione monachorum Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti rependatur, ac ipsius congregationis monachos, ut in vineâ Domini strenue laborare studeant, aliquo honorificentiae praemio incitare, necnon dilectum filium procuratorem generalem dictae congregationis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quodomolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes;

Urbani VIII
in hac re pro-
hibito.

§ 1. Ac quarundam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litterarum die XXVI ianuarii MDCCXXVII expeditarum incipientium *Apostolatus officium, etc.*, per quas abbatum titularium in praefatâ congregatione creatio sub certis modo et formâ tunc expressis prohibita fuit, tenorem² praesentibus pro plene et suf-

ficienter expresso et inserto habentes, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis nomine nobis, de consilio et assensu dilecti filii nostri Caesaris tituli Ss. Quatuor Coronatorum S. R. E. presbyteri cardinalis Fachenetti nuncupati dictae congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio moderno et pro tempore existenti abbati generali memoratae congregationis, unâ cum definitorio ipsius congregationis, duodecim abbates titulares, nempe duos pro qualibet provinciâ eiusdem congregationis, qui tamen sint aetate quinquagenarii, et saltem viginti annorum spatio, lecturam, aut verbi Dei praedicationem, vel vicarii aut magistri novitorum, aut oeconomica officia exercendo, congregationi praefatae laudabiliter inservierint (ita tamen ut eiusmodi abbates titulares nec gubernium monasteriorum, nec votum sive suffragium in capitulis generalibus, nec ullam aliam praerogativam vel exemptionem, quae monasteriis onerosa sit, praetendere valeant, sed in ecclesiâ, saltem diebus festivis, missae conventuali et vespertis, ac diebus singulis mane orationi mentali interesse teneantur), auctoritate nostrâ apostolicâ creandi, ac in defunctorum pro tempore locum alios ex eâdem provinciâ, usque ad complementum numeri duodenarii huiusmodi, et non ultra, subrogandi, plenam et amplam facultatem eâdem auctoritate tenore praesentium tribuimus et impartimur.

Iste Pontifex
concedit ut in
rubrica.

§ 2. Et quia nonnunquam accidit ut aliquis abbas regiminis dictae congregationis, vel proprii levamenti studio, vel alterius monachi merito gratificandi ergo, regimen sive gubernium monasterii sibi commissi alterius vicibus cum illo gerere sit contentus, auctoritate praefatâ harum serie permittimus memorato ab-

Alternationes
regiminis sub
certâ forma
permittit.

¹ Vide supra pag. 67 huius tomi (R. T.).

² Edit. Main. legit *tenore* (R. T.).

bati generali unâ cum definitorio præfato eiusmodi alternationes acceptare et ad usum deducere, dummodo tamen abbas ad id sponte consentiat, ac in monacho concurrant qualitates ad abbatiam iuxta præscriptum constitutionum dictæ congregationis necessariae, et non aliter.

Votum in capitulo generali abbati gubernanti solum concedit.

§ 3. Porro unus tantum eorum, nempe ille, qui monasterium actu gubernabit, votum sive suffragium in capitulo generali congregationis prædictæ habeat; vacans autem a gubernio, in alterius gubernantis monasterio degat: nec plus prætereundum possit quam monachus ordinarius, præter titulum abbatis; et, uno illorum defuncto, alter solus remaneat abbas regiminis quamdiu vixerit vel donec renunciaverit.

Clausula præscriptivas apponit.

§ 4. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari,

Et ita iudicari mandati.

§ 5. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus præfatis Urbani prædecessoris litteris, aliisque constitutionibus apostolicis, necnon, quatenus epus sit, dictæ congregationis, eiusque provinciarum ac monasteriorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis,

illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 februarii 1671, pontif. anno I.

LVII.

Declaratio, in qua omne ius prætensum super monasterio fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Ulyssiponæ erecto fratribus Excalceatis Hispaniæ tollitur, et erectio novorum conventuum dicti Ordinis in regno Lusitaniæ prohibetur.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, enatas inter religiosos viros controversias, ne fraternæ charitatis serenitatem conturbent, dirimere studemus, sicut aequitati et iusti-

Exordium.

1 Nonnulla circa materiam, de qua in rubricâ, emanarunt decreta sacrae Congregationis cardinalium negotiis episcoporum et regularium præpositæ, quorum confirmationem habes supra in Const. huius Pontificis XLIX, Aliâs, supra pag. 155.

tae consentaneum esse in Domino arbitramur.

Causa declarationis.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii fratres Excalceati Ordinis Eremitarum sancti Augustini in regno Lusitaniae monasterium Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, in quo degunt, erectum pro curâ monialium eiusdem Ordinis, a iurisdictione dilecti etiam filii prioris generalis totius Ordinis huiusmodi exemerint, et congregationi Excalceatorum Hispaniae subiecerint, novitios ad habitum admiserint, et nova monasteria ibidem erigere ac fundare praetenderint, pendente controversiâ super huiusmodi re in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, dilectus vero filius procurator generalis totius Ordinis praedicti institerit revocari praedicta omnia, utpote attentata, et huiusmodi novas erectiones et fundationes dictis fratribus Excalceatis interdici ac prohiberi:

Omnia gesta per hos fratres attentata revocantur.

§ 2. Hinc est quod nos, habitâ relatione sententiae congregationis nonnullorum eiusdem S. R. E. cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui rationum momenta tam in facto quam in iure per utranque partem allata pluries audiverunt, controversiae huiusmodi finem imponere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, attentata praedicta revocanda esse, nullumque ius competere fratribus Excalceatis Hispaniae super illo monasterio Ulyssiponae erecto pro curâ monialium, neque esse locum dismembrationi illius a religione, nec esse locum erectioni novorum conventuum fratrum Discalceatorum Ordinis sancti Augustini in regno Lusitaniae, tenore praesentium decerni-

mus et declaramus, ac propterea illos erigi aut fundari harum serie prohibemus, et praedictis fratribus Excalceatis circa suprascriptam controversiam perpetuum silentium imponimus.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati fratres Excalceati, seu alii quilibet in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, seu ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus¹ aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut² etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective in omnibus et per omnia plenissime suffragari,

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublata eis et eorum cui-

Ita iudicari mandat.

¹ Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

² Vocem *aut* nos addimus (R. T.).

libet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores
deputat.

§ 5. Quocirca venerabili fratri Francisco archiepiscopo Sidoniensi, molerno et pro tempore existenti nostro et dictae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncio, per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium seu alicuius eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in eisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectum pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indelibe molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria re-
movet.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et congregationis fratrum Excalceatorum

huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque; indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 februarii 1671, pontif. anno I.

LVIII.

Confirmatio privilegiorum pro priore domus regularis militiae seu Ordinis militaris de Calatrava nullius diocesis provinciae Toletanae, ac extensio ad usum insignium et indumentorum episcopaliû.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem ad ea vota, per quae militarium Ordinum quorumlibet eorumque praelatorum honori, necnon divini cultus celebritati per amplius consulitur, libenter intendere, ac in his pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout ad Altissimi laudem et gloriam prospicit in Domino salubriter expedire.

Prooemium.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii moderni prioris domus regularis sive conventus maioris mi-

Indultum Ale-
xandri VI.

1 Hactenus non impressa.

litiae seu Ordinis militaris de Calatrava nullius dioecesis provinciae Toletanae petitio continebat, quod, licet ipse et pro tempore existens domus seu conventus huiusmodi prior, ex indulto eidem priori per felicis recordationis Alexandrum Papam VI praedecessorem nostrum sub datum VIII kalendas decembris anno Domini MDCI concessio, quamplurimis praerogativis et praerogativis gaudeat, signanter in domus seu conventus et domorum seu conventuum ac locorum militiae seu militari Ordini huiusmodi subiectorum et ad eandem militiam seu eundem militarem Ordinem communiter aut divisim spectantium et pertinentium (quamvis pleno iure non subsint) parochialibus aut aliis ecclesiis post missarum ac vesperarum et matutinarum sollemnia benedictionem solemniter populo interessenti (dummodo inibi antistes catholicus aut Sedis Apostolicae legatus praesens non sit, aut, si praesens fuerit, eius ad id expressus accedat assensus) elargiendi, ac quibuscumque fratribus seu militibus et personis militiae seu militari Ordinis huiusmodi quatuor minores ordines conferendi, casulas quoque et ornamenta aliaque paramenta et vasa ecclesiastica pro ecclesiarum praedictarum usibus benedicendi, ac coemeteria, quotiescumque sanguinis vel seminis emissionem vel suffusione polluta fuerint ac execrata (aquam tamen prius per aliquem catholicum antistitem benedictam), reconciliandi, aliaque faciendi et exercendi gaudeat; nihilominus dictus prior in domo seu conventu maiori militiae seu militari Ordinis huiusmodi veste ecclesiastica cum bireto nigro et clamide seu pallio albo militari cum choraulis, floccis, ac cruce rubea utitur, foris vero et extra illum in habitu clericali tantum cum cruce militari incedit.

§ 2. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, indecorum sit, ut, qui pontificalia tractat et exercet, pontificalibus non utatur: nobis propterea pro parte dicti moderni domus seu conventus maioris huiusmodi prioris per dilectum filium Ignatium Velarde, sacristam maiorem dictae militiae seu dicti militaris Ordinis, uti a carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum rege catholico eiusdem ac S. Iacobi de Spatha et de Alcantara militiarum seu militarium Ordinum huiusmodi in spiritualibus et temporalibus tractandis agentem seu procuratorem generalem constitutum, humiliter supplicatum fuit, ut, primodictae militiae seu primodicti Ordinis militaris et domus ac conventus maioris huiusmodi illiusque prioris decori et ornamento consulendo, ei ut infra indulgere de benignitate apostolica digneremur.

§ 3. Nos igitur, qui honestis petitionum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, dictum modernum priorem ac Ignatium praedictum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et ex voto congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super ritibus ecclesiasticis praepositae, moderno et pro tempore futuro domus seu conventus maioris huiusmodi priori, ut ipse de cetero perpetuis futuris temporibus, tam in primodicto seu primodictis quam aliis quibuscumque aliarum militiarum huiusmodi domibus, ecclesiis et locis, ac aliis ubicumque locorum et gentium, mozzet-

Usus insignium et indumentorum episcopatum conceditur.

1 Edit. Main. legit *primodicti* (R. T.).

tâ et habitu aliisque insigniis et indumentis episcopalibus, quibus S. Iacobi de Voles et S. Marci de Leon militiae seu militaris Ordinis S. Iacobi de Spaltha domorum seu conventuum priores pro tempore (ex plurimis Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum, per recolendae memoriae Pium Papam V, etiam praedecessorem nostrum, sub datum Romae v idus ianuarii anno Domini MDLXVI confirmatis et approbatis, privilegiis et indultis, quae ad primodictam militiam seu primodictum militarem Ordinem ad supplicationem clarae memoriae Caroli V Romanorum imperatoris per piae memoriae Paulum Papam III similiter praedecessorem nostrum in eius litteris sub datum etiam Romae anno eiusdem Domini MDXLII, nonis augusti, pontificatus eius VI, extensa eidemque communicata fuerunt) gaudent, utuntur et incedunt, uti, ac eum illis et in illis semper, ubi, quando, ac quoties ipsi priori libuerit, incedere, et ea ubicumque et quodocumque gestare libere et licite valeat, apostolicâ auctoritate (citra tamen aliquam communicationis privilegiorum et indultorum huiusmodi approbationem) concedimus et indulgemus, ac plenam, liberam et omnimodam facultatem, licentiam et auctoritatem impartimur.

Derogat contra
a. iis.

§ 4. Decernentes irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon primodictae militiae, seu primodicti Ordinis militaris, ac quarumcumque illius domorum seu conventuum etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poe-
nalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum li-

ceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domini MDCLXX¹, vi nonas martii, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 2 martii 1671, pontif. anno 1.

LIX.

Decretum sacrae congregationis eminentissimorum et reverendissimorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, auctoritate sanctissimi domini nostri Clementis Papae editum de canonicis regularibus Ordinis sancti Augustini Congregationis Lateranensis ad curam animarum in ecclesiis saecularibus exercendam non admittendis².

Cum felicis recordationis Gregorius XIII aliique nonnulli Summi Pontifices eius successores ad regularem disciplinam in congregatione canonicorum Lateranensium Ordinis sancti Augustini magis magisque firmandam decretis suis mandaverint ne dicti canonici, curae animarum in ecclesiis saecularibus exercendae, iuxta constitutionem Innocentii III recolendae memoriae incipientem, *Quod Dei timorem, etc.*, ceteroquin capaces, ad huiusmodi curam in praedictis ecclesiis exercendam admittantur, quorum decretorum observantiam retinendam esse non

Motivum.

¹ Oportet legere 1671; etenim die 2 martii anni 1670 nondum Clemens IX electus fuerat; vel postea legendum *mai* pro *martii*; quo casu referenda esset haec Bulla ad initium huius Iomii; in edit. Main sub num. II habetur (R. T.).

² Nunc primum impressa.

semel declaratum fuit; asserentibus vero e contra quibusdam dictorum Pontificum mentem haud fuisse certâ perpetuâ legelatâ Innocentianam constitutionem prorsus abrogare, sed immo illorum decreta seu mandata cum ipsis expirasse, ac propterea pro diversitate temporum diversas forsitan editas fuisse declarationes et interpretationes, nec uniformem servatam praxim: ideo ex praedictis non infrequentes dubitationes et controversiae subortae noscuntur, ob quas religiosa quies perturbari facile posset, accuratius in hoc sacro Ordine custodienda, cum illius apostolica instituta primaevam disciplinae ac sanctimoniae antiquorum clericorum imaginem et symbolum referant, quibus ipsa nascentis Ecclesiae primordia florebant.

§ I. Quapropter, ad huiusmodi dubitationes explicandas et controversias definiendas, atque ut magis accuratâ disquisitione eorum canonicorum spiritus et vocatio dignoscatur, qui, dum in tranquillitate Montis Sion caelestium contemplatione suavissime pascuntur, ad fraudandum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet e claustris ad regimen de seensuri parochialium) invitantur; sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, re mature examinata, atque audito patre procuratore generali dictae congregationis Lateranensis, speciali sibi auctoritate per sanctissimum dominum nostrum Clementem PP. X vivae vocis oraculo attributâ declarat atque decernit ut in posterum futuris perpetuis temporibus nemo ex canonicis regularibus Ordinis sancti Augustini congregationis Lateranensis, quamvis non translatus, ad curam animarum in ecclesiis saecularibus, etiam de inrepatronatus, in perpetuum seu ad tempus quo-

cumque titulo exercendam admittatur, nisi, praeter abbatis generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicae indultum accedat, quod, iuxta sacerorum ministrorum penuriam et prout animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concedetur, itant quaelibet collatio, institutio et deputatio, in favorem huiusmodi canonicorum aliter facta, irrita prorsus atque inanis censeatur et sit; ac nulla etiam triennali longior possessio iisdem suffragetur: canonicus vero, cui eiusmodi concessum fuerit indultum, ad mentem praefati Innocentii III (si commode fieri possit) socium unum ex suo Ordine et congregatione secum habeat, cuius, in iis quae Dei sunt et regularis observantiae, tam consortio quam solatio perfruatur.

§ 2. Ceterum, si forte aliqui ex praedictis canonicis, ante huius decreti promulgationem, ad curam animarum in huiusmodi ecclesiis parochialibus exercendam quoquo nomine, saltem cum licentiâ sui abbatis generalis, iam admissi reperiantur, eadem sacra Congregatio, itidem speciali sibi auctoritate per sanctissimum Dominum nostrum attributâ¹ benigne indulget ut illi (quatenus aliud non obstet canonicum impedimentum) in huiusmodi exercitio curae animarum, iuxta collationem, institutionem seu deputationem per ipsos iam obtentam, licite valeant² (socium iuxta praedicta secum habendo) continuare.

§ 3. Non obstantibus, quoad supradicta omnia et singula in praesenti decreto contenta, supradictâ constitutione Innocentii III, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam necessario et indiyidue exprimendis, neenon illorum etiam inramento, confirmatione

Decretum sacrae congregationis episcoporum et regularium auctoritate apostolica sibi attributa factum, ne canonici regulares Lateranenses praeficiantur ecclesiis saecularibus parochialibus absque indulto Sedis Apostolicae.

Admissi ad curam animarum in ecclesiis saecularibus ante promulgationem huius decreti, in ea valent continuare, secum habendo socium iusdem instituti.

Derogat quibuscumque contrariis et etiam formulae professionis.

¹ Praep. in nos addimus (R. T.).

² Male edit. Main. legit attributam (R. T.).

³ Edit. Main. legit valeat (R. T.).

apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, formulâ professionis in eo Ordine et congregatione emitti solitae, consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ et titulo oneroso, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio et certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliâs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extentionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene expressis habentes, quibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, illis aliâs in suo robore permansuris, eadem sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate specialiter et expresse derogat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandat dictum decretum publicari.

§ 4. Et ne praemissorum ignorantia quoquam praetendi possit, voluit eadem sacra Congregatio ut supradictum decretum in valvis basilicarum S. Iohannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe ac in acie Campi Florae, ut moris est, affixum, omnes, ad quos pertinet, ita aretet et afficiat ac si univique personaliter intimatum fuisset, utque eisdem transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in eccle-

Transumptorum fides.

siasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, hac die XVIII martii MDCLXXI.

F. M. cardinalis BRANCATIUS.

Loco † sigillo.

C. de V. archiepiscopus Atheniensis.

Dat. die 18 martii 1671, pontif. anno 1.

Die XXIX augusti MDCLXXI supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicarum S. Iohannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe ac in acie Campi Florae et aliis locis solitis et consuetis per me Franciscum SS. D. N. Papae cursorem.

IOSEPH PIZZARDUS, magister cursorum.

LX.

Litterae processus SS. D. N. Clementis Papae X lectae die Coenae Domini anno MDCLXXI¹.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni christianae reipublicae pace et tranquillitate procurandâ pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei,² sine quâ impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ et conservandâ maxime elucet, nimirum ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae, in nequitia hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitio-

Exordium.

¹ De hac materiâ vide quae notavi ad Constitutionem *Pastoralis* ALEXANDRI VII.

² Particulam *et delictius* (R. T.).

nis Filii Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communi-
one laedant, aut inter se alter alteri
offensionem praebet, sed potius in vin-
culo charitatis coniuncti, tanquam unius
corporis membra, sub Christo capite,
eiusque in terris vicario Romano Pon-
tifici beatissimi Petri successore, a quo
totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur
in aedificationem, atque ita, divinâ
gratiâ adiutrice, sic praesentis vitae
quiete gaudeant, ut futurâ quoque bea-
titudine perfrauantur. Ob quas sane cau-
sas Romani Pontifices praedecessores
nostri hodiernâ die, quae anniversariâ
Dominicae Coenae commemoratione so-
lemnis est, spiritualem ecclesiasticae di-
sciplinae gladium et salutaria iustitiae
arma per ministerium summi apostola-
tus ad Dei gloriam et animarum salutem
solemniter exercere consueverunt. Nos
igitur, quibus nihil optabilius est quam
fidei inviolatam integritatem, publicam
pacem et iustitiam, Deo auctore, tueri,
vetustum et solemnem hunc morem se-
quentes,

Excommuni-
cantur haeretici
cuiuscumque
sectae, et eorum
factores, libros
legendes, tenen-
tes et impri-
mentes.

§ 1. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, quoscumque Hussitas, Wiehlephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios et a christianâ fide apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos, quocumque nomine censeantur et cuiuscumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, factores et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros haeresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostrâ et Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causâ, publice vel occulte, quovis inge-

nio vel colore, necnon schismaticos, et eos qui se a nostrâ et Români Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

§ 2. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, universitates vero, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicens, ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

Appellantes a Pontifice ad futurum Concilium.

§ 3. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, praecipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum factores, receptatores et defensores.

Piratae, etc.

§ 4. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos qui, christianorum quorumcumque navibus tempestate seu in traversum (ut dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus sive ex eisdem eiecta in mari vel in litore inventa cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni et Adriatici, quam in ceteris cuiuscumque maris regionibus et litoribus subripuerint; ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem aut longissimam et immemorabilem temporis possessionem seu alium quemcumque praetextum excusari possint.

Navium christianorum praedatores.

§ 5. Item excommunicamus et anathematizamus omnes qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a iure seu ex speciali Sedis Apostolicae licentiâ permissis, imponunt vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

Qui pedagia praeter ius augent.

§ 6. Item excommunicamus et ana-

Falsarii litte-

terarum apostolicarum ab habente auctoritate signat. thematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S. R. E. vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso publicantes litteras apostolicas etiam in formâ Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu vicecancellarii aut gerentium vices praedictorum.

Turcarum adiutores.

§ 7. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos qui ad Saracenos, Turcas, et alios christiani nominis hostes et inimicos vel haereticos per nostras sive huius sanctae Sedis sententias expresse et nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape quam ex aliâ quacumque materiâ, et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos et catholicos impugnant, necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum christianae reipublicae concernentibus, in christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas et christianae religionis inimicos necnon haereticos in damnum catholicae religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestant; non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, principibus, rebus publicis per nos et Sedem praedictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Perturbantes eos, qui victualia Romam adducunt.

§ 8. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impediendo seu invadentes eos qui victualia seu alia ad usum Romanae curiae necessaria addu-

cunt, ac etiam eos qui, ne ad Romanam curiam adducantur vel adferantur, prohibent, impediunt seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, praecellentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali seu regali aut aliâ quavis ecclesiasticâ vel mundanâ praefulgeant dignitate.

§ 9. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes et recedentes ab eadem suâ vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliunt, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui, iurisdictionem ordinariam vel delegatam a nobis vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eadem curiâ audent perpetrare.

Vel Romam venientes offendunt.

§ 10. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu depraedantes romipetas seu peregrinos ad Urbem causâ devotionis seu peregrinationis accedentes et in eâ morantes, vel ab ipsâ recedentes, et in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

Vel romipetas impediunt.

§ 11. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque Apostolicae legatos vel nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eicientes, necnon ea mandantes vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

Item offendentes S. R. E. cardinales.

§ 12. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se vel per alios, personas ecclesiasticas quascumque vel saeculares ad Romanam curiam super eorum causis et ne-

Et alias ecclesiasticas personas.

gotiis recurrentes, ac illa in eâdem curiâ prosequentes aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores et agentes, seu etiam auditores vel iudices super dictis causis vel negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi, occidunt seu quomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui, per se vel per alios, directe vel indirecte, delicta huiusmodi committere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque praecellentiae et dignitatis fuerint.

Appellantes a gravamine, seu futura executione litterarum apostolicarum in forma Brevis ad curias saeculares.

§ 13. Item excommunicamus et anathematizamus omnes tam ecclesiasticos quam saeculares cuiuscumque dignitatis, qui, praetextentes frivolam quamdam appellationem a gravamine vel futura executione litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis tam gratiam quam iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium et aliorum decretorum, a nobis, et a Sede praedictâ, legatis, nunciis, praesidentibus, palatii nostri et camerae apostolicae auditoribus, commissariis, aliisque iudicibus et delegatis apostolicis emanatorum, et quae pro tempore emanaverint, aut aliâs, ad curias saeculares et laicam potestatem recurrunt, et ab eâ, instante etiam fisci procuratore vel avvocato, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria et alia praedicta capi et retineri faciunt, quive illa simpliciter vel sine eorum beneplacito et consensu vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones et notarii super huiusmodi litterarum et processuum executione instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiam partes seu eorum agentes, consangui-

neos, affines, familiares, notarios, exequutores et subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum et aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis et regnis eiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, conculciant et comminantur, per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, quive aliâs quibuscumque personis in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis seu gratiis vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dictâ Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, statuere seu mandare, vel eas apud se aut notarios seu tabelliones vel aliâs quomodolibet retinere praesumunt.

§ 14. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscumque, qui, per se vel alios, auctoritate propriâ ac de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum et litterarum apostolicarum praetextu, beneficiales et decimarum ac alias causas spirituales et spiritualibus annexas ab auditoribus et commissariis nostris aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illorumve cursum et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt; quive partes actrices, quae illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum et revocari faciendum citationes vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi per statutum vel aliâs compellunt, vel executionem litterarum apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum praedictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id

Eos qui ad se causas avocant.

favorem, consilium, aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis et Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint praesidentes cancelliarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarii, consilarii, ordinarii vel extraordinarii quorumcumque principum saecularium, etiamsi imperiali, regali, ducali vel aliâ quacumque praefulgeant dignitate, aut archiepiscopi, episcopi, abbates, commendatarii seu vicarii fuerint;

Iudices saeculares trahentes personas ecclesiasticas ad sua tribunalia, vel aliâ apostolicam libertatem quomodolibet laedentes.

§ 15. Quive ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum, praeter iuris canonici dispositionem, trahunt vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causâ et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii, vel aliâs quomodolibet fecerint et ordina-verint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur vel deprimitur, aut aliâs quovis modo restringitur, seu nostris et dietae Sedis ac quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse, praediudicatur;

§ 16. Necnon qui archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores et inferiores praelatos et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios quomo-

do libet hac de causâ directe vel indirecte carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos et affines, aut aliâs, impediunt quominus suâ iurisdictione ecclesiasticâ contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae et decreta conciliorum generalium et praesertim Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et decreta, aut aliâs fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias et alias curias saeculares recurrunt; et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis et delegatis praedictis decerni, et contra illos exequi procurant; eos quoque qui haec decernunt et exequentur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem;

§ 17. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus ad nos et Sedem Apostolicam et quascumque ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione vel causâ sine⁴ Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ sequestrant;

Auxilium praestantes usurpantibus Sedis Apostolicae vel ecclesiarum iurisdictionibus.

§ 18. Quive collectas, decimas, talleas, praestantias et alia onera clericis, praelatis et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali et expressâ licentiâ imponunt et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus et concedentibus, recipiunt; necnon qui, per se vel

Item talleas imponentes ecclesiasticis.

⁴ Edit. Main. legit *sive* (R. T.).

alios, directe vel indirecte, praedicta facere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones et alii potentatus quicumque etiam regnis, provinciis, civitatibus et terris quoquomodo praesidentes, consiliarii et senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti; innovantes decreta super his per sacros canones tam in Lateranensi novissime celebrato quam aliis conciliis generalibus edita, etiam cum censuris et poenis in eis contentis.

Officiales saeculares se interponentes in causis capitalibus contra ecclesiasticas personas.

§ 19. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscumque magistratus et indices, notarios, scribas, exequentes, subexequentes quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo vel exequendo sine speciali, specificâ et expressâ huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ, quique huiusmodi licentiam ad personas et casus non expressos extendunt, vel aliâs illâ perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, senatores, praesidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§ 20. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare et detinere praesumpserint, in totum vel in partem, aliam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae et Corsicae, terras citra Pharam, Patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, comitatum Venayssinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanae,

Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae et maritimas provincias, illarumque terras et loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, civitatesque nostras Bononiam, Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tuderum, Ferrariam, Comaclum, et alias civitates, terras et loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesument; necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes.

§ 21. Volentes praesentes nostros processus, ac omnia et quaecumque his litteris contenta, quosque alii huiusmodi processus a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

§ 22. Ceterum a praedictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, absolvi possit, etiam praetextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac militiarum regularibus, etiam episcopali vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus et locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali et aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per nos et dictam Sedem ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut aliâ quacumque scripturâ, in genere

Haec constitutiones quoscunque ligent.

Nemo ab his poenis absolvat.

vel in specie concessorum et innovatorum, aut concedendorum et innovandorum; quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Papae absolutionis non comprehendit eos qui a praemissis non destiterint.

§ 23. Declarantes ac protestantes quaecumque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos, nisi prius a praemissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac, quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut praefertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archivis seu capitularibus locis aut libris in quibus annotata reperiuntur deleri et cassari, ac nos de revocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari; quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam et tolerantiam nostram vel successorum nostrorum quocumque tempore continuatam in praemissis omnibus et singulis ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicae ac S. R. E. undecumque et quandocumque quaesitis vel quaerendis nullatenus praeiudicari posse aut debere.

Derogat contrariis.

§ 24. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cuiuscumque Ordinis, status vel conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi ut praemittitur pontificali, im-

periali, regali, seu quavis ecclesiastica et mundana praefulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus seu locis a praedictâ Sede, ex quavis causâ, etiam per viam contractus aut remunerationis, et sub quavis aliâ formâ et tenore, ac eum quibusvis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis, concessis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari vel interdicti non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis et indultis huiusmodi ac de ordinibus, locis et nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis, et aliis quibuscumque observantiis, scriptis vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus ac sententias quominus includantur in eis se invare valeant vel tueri;

§ 25. Quae omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus emisso, insererentur, praesentibus pro expressis habentes, penitus tollimus et omnino revocamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Tenores pro insertis habet.

§ 26. Ut vero praesentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas, processus ipsos continentes, valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum quod tam patenter omnibus publicatur.

Publicari mandatum Romae.

§ 27. Insuper, ut processus ipsi et praesentes litterae ac omnia et singula

Et u'ique.

in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis et praelatis ubilibet constitutis per haec scripta committimus, et in virtute sanctae obedientiae districtae praecipiendo mandamus, ut, per se vel per alium vel alios, praesentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad christifidelium mentes reducant, nuncient et declarent.

Quicumque
audiunt confes-
siones apud se
has litteras ha-
beant.

§ 28. Ceterum patriarchae, archiepiscopi, episcopi, alique locorum Ordinarii et ecclesiarum praelati, necnon rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac presbyteri saeculares, et quorumvis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum praesentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere et percipere studeant¹.

Transumptum
Bis.

§ 29. Volentes earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo iudicis ordinarii Romanae Curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eandem prorsus fidem in iudicio et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poe-
nalis.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublacionis, revocationis, commissionis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire;

¹ Vocem *studeant* addimus ex Cherub. (R. T.).

si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incensurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXI, VII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 martii 1671, pontif. anno I.

Die mense et anno quibus supra, supradicta Bulla affixa fuit ad valvas basilicae apostolorum Ss. Petri et Pauli, S. Iovannis Lateranensis, S. Mariae Maioris, et alia loca solita et consueta Urbis, per me Matthaeum Bertarellum sanctissimi domini nostri Papae cursorem.

Pro domino magistro cursorum

ÆGIDIUS FELICIUS, cursor.

LXI.

Monasteria aliqua pro studiis generalibus fratrum Ordinis sancti Pauli primi eremita in Hungaria, Polonia, Austria, Croatia, et in Svevia, et in Urbe Roma statuit et deputat¹.

Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex inuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, sacrarum bonarumque litterarum studia, praesertim inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo addictos, opportunis rationibus fovemus et promovemus, ac, ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis decus et incrementum, ac catholicae fidei praesidium et propagationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exortium.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius

Petitio.

¹ Privilegia haece fratribus a Summis Pontificibus concessa habes in Constitutione *In supremo* Alexandri VII.

procurator generalis Ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae nobis nuper exponi fecit, ut sacrarum,isque ancillantium bonarum litterarum studia in eodem Ordine magis in futurum vigeant, et fratres ipsius Ordinis congruis honorum praemiis ad illa amplectenda atque prosequenda alacriores et ferventiores reddantur, ipse procurator generalis opportune a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Decernit u
in rubrica.

§ 2. Nos, eiusdem procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus ut deputentur pro studiis generalibus dicti Ordinis, in Hungaria monasteria Tallense, Vyheliense; in Polonia Clarimontis, Czestochoviense et Cracoviense S. Stanislai; in Austria Neostadiense; quibus accedat monasterium eiusdem Ordinis in almâ Urbe nostrâ nuper erectum, cum sufficientes redditus et aedificia necessaria arbitrio congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum habuerit. Lectores idonei et scholares in his constituentur, qui studiis sedulo incumbant ad praescriptum constitutionum dicti Ordinis.

S' odio uno ab
hos hos occupa-
pat aliud substitui.

§ 3. Porro, si aliquod ex predictis monasteriis ab haeticis vel a Turcis occupatum fuerit, aut alio casu occur-

rente non potuerint in eo studiorum curricula peragi, dilectus filius modernus seu pro tempore existens superior generalis Ordinis praefati, eum beneplacito memoratae congregationis cardinalium, aliud vicinum substituat.

§ 4. Ut autem eorum, qui studia peregerint, labores debitis honoribus decorentur, praefato moderno et pro tempore existenti superiori generali fratres expressos dicti Ordinis peractis studiis huiusmodi ad magisterii seu doctoratus aliosque gradus scholasticos, dummodo tamen praevio riguroso examine ad id reperti fuerint idonei, per ipsum, vel, si aliquo impedimento detentus fuerit, per alium, seu alios ad hoc idoneos ab ipso delegandos, promovendi, seu promovendi, eisque solita graduum huiusmodi insignia, servatis aliâs servandis, conferendi seu conferri faciendi, itaut sic¹ promoti et graduati omnibus et singulis gratiis, praerogativis ac privilegiis fruuntur et gaudeant, quibus gaudent et fruuntur qui in publicis universitatibus ad ipsosmet gradus promoti sunt, facultatem, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et impartimur.

Ad doctoratus gradum promovendi posse indulget.

§ 5. Praeterea, ut nemo deinceps ad praelaturas et officia dicti Ordinis, videlicet ad generalis, vicegeneralis, difinitoris, secretarii, procuratoris generalis, provincialis et superioris localis munera, assumi possit, qui non fuerit doctor sacrae theologiae, nisi forte difinitorium cum aliquo vel aliquibus vitae probatae religionis, iustis de causis, dispensaverit, dictâ auctoritate harum serie decernimus. Hoc tamen decretum demum locum habere volumus, cum iudicio capituli generalis Ordinis praefati, tot numero doctores fuerint, qui possint omnibus officiis religionis sufficere.

Praelaturas Ordinis nullum nisi doctor obtinere posse decernit.

¹ Male edit. Main. legit *sive* pro *sic* (R. T.).

Interim vero, qui nunc doctores sunt et successu temporis erunt, ceteris praeferantur.

Doctorem numerum statui mandat.

§ 6. Ceterum, ne doctorum numerus nimium augeatur, in proximo capitulo generali eiusdem Ordinis certus eorum numerus stabiliatur, quem praeterire nefas sit.

Clausula praeferratur.

§ 7. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari,

Clausula subulid.

§ 8. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarius derogat.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque provinciarum et monasteriorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum habet.

§ 10. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo per-

sonae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 aprilis 1671, pontif. anno I.

LXII.

Erectio universitatis studii generalis in civitate Urbini¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Aeternae sapientiae consilio speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, excitandis promovendisque bonarum litterarum et laudabilium disciplinarum studiis, quae catholicae fidei divinique cultus propagationi et incremento, ac iustitiae administrationi, aliisque in publicum commodis magnopere conducibilia sunt, et, depulsa ignorantiae caligine, mentes luce veritatis illustrant, peculiarem pastoralis muneris nostri sollicitudinem propensa charitate adhibemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinam perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam ac huius sanctae Sedis dignitatem, nostrorumque et eiusdem Sedis in temporalibus subditorum decorem, commodum et utilitatem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Urbinatensis, quod,

Causae Constitutionis.

¹ Simile erexit studium in civitate Ferrariae Bonifacius IX, ut videre est in eius Constitutione *In supremo*, eique deinde privilegia concessit Clemens VIII in Const. *Sanctae Romanae*.

cum collegium doctorum eiusdem civitatis ex antiquâ consuetudine publicam in eâ institutionum iuris civilis lectionem haberet, ibique philosophia et sacra theologia a fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum publice quoque praelegerentur in utilitatem studiosorum, ut, peractis studiorum curriculum, ad doctoratus lauream proveli valerent, dilectus filius noster Alderanus S. R. E. presbyter cardinalis Cybo nuncupatus tunc temporis in illis partibus Sedis Apostolicae legatus, probe cognitum perspectumque habens quantum eidem civitati decoris atque utilitatis accedere poterat si instituto ibidem studio huiusmodi, quo parentes eorum liberos studiorum causâ alibi sustentandi onere atque impensâ liberabantur, incrementum atque norma traderetur, lecturas praedictas in aliquot mansiones remotas nec ulli alii usui applicatas palatii pontificii dictae civitatis insimul redegit, aliasque ordinarias sacerorum canonum et legum civilium, ac aliarum scientiarum, seu facultatum, et praesertim mathematicarum disciplinarum, quae in eadem civitate antehac eximie floruerunt, lectiones sive cathedras instituit, ut ibidem tam indigenae quam exteri credita sibi a Domino talenta docendo exercere valerent, et iuventus ad ingenuas artes atque scientias addiscendas atque excolendas ardentiori stimulo incitaretur, huicque studio nonnullos paucos redditus sub vexilliferi pro tempore existentis et sex nobilium praedictae civitatis superintendentiâ assignavit.

Innocentius X et
Alexander VII
studio redditus
assignant

§ 2. Ac felicitis recordationis Innocentius Papa X praedecessor noster, cognita grandi utilitate quae inde resultabat, in favorem eiusdem studii quaedam bona stabilia duorum conventuum suppressorum Congregationis monachorum Cae-

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

24

lestiuorum et Ordinis fratrum servorum B. Mariae Virginis respective concessit; et subinde recolendae memoriae Alexander Papa VII, etiam praedecessor noster, publici pariter commodi consideratione adductus, proventum annuum Sphaeristerii, qui prius ad existentem pro tempore in eisdem partibus Sedis praedictae legatum spectabat, eidem studio applicavit.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, emolumenta quidem ex praemissis provenientia stipendiis, quae lectoribus dicti studii annuatim praestantur, sufficiant; si vero studium huiusmodi in universitatem studii generalis, cum privilegiis et indultis ad instar illorum quae a pia memoriae Clemente Papa VIII praedecessore pariter nostro universitati studii generalis civitatis nostrae, tunc suae, Ferrariensis concessa fuerunt, erigeretur et institueretur, inde numerus studiosorum tam provincialium quam exterorum ibidem excreceret, et non solum dictae civitatis Urbinatensis, quae, a mari remota, commercio non admodum floret, sed victualibus abundat, et quieti, quam litterarum studia desiderant, colendae peropportuna existit, decori et ornamento, sed etiam illius civium et incolarum compendio¹, utilitati et levamento magnopere consuleretur;

Motiva huius
Constitutionis.

§ 4. Cumque² dicti exponentes huiusmodi erectionis et institutionis gratiâ procuraverint ut idem studium ac memoratum doctorum collegium (quod antehac a dicto studio divisum fuit, et, ut asseritur, vigore quarundam similis recordationis Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri litterarum per similis memoriae Urbanum Papam VIII praede-

Petitio.

¹ Ita etiam legit edit. Cherub.; an *commodo legendum* videat lector sciens (R. T.).

² Edit. Main. legit *Cum* (R. T.).

cessorem pariter nostrum confirmatarum facultate conferendi lauream doctoralem in quibuscumque facultatibus ac creandi equites et legitimandi spurios fruitur, necnon, ex privilegio per piae pariter memoriae Iulium Papam II et dictum Pium praedecessorem concesso, de causis appellationum in secundâ et tertiâ instantiâ, tam civilibus quam criminalibus, ecclesiasticis et profanis, in illo Statu et provinciâ cognoscit) firmâ stabilique unione inter se coniungerentur: nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex erigit studium de quo in rubrica.

§ 5. Nos igitur, ad constantis fidei et sinceræ devotionis allectum, quem dicti exponentes erga nos et Sedem praedictam gerere comprobantur, paternae dirigentes considerationis intuitum, eorumque votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super hoc negotio a similis recordationis Clemente Papa IX praedecessore pariter nostro deputatorum consilio, in praefatâ civitate Urbinatensi ex collegio doctorum et studio huiusmodi, sicut praemittitur inter se unitis et coniunctis, unam universitatem studii generalis, in qua sacra theologia, ius canonicum et leges civiles, philosophia, mathematicae aliaeque ingenuae disci-

plinae, scientiae et artes publicae doceantur et praelegantur, et qui, peracto studiorum curriculo, habiles et idonei reperti fuerint, ad baccalaureatus etiam formati, ac magisterii et doctoratus, aliosque gradus scholasticos, servatâ tamen in omnibus formâ et dispositione Viennensis et Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promoveri libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia prout in aliis studiorum generalium universitatibus per Sedem Apostolicam praedictam erectis fieri solet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, sine alicuius praepiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

§ 6. Ac ipsi universitati studii generalis sic erectae et institutae, eiusque rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, scholaribus, officialibus et ministris, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, favoribus, honoribus, praerogativis, praeceminentiis et gratiis quibuscumque, quae tam per praedictum Clementem VIII, quam alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros praefatae universitati studii generalis Ferrariensi, eiusque rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, scholaribus, officialibus et ministris, aliisque personis respective, etiam per viam communicationis et aliâs quomodolibet et qualitercumque concessa et attributa fuerunt, pari modo, et absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui et gaudere libere et licite valeant, sine ullo tamen praepiudicio exactionum cameralium, circa quas nihil innovatum sit, auctoritate et tenore praedictis itidem perpetuo concedimus et indulgemus.

Officialibus privilegia concedit.

§ 7. Decernentes easdem praesentes Clausulae praeservativae.

litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec sub quibusvis similium vel dissimilium erectionum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem praedictam quodcumque faciendis, unquam comprehendi aut comprehensas censi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanaverint, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, per eos ad quos pro tempore spectabit eligendâ, de novo concessas intelligi, ac ab iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective in omnibus et per omnia plenissime suffragari,

Clausula sub-
lata.

§ 8. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis
derogat.

§ 9. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictae civitatis Urbinatensis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis, quibuscumque personis et locis,

sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi aprilis MDCLXXI, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 6 aprilis 1671, pontif. anno 1.

LXIII.

Canonizatio S. Rosae de S. Maria, virginis Limanae, Tertii Ordinis sancti Dominici¹.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Caelestis paterfamilias, cuius natura *Exordium.*
bonitas, voluntas potentia, et opus mi-

¹ Istam Sanctam prius sacras promovit ad aras et de eadem officium et missam recitari posse decrevit Clemens IX in Const. *Sanctae Matris*.

sericordia est, ubi ad magnam divinitatis coenam invitatos Iudaeos se ipsos ut indignos eximentes conspexit, ad vicos et plateas civitatis accersentem hinc inde alios atque alios convivas servum fidelem transmisit. Verum nec pauperum multitudine, nec debiliū, coecorum aut claudorum copiā, nec his qui longe erant contentus, ad regale epulum, in quo non pauca sed omnia parata erant, et ad caelestem domum implendam, in ultiores gentes destinatum nuncium progredi iussit. Undique ex Asiā, Africā et Europā sanctorum virorum atque mulierum cuiuscumque aetatis, conditionis et gradus agmina collecta fuere; sola esuriens languabat America, nec Domini volentis salutem omnium arcani mysterii conscia, nec ministri vocantis voces audire valens; donec venit plenitudo temporis et per ministros fideles sedentium in tenebris et umbrā mortis auribus vox Patris insonuit, illatumque est Evangelium ultra Indiam et Gangem et Aequatorem, et per omnes compitorum angulos famelici quaesiti gentiles, ut in parato convivio pinguium ac medullatorum cum Deo Abraham, Isaac et Iacob in regiā suā recumberent. Tandem, ultra totius antiqui orbis extremos fines, longe lateque usque ad ultimas Atlantici oceani metas, et usque ad extimas occidentalium Indiarum oras, quae maris (quod Pacificū dicitur) sepunt immensa littora, iterum atque iterum fidei servo (per quem praedicatorum ordo, maximo huius S. R. E. doctore et praedecessore nostro Gregorio testante, significatur, exequendum fuit, donec ad Peruviam perveniret. In quam, unā cum iis qui regionem illam felici introitu ac successu Deo et S. R. E. subiecerunt, primus ille penetravit Ordo, qui, singulari huius sanctae Sedis Apostolicae privi-

legio, Praedicatorum titulo iamdiu insignitus fuit, et ante alios Peruvianae gentilitati sanctum Jesu Christi Evangelium annuntiavit, primusque ibi salutiferae praedicationis verbum suo sanguine obsignando, universam illam gentem ad coenam Agni providi efficaciter invitavit. Cuius voce, labore et errore aurifera illa terra exulta, ad exhilarandam universae tam militantis quam triumphantis Ecclesiae coenam, inter ceteros christianae pietatis illius regionis flores, Deo, angelis et hominibus suavolentem protulit Rosam, totius evangelicae perfectionis exemplar, et primum ex orbe novo in Sanctorum albo reponendum ornamentum. Cum enim ad hoc nata et data fuisset, eam omnium impartitor bonorum spiritu sapientiae et intellectus implevit, adeoque suae charitatis igne inflammavit, ut non tantum odore recrearet, sed etiam fulgore luceret in eā domus Dei parte quae in tenebris latebat, ut quasi stella matutina in medio nebulae, quasi luna plena in diebus nostris, et quasi sol refulgens in perpetuas aeternitates splenderet.

Aequum igitur et summopere rationi consentaneum iudicamus, ut, quam Dominus noster Iesus Christus (cuius vires in terris gerimus) singulariter in dilectissimam a se sponsam assumptam monilibus et coronis suis ornatam demonstrare dignatus est, nos quoque, pro muneris nostri in universā Ecclesiā debito (cui, licet immerito, praesidemus), ut venerandam a Deo praelectam sanctamque colendam apostolicā auctoritate decernamus², ut a solis ortu usque ad occasum omnis lingua et omnes populi confiteantur quod magnus Dominus in omnibus operibus et laudabilis valde in mirabilibus suis; quoniam etiam in die-

¹ Praeposit. in delenda videtur (R. T.).

² Male edit. Main. legit *decernimus* (R. T.).

bus nostris non defecerunt misericordiae eius super nos, et, licet paterne culpae nostris exigentibus corripiat, non tamen in perpetuum obliviscitur, sed in angustiis nostris multiplex nos electorum et amicorum suorum praesidio custodire non desinit, qui meritorum et suffragiorum suorum patrociniis nos muniant et defendant¹. Utque Christi Domini fideles intelligant quam sit eximium hoc pietatis exemplum, quod in novo orbe in praesentibus calamitatibus et periculis toti illuxit Ecclesiae, illustriora eius charismata, virtutes et gesta ex multis magnalibus, quae contulit illi Dominus, his nostris litteris proponenda duximus, ut eius sanctitas, apostolicae huius cathedrae testimonio comprobata, in universo mundo perpetuo magis illucescat.

Limae Rosa nascitur.

§ 1. Limae, quae est meridionalis Americae in regno Peruviano metropolis, anno a reparata salute MDLXXXVI, XII kalendas maii, parentibus honestis Gaspare de Floribus et Maria ab Oliva, orta est haec mystica Rosa in vico S. Domini iuxta S. Spiritus aedem, et in ipsa solempni Pentecostes die, quam rosarum Pascha dicimus, sacro baptismatis fonte purificata, ut pene videantur omnia fuisse infantis huius futurae sanctitatis indicia. Primaevum illi nomen ab avia Elisabeth fuit, quod postea divinitus, non solum a matre propter caeleste prodigium rosae in facie eius illico apparentis, sed etiam a Turibio archipraesule Limae dignissimo (non absque caelesti, ut creditur, afflatu) in sacri chrismatis unctione in Rosae nomen commutatum, et a Deipara Virgine agnomine a Sancta Maria aeternum fuit, ut hoc etiam testimonio abundantius comprobaretur eximia Sanctorum merita a Deo nomina sortiri.

In infantia Constanti.

§ 2. Infans saepe visa est humi ia-

eus fixis ocellis iucunde caelum intueri, quasi iam peregrina in terris, in civem caelestis Hierusalem eloquenti silentio (quo ex tunc praedita erat) adscribi postularet; iamque pupula intelligens meliorem esse patientem viro forti, suavis, lepida et serena semper apparuit, nec unquam vagitibus, aut voce querula aedium audita est turbare silentium, aversata solum in publicum efferri. Ea fuit in teneris annis constantia, ut diros chirurgi cruciatus in pollice, aure et naribus sine querula, et capitis poenalem corrosionem, ex impositis ad medicamen pulveribus ortam, sine querula invicto animo sustineret, ut eius indoles iam ex tunc patientiae nata esse crederetur.

Virginitatem vovet.

§ 3. Vix quinquennis erat, cum, a Spiritus Sancti unctione interius edocta, virginitatis votum emisit, et ex fratris admonitu vanitatis saeculi conscia facta ipsamet sibi comas ad vivam usque eutem in secula matre praescidit, ne quid funium superesset, quibus adversus devotam puritatem aut traheret aut traheretur ad nuptias; insignem illam heroinam Catharinam Senensem aemulata, quam sibi in ipso rationis diluculo in sanctitatis exemplar et magisterium delegerat, quam subinde magistram appellare non destitit. Addidit in praesidium primo alterum perpetuae a carnibus abstinentiae votum, quo cautius obstrictam Deo virginitatem custodiret; optime intelligens sobrietatem docere sapientiam et virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus: quapropter ieiunium adhuc parvula sic servavit, ut omni se fructuum esu interdiceret, quos sibi donatos mox aliis largiebatur. In hebdomadarum spatia protraherebat inedia; quaeque in puerilibus annis insignem exercuerat abstinentiam, monialis postea eam sibi ieiunandi legem indixit,

¹ Edit. Maio. legit *muniat et defendat* (R. T.).

quae plane supra naturam esset. Nam integras quadragesimas transigebat sine pane; dictum quinis dumtaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnorum Christi sese reficiebat; septem vero mensium ex Ordinis sui praescripto ieiunium a festo S. Crucis Exaltatae usque ad Pascha sic observabat, ut non nisi ad vesperam exigua panis vilioris bucella, haustuque frigidae aquae sedaret famem. Saepe, ac praecipue sextis feriis, palatum et viscera cruciabat felle veruccino, quod in hunc usum potabile servabat, ut Christi sui in cruce siti-hundi gustaret spongiam. Interdum, ut matri videretur lautius obsonare, amarissima granadillae folia, vel alias e sylvâ extremæ amaritudinis herbas, iniectis ad speciem paucis uvarum ficcarum acinis, in pulmentum adhibebat. Quando obedientiae vi ad carnis esum cogebatur, duris symptomatibus torqueri visa est, nec quietem primam reparabat, donec ad pristinam abstinentiam laeta redire permetteretur. Sic denique assueta ieiuniis erat, ut eius creberrimis infirmitatibus nullum aliud prodesset medicamentum quam panis et aqua, sic enim divina gratia curat et sanat.

Ipsius obedientia.

§ 4. Ut loqueretur victorias, mirabilis fuit in Rosa obedientia, tum in sequendis divini sponsi tractibus, quibus eam per arcanas sanctitatis semitas in inguentorum suorum currentem odorem trahebat, tum in durae et rudis matris praeceptis adimplendis, quibus eam ex adverso ad saeculi nugas et vanos corporis ornatus impellebat; in tantâ enim oppositorum mandatorum diversitate, arte excelluit plusquam humanâ, non aberrando neque ad dexteram neque ad sinistram.

In summo dolore patientia.

§ 5. Hinc novit in florifero serto, vera filia Hierusalem, iussa illud capiti imponere, celare acum tempora figentem,

non solum intuita, sed imitata verum regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua. Chirothecarum suaveolentium in manibus obtemperans admisit amictum, e quibus adustionem veram experta, dum eas abiicit, vidit promicare flammam et totum collicere cubiculum. Pellibus ab ipsâ genitrice pro reparandâ valetudine circumligatis summe cruciata, silens et patiens sustinuit, vitam potius quam obedientiam perdere parata; in omnibus enim et per omnia a confessarii, parentum et maiorum nutibus pendens, mundi et sui victrix etiam in minimis omnes obtemperantium palmas obtinuit: et, quod magis mirandum est, etiam vitâ functa, in coenobio S. Catharinae, Luciae praefectae illius obedientiam praestitit.

Erga parentes reverentia.

§ 6. Sciens etiam Deo, parentibus et magistris nunquam reddi aequale, eximie prosecuta est genitores reverentiâ, pietate et charitate, labore manuum eorum inopiam levem reddebat, prudens et providens in removendo quidquid eis ingratum aut inquietum esse posset, in pacandis contentionibus et sedandis animis mirifice discreta. Infirmas eorum valetudini seuper prompte et provide assistens et ministrans visa fuit. Ad hoc per singulas noctes in operibus elaborandis vigilias protrahebat ad instar fortis illius mulieris, quae de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis; debilis enim, languens et saepe aegrotans, ac orationibus et aliis exercitiis detenta, 1 aliarum artificum opera et celeritate et perfectione quamlonge superabat. Nec praetereundum quod in hac pietate erga parentes cursum vitae suae feliciter clausit; matrem enim praevidens pro sui obitus adventu summo moerore afficiendam, sponsum suum enixe precata, tan-

1 Coniunct. et hinc adiciamus (R. T.).

tam divinarum consolationum sensibilem affluentiam ei obtinuit, ut postmodum iureiurando deposuerit se in tam dilectae filiae praematurâ morte expertam fuisse cor suum nimis angustum et incapax ad caelestia illa gaudia capessenda.

Humilitas.

§ 7. Humilis virgo sibi videbatur nil agere aut pati in sponsi famulatu, seipsam redargebat supinae ignaviae, vociferabatur se indignam communi aëre, mirabatur se vivam terrae hiatu nondum absorberi, ad pedes confessoriorum lachrymis plena singultiebat, minimos quosque defectus ita exaggerans quasi atrocissimorum scelerum cumulatim rea foret, publicas urbis aut regionis calamitates suis imputabat demeritis, aegritudines creberrimas et acutissimas acceptabat et amabat ceu vindices ac iusta supplicia suae in Deum perpetuae ingratitude, provocabat in se omnia mundi elementa ad vindicias iniuriarum quas eorum Creatori a se illatas querēbatur, credebat firmiter, et ita ab omnibus credi satagebat, omnium se creaturarum esse abiectissimam et pestilentissimam, naevum execrabilem infelicis saeculi, Orbis maculam, humani generis ultimum carcinoma. Hinc, si deprehenderet de virtutibus se tantillum commendari, cruciabatur misera, expallescebat, diffluebat lachrymis, dehisecebat illico se mergens in abyssum humilitatis. Accidit quod e vicino aedium conclavi¹ obiter audiret personas graves de Rosae tanquam absentis mirabili vitâ honorifice ac secreto confabulantes; expavit et adtremit exanguis virgo, angore, fletu et moerore distabit, ac, seipsam durissime obiurgans, ter, quater illisit pugnum aculeatae capitis sui coronae, fluxerunt sub velo sanguinis rivi, ut acrimoniâ doloris ingrattissimum alienae laudis obtunderet au-

¹ Male edit. Main. legit *conclavis* (R. T.).

ditum. Familiaribus suis ingenue profitebatur humilis Rosa plectendis suis criminibus haud sufficere communem gehennae regnum, alium sibi deberi singularem infernum, ac veteri profundiore longeque deteriore.

§ 8. Ducebatur inter haec virtutum exercitia a Sponso tam ad exteriorē corporis quam ad intimam spiritus solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor eius; obsistentibus exadverso importunis genitricis conatibus, quibus eam ad connubia terrae parare satagebat, ad quae non solum verbis durioribus, sed etiam verberibus impellebatur. Sed vicit invictus Rosae animus; prius enim Cantae, ubi cum suis morabatur, per quadriennium semel tantum a matre inssa domo exivit; post, exemplo suae magistrae, rigidiorē inediâ vultus venustatem imminuere, veste humili et despectâ corporis agilitatem celare, hominumque prospectum quoad poterat declinare curavit. His sanctis artibus spes omnes nuptiarum elusit, non tamen quaecumque pugnam evasit. In statu enim vitae deligendo diu multumque luctandum fuit. Tandem obtinuit vigesimo aetatis anno, ut, consentiente matre, cooptaretur palam in filiam sancti Dominici, assumpto S. Catharinae Senensis habitu, quo candent sorores Tertii Ordinis, vulgò de Poenitentiâ. Eam namque severioris¹ S. Clarae primae² virgines monasterii Limensis in foundationis sodalem habere totis viribus conabantur. Sanctimonialēs postmodum sancti doctoris Ecclesiae Augustini illam iam domo ad hoc egressam praestolabantur sacro hoc amictu, et nec frustra, ni ante aram Beatissimae Virginis SS. Rosarii immobilem vis divina tandiu detinuisset, quoad coeptum itineris propositum retractaret. Unde, caelitus admonita Ordinem Prae-

Habitus sancti Dominici script.

¹ Edit. Cherub. hic addit *instituli* (R. T.).

² Legere *rem primo pro primae* (R. T.).

dicatorum esse in sanctâ Ecclesiâ paradisum voluptatis divinæ, in quo ipsa velut rosa caelestis ceteris ibi liliorum et rosarum vernantibus plantis socianda et inserenda erat, quod postea ex intimis præcordiis optans petebat; et voti compos facta ante prædictam sibi summe gratissimam SS. Rosarii aram, Alphonso Velasquez eiusdem Ordinis tunc a confessionibus ipsius virginis dante, anno Domini sexto supra millesimum et sexcentissimum in clarâ sancti Laurentii celebritate habitum suscepit. Verum nec adhuc integra pax; suadebat enim postea quaestor Gundisalvus, vir optimus, qui apud virginem Rosam sibi concreditam auctoritate et domestico imperio plurimum valebat, reformatam exalceatarum virginum saeri Carmeli regulam in clauso coenobio potius subire, quam inter postremas S. Dominici tertiarias extra septa monasterii militare; se non tantum protectione, sed et operâ et opibus, adiumento futurum pollicebatur. Theologorum scrutiniis in hac causâ anceps sententia stetit, donec ipsa caelitus roborata constantissime status religiosi delectum non humanae sed divinæ inspirationis opus esse demonstravit, sibi que vivendum usque ad extremum spiritum sub sanctae Catharinae Senensis magisterio, et tandem futurum tempus, quo ibi Limae exurgeret huius nominis et instituti monasterium: quod prophético spiritu pronunciatum fuisse, eventus ipse postea comprobavit. His omnibus superatis, eo gravior, quo intimior, adhuc difficultas emerit. Importune enim se ingerebat in lunillimâ sui cognitione molesta cogitatio, quod ipsa, peccatis sordida, illo niveo et sacro amictu nimis esset indigna. Nec destitit pugna, donec ante ipsam SS. Rosarii aram in placidissimâ extasi rapta, et pallens et rubens, ac splendoribus fulgida appa-

rens, et post sensibus reddita, in iubilum grati animi obtentae victoriae erupit. Tanta molis erat pacifice seraphicae suae magistrae habitu et instituto potiri, quam postea sic adamussim expressit, ut non solum ab exteris altera Senensis Catharina, non sine magno humillimae virginis angore animi, diceretur, sed et ipsi confessario in lineamentis, gestu et vultu sic in illam mirabili divini amoris metamorphosi commutata appareret, ut iam non similis, sed eadem prorsus esse videretur.

§ 9. Oraeulum illud divinum, *Sponsabote mihi in fide*, etiam cum hac dilectâ et electâ Dei eximio privilegio impletum fuisse dignoscitur, ad quod eam per mirabiles favores evehere dignatus est. Singularis fuit quo speciosus formâ præfiliis hominum habitu marmorum caedendorum peritissimi artificis festivus et amans in somnis apparuit, ut virginem illic sponsam quaesiturus; ubi Rosa in tanti connubii foedus consensit, arduos ei caedendorum marmorum labores imposuit, et brevem terminum ad perficiendum opus, dum peregre rediret, indixit. Erubuit virgo in sponsi reditu omnino impar suis viribus opificium adhuc infectum inveniri; cui dolenti reseravit¹ ille amplam lapidariam officinam, in qua innumerae electae virgines caedendis et poliendis marmoribus viriliter insudabant; sponsas esse ex nuptiali veste et fulgore deprehendit, suarum lacrymarum stillicidiis saxa ad incisionem emollientes; et unâ cum illis consimili veste circumamicta novit se ad tanti sponsaliti gradum per ardua praeparari. His igitur, et eo virginali candore nitens ut nunquam nec venialis impuritatis macula eam aspersam fuisse omnes eius a confessionibus iurati testes probaverint,

Jesus Rosa
apparuit.

¹ Male edit. Main. legit *reservavit* pro *reseravit* (R. T.).

apertius ad mysterium ventum est. Dominica erat Palmarum, cum in ipso Rosarii sacello in sui nihili abyssu demersam sic allatus est: *Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto.* Contremuit virgo ad dulces tam divini sponsi voces, et simul audivit gratulantem sibi Deiparam et dicentem: *En Rosa, quali te dignatur honore meus hic filius.* Inaestimabiles divini amoris thesauri et connubialia tanti sponsi maxima in Rosa munera tam largiter depluerunt, ut ad ea imposterum occultanda humilioribus adhuc exercitiis continuo vacando, et de se abiectissime sentiendo, ac in omnibus sui contemptum sibi comparandum esse cognoverit, et reipsa opere compleverit.

Mira fortitudine se flagris cedit.

§ 10. His donis aucta et charismatibus cumulata, ferventius virgo ista accinxit adhuc arctius fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum. Delicientibus enim ad suae fidei martyrium tyrannis et tortoribus, se ipsa fortior, utriusque in se explevit ministerium. Saxa enim et cruces, quibus parvula, usus flagellorum ignara, a Marianna ancilla suarum mortificationum fere sola conscia ad orationem vel ad hortum pergens onerabatur, in ferreas catenas commutavit, quas aptavit in flagra, quibus, ad S. Dominici exemplum, singulis noctibus, usque ad rivulorum sanguinis copiosam effusionem, vel pro aerumnis sanctae Ecclesiae, vel pro periclitantis regni aut urbis Limensis necessitatibus, vel pro compensandis peccatorum iniuriis, vel pro expiandis defunctorum animabus, vel ad impetranda divina subsidia in extremo agone constitutis, cruentam se Deo victimam ad eius iustam iram avertendam offerebat, horrescentibus quandoque domesticis ad tam diros catenarum ictus; quarum usu ei¹ interdicto, earum una sic triplicato ductu lumbos latenter diu prae-

¹ Pessime edit. Main. legit *in pro ei* (R. T.).

cinxit, ut nunquam nisi maximorum cruciatuum iscliadis vi apparere potuerit, quae postea nonnisi interveniente miraculo soluta fuit, cuius annulos post virginis obitum miram et peregrinam suaveolentiam spirare compertum est. Ne qua vero pars innocenti corpusculi vacaret a supplicio, poenalibus vinculis brachia et lacertos torquebat, urticarumque manipulis ac minutulis sentibus pectus, axillas ac latera aretabat, ut suo Lilio inter spinas constituto omnino configuraretur haec Rosa. Cilicii postea a collo infra genua protendentis asperitatem acubus permixtis auxit, quo compluribus annis usa est, donec, ob frequentem sanguinis vomitum, exuere iussa fuit. Cuius supplicii iacturam alia veste, minori valetudinis damno, sed non leviori molestia, compensavit; sub ea enim poena erat ei quicumque motus. Solae plantae ab his doloribus vacabant, quas tamen, aut saxorum collisione, aut fornacis adustione, a cruciatibus immunes esse non sinebat. Et quod fere singulare est, in divinarum consolationum affluentia¹, quibus solet sanctitas etiam in terris abundare et piorum caro in Deum vivum incendatur et exultat, ab eis corpus suum alienum et ieiunum esse cogebat.

§ 11. Memor ulterius non decere sub capite spinoso membrum delicatum inveniri, compuncta obtutu pia imaginis muto praeconio dicentis: *Eccce homo*, primam coronam capiti suo ex stamno peracutis claviculis infixit, et per aliquot annos non sine vulneribus cinxit; cui in maioribus annis successit secunda nonaginta et novem aculeis armata, quam in dies diversimode semper magis poenalem, arte familiaribus occultam, reddebat, eamque nonnisi cum vita dimisit. Neque enim videbatur ei seraphicae magistrae plene induisse habitum, nisi

Corona qua daemonis suggestiones fugat.

¹ Edit. Main legit *affluentiam* (R. T.).

et spineam illius assumpsisset coronam. Huius diadematis triplici iactu, in SS. Triadis reverentiam, daemonum suggestiones illico fugare consueverat, satis instructa tales spinas non violare, sed vallare has rosas. Strati sui duritiem eam esse voluit, quae somnum magis abigeret, quam conciliaret; itaut dormiturae idem esset lectulus et equuleus, cervical aut impolitus truncus, aut lapides in hunc usum absconditi; quod cubile praecutis postea tegularum fragmentis, testarumque fractarum triquetris sic implevit, ut singularum pars micronata obverteretur corpori; nec ante se ad somnum componebat, quam fellis haustu fauces amaricasset. Sic floridus erat huius sponsae lectulus, et sponso divino adeo gratus, ut eam quandoque propter haec plene exanimem visibiliter apparens consolatus fuerit, proponendo ei duriolem et angustiolem suum lectulum Calvariae. His artibus somnum suum intra duarum horarum angustias coëreuit, et quandoque etiam minus spatii importuno exactori concessit. Diurnum enim nocturnumque tempus sic distribuebat, ut ex utroque duodecim integras horas orationi seponeret, alias decem labori manuum quo parentes sustentaret, impendebat, reliquas duas brevi quieti somnoque deputabat. Adversus cuius insidias clavum parieti infixerat, cui capillitium, quod ad tegendam coronam reservarat, strictissime implicabat, eoque tormento somnolentiam fugans, ad preces recitandas vigiliis accrescere consueverat.

Solitudinem
quaerit.

§ 12. Emulata sanctorum anachoretarum recessus qui in eremi solitudine Christum Dominum receperunt, adhuc infans solitarios domi angulos quaerebat, puellarum mugas fugiens, ut sola cum Deo suo delitesceret. Grandiuscula ex umbrosis arborum ramis oratoriolum

cum altariolo construxit, ad¹ illudque, a mensa et a lectulo surgens, ut ad orandi asylum properabat. Proverbium erat: *Hortum adeas, si Rosulam quaeris*. Domi in cubiculo sola in oratione pernoctabat. Exitus e domo, poenis etiam sibi, vel in pede saxo, vel in oculis mordacissimo pipere indico, inflictis, vitabat, tolerabilius indicans excaccari, quam vanitates saeculi prospicere. Pro arctiori recessu, non sine magna lucta, et praevio mirabili ostento Deiparae et pueri Iesu, in sanctissimi Rosarii sacello, tandem obtinuit a matre in extremo horti angulo cellulam quinque pedum longitudinis et quatuor latitudinis, ubi non solum manuum labori, sed potissimum collectioni spiritus et contemplandi studio vacaret, tantum ibi solum inesse spatii gaudens, quantum sibi et sponso caelesti sufficeret. In hac felici eremo ascensiones in corde suo disponebat, et supra se elevata, videbatur potius extra corpus, quam in corpore degere. Sub specie stellae probatae perfectionis matronae in visu apparuit; civitati enim Regum, qualis dicitur Lima, suum debebatur sydus, quod ad Christum Dominum regem regum dux esset. Divinitus prospectum fuit ut ibi residens complures distantes missas audiret videretque, non secus ac si corpore praesens fuisset. Innumeri culices hanc anachoreticam cellulam intrabant, nec tamen vel unus fuit qui eam morderet aut attingeret, esto etiam religiosas personas accedentes hostiliter invaderent. Huiusmodi bestiolas ad Dei laudes pro suo modulo personandas sic incitabat et mirabiliter regebat, ut Rosa prope attingisse imperium statui innocentiae reservatum, et in ea solitudine velut in paradiso morari crederetur. In huius tugurioli recessu cum sola erat, aut a nemine se observari putabat, tenerius

¹ Praeposit. ad addimus ex Cherub. (R. T.).

simul ac liberius prosâ, versu, colloquiis et cantu in solemnia quaeque¹ seraphici amoris laudes erumpebat eo fervore et impetu ut audientium corda ad charitatem et compunctionem ignara commoveret. Ex ipsâ divini amoris ignitâ pharetrâ iaculatorias collegerat in formam precatiunculas, quae legentibus placere et multis usu profuerunt. His interpellabat verum Deum et sponsum animae suae, laetitiam cordis sui, ac benignissimum Iesum amore illo perfectissimo, quo simul universi cives empyrei eum diligunt, se prosequi et consumi toto corde protestabatur. Adventante huius sui dilecti in Bethlehem Natali, cum eum parvulum et nudum cum inope matre contemplaretur, piorum operum singulari ac pretiosâ consuturâ dignas amore infantulo vestes pluries praeparabat; indusioli enim panniculorum temporis, quo delituerat, stragulae, fasciae, fimbriarum et limborum ac crepundiarum loco, substituerat rosaria, stationes ad sanctissimam Eucharistiam, ieiunia, coronas Domini, orationes dominicas, salutationes angelicas, symboli apostolici recitationes, et plurimum aliarum precum, flagellationes, lacrymas, interventus missarum, et sanctissimae communionis sumptiones, quae omnia frequentissime repetebat. Hisque sancti amoris exercitiis sic animam et cor suum illi sacraverat, ut tota ipsius veluti dilectissima sponsa esset, et nihil sibi reservaret, quod sponsus eius omnino non possideret. In conubiali annulo, quem in tanti sponsi mne-mosynon cum ipsius infantis Iesu effigie laborari mandaverat, fratri eius, dum in eo delineando incubabat, quamvis tanti mysterii penitus ignaro, pro lem-mate divino instinctu illa eadem regis regum sponsalitia verba occurrerunt: *Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto.* Annulus

¹ Aptius ed. Cherub h. *solemnnes quasque* (R. T.)

iste eam ab ipso Christo Domino vim supernam obtinuit ut, eum vir probatae virtutis atrectans, eximias divini amoris in-missiones, excelsa lumina et insuetos Spiritus Sancti ardores usque ad animae deliquium expertus, fuerit corpore prorsus immobili, nec nisi annulo deposito potuerit surgere liber, qui sensibilibus in captivitate tam sanctae nuptialis laetitiae tenebatur. Quod si tantum in alienâ, quantum in ipsâ sponsae animâ divinae illae nuptiae valuerunt?

§ 13. Habitavit igitur haec amantissima Domini confidenter, et quasi in thalamo totâ die morabatur in eo: edocta enim in ipsâ infantia interius ab ipso ferventer orare, etiam dormiens deprehensa fuit ore diurnas proferre preces, et cor eius in oratione vigilare. Anno aetatis suae duodecimo elevata fuit ad sublimem illum contemplandi gradum, quem mystica theologia *unitivum* appellat. Inter manuales labores intellectus aciem immobiliter in Deum figebat, itaut nec in vigiliâ, nec in somno mentis eius oculum caelestis sponsi elaberetur praesentia, quae ita¹ suaviter occupabat interiores animae illius vires, ut, loquendo cum ipso Deo intus, simul etiam alia quaeque necessaria expedite foris pertractaret. Per horas immota ante aras², nec praetereuntes vidit, nec ad repentinos strepitus animum deflexit³. A mane feriae quintae usque ad sabbatum, quandoque etiam usque ad dominicam, sic genibus flexis invariata mansit, ut nec e pavimento surgere potuisse sincere iussa aperuerit. Attributa divina, distributa in numerum centum quinquaginta, per decades, ad exemplum sanctissimi Rosarii, recitando, daemonibus terrori fuisse co-

Dormiendo
orat.

¹ Perperam ed. Main. *quaesita* pro *quae ita* (R. T.).

² Edit. Main. legit *erat* pro *aras* (R. T.).

³ Edit. Main. legit *defixit* pro *deflexit* (R. T.).

gnovit. Familiars ipsius sermones vim orationis, ut plurimum, continebant. A canorâ aviculâ excitata ad Dei contemplationem tribus ante prandium horis, et in extasim raptâ, ab eâ non nisi ad vesperam se explicuit. Ad orationis et praeicipue mentalis exercitium proximos allicere studebat. Confessarios exorabat ut ad eam omni arte poenitentes inducerent, ipsosque divini verbi praecones frequentissime hortabatur ut ad eius studium, veluti ad magnam adversus omnia peccata pharmacopoeam, suos auditores inflammarent, ad¹ piarum meditationum usum populariter inveherent. Parthenici Rosarii recitationem eum annexâ decadatim mysteriorum consideratione, prout² sanctus Dominicus instituerat, singulariter diligebat, eo quod in eâ coalescant mentalis et vocalis simul orationis affectus, petitiones, laudes, gratiarum actiones; et plurimis haec Rosae incitamenta profuisse re ipsâ comperitum fuit.

¹ *Avas ad laudes Dei provocat.*

§ 14. Prope obitum per quadragesimam cum aviculâ mire canorâ, quae sole occiduo ante suum cubiculum advolabat, alternavit Rosa cantica et laudes Dei quotidie per horam integram, tanto ordine, ut, canente aviculâ virgo sileret, et virgine modulante, avicula attentissima² nec pipiret. Quin et ipsas insensibiles plantas exemplo prorsus singulari ad laudes et ad orationem Dei, eo versiculo prolato, *Benedicite universa germinantia in terrâ Domino*, invitavit, et visibiliter sic inclinavit, ut arborum summitates terram attingerent, ac veluti solemnî venerationis ritu Creatorem suum adorarent. Usque adeo verum est quod is, qui adhaeret Domino, unus spiritus est, et ei quoque obediunt omnia.

¹ Edit. Cherub. ac pro ad legit (R. T.).

² Edit. Main. legit *attentissime* (R. T.).

15. Ut probaretur an spiritus eius ex Deo esset, subtili virorum tum doctrinâ tum pietate et spirituum discretionem excellentium examini pluries subiecta fuit, ex quo elaruit eius lumina et dona divina fuisse, et ab ipso rationis diluculo nihil ei dulcius occurrisset quam de Deo cogitare et supernis eius beneplacitis inhiare; a duodecimo anno expeditissime introrsum eius animam a Domino cum suis spiritualibus potentiis attractam divinae pulchritudini inhaesisse, ut nullâ re creatâ a charitate Christi unquam separari potuerit; ab infantia ex magno Dei munere faciles ad virtutes propensiones sine passionum tumultu sensisse; a primâ Dei notitiâ repletam fuisse timore Dei et horrore peccati; nullâ re creatâ potuisse recreari; totum suum levamen fuisse sentire Deum in animâ suâ praesentem; acerbius omnî iacturâ et gehennâ ipsâ videri ei, si vel ad momentum e conspectu eum perderet. Tunc ex obedientiâ aperuit quod certamen forte dedit illi Deus ut vinceret et sciret quod potentior omnium est sapientia; horrendas enim visiones, pavores et spiritus derelictiones, quas per quindecim annos summâ constantiâ pertulit, enarravit, quae veluti poenales animarum in purgatorio lugentium dilationes et quidem¹ ipsius inferni typus videbantur. Cum nulla ei spes evadendi affulgebat, tunc patuit inter has derelictiones repente in ipso pristinae unionis meridie, veluti in sponsi brachiis, se deprehendisse restitutam, sensisse quoddam donum inexplicabile, solidum et fundamentale, quo videbatur sibi redita impeccabilis, ut ille qui dicebat: *Quis nos separabit a charitate Christi*. Plerumque etiam post illas tenebras apparuisse ei humanitatem Christi Domini,

¹ Forsam quidam pro quidem legend. (R. T.).

² *Rosae cogitationes.*

necnon et sanctissimam Virginem Deiparam. Intellectuales etiam visiones, quibus in se praesentiam Dei experiebatur, per terminos remotionis, eminentiae et causalitatis, aliasque circumstantias explicavit, idque non a libris acceptum, sed Spiritu Sancto interius docente assecutam fuisse mirifice innotuit. Mortificationis etiam et poenitentiae exercitia, et in his non suo, sed confessariorum arbitrato modum constituisse, suarumque virium diffidentiam, fidei ardorem, spei securitatem, divini amoris incendia sic dilucide explicavit, ut sinceram ac tutam esse viam, qua haec electa Dei Virgo incedebat, censorses disparatis colloquiis, scrutiniis et censuris unanimi spiritu, voto et sententiâ concluderint.

Arcana theologiae explicat.

§ 16. Spiritu Dei agere et agi Rosam, ut Dei filiam, fuit constans opinio omnium, qui¹ tunc Limae perfectionis et sanctimoniae famâ celebres erant, eamque dono sapientiae abundare et scientiâ caelitus infusâ gubernari iudicant. Difficillimas enim de arcana SS. Trinitatis mysterio, hypostaticâ Verbi divini unione, sanctissimo altaris Sacramento, profundo praedestinationis abysso, naturâ gratiae, ceterasque theologicas quaestiones, sacrarum litterarum professoribus proponentibus, tam sublimibus conceptibus, profundis sententiis, et verbis adeo propriis explicavit, ut laudarent omnes cum Servatore nostro Patrem omnipotentem Dominum caeli et terrae, quod tanta, sapientibus ac prudentibus abscondita, humillimis parvulis et indoctis revelaret.

Conversatio eius cum Iesu.

§ 17. Conversatio huius virginis magis in caelis quam in terris erat, et ubicumque sanctissimum nomen Iesu legendi occurrisset, tantisper immorabatur; inde enim amoris ignes in corde sentie-

¹ Male ed. Main. legit quod pro qui (n. r.).

bat, et ipse Iesus saepe amanti Rosae in paginae planitie apparuit, eique suavi obtutu ablandiebatur, ut verbum attentâ lectione talis animae dignissimum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei. Sic etiam, cum occuparetur in telae consuturâ, pulvillo ipsius saepe quietissime insidebat, et ad cor huius dilectae tacitis nutibus loquebatur, omni-que gestu suum divinum protestabatur amorem. Frequentes et fere quotidianae erant huius sanctae animae deliciae istae; et interdum moram faciente sponso querulis vocibus lamentabatur, donec veniret. Lūdēns cum eo, cuius guttur suavissimum est, obtinuit vincens curari a doloribus gutturis; perdens vero, iterum doloribus cum patientiâ donata fuit; quae dum matri obediens narraret, visa est vultu angelico radiare. Illi iam languenti et viribus deficienti omnique humano auxilio destitutae occurrit idem ipse, qui est adiutor in opportunitatibus et tribulatione, et pretioso vulnerati lateris myrothecio eam benigne applicatam ad hauriendam aquam salutis de fontibus Salvatoris illiico aegram sanavit. Ab innocentibus virginibus visa est cum ipso Iesu sistere, quandoque etiam deambulare, et secretissima miscere colloquia tali cum maiestate, ut, quocumque pedem fixisset ille, pavimento fulgenti lumine splenderet. Utque talis Rosa nulli alteri plantae adhaereret quam ei qui est flos campi et lilium convallium, invenit basilicum seu ozimum (quem studiosus colebat reservatum ut¹ plantam regiam ipsi regi saeculorum) siccum et eradicatum; cui, de hoc dolenti, ipse Christus apparens dixit se suis manibus illum eradicasse et proiecisse, ut ipse solus esset eius verus basilicus.

§ 18. Illis ostendit verissimum, quod Motiva inhabitatio.

¹ Edit. Main. legit ac pro ut (n. r.).

in ecstasi cuidam dixerat, idest se Rosam gestare in intimo sui divini cordis penetrati, cum sciret vicissim in eius virgineo corculo se solum tranquillissime inhabitare.

B. Maria
etiam Rosae as-
stitit.

§ 19. Adstitit etiam saepe Regina caeli ad exteris eius, ita ut ab undecimo aetatis suae anno usque ad extremum non defuerit ei hoc pretiosum familiaritatis contubernium. In Rosariano enim sacello ex sedulo ministerio mutua cum illâ erat ei conversatio, eoque honore hanc suam famulam dignata est, ut cubiculariae ipsi exhibuerit ministeria, excitando eam illis vocibus: *Surge ad orationem, filia, surge, nam instat hora*. Illique experrectae se praebebat videndam facie ad faciem, maiestate decoram, et gloriae caelestis paradisum, exclamanti cum alterâ Elisabeth: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me*.

Angelus intelli-
git, saepe Ro-
sae inseruit.

§ 20. Misit etiam Dominus angelum suum, qui praecederet Rosam, et visibiliter custodiret, ac introduceret eam in locum, quem illi paraverat. Fuit enim tam domestica fiducia huius virginis cum eo, ut habuerit illum non solum ut amicissimum, sed etiam ut pararium, aut viridarium¹, quotiescumque horâ consuetâ sponsus non apparebat. Deficiens quadam nocte viribus misit eum ad Mariam de Usatigui, ut nuntiaret ei se egere remedio, quod per famulum statim illa transmisit, vidente et agnoscente hoc a filiâ per obedientiam matre. Ab eodem etiam ab horti cellulâ, aperiente ipso seras portarum, ad genitricis cubiculum incolomis ducta fuit.

Alii angeli illi
munis erant.

§ 21. Aliis etiam angelis mandavit Deus de illâ: asiterunt enim propter eius preces cuidam religioso in periculoso itinere, donec iste in deterius mutatus fuit; cui cum ipsâ virgine de hac derelictione conquerenti revelavit mysterium et ar-

¹ Edit Cherub. habet *veredarium* (R. T.).

cana singularia ipsi soli et Deo nota, et quae a tantâ distantia solum ipso Domino aut angelo revelante virgini innotuisse potuerunt.

§ 22. Saepe etiam, ex quo fuit ei a Christo Domino data in magistram sancta Catharina Senensis, haec eam visibiliter conveniebat in terris, praesertim cum eius regulam scrutaretur; adeoque crebra et amica fuit inter has virgines conversatio, ut ex vultu beatae Catharinae in faciem Rosae transierint lumina; itant et vivens et defuncta per oris lineamenta haec eam omnino repraesentaret; praeter innumeras delicias, favores, officia et virtutes, quibus ab eâ ornata et aucta fuit.

Et Catharina
Senensis appa-
ret.

§ 23. Probavit Pater caelestis inter has spiritualis vitae delicias hanc suam electam, ut aurum in fornace, igne tentationum, afflictionum, persecutionum et plurimum ac gravium infirmitatum. Luctabatur enim quamfrequentissime cum daemonibus, multisque illorum molestiis vexabatur; ex quibus sub tetrâ specie molossi unus eam orantem latratu horrisono terrere et rabido morsu per solum illam raptans tentavit discerpere, donec clamavit ad Sponsum: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*; alius¹ colaphum impegit, quandoque saxum rude in eam libravit, quod solotenus Rosam nec laesam, nec territam prostravit; libros eius spirituales laceravit; sub gigantâ mole aliâs hanc inexpugnabilem feminam tremente cellulâ corripuit, adeoque contorsit, ut eius ossa comminuta et nervi distracti viderentur; sed invictus virginis animus insaniam huius furentis hostis pluribus horis frustra certantis repressit et irrisit, donec victoriae desperabundus evasit. Ad hortum oratura procedens in angelum lucis transformatum obvium blande habuit hunc anta-

A daemone
vario vexatus.

¹ Ed. Cherub. habet *aliâs* pro *alius* (R. T.).

gorāstam, quae a nobili fegā victoriam mendicavit, cum de castitate certamen esset; arreptāque ferreā catenā acerbissimis icibus nudas scapulas cruentavit, et inter sanguinis lacrymarumque rivos conquerenti de absentia Sponsi, conspicuus ille ostendit quod, nisi cum eā ipse fuisset, nunquam victoriam reportasset. A primordiis pueritiae, spirituum discretionem obtinuerat, agnoscebatque, docente suā sanctā magistrā, quae olim a Christo Domino hauserat, illustrati nes a Deo esse cum in animā sequitur humilitas, reverentiae affectus, propriae vilitatis cognitio, ordo et unitas cordis et gaudium in Deo; ex adverso his oppositas impressiones, timorem, divisionis confusionem, sui complacentiam et inquietudinem redolere.

§ 24. In aerumnis ab infantia fuit, nono enim mense aetatis suae lacte destituta est, cuius defectus nonnisi cibo valde inepto compensari potuit. Vix fari coeperat, eum, propter nominis controversiam, virgis caedebatur ab aviā si Rosa, a matre si Elisabeth vocata respondisset. Virginis huius virtutes et mortificationes matri aliud intendenti mera delicta videbantur, quibus castigandis non solum durissima verba, sed persaepe etiam saeva verbera adhibebat, praesertim cum rutilam caesariem deprehensa fuit sibi praescidisse. Nec mitiores in eam fuere domestici quando eius virtutes et caelestia dona innotuerunt, vano timore cōrepti ne, cum magno familiae dedecore, ut de imposturis suspecta, ad sanctae Inquisitionis tribunal raperetur. Accessit in cumulum tribulationis quorundam confessoriorum incredula vel oscitantia vel ruditas vel insectia, dum ei conabantur suadere non esse rectum aut tutum illud virtutis iter, vertigine vel aliā noxiā intemperie laborare, illusiones esse, quas ipsa illustrationes

divinas credebat. Suadenti feminae precibus impetrare a suā seraphicā magistrā eripi ab his aerumnis constanter renuit; pudebat enim crucifixi sponsam vel per momentum extra cruce reperiri. A quibus nunquam vacavit; feriatam enim ab exteriori gravior occupabat interior, et cessanti foris persecutioni aegritudinum agmina succedebant.

§ 25. In Cantā ex dirā nervorum attractione per triennium lecto decubuit cruciatu intenso, gemitu nullo; saepe acutissima eam angina, asthma, permolesia ischias, pleuritis, stomachi, pericardii et intestinorum dolores sine numero, et sine lege frequentes convulsionibus invadebant, medicis ut plurimum stupentibus quomodo in tam arido corpusculo vires essent ad perferenda quae prosternendo cuilibet robustissimo satis fuissent. Rosa, optime penetrante non tam ab intemperie quam a benevolā Sponsi manu haec sibi agonalia festa provenire, febres ephimeras, ac etiam res¹ contumaciores, ipsā consuetudine iam pene in iocum verterat. Chiragrae, podagrae et arthritis morbi frequenter eam occupabant, quos cum invictā constantiā toleravit. Haec omnia inter illustriores a Deo sibi collatos favores recensebat. In sublimi enim et singulari mentis elevatione viderat Christum Dominum dividendem lance ex cruce factā gratias et dona ad mensuram poenarum, auditque dicentem: *Sine pondere afflictionum, ad gratiae cumulos non perveniri; unicam veram scalam paradisi esse crucem, nec praefer cam superesse aliam per quam in caelum ascendatur.*

§ 26. Languens et aestuans divini amoris ignibus in nocte orans visa fuit ab aliā virgine magnis luminibus coruscans veluti igniculis per os oculosque

Inter corporis dolores constantior exadit.

Orantem Rosam radii circumdant.

A domesticis persecutiōnes patitur.

¹ Aptius edit. Cherub *rel'iquas legit* (R. T.).

evibratis, protestantibus quantum incendium intus ferveret; quod aliàs pluries eâ insciâ coram diversis contigisse innotuit. Ceteras virtutes studiose celavit, magnam charitatis flammam tegere non valuit; eius enim colloquia, salutationes et responsa continuo divini amoris memoriâ condiebantur. Singularum creaturarum ordines ad amorem dulcissimi Creatoris gradatim compellebat, tum ignitis vocibus, tum pulsu citharæ, quem non didicerat, ut omni ritu, gestu, actuque suo se dilecto ostenderet amantem.

Sunc erga
Deum zelus.

§ 27. Eâdem vi charitatis acta, ut vera sponsa Domini zelavit honorem; irreverentiam enim ecclesiarum detestabatur, loquentes ibi otiose humiliter et suaviter corripiebat. Domestici cavebant, ne coram eâ ineptias proferrent; verebantur enim Rosæ adhuc parvulæ censorium supercilium; immenso gaudio perfundebatur, quoties Dei honorem insigni aliquo successu promoveri videbat, ut accidit in insigni peccatricis conversione.

Et erga pro-
ximum.

§ 28. Eodem zelo precibus transtulit in se confessarii sui febrim, ut concionatoris officio in percelebri solemnitate fungeretur, quo convalescente torquebat Rosam febris non sua; nec tamen a sermone abesse voluit, febrilem enim ardorem facile superabat exaestuans divinae gloriae desiderium.

A Christi iro-
ne suorem ma-
nante compen-
satur.

§ 29. Obsignavit hanc Dei amoris sollicitudinem dilectæ suæ ipse Christus Dominus hoc insigni miraculo, anno salutis MDCXVII, XVII kalendas maii. Rosa, vehementius amoris divini stimulis excitata, sonore et fervidissime venerabilem Salvatoris effigiem in oratorio quaestoris alloquebatur, cum statim totum vultum imaginis guttulæ sudoris operuerunt. Convocati testes arte et doctrinâ celebres, qui, omnibus serio expensis, censuere supernaturale esse, quod in icone gerebatur. Quatuor horis duravit

pium ostentum, cunctis adstantibus admiratione et sancto horrore stupentibus, cuius sudoris vestigia per aliquot lustra conspicua mansere. Hoc esse¹ tantummodo indicium quam² enixe cupiat Servator noster ab omnibus redamari, testata est ipsa virgo Rosa, divini conscia secreti, timentibus domesticis, ne impendentis³ divinae ultionis praesagium esset. Sudor ille brachio ipsius Rosæ ex confessarii imperio applicitus, quod antea solo collisum sic graviter laesum erat ut chirurgorum iudicio ex eâ parte virgo manca mansura esset, sanum et flexibile reddidit, stupente chirurgo, qui pridie censuerat omnem curam esse vanam, cum brachium omnino intractabile appareret.

§ 30. Nondum pueriles annos excesserat, quando eam confessarii spiritu iam grandem agnoscens, manducandi frequenter panem illum angelorum, qui praebebat delicias regibus, facultatem dedere.

Frequenter
Eucharistia re-
creatur.

§ 31. Erat in eius spiritu limpida mundities, nitida innocentiae puritas, ac robustus devotionis calor; et nihilominus, cum tanto immaculatae conscientiae candore, quoties ad divinum epulum accedendum erat, toties summe gemebunda et lacrymis perfusa sacramentalem confessionem praemittebat. Hanc sacerdotes communicaturi totam flammeam et vultum ipsius caelesti et vehementi splendore radiantem conspexere. Quin et presbytero sacram communionem porrecturo videbatur flammescens aperiri clibanus, dum removebat pallium, ut divinam reciperet hostiam, et vim erumpentis repentini ardoris adeo sentiebat pavidus sacerdos, ut saepe manum retraxerit

Puritas et de-
votiois ardor.

¹ Edit. Main. legit *Hunc est pro Hoc esse* (R. T.).

² Edit. Main. legit *indicium. Quam* (R. T.).

³ Edit. Main. legit *impendentibus* (R. T.).

prae subito metu adustionis. Idem experiebatur in se minister sacrificantis, dum ex more scyphum ablutionis ei porrigebat, ut hoc etiam testimonio probaretur hoc esse sacramentum illud quo Deus ipse venit ignem mittere in terram. Iussa aperuit ex virginica Dei carne diffundi in animam suam mirabilem caelestis agni mansuetudinem, vegetari spiritum suum inusitato robore, instaurari, ac reserui vires per quamdam veluti novam transformationem sui spiritus in hoc divinum alimentum, interea clarere in corde suo placidam altioris sphaerae serenitatem, pacem, temperiem, gaudii immensitatem ex aeterna unione eum sponso divino, fruitionis altitudinem et spiritualem saporem verae dulcedinis, quae nulla prorsus comparatione explicabilia erant. Sacramentum communione refecta, ieiunia¹ usque ad vesperam, subinde usque in sequentem diem, quandoque per octavam integram² eam sola contenta ab omni alio cibo abstinuit. Veneratio eius erga venerabile mysterium fuit adeo eximia, ut semel se accinxerit videntibus aliis ad subeundum martyrium, quod imminere rumor sparserat, defuitque tunc hostiae martyrium, non hostia martyrio. Summo etiam cultu prosequabatur S. Crucis signum ubicumque illud reperisset; ita ut ex plantis horti impressionem illius formaret, quarum una proreginae dono data paulo post exaruit, Rosae reddita post quatuor dies revixit, quod totum virtuti eiusdem S. Crucis virgo tribuit. Erga imagines beatissimae Virginis miro fervebat devotionis affectu, et maxime circa eam quae augustissimam Rosarii reginam exprimit; in cuius sacello habitum sui Ordinis suscipiens, ploranti matri visa fuit blando favore Deiparae in caelum elevari. Fama erat Limae Ro-

¹ Edit. Cherub. legit *ieiunia* (R. T.).

² Edit. Cherub. addit *protraxit et* (R. T.).

sam impetrare quaecumque apud sanctam illam imaginem postularet. Tranquillitatem eiusdem communitatis, in qua invaluerat discordia, non sine lacrymis et aliorum admiratione biduo orans obtinuit, plurimisque aliis ibi dignata fuit favoribus, alloquiis et visionibus, quae in examine obtemperans aperuit.

§ 32. Electa ut aptior et dignior ad exornandum simulacrum sanctae Catharinae Senensis, quam ut matrem ex intimis praecordiis colebat, a lacrymis, osculis et alloquiis in eo obsequio non cessabat, et miro modo tantae pecuniae litterulas accepit, quantum ipsa pro veste eius paulo ante optarat. Praedixit praesignatam virgulam, nullam fecunditatis notam tunc turgidam, in honorem SS. Trinitatis tres flores gariophyllorum producturam, quibus sacram imaginem condecoraret, eo tempore quo tali florum genere regio illa careret, quod frustra diu quaesitum fuerat; et oraculo correspondit eventus, mirantibus et diffidentiae veniam petentibus sodalibus.

§ 33. Adiuverat eam in hoc munere Euphemia de Pareia, cuius famula Francisca sui infantis nutritia¹ graviter aegrotabat. Rosa apud sanctam Catharinam precante, ista, depulso periculo, ita convaleuit, ut postridie permissa fuerit a medico nutritias infanti quas prohibita fuerat praebere mammillas.

§ 34. Francisca quoque de Montoya ad eandem Sanctam obtinuit, ut sulphuratum missilium ignium crepitaculum, quod vultum petiit et supercilium impexit, non noceret; esto adhuc resiliens valido ictu alterius feminae vestes laeserit et succenderit.

§ 35. Eadem Rosa anno Domini MDCXVI, mense augusti, cui post processionem delata fuerat imago devestienda, hor-

Catharinam Senensem pro amore et honore prosequitur.

Cuius intercessione feminas aegrotantes,

Et semetipsam manu acerbitur laesam sanitati reddidit.

¹ Ed. Main. legit *nutrita* pro *nutritia* (R. T.).

rendâ arthriti in dexterâ laborabat, quae inhumani cruciati invaserat articulos omnes, itaut praedicto operi prorsus redderetur inutilis. Procubuit ante imaginem sanctae Catharinae in die divi Laurentii, et brevi oratione peractâ, accinxit se operi, mirantibus adstantibus, quaestore ipso vidente manum paulo ante acerbissime laesam, tunc validam et agilem, medico ipso testante evidentiam miraculi; cui beneficio accessit quod exinde nunquam in posterum arthriti manum illam invasit: quod mirum non fuit ipsi Rosae, quae ab ipsâ ceu¹ a matre pene quotidiana ex mutuis consortiis solatia hauriebat.

Salutem animarum zelatur.

§ 36. Zelata est etiam pro domo Dei salutem animarum. Ipsâ enim charitate qua verum Christi Domini corpus, mysticum quoque diligebat; quoties ad interiora meridionalis Americae montana oculos vertebat, cruciabatur medullitus illacrymans perditioni tot barbarorum, qui inaccessas post nivosa iuga valles populabant. Sic etiam iugis planctus materies ei erant quaecumque aliae infidelium nationes. Viros religiosos, et praesertim sui Ordinis fratres, quotquot aptos noverat, ad gentiliū conversionem hortabatur, et per Iesu Christi viscera obsecrabat ut huic se operi accingerent. Unius ex suis confessariis, missioni deputati, animum ad maturandum opus inflammare studuit, et cum eo convenit, ut medietas omnium fructuum quos interea ipsa ex toto bonorum operum exercitio se cumulaturam sperabat, ei adscriberetur, et vicissim ille transcriberet ipsi virgini fructus conversionis animarum quas suâ praedicatione in viam salutis erat attracturus. Hoc animo excogitavit inopem parvulum quasi in filium assumere, quem christianae vitae rudimentis imbueret, et piis

1 Edit. Main. habet seu pro ceu (R. T.).

elemosynis ad virtutes et sacrarum litterarum plenam instructionem se evecturam sperabat eo pacto, ut is¹ idoneus factus et sacerdotio insignitus ad apostolicas missiones pro conversione gentium properaret; ut, quod per se praestare non poterat, per alium suppleret; quod, nisi immaturâ morte praeventa fuisset, perfecisset. Pro periclitantibus christianis, qui per culpam lethalem a statu divinae amicitiae infeliceiter exciderant, nulli lacrymarum sumptui parcebat, et quotidie cruenta sibi vulnera infligebat ut his vere miseris vitae seria emendatio a Deo concederetur. Concionatores ipsos vehementer hortabatur ut flagitiosas animas ab imâ vitiorum charybdî, ne perirent, ad securum poenitentiae litus toto conatu evocarent.

Et infima cordum explorat.

§ 37. Divinitus edocta de pravo desiderio, quo Vincentius nomine iuvenis nobili genere oriundus ad eam fecte accesserat, tantâ cum charitate corripuit, ut fateretur se agnoscere Christum Dominum in eâ loquentem; et totus mutatus ab illo qui paulo ante erat, fretus et adiutus precibus eiusdem virginis, iuvenilibus desideriis et culpis valefaciens, sanctam vivendi rationem instituit. Prodigium erat, si qua¹ persona quicumque vitio obnoxia Rosam accederet, et melior ab eâ non recederet. Mariam de Mesta, impatienti² ac praecipitis iracundiae pugnaci morbo iam sibimet ipsi ex diuturnâ consuetudine factam intolerabilem, patientiae ac mansuetudinis aphorismis sic instruxit, ut ab illâ emendatior ac mitior visa fuerit; eoque brevi in patientiae gymnasio profecit, ut iam a Deo ultro plus ac plus adversitatis postularet. Religiosum cum mortis angoribus trepide ac periculose luctantem,

1 Perperam ed. Main. eis pro is legit (R. T.).

2 Edit. Main. legit quae pro qua (R. T.).

3 Potius lege impatientis (R. T.).

urentibus scrupulis vexatum, sic iuvit promissione suarum precum, et exhortatione ac sponse participationis suarum satisfactionum, ut confestim pavore laetae spei locum cesserit; qui postea, calularibus sacramentis munitus, ingentis salutis fiducia placidum et serenum spiritum reddidit Creatori; de cuius animam postea Rosa nunciavit cum eam feliciter ac benigne agi, iamque illam regionem lucis adscriptam frui perenni Sanctorum felicitatis refrigerio.

Rosae charitatis.

§ 38. Ordinavit etiam Dominus in eam charitatem in corporalibus misericordiae operibus quibus proximos iuvare studuit. Nam inops haec virgo, sibimet necessaria subtrahens, dispersit deditque pauperibus. Ut enim occultae cuiusdam necessitati subveniret, octo dierum alimoniam, solo pane et aqua contenta, sibi pro egentis subsidio detraxit. Telam, a genitoribus eius pro sui aegritudinum necessitatibus concessam, illico inter duas virgines virtute et genere nobiles, extreme tamen egenas divisit. Dono dedit Montoiae, pauperrimae virgini, alterum ex palliis quae mater possidebat, praedicens ei fore ut aliis novis loco veteris provideretur; quod mirabiliter re ipsam, ut virgo praenunciaverat, evenit. Divinitus admonita Ioannam de Bobadilia virginem nobilem sed derelictam esse, quam vorax sub manumilla cancer torquebat, et, tardante remedio, exitium minabatur, domi recipit, menstruum locationis sumptum et medicaminum pretium ei providit, et post aliquot menses integre sanam restituit, hoc munus dolentem quod non posset (obstante fide data) virginis beneficium in grati animi obsequium eam vivente palam referre. Nihil ei iucundius contingere poterat, quam si a matre permitteretur cuiusque conditionis egenas aut morbis afflictas mulieres paternis inferre aedibus

ut illic suis manibus assidue ministraret languentibus; quibus de quacumque re ad victum et medicamen necessaria exacte providerent studuit. Inter has mendicas nulla erat tam intolerabilis aspectu aut foetore horribilis, quam Rosa dedignari vel praenauseam aversari posset. Omnibus medelam, famulatum et curam afferebat.

Ministrat infirmis.

§ 39. Indignanti matri, propter graveolentiam mucidi putoris a Rosa in vestibus ex cura infirmae contractam, respondit: *Christi bonus odor sumus dum ministramus infirmis; charitas delicata non est, nec proximum fastidit.* Invicto animo, vix imitabile suae sanctae magistrae exemplum secuta, in aedibus Isabellae de Mexia nauseam stomachi heroico actu superavit. Noverat Ioannes de Tineo Almanza quaestorem Gundisavum Rosae precibus et meritis pluries a gravissimis infirmitatibus liberatum. Ille, ex cruciatibus stomachi periculose aegrotans, obtinuit ut virgo ista post auditum Sacrum decenter associata eum inviseret; in cuius vultu maiestatem angelicam intuitus, spem indubiam incolumitatis concepit, statimque omnis dolor evanuit; somnus, qui omnino diffringerat, blande corripuit infirmum; citissime illa abscessit, ut plausum effligeret; iste vero sanus evigilavit. Usque ad bruta animalia clemens Rosae suavitas et tenera se ostendebat et iuvabat commiseratio.

§ 40. Tota huius sanctae virginis spes in Deo erat, qui praevenerat eam in benedictionibus dulcedinis. Hinc frequentissime decantabat davidicum illud sanctis patribus et eremicolis familiare: *Deus, in adiutorum meum intende, Domine, ad adiuvandam me festina.* Quaesivit saepe horum verborum emphasim, sed nullus unquam profundiorum ei attulit explicationem eam, quam ipsa intime Deo

Spes eius in Deo.

docente in animo conceperat. Interrogata eum unice hunc prae ceteris versiculis amaret, respondit totum solatium seraphicae suae matris eo contineri, et singulas illius syllabas arcano quodam familiaris in Deo confidentiae succo turgere, nec suo palato aliud his propriis verbis sapidius posse occurrere. Caelitus data fuit ei fiduciae certitudo assequendi tria maxima munera, aeternam videlicet beatitudinem perpetuam, et nunquam interpolandam Dei amicitiam, et infallibilem ex alto succursum in quibusvis tum necessitatibus tum repentinis periculis. Angebatur quondam innocens haec anima recogitans pavidam formidine praedestinationis suae arcantum omni animae tremendum, quam Dominus, ad adiuvandum festinans, sic est affatus: «Filia ego neminem condemno nisi volentem condemnari; ex nunc tranquillo animo esto». Aliàs in mentis excessu adfuit illi parvulus Iesus, purissimae Genitricis ulnis innixus, eamque blande alloquens iussit sparsas per solum rosas in sinuosae vestis laciniam colligere; inde divinus infans unam petitam et gratauter acceptam, subintulit: «Haec rosa tu es, huius providam curam mihi assumo; tu de reliquis, ut magis volueris, disponito». Illis agnovit se teneri in dexteram Salvatoris, velut rosam electam quam non raperet quisquam de manu eius. De reliquis rosis subitaneum sertum contexens tremendo Iesu capiti imposuit, qui virgini arridens, eamque benedicens disparuit. Ceteris rosis indicari novit pias virgines Limeuses, quas post suum obitum in novellum sanctae Catharinae Senensis monasterium colligi oportebat. Eadem vi confidentiae in Deum a primam aetate Rosam adversus quascumque mortalis vitae difficultates et incommoda stetit impavida. Cuius fidem, constantiam et nutus visi sunt im-

manes tauri in extremam aliunde rabiem extimulati revereri; nam, adstupentibus quotquot spectabant, ad invictae virginis conspectum, eminus et repente innocentibus parcere didicerunt. Cum enim esset duodecim annorum in quodam pago obvium habuit ferocissimum taurum illuc rucantem; et, fugam meditantibus his qui cum ea erant, fixis in caelum oculis, dehortata est a fugam. Needum verba finierat, cum ferox animal terrifico mugitu in alias procul personas impetum fecit, Rosam cum suo comitatu incolumi manente; quae adhuc post periculum paventes socias monuit sperandum firmitus in adiutorium Altissimi, et tunc maxime cum periculi vicinitas omne effugium interclusit¹. Sic et aliam vice taurus alter rectam viam in quadrigam, qua Rosa vehebatur cum matre et aliis, cursum libravit; ceteris fugam tentantibus, sola Rosa, oculis in caelum iactis, praedixit taurum usque ad rhedam non praecursurum². Dixerat; et respondit eventus, stupentibus universis non tam reditum tauri, quam virginis animum omni metu superiorem, quae in summis periculis caelesti sponso occinebat: *Non timebo mala quoniam tu mecum es*. Minor non erat eius fiducia in sperandis a divina providentia vitae necessariis subsidiis. Defecerat olim in paternis aedibus numerosae familiae panis, nec erat unde emerent. Illa brevi labiorum motu rem Deo commendavit; mox magnam fide arcam panariam aperiens, plenam azymis ac saporosis panibus reperit, testante illorum figuram peregrinam a domestico panificio non prodiisse. Perneccessarium in regionibus illis condimentum, mel domo omnino defuerat; descendit ipsa in nomine Domini, secretissimo instinctu iussa optime sperare de Dei protectione;

¹ Aptius forsàn legendum *intercludit* (R. T.).

² Aptius ed. Cherub. legit *percursurum* (R. T.).

cuppam invenit usque ad summitatem recenti melle plenam, totâ domo stupente, eoque magis, quo novo prodigio mel caelitus datum integris octo mensibus toti familiae sat fuit in usum quotidianum. Infirmabatur Gaspar Flores, virginis genitor, moerens etiam ob quinquaginta librarum debitum, qui¹ prae inopiâ solvendo² non erat; tristabatur perplexa mater, importunitate creditoris augente angustias; filia templum adit, preces fundit, eique domum redeunti vir plane ignotus occurrit, simulque involutum strophiole argentum porrigit, et iubens praesentem parentum necessitatem illo sublevari, statim abscessit. Rosâ involuerum explicante, ipsa librarum quinquagena, cuius pater debitor erat, apparuit; quod Gaspari narratum insomnium videbatur, donec filia nummos, uti acceperat, adnumeravit. Haec sunt subsidia quae sponsus divinus parentibus ipsius sub specie caelestis lapicidae huic novellae sponsae inter parafernalia³ et antidora⁴ se ministraturum olim pollicitus erat.

Prophetiae
dono illustris.

§ 41. Testimonio etiam Domini nostri Iesu Christi, quod est spiritus prophetiae, fuit illustris. Nam integro fere decennio ante foundationem, quandoque per symbola et figuras, aliâs manifeste et in proprio typo, non solum fuit illi divinitus demonstratum monasterium, quod Linnae sub sanctae Catharinae Senensis patrocinio numeroso saerarum virginum collegio dicandum erat, sed etiam primam ibi futuram monialium praefectam et coenobii fundatricem Luciam Guerram a Daga ex vultu agnovit, spiritu suo imbuit, et osculo pacis quodammodo initiavit, dicens ei: *Euge, mater, ingenti suo*

te operi Deus reservavit. Ex virginis spiritu hausit felix matrona d'vinos sensus, et religiosi status caeleste desiderium; sed obstabant superstes maritus et numerosa familia; quos omnes paulo post Deus ab hac luce evocavit, necnon innumera et potentissima alia foundationis post obitum virginis impedimenta sustulit, duosque animos olim aversos ad favorem pii operis flexit. Quibus sublatis, Lucia amplissimis suis facultatibus coenobium fundavit, dotavit, ac denique se ipsam dedit, cum sacro velo nomen sororis Luciae de SS. Trinitate assumens, ac prima novelli sui asceterii praefecturam gessit, religionis spiritum mirifice propagavit, demumque sanctimoniae famâ celebris obdormivit in Domino. Ipsa Maria Oliva, Rosae genitrix, quae antea hoc ei vaticinanti filiae acerbè contradixerat, anno Domini MDCXXIX post mariti obitum in novello monasterio sexagenaria devote filiabus sancti patris Dominici aggregata fuit, et, assumpto cum habitu nomine Mariae de S. Maria, emissâ postmodum professione, optimo line quievit. In quo etiam promissa sponsi providentia affulsit; carente enim illâ dote necessariâ, unus ex reservatis ab ipsâ fundatrice gratuita receptioni pro dignioribus sed egenis personis locus ei obtigit, ceteraque omnia adamussim etiam minima, ut sancta virgo praedixerat, evenerunt. Ioannes Villaboos Societatis Iesu iuratâ fide testatus est suo se experimento spiritum propheticum in eâ deprehendisse, aperiente illi virgine arcanum negotium quod aliter ac caelitus innotuisse non poterat. Simillimum quid cum eâdem Antonius a Vega eiusdem Societatis vir integerrimus sibi evenisse narravit. Secretam cogitationem, quam nulli unquam apernerat neque apertura erat filia quaestoris, accurate ei Rosa recitavit, et saluberrima documenta prae-

1 Forsan *eui* pro *qui* legendum (R. T.).

2 Forsan deest vox *par* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *parafrenalia* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *antidota* (R. T.).

scripsit. Mariae de Messa uxoris Medori Angelini pictoris consilium, quod occultissime inierant de profectione in Hispanias, commemoravit, summam pecuniarum quam pro arbitratu constituerant dixit ambobus sat esse; mirante muliere et attestante plus a virgine dici non potuisse, si in amborum colloquio tertia stetisset. Joanni Miguel Ordinis sancti Dominici Linam revertenti seriatim et exacte narravit ea, quae illi in aliena regione acciderant, quaeque humanitas non potuerant in Rosae notitiam pervenisse; quin et abditissimas suamet conscientiae latebras virgini patuisse evidenter agnovit. Plurima alia huiusmodi ac etiam mirabilia commemoratur huius sponsae Christi vaticinia, quibus omnibus correspondebat eventus, comprobans in eius animam plenitudinem gratiae, non tantum sanctificantis, sed etiam gratis datae et Spiritum Sanctum inhabitare.

Postremum
sibi diem vali-
catur.

§ 42. Praescia dici, quo ad^o sponsi thalamum properare ex hac lacrymarum valle debebat, quod matri celare nequivit, quotannis festum divi Bartholomaei apostoli, quod erat terminus suae mortali peregrinationi constitutus, singulari devotionis studio colebat, et in eius pervigilio, suo non contenta ieiunio, aliquos innocentes pueros ut secum ieiunarent adduxit, in eo etiam post eius obitum perseverantes, eo quod sic a Rosa instituti fuissent. Triennio ante discessum gravi morbo decubuit, ut iam extremo funeri matura et deficiens cum a confessario ac domesticis collacrymaretur³, quem intrepida inssit intempetivum abigere moerorem et certum esse tunc se non morituram; quo dicto innotuit sui transitus terminum divinam reve-

¹ Coniunctionem et addimus ex Cherub. (R. T.).

² Male ed. Main. legit *quoad* pro *quo ad* (R. T.).

³ Quomodo legendum videat lector (R. T.).

latione compertum habuisse. Quin et quatuor ante obitum mensibus quaestoris Gundisalvi uxori atrocissimos suae extremae infirmitatis dolores futuros narravit, et immanissimum eorum, ardentissimam sitim, instare praenunciavit. Locum etiam integro anno antea eidem matronae praedixerat in eodem cubiculo, in quo mortalitatis debitum persolvit, rogans ne alteri feminae, praeter ipsam et genitricem suam, corpusculum vestiendum et feretro imponendum committeret. Tideo ante suum extremum decubitus cellam hortensem adiit, et cygni more exorsa, modulos decantando commendabat Deo et sancto Dominico genitricem suam, quam desolatam relinquebat. Credidit mater audiens lusus esse metricos, sed kalendis augusti propheticè ea praenunciata fuisse cognovit. Sub noctis enim medium audita fuit misere emulare, et corpusculo super solum extensa rigentibus membris inventa. Rogata velletne medicum, respondit: *Caclestem*. Frigidus stagnabat sudor, et in omnibus membris et iuncturis arctabatur doloribus et poenis, quas olim ei sponsus in visione ostenderat futuras multo graviores ceteris omnibus, quas in vitâ pertulerat. Iussa semel a confessario, aliàs a matre, enarrare suos dolores, licet omnium fere aegritudinum vim et nomina per experientiam cognovisset, hunc tamen non nisi per similitudines candentis ferri tempora adigentis et pugionis igniti a sinistro latere meditullium corporis transverberantis, in quo crucifixi erat expressio, et candentis galeae caput includentis, explicare non potuit, simulque singulos nervos, iuncturas, ossa ac medullas contundi, resolvi et aruisse dixit, ac denique non habere nomen, nec nosse tormentum, cui eos compararet. Aperuit insuper confessario, frustra medicos in explorandâ

huius infirmitatis specie laborare, quam nec pulsus, nec aliâ extrinsecum signum indicaret, ac proinde non aliâ quam immedicabilis lobi patientiâ sibi opus esse, ut quoquomodo singulos crucifixi sponsi sui dolores membratim experiretur. Rogavit et obtinuit per aliquot dies solitariam quietem et silentium, ut intimius suos dolores intingeret extremis cruciatibus crucifixi amoris, cui se membratim confixam in cruce sentiebat. Augerantur in dies huiusmodi supplicia, ut mirum fuerit eam, tam potenti, variâ et cumulata dolorum catervâ, citius deficiendo non succubuisse, sed paulatim resolvebatur, quia gloriosissimum martyrii genus ei erat lente et articulatum mori. Certa enim erat has poenas aeternae gloriae pondus in ipsâ operaturas; sciebat hunc esse calicem, quem sponsus biberat, et ipsi ut sponsae miscuerat, ac tandem ante ei praemonstraverat; unde constanter et incunde, velut e manu Christi Domini porrectum, totum ebibat. Blanda et devotissima cum dilecto miscebat colloquia, tantumque cum domesticis Dominum rogavit, ne dolores eius mentis liberum usum impedirent. Sitis immanissima prae ceteris, ut praedixerat, intime eam cruciabat, nec aquae potus sitiienti dabatur, obsistente medicorum praescripto, unde poenaliter arescenti virgini hoc etiam cum moriente sponso tolerandum superfuit clamare: *Sitio*. Propius accedente acceptabili tempore quo Rosa ista e terris in sponsi paradysum, depositis mortalitatis exuviis, transferenda erat, pluries advocatis confessariis, tenerrimam conscientiam, et semel generaliter de totâ vitâ, exomolegesi purgavit semper cum poenitudinis singultibus et lacrymis, ita ut compuncti audientes mirarentur in saevissimis cruciatibus non flentem, levissimas imperfectiones tam alte deflare. Triduo ante

felicem obitum supplex voce flebili divinum viaticum et extremam petiit mentionem. Delato eucharistico epulo instar coruscantis aurorae gratiose rubuit, et gaudio suo impar in altissimam ecstasim raptâ fuit. Sacerdoti tamen sanctissimam Hostiam porrigenti, et de more roganti, apte et expedite respondit. Sic et alacri omnium sensuum officio oleum infirmorum moribunda accepit, quo potius ad triumphum, quam ad agonem sensit se animari. Saepius etiam coram adstantibus voce clarâ orthodoxae fidei professionem emisit, protestans se, ut vixerat, ita mori sanctae Romanae et universalis Ecclesiae filiam. Sacrum sui Ordinis scapulare, ut proprium suae religiosae militiae vexillum, quo Deipara Virgo nascentem Praedicatorum Ordinem insigniverat, expansum super stragulas videre voluit. Invisente eam priori dominicani coenobii Limae, cui per quinquennium alias¹ suae conscientiae latebras aperuerat, humilibus precibus ab eo obtinuit perlegi formulam exactam, quam² iam moriens veniam a Deo exoraret pro omnibus qui eam quocumque modo in suae vitae decursu laesissent, cuius verba voce sequebatur virgo crucifixum stringens, nec satiari poterat illis tenerrimis vocibus: *Pater ignosce illis*. Anima vere tanto sponso digna, quae, ut esset³ plene cruciformis, divinum in cruce Agnum pro suis adversariis extreme deprecantem est imitata. A domesticis quaestoris Gundisalvi voce humili et flebili oravit condonari, si quâ in re nulli⁴ unquam nocuerat, lacrimantibus omnibus qui eius innocentiam et puritatem experimentis comprobaverant. Oblato chirografo, in quo sepulcrum apud suos religiosos po-

1 Forsan *aliàs* legendum (R. T.).

2 Videtur legendum *qua* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *esse* (R. T.).

4 Potius *legerem ulli* (R. T.).

stulabat, cum omni animi submissione, nihil minus quam de sui corporis curâ sollicita, subscripsit. Sponsum rogabat, ne cessaret eam exquisitis ardoribus excoquere, donec ei maturesceret in fructum qui eius mensae inferri mereretur. Sub hoc fine vitae crebriora fuere raptuum dulcissima intervalla, in quibus excelsa et iucunda de suavitate Dei, ac laeta de regione aeternitatis libamina praegustasse innouit. Ultimam utriusque parentis benedictionem summe exoptavit, eamque venerabunda recepit. Sic et a quaestore Gundisalvo eiusque uxore, quos veluti parentes coluerat, benedici voluit. Duobus germanis suis fratribus inter salutaria monumenta parentum curam et reverentiam serio commendavit, ac si diceret unicuique illorum, ad imitationem crucifixi sponsi, *Ecce mater tua*. Ambas etiam quaestoris filias, ob innocentiam ab eâ summe dilectas, ad virtutes et praecipue genitorum amorem et venerationem hortata est, reliquosque domesticos officii ac christianae pietatis admonuit, ut iam non femina, sed apostolus praedicare videretur. A Ioanne de Lorenzana postremo eius confessario parante se in nocte pervigilii S. Bartholomaei ad matutinarum officium accedere, sciens sibi non superesse amplius nisi quatuor horas, supremam benedictionem ex corde efflagitavit, monens eâ ipsâ nocte, ineunte festiuitate, se ad festa sempiterna abituram. Quod vultu adeo sereno et laeto protulit, ut appareret vere virgo prudens et sapiens in vestibulo paradisi expectans cum lampade, ut dilectus eius sponsus veniret. Cuius in intimo cordis vocantis vocem sentiens, candelam benedictam nutu petens, crucis signaculo frontem, os et pectus communivit; mandavitque subtrahi cervical, ut capite ad nudum lignum inclinato sentiret in cru-

ce se mori. Spiritum denique suum in manus Patris commendans, fixis in caelum oculis, ut cum sponso intraret pronuncians, *Iesus, Iesus, Iesus mecum sit*, quietissime expiravit. Haec verba quemadmodum illi fuerant in infantia prima orandi formula, ita his ipsis in suae infantilis innocentiae testimonium decedens Limae ad limen supernae patriae evolavit, aetatis suae xxxii, mense quinto vix inchoato.

Rosae mors.

§ 43. Virgineum Rosae cadaver, cum spirare desiisset, adhuc ex vivido vultus colore et rubentibus labiis respirans credebatur, donec innouit haud amplius inesse alitum ex applicito ori eius speculo, cuius sicut fuit hic ultimus usus, sic etiam fuit primus. Repentino prodigio omnes inuasit areanus laetitiae sensus, ut mater ipsa aptans cadaver, sicut eis vivens filia obtinuerat, et tota domus hilariter non exequiis defunctae, sed nuptiali gaudio interesse viderentur. Sic etiam extraneis, quoque aderant, intime et secreta inhaesit iucunditatis stimulus. Mendicorum tantummodo Limensium eiulatibus et lacrymis fuit celebratum hoc funus, conquerente egenorum turbâ veram pauperum nutricem et matrem fato acerbissimo immature sibi ereptam fuisse.

Mortuam omnes laetitia prosequuntur, soli mendici lugent

§ 44. Visa fuit angelorum numerosa caterva, et ante obitum circa grabatum decumbentis, et post circa feretrum defunctae alternante concentu festive tripudiare. Quaestoris coniux aniam, in qua exposuerant virginis corpus, undique luminoso illapsu caelestis gloriae totam micare conspexit. Sic implebatur quod Christus Dominus futurum esse revelaverat, mortem scilicet Rosae et sepulturam eius fore gloriosam. Devotae feminae sacrorum hymnorum sonoro cantu per vices exultabant, protestantes non naeniis, sed festis ibi locum esse debere.

Splendores circumdaat.

Mirabili consensu et occulto instinctu maxima hominum multitudo clarescente iam die implevit quaestoris palatium. Confessarii coram feretro in voces inlilationis et benedictionum eruperunt, testantes cunctis baptismalem gratiam nullâ unquam lethali noxâ ab eâ interruptam fuisse, sed immaculatam totius vitae innocentiam et virginei candoris infantilem puritatem caelo, ad sequendum Agnum quocumque ierit, intulisse.

Innumera multitudo ad exequias convenit.

§ 45. Ad exequias, vulgatâ iam famâ, innumerabilis utriusque conditionis hominum multitudo convenit, et pia variorum titulorum sodalitia sponte et religiosorum Mendicantium Ordines processere; mox et metropolitani collegium et regius senatus cum omnibus magistratibus. Sacrum corpus deferebant, insueto honore, ecclesiae cathedralis canonici, succedentibus in hoc munere certatim religionum superioribus. Ad ecclesiae valvas visus est vultus virginis vividiore et venustiore colore rutilare, ut etiam de hac dictum a Christo Domino appareret: *Non est mortua puella, sed dormit.* Visum est etiam a plurimis simulacrum Deiparae SS. Rosarii luce et splendoribus coruscare. Quo divulgato, plures alii advenientes, prodigium non solum eminus, sed etiam cominus sic se habere conspexerunt. Certatim omnis aetas et sexus coronis, rosariis, et quaecumque re devotâ quae ad manus fuisset, sacrum corpus contingere suppliciter conabatur. Resonabat undequaque ecclesia valde ampla continuis vocibus Rosam beatam et sanctam acclamantibus, donec sepulturae pretiosum depositum mandatum fuit. Post quae, crescente devotâ populi frequentia ob eximia curationum beneficia quae in dies crebrescebant, solemniore exequiae celebratae fuerunt, quibus prae ex et maior multitudo interfuit festivis applausibus et publicae lae-

tiliae signis, tam incolis quam advenis novae caelorum civi acclamantibus. Paulo post, instantissime postulantis primatibus civitatis, sacrum illud corpus, in locum celebriorem transferendum, decreto archiepiscopi Limensis extractum, inventum fuit corruptioni non subiacuisse¹, et aequae ex eo caelestem illum odorem prodire, quemadmodum quando primo repositum fuit. In hac celebritate nemo erat, quem sub virginei cadaveris praesentia recens gestorum memoria medullitus non compungeret; multis lacrymae devotionis fluebant, nomen ipsum Rosae ab omnibus aperto reverentiae signo recipiebatur. Deposuitur fuit decentissime corpus a dextera arae maioris; verum, ob copiosam multitudinem offerentium ibi vota, alius locus sacris exuviis collocandis eligendus fuit, videlicet sanctae Catharinae Senensis sacellum. Debebat enim tam simili filiae sinus seraphicae suae matris ad quietem.

§ 46. Interea Limam pervenere litterae huius sanctae Sedis Apostolicae, ut ex formula a Congregatione Rituum praescripta examinarentur testes de vita et gestis huius ancillae Dei, quod coeptum anno Domini mdcxxx, ob multitudinem testium, qui fuere numero centum octuaginta tres, non potuit absolvi nisi in mense maio anno mdcxxxii. Fuere pro visitatione reliquiarum Rosae de more deputati inspectores, qui apertâ arcâ ligneâ repererunt virginem corpusculum post quintum decimum expletum ab obitu annum, consumptis indumentis, ossibus integris et adhuc sicca hinc inde carne obductis, quae odorem rosarum exhalabant.

§ 47. Maximis signis ostendere voluit omnipotens Deus, quem sublime gloriae gradum in caelis obtineat Rosa, quorum illa celeberrima et crebra fuere, quae caeli terraeque creationem excedunt,

Sanctae corpus tumulatum, post quindecim annos incorruptum rosas olet.

Rosae immaculatae intercusione plures convertuntur.

¹ Edit. Main. habet corruptioni subisse (P.T.).

conversiones scilicet peccatorum, quae a Deo precibus huius virginis obtentae insignes fuerunt. Ad solum enim virginis corpusculi contactum in feretro quam plurimi repentinis compunctionis stimulis ita fuere percussi, ut statim elatis vocibus detestati fuerint sua scelera, prorumpentes in laeymosam criminum confessionem, audiente, spectante et mirante maximam circumstantium turbam. Mater virginis, Maria de Oliva, coram iudicibus recensuit post exequias filiae complures ad se devotas accessisse personas etiam religiosas antea ignotas liberali subsidio suam egestatem sublevantes et profitentes se tributa pendere virgini Rosae, cuius intercessionibus vitae suae optimam mutationem debere sciebant.

Exempla referuntur.

§ 48. Bartholomaeus Martinez, quondam huius virginis confessarius, ex certa scientiam aperuit in iudicio, quemdam profligatae vitae hominem, longissimam annorum serie sacrilege frequentantem sacramenta, Rosae iam tumultatae precibus commendatum fuisse, et mox illum sensisse divinae gratiae actionem, qua cor eius liquecens generalem totius vitae exomologesim amarissime perfecit, et adeo conscientiam eius timor Domini pervasit, ut postmodum quoscumque defectus tamquam pergrandes excessus eluere festinaret. Constat etiam duas probrosae vitae peccatrices ad Rosae huius odoriferam famam compunctas iugum impuritatis feliciter excussisse et in calle virtutis constanter fixisse pedem.

Eius concives sanctiorem vitam amplectuntur.

§ 49. Limenses et alii in universa Peruanam regione sacramentalis poenitentiae ministri, communicatis indicibus, generatione stupere de tantam mutatione morum in populo a die qua Rosa in sponsi sui paradiso recepta fuit; nam certatim feminae, abiecto vestium luxu, simplicioris modestiae habitum ubique sumserunt, regularium claustra cruentis

flagellorum ictibus undique poenitentiam resonabant. Fuitque tam publice notum hoc prodigium, ut in tribunali iureiurando assertum fuerit, a tempore quo Peruvia nostris detecta fuit, nullum unquam ibi claruisse concionatorem, qui tot ac tantis stimulis gentes illas ad virtutem impulerit et tam universalem poenitentiae spiritum et devotionis incendium excitarit, ut Rosa suis aspectibus, contactibus et precibus.

§ 50. Francisco et Alexandro de Coloma germanis fratribus matertera erat Maria de Xuara mulier opulenta, sed animo implacabiliter in cognatos quamvis pauperrimos adverso et implicato, quorum primus alebat suis impensis sex consobrinas et duos consobrinos. Impendebat utrique necessitas proficiscendi et relinquendi parvulos in summam egestate. Franciscus sacerdos erat, Rosae patrocinium implorat, postridie matertera illum accersit, quem toto decem et octo annorum spatio videre abmuerat, consobrinos calamitosos iubet adduci, et advocato notario, rescisso priori inofficioso testamento, gratificato Francisco, instituit parvulos consobrinos ex asse haeredes, et Rosae debitae grates persolvuntur.

Alia conversionum exempla.

§ 51. Ludovica Barba audierat a confessario Rosam vaticinatam fuisse se asceticuram habitum religiosum sancti Domini, quem ipsa horresebat; diu parvi fecit dictum virginis, imo adversabatur eventum huius oraculi; tandem caelestis religiosae vitae inspiratio eam invasit, Rosae sepulcrum adiit, ei causam supplex commendat, repente illius cordi ignitum sacri habitus dominicani desiderium immittitur, in numerum sacrarum tertiariarum adscribitur, divinis solatiis repletur, hoc unum dolens quod tandiu corde obstinato tantam felicitatem respuisset.

Eius vaticinia confirmantur.

§ 52. Ludovica de Mendoza enconia sanctitatis huius virginis nec credere

Incredula sanctitatem Rosae

aversus sana-
tur.

nec concipere esse vera poterat aut volebat; repentino angore correpta, in manibus et pedibus summe dolens, sensit spiritum suum caligine et pavore concuti, evidenter agnovit ab inimicâ suâ incredulitate haec provenire, supplex protestatur se credere et toto corde fateri quod Rosa vere sancta sit, et repente conquievit tempestas, et sensit recedere atroces illos paroxysmos.

Corporum sa-
nationes.

§ 53. Praeter praedicta spiritualia beneficia multa alia et insignia miracula in curandis corporibus patrata narrantur, quibus sanctitas et merita huius virginis satis superque comprobata sunt. Ex processibus enim auctoritate apostolicâ confectis et formiter a sacrâ Congregatione Rituum discussis, referente dilecto filio nostro Decio cardinali Azzolino huius causae ponente, non solum constat de famâ sanctitatis et virtutibus theologalibus et cardinalibus cum annexis in gradu heroico, sed praeterea ex concludentibus probationibus tamquam rite et recte admissa fuere sequentia miracula:

Morbus Imme-
dicabilis.

§ 54. Maria Sanchez, aliâs de Iesu, novennis puella, quae, cum sexennis esset, fortuito in terram prolapsa, ita nervis et ossibus offensa fuit, ut, contractis eruribus, eorumque sensu deperdito, omni prorsus standi et ambulandi potentiâ deperditâ, continuo immobilis affixa lectulo per triennium, crescente aetate, magis viribus destituebatur, frustratis omnibus adhibitis naturalibus remediis, eius parentes humili corde voverunt eam in sepulero praedictae virginis ad obtinendam ei salutem per novenam ponere, et in ultimâ novennarii die, dum votum persolverant, infantula supra sepulcrum statim in pedes surrexit, cunctis admirantibus, tam expedite deambulans, ac si nunquam huiusmodi laesionem passa fuisset.

Brachium ari-

§ 55. Isabellae Duran apoplexia in pa-

ralysim terminata brachium exsiccarat, omnemque illius usum a quinque circiter, mensibus cruciabiliter ademerat, quod ad inutile pondus et continuo tantummodo dolore gestabatur ab humero praedensis fasciis obvolutum. Applicavit illud corpuseulo Rosae iam tumulando, mox fascias explicuit, palam clamitans integerrime se curatam, publiceque in miraculi fidem robuste iactavit brachium gestu, motuque expeditissimo, ac si nunquam languisset.

§ 56. Æthiopi cuidam, servo Didaci de Ayala, ex nervorum attractione et tenaciplicâ brachium dextrum ac manus a pluribus annis denegabant officium. Itaque ad famam defunctae Rosae eum reliquâ turbâ penetravit in ecclesiam divi Dominiei, commendavit se sanctae virginis, exporrexit illico sanatum brachium, illudque in sublime elatum magnis vocibus ostentavit multitudini circumfusae. Qui servum familiariter noverant, accessere propius gratulabundi, nec dedignati osculis fatigare manum beneficio Rosae iam patulam et redivivam.

Item Æthiops
experitur.

§ 57. Magdalena Chimisso nobilis Indae (utpote de stirpe regularum Chincensium) ab umbilico deorsum, corporis attractione, ariditate erurium et pedum, misere per plures languebat annos, et non nisi in aliorum manibus huc et illuc poterat deferri, omnibus frustra adhibitis medicamentis, in illo deploratae salutis statu cor erexit ad superna, devote se commendavit dictae virginis, et eius vestium allatis particulis tetigit partes laesas, atque in instanti perfectam recuperavit salutem, omnibusque admirantibus, propriis pedibus adiit immediate Praedicatorum ecclesiam, ibique publicas gratias dictae virginis reddidit.

Attractionem Rosae vestes saluti reddunt.

§ 58. Maria de Vera dysenteria, febri malignâ, dolore stomachi et lethali vomitu per octo dies laborabat. In extremis,

Moribunda
statim vires re-
cuperat.

susceptis Ecclesiae sacramentis, se commendavit praedictae Rosae intercessioni, cuius amplexa est imaginem, et statim sana visa est cum totali virium recuperatione, atque e lecto exsiliens, illico altare ornavit, ibique apposuit imaginem, et ob recuperatam sanitatem gratias egit.

Clemens IX
primus Rosam
ad aras extulit
et in Peravian
regni patronam
elegit.

§ 59. His igitur et plurimis aliis signis coruscante per orbem Rosae sanctitate, et eius exigentibus meritis, felicis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster induisit ut haec Dei serva ubique terrarum Beatae nomine nuncuparetur, et celebratâ solemnî ritu eius beatificatione eam civitatis Limae et totius regni Peruanî principaliorem patronam auctoritate apostolicâ decrevit et declaravit, eiusque festum ab omnibus illic degentibus de praecepto servari mandavit et eius nomen apponi in martyrologio romano. Nos quoque, videntes eam ubique omnium populorum solemnî plausu devotissime honoratam, huiusmodi patronatum pro omnibus provinciis, regnis, insulis et regionibus terrae firmæ totius Americae atque Philippinarum et Indiarum fecimus extensum, formatisque auctoritate apostolicâ processibus de his quae supervenerant, eorumque validitate approbatâ, et percrebescens venerationis et devotionis populorum piis affectibus, novis ostensis et miraculis accedentibus, ex quibus, post maturam discussionem, quatuor admissa fuere, duo scilicet ex processu Suessano, et duo alia ex processu Panormitano:

Nova miracula.

In extremis laborans illico sanitatem recepit.

§ 60. Primum in personâ Ioannis Zelligi ab imminente morte mirabiliter praeservati. Hunc enim per quatuor menses oppresserat febris hectica tertiae speciei progressa in exquisitum marasmm cum ulcere pulmonis, tussi marcidum cruorem excreante, ac rosione gutturis pa-

riter ulcerati, quibus accesserat febris putrida et maligna; unde aeger, susceptis Ecclesiae sacramentis, ad extremum vitae fugientis agonem perductus iacuit sine motu; cessavit arteriarum pulsus et consonâ trium medicorum voce iam in faucibus mortis haerere conelamabatur: sed, implorato beatae Rosae potenti auxilio, modicum pulveris e sepulcro eiusdem Beatae hausit e cochleari aquâ resolutum, et illico salutem cum pristino vigore integerrime recuperavit: alterum in Candida Rosetta, vexilliferi Aloysii de Carvaial Hispani uxore, cui, in praemortui foetus miserabili partu, nimius pro secundarum emissionem conatus per triduum adhibitus unâ cum illis matricem foras extruserat, quae deinde frigoribus in statu marmoris obdurnit, nigra, visuque horrida et praegravis (utpote trium librarum pondere gravis). Molestissimo cruciatu sic permansit foris per octennium, donec Beatae huius (cui impense Candida se commendarat) imagine papyraceâ ventri applicitâ, sensit incontinenti aegra matricem in alvum rediisse: unde confestim sana et robusta lecto exsiliit, ac per domum visa est prae gaudio saltitare:

§ 61. Alia itidem bina miracula ex processu Panormitano, videlicet: unum in sanatione mirabili fratris Seraphini Puglisi ex Ordine Beatae Mariae de Monte Carmelo. Vir iste religiosus malignâ febre lethaliter exustus, ac decimo septimo suae infirmitatis die omnino derelictus a medicis constanter asseverantibus horâ quintâ aut sextâ noctis proxime insequentis expiraturum, iamque amissâ loquelâ, et visu luctans cum ultimo agone, mox ut opem beatae Rosae toto corde imploravit, eandem habuit manifeste conspicuam, subitoque valens, incolumis, vegetus cum stupore omnium evasit:

A medicis derelictus ope Rosae incolumis evadit.

1 Edit. Main. legit *progressu* (R. T.).

A mortis ago-
ne ad vitam sta-
tum revocatur.

§ 62. Novissimum denique in Angela Gibaia, quae duplici febris tertianâ continuâ et malignâ cum ingenti capitis ac stomachi dolore flatuumque copiâ per dies vigintiseptem dire exercitata, demum a medico palam conclamata properabat ad mortem; perque sex horarum spatium laborans in agone, hortatu matris invocavit opem B. Rosae, oleoque ex lampade coram istius altari pendulâ desumpto in stomachi regione, collo, pectore peruncta, statim et incontinenti pristinae salutis cum omnimodâ fracturum virium reparatione fuit restituta:

Quare ad re-
gum, et aliorum
supplicationem,

§ 63. Cum igitur iam nihil deesset eorum, quae sacrosanctae functioni canonizationis huius dilectae Christi Domini sponsae Rosae necessaria erant ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, et S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum praescripto, rogantibus carissimis in Christo filiis nostris reginâ Mariannâ regente, ac etiam Carolo II itidem Hispaniarum rege, toto Ordine fratrum Praedicatorum sancti Dominici, regno Peruano et omnibus provinciis Americae, accedentibus etiam precibus venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum regnorum Hispaniae et Indiarum, iustum et debitum esse censuimus ut praedictam Beatam, quam ipse Dominus de die in diem magis clarificat e caelis, nos quoque venerationis officio laudemus et glorificemus in terris. Propterea annuimus ut hodiernâ die publice in sacrosanctâ basilicâ Principis Apostolorum, missae sacro peracto, eius canonizatio haberetur. Eâdemque die in praedictâ sacrosanctâ Vaticanâ Basilicâ, in qua solemni ritu cum eiusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filii Romanae Curiae praelatis, officialibus et familiaribus

nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentia mane convenimus, repetitis ter pro canonizationis decreto nobis per dilectum¹ filium Ludovicum tituli S. Sabinae cardinalem Portocarrero, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces Spiritus Sancti gratiâ rite imploratâ,

§ 64. Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, et fidei catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, beatorum Apostolorum, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Romanâ Curia existentium consilio, unanimi consensu, beatam Rosam de S. Maria Virginem Limanam, de cuius vitae sanctitate, fidei sinceritate, et miraculorum excellentiâ plene constat, Sanctam esse definimus, ac sanctarum virginum catalogo adscribendam decrevimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus, statuentes ab Ecclesiâ universali quolibet anno die xxx mensis augusti memoriam eius inter Sanctas Virgines recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Rosa sanctarum virginum adscribitur.

§ 65. Eâdem auctoritate omnibus et singulis vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis in die festo ipsius sanctae Rosae ad sepulcrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliâs quomodolibet debitis poenitentis misericorditer in Domino relaxavimus in formâ Ecclesiae consuetâ.

Ad illius sepulchrum accessentibus indulgentias elargitur hic Pontifex.

§ 66. His peractis, Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum Dominum Patris sempiternum Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum,

Oratio peculiaris in honorem sanctae Rosae.

¹ Ed. Main. habet *dictum* pro *dilectum* (R. T.).

unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari in honorem sanctae Rosae oratione precati sumus per eiusdem merita, atque ad altare S. Petri apostoli missam celebravimus cum eiusdem Sanctae commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessimus.

Eiusdem gratiarum actio.

§ 67. Cum omni igitur humilitate pro tam insigni beneficio benedicimus et glorificamus Deum Patrem omnipotentem, cui benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electae suae a peccatis nostris faciem avertens miseretur nostri, et respiciat nos quibus ostendit misericordiam suam in medio templi sui, dum novum nobis propugnaculum totius Americae contra antiquas diaboli insidias et infidelitatis errores dedit, et omnibus apud divinam suam maiestatem protectricem et advocatam concessit ad sanctae Ecclesiae tranquillitatem, fidei catholicae incrementum, et infidelium lumen et conversionem.

Transumptio- rum h2es.

§ 68. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus eorum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eandem ubique fidem haberi, quae ipsis praesentibus haberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 69. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXI, pridie idus aprilis, pontificatus nostri anno 1.

Dat. die 12 aprilis 1671, pontif. an. 1.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego F. M. episcopus Portuensis cardinalis Brancatius.

† Ego Ulderius episcopus Tusculanus cardinalis Carpineus.

† Ego Virginus episcopus Albanensis cardinalis Ursinus.

† Ego Alderanus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Cybo.

† Ego Fridericus tituli S. Petri ad vincula presbyter cardinalis Sfortia.

† Ego Benedictus tituli S. Nonuphrii presbyter cardinalis Odescalcus.

† Ego Aloysius tituli S. Alexii presbyter cardinalis Homodeus.

† Ego P. tituli S. Marci presbyter cardinalis Ottobonus.

† Ego Laurentius tituli S. Chrysogoni cardinalis Imperialis.

† Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Santaerucius.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Spada.
 † Ego Franciscus tituli Ss. Quatuor Coronatorum cardinalis Albitius.
 † Ego Octavius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis de Aquaviva et Aragonia.
 † Ego Carolus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Pius.
 † Ego Carolus tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Gualterius.
 † Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Chisius.
 †
 †
 † Ego Iacobus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Franzonus.
 †
 † Ego Petrus tituli S. Calixti presbyter cardinalis Vidonus.
 †
 †
 †
 †
 †
 † Ego Carolus tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Bonellus.
 †
 † Ego Carolus tituli S. Susannae presbyter cardinalis Caraffa.
 † Ego P. tituli Ss. XII Apostolorum presbyter cardinalis de Alteriis.
 † Ego Caesar tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Rasponus.
 †
 †
 †
 † Ego Carolus tituli S. Mariae de Ara-caeli presbyter cardinalis Robertus Victor.
 †
 †
 †
 †

† Ego Iacobus tituli S. Sixti presbyter cardinalis Rospigliosus.
 † Ego Ludovicus tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Portocarrerus.
 †
 †
 † Ego Ioannes tituli S. Bernardi presbyter cardinalis Bona.
 † Ego Camillus tituli S. Mariae in Domnica presbyter cardinalis Maximus.
 † Ego Gaspar tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Carpinus.
 †
 † Ego Fridericus tituli S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Ilassia.
 † Ego Carolus S. Caesarei diaconus cardinalis Barberinus.
 † Ego Decius S. Eustachii diaconus cardinalis Azzolinus.
 †
 †
 † Ego Paulus tituli S. Nicolai diaconus cardinalis Sabellus.
 † Ego Sigismundus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Chisius.
 †
 † Ego Bonacursius S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Bonacursius.

LXIV.

Canonizatio S. Ludovici Bertrandi Ordinis Praedicatorum¹.

**Clemens episcopus
 servus servorum Dei,
 ad perpetuam rei memoriam.**

Caeli terraeque Conditor ab ipso mundi exordium usque ad haec nostra tem-

Prooemium.

¹ Nunc primum edita. — Huius Ludovici Clemens IX decrevit posse tuto deveniri ad solemnem canonizationem, sed morte praeventus explere non potuit. Ideo hic Pontifex nedum eiusdem Ludovici, cuius insuper Bullam expedivit, sed et aliorum quatuor, scilicet Rosae

pora, in quibus saeculorum fines devenisse creduntur, nusquam per singulas aetates tamquam per horas distributas operarios in vineam suam mittere destitit, qui, pondus diei et aestus portantes, labore, sudore ac sanguine illam irrigarent, et omnium caelestium virtutum ac aeternae vitae fructibus germinare eam facerent, donec, iuxta divina Scripturarum oracula, ex omnibus gentibus, tribubus, populis et linguis a solis ortu cardine usque ad terrarum limites omnes ad coenam Agni providi congregati, in regno caelesti vinum novissimum biberent, quod Dei sapientia electis suis miscere consuevit. In excolendâ Sanctae Crucis vite omni curâ potissimum insudarunt in operibus diversi, in virtute uniformes, ut etiam per regna et provincias nostris maioribus antea ignotas ita innotuerit eius virtus ac vigor in totius orbis victoriâ, ipsiusque de mundi principe triumphus, ut iam tremendum illud cunctis potestatibus nomen, quod est super omne nomen, sibi iam barbaras nationes subegerit, et in nomine Iesu omne genu flectatur, ac omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus in gloriâ est Dei Patris.

Sancti huius
Ludovici admirabilis vita et
praeclara gestarum
natum referuntur.

§ 1. Plures huiusmodi et strenuos operarios continuatâ serie catholicae Ecclesiae Praedicatorum Ordo ministrare non destitit, inter quos novissime egregius Dei servus Ludovicus Bertrandus mirifice claruit, qui, ardentissimâ in ipsum Deum et proximum charitate flagrans, ceterarum virtutum excellentiâ, prophetiae dono et apostolico ministerio coruscus, omnium linguarum laudibus merito celebratur, cuius pietas et devotio adhuc in ipsâ tenerâ aetate effulsit, quibus et mundi contemptum et religiosi status dicti Ordinis Praedicatorum, Caietani Thienaei, Francisci Borgiae et Philippi Beniti canonizationem solenniter peregit.

perfectionem iungens, veteranis professoribus admirationi et exemplo fuit. Postmodum ad occidentales Indos evangelicus praedicator missus, plurimos ad Christi fidem adduxit. Apostolicis etiam signis, charismatibus et auctoritate decoratus, et cunctis virtutibus fulgens, inventus est dignus, qui super excelsum candelabrum in sanctâ Ecclesiâ collocaretur, ut ceteris, qui in domo Dei sunt, eius radii elucescant. Rationi et aequitati convenit ut praeclarus hic Dei famulus, qui pro eius gloriâ et animarum salute multos maximosque labores et acrimias pertulit, cuius nomen Deus ipse gloriosum efficit, a nobis quoque, qui eius vices in terris (licet immeriti) gerimus, honorabilis ubique reddatur. Hunc igitur ut merito in Ecclesiâ militante populus fidelis et plebs Deo dicata Sanctorum fastis adscribi plenius agnoscat, eius praeclara gesta et eximia virtutum ornamenta tamquam praecellentia ad imitandum proponenda duximus, ut Christi nomine decorati, gesta sua ad eius exemplum in Dei gloriam conformantes, eum in opportunitatibus et tribulationibus advocatum apud Deum Patrem omnipotentem habere mereantur. Atque ut christifidelium ora promptius in divinis laudibus exultent et pietatis fervor erga tantum Iesu Christi servum magis in dies excitetur, eius admirandam et omni laude dignam in terris peractam vitam in primis exponere et brevi inclusam eloquio patentem reddere decrevimus.

§ 2. Valentiae igitur in Hispaniâ Tarraconensi, ex piis, honestis, catholicisque parentibus Ioanne Ludovico Bertrando et Ioanna Anna Exarch, editus est in lucem Ludovicus Bertrandus anno Domini cae Salutis MDVI, kalendis Ianuarii, et ibidem in parochiali S. Stephani ecclesiâ, eodemque fonte quo olim sanctus Vin-

Nativitas ipsius.

centius Ferrerius in Christo reatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum, cui Ludovicus carnali prosapia inmetus erat, communi etiam regenerationis propinquitate attingeret. Infaus a parentibus, eidem sancto Vincentio mire devotis, pie honesteque educatus necnon optimis moribus ita imbutus fuit, ut neque in illà tenerà aetate defuerint argumenta futurae sanctitatis; vagientis enim ac plorantis lacrymae nullà re sisti certius poterant¹, quam Sanctorum imaginibus eius conspectui oblatis, quarum ad intuitum domi et in templo mirifice gestiebat.

Puer orationi
ac poenitentiae
incumbit.

§ 3. Crescente aetate, crevit pariter virtutum amor et erga res divinas pronus affectus. Vix pueritiae limen attingerat, quando notatus fuit crebro ad solitudinem cubiuli sese recipere, ut geniculans prolixae orationi incumberet. Illic Dominum in se loquentem audiens, suimet corpusculi robustus dormitor evasit; illic, spretà delicati cubilis mollitiae, aut humo aut duro in ligno modicum somnum capiebat; illic ieiuniis victuique parcissimo corpus assuescere docuit, ac variis poenitentiae austeritatibus extenuare coepit. Exinde frequentando gymnasium et litterarum studiis addictus, non minus prava consortia, nugae atque illecebras, quam otii laxamenta velut bonarum artium aerugines et virtutum pestes cautissimà sedulitate iugiter evitavit.

Actus virtutum
in pueritiae
exercitiis.

§ 4. In simplicitate cordis sui quaesivit Dominum et invenit illum; in ecclesiis enim et maxime Ordinis Praedicatorum saepissime orationi vacans, morabatur; sacris etiam lectionibus divinisque colloquiis mentem reficiens, invenit quem diligebat anima eius; sanctissimae Eucharistiae frequenti, humili et occultà sumptione delectatus, in Dei ac proximi amorem totus exarsit; xeno-

¹ Edit. Main. legit *poterat* (R. T.).

dochia magnà charitate visitans, pauperibus totà animi sui demissione inserviebat.

§ 5. Ut Domini consilium de relinquendis domo, fratribus et parentibus perfectius impleret, eremi desiderio clam domo aufugit, sed specioso pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis saeculi fugam auspicatus, primo clericalem admisit habitum, mox vero, non sine magnà cum domesticis luctà, Ordini S. Dominici nomen dedit in conventu Praedicatorum Valentino, et religionis habitu suscepto, praeclara sancti Vincentii Ferrerii eiusdem familiae celeberrimi alumni vestigia sibi sequenda proposuit. Eius exemplo in omnium virtutum genere proficiens, genitoris querelas et blanditias invicto animo superavit, et tirocinii anno expleto (in quo regularis militiae preclara dedit indicia), solemniter religiosae professionis vota emisit, postquam multis magnisque virtutum incrementis vitam, quam ad eum usque diem integerrimam egerat, cumulavit. Sacros ordines peracto novitiatu suscepit, et ad sacrum presbyteratus ordinem promotus, paulo post novitiorum magister raro exemplo eligitur; quod munus cum pluribus annis magnà cum laude exercuisset, vicarius conventus de Albayda, deinde prior S. Homoplurii fuit designatus demum conventui Valentiae praefuit, in quibus ceteris fratribus non tam praefatione, quam virtute et exemplo semper praevit.

Eremita desiderio clam domo aufugit, et revocatus. Ordinem Praedicatorum ingreditur, reluctantibus domesticis.

§ 6. Inter cetera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervenit, summum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicae Passionis mysteria magno cum fervore et mentis iubilo recolendo. His post meridiem contemplandis Beatissimae Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his caelestium illustrationum com-

Spiritus gratiorum clarus.

mercibus persaepe visus est non solum spiritu rapi in ecstasim, sed et corpore a terrâ sublevari et lucentis splendoribus conspicue circumfundi.

Eius devoto
erga SS. Eu-
charistiam.

§ 7. Erga sanctissimum altaris sacramentum miro ex intimis praecordiis ardore flagrabat, sciens hoc esse pulchrum et optimum electorum frumentum ac vinum germinans virgines. Propterea familiares ad eius sumptionis vel saltem visitationis frequentiam vehementer hortabatur; sacrum missae sacrificium celebraturus, angelicae puritatis candorem accumulari cupiens, quantâvis carnis mortificatione et mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus nunquam satis paratus videbatur esse. A sacrificando impeditus, sacrâ Eucharistiâ reficiebatur, ut iugiter Christum in se manentem haberet, et in eo ipse quoque assidue maneret.

Humilitas.

§ 8. Ut cum Patre luminum iugis esset conversatio sua, mirâ simplicitate in omnibus semper se gessit, magnâ tamen cum prudentiâ, qua praeditus erat. Humilitati sic addictus fuit, ut in suâ⁴ nihili cognitione et vili existimatione perpetuo moraretur. Se omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum praedicans, omnibus subesse satagebat, ab ipsis novitiis de suis defectibus admoneri non solum gaudens, sed etiam saepe inaperans, se ipsum perturbantem omnia ac solum Iudae proditoris ac daemonum consortio dignum appellans, innumeris aliis se ipsum probris et convitiis onerabat. Summo moerore, cum honorifice aut tractaretur aut exciperetur, afficiebatur, ita ut, procumbens in genua, ne manibus suis oscula figerent, deprecaretur, ac paternitatis titulo prior se honorari inhibuerit.

Alii actus haereticarum humilitatis referuntur.

§ 9. Si quem laesisse suâ maestitiâ aut aliter timisset, genuflexus veniam

1 Aptius lege sui (R. T.).

poscebat. Concionatoribus etiam ipsis, quos instruxerat, ministrum se iungebat, nec ullius quamvis ineruditum sermonem despexit. In ipsis favoribus caelestibus et divinis revelationibus mirifice humilitatis spiritum custodivit. Timore iudiciorum Dei percussus, se in infernum demergi sibi ipsi videbatur; cui timorem filialem, a Deo precibus et poenis obtentum, iungens, moestus et pavidus continuo apparebat. Eundem profundae humilitatis spiritum in sibi subditorum cordibus superior existens inferre studuit, dicere solitus religiosum perfectionis cupidum debere spernere se, spernere nullum, spernere mundum, et spernere se sperni. In his unumquemque sic proficere debere dicebat, ut quantâvis virtute et meritis clarus esset, nunquam tamen de se praesumeret, aut se alieni praeferret.

§ 10. Magis aestuavit charitatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquae extinguere potuerunt; unde et zelo Dei ardens urebatur, si quid contra Dei praecepta moliri aut videret aut audiret. Quin et sermones eius ut faeces ardebant, nihil de saeculi vanitate mixtum continentes, sed vel ad Dei famulatum vel ad poenitentiam et peccatorum detestationem directi erant. Frequens fuit in Sacrae Scripturae sententiis aut Sanctorum gestis enarrandis; magno fervore exaggerans horrendum esse incidere in manus Dei viventis et irati. Hinc plures re ipsâ experti sunt ab eius conversatione novis semper in Dei servitute fervoribus excitatos recessisse.

Charitas erga Deum.

§ 11. Cum nobilis quidam communem vitiorum obivrgationem ad se singulariter credidisset a beato Ludovico directam, mortem, quam ei comminatus fuerat nisi dicta in suggestu revocaret, viriliter rennenti, stricto in eum selopo intentat; illico in Crucifixum mirabili

Selopus quo agrestium in crucifixum intat.

transformatione sclopus mutatur, ipso aggressore miraculi vi prostrato ac veniam enixe petente; beatusque Ludovicus, suae humilitati consulens, plus timens laudantem populum quam sclopum, suo socio Christophoro de Mora praecepit, signans in eius pectore crucem, ut prodigium celaret, usque dum annis triginta transactis interrogatus panderet veritatem.

Desiderium
martyrii.

§ 12. Usque adeo ardebat in eo martyrii desiderium, ut in tremendi sacrificii elevatione cum divo Petro martyre ex intimis praecordiis divinam Maiestatem exoraret: *Da mihi, Domine, ut pro te moriar, quemadmodum pro me mori voluisti.* In prospectu enim¹ imaginis sancti Vincentii martyris eisdem poenis et suppliciis quibus ipse certavit et vicit, affici vehementer optavit. Audiens poenas quibus pro fide Christi suâ aetate aliqui gloriose diem clauserant extremum, ex profundo cordis in iubilo erumpens, eis cum similibus victoriis totis visceribus se socium iungi cupiebat.

Charitas erga
proximum.

§ 13. Eâdem charitate etiam erga proximum ardens, animarum solatia et progressus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confessionibus audiendis, pro aliorum culpâ expiandis, duris se flagellis caedens, quibus mulierem honestae (quoad saeculum) conditionis, cuius peccandi consuetudinem Deo revelante noverat, revocavit. Adolescentula etiam ne caderet, orationibus et poenis a Deo obtinuit. Pestis tempore quoscuque mendicos obvios habuisset ad conventum S. Annae Albidae quamquam inopiâ laborantem, ubi tunc munus agebat superioris, reficiendos adducebat, dicere solitus Deum nunquam sibi fideliter servientibus deesse. In vias et montes procedens, peste extinctos sepulturâ donabat. In xenodochiis et domibus in-

¹ Fors. olim vel etiam pro enim legend. (R.T.)

firmos saepe invisens, eorum plurimos, imponens eis manus, et pro eis deprecans, sanitati restituit; inter quos, non sine evidenti miraculo, religiosus vir Franciscus Allemannus, iam morti proximus, a beato Ludovico de recuperandâ valetudine certior factus, paulo post omnino liber convaleuit.

§ 14. In sedandis odiis et reconciliandis animis magnopere etiam huius viri charitas enituit, in carcere etiam detentis aut morte addictis, ope et auxilio non deerat, quorum plures e miseris et iniustis vexationibus miro modo et suaviter liberavit.

Sedandis odiis
incumbit.

§ 15. His Dei et proximi amoris ardoribus incensus, in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit, ut Indorum animas Deo lucraretur. A quo nec amicorum vel fratrum, aut sororum artibus, precibus vel lacrymis dimoveri potuit; omnibus enim magnâ cum animi submissione non sine lletibus valedicens, pedestre iter occidentalem Indiam versus arripuit, et Hispali Novam ingressus, omnibus aedificationi, solatio et auxilio in opportunitatibus fuit. In qua sui Ordinis religiosum a cadente ponderosâ trochleâ gravissime laesum, vulnere aquâ loto, sic sanitati pristinae restituit, ut postridie, mirantibus cunctis, ne vestigium quidem cicatricis apparuerit. Appulit ad Carthagenae portum, ibique in conventu S. Iosephi sui Ordinis habitavit; et inde ad diversos Indorum populos missus evangelizavit, incolentibus scilicet Tubaram, Cipacoam, Paluatam, Monpoix, Sertam, S. Marthae, Turcarum, Tenerifem et aliis; ibique plura et mirabilia perpetravit.

Pedestere oc-
cidentalem In-
diam petit.

§ 16. Orationibus a Deo obtinuit ut linguâ suâ hispanâ, in qua natus erat, evangelizando, absque interprete intelligeretur ab Indis. Vigiliis, sitim, famem,

Loquens suâ
linguâ hispanâ
intelligebatur
ab Indis.

aestum et frigora in hoc apostolico ministerio ferens, semper pedes incedens, et saepe aeger, cursum suum cum Apostolo consummare gestiebat. Socium quandoque habuit rudem moribus, cui non sine miraculo mortale vulnus in capite curaverat; quin etiam praeter expectationem, ut ei subveniret, apparuit arbor pomifera, fonsque ad radicem seaturivit, ut illum recrearet et convivaret; qui postea eum inurbane deserens, misere, sicut ei vir Dei praedixerat, reliquum vitae tempus et finem consumpsit.

Tigres aliasque feras signo crucis mites reddidit.

§ 17. Visus est etiam saepe in itinere, a viâ secedens, flagellis se caedere. Pluries obvias habuit tigres aut alias feras, quae signo crucis ab eo mites redditae, itinerantibus illaesis relictis, aliò iter arripiebant.

Quid Carthagenae in concionando egerit et sustulerit.

§ 18. Carthagenae concionator deputatus in Quadragesima, ut ei mos erat, visus fuit duriora corda emollire et auditores non nisi compunctos et amare flentes dimittere. Rapiebat audientium mentes, neque enim hominis sed angeli spiritum verba eius redolebant. Contumeliis propter haec a carnalibus ac etiam probis et irrisionibus appetitus, gaudebat quod pro nomine Iesu talia pati dignus haberetur.

Tubaram suis concionibus ad religionem catholicam convertit.

§ 19. Tubaram a superiore missus, ut gentes illas Dei cognitione imbueret¹ et sanctae Ecclesiae sacramentis initiaret, omnibus illius loci infidelibus, orationibus, ieiuniis, flagellationibus et aliis poenis, a Domino conversionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipsius Dominus noster exequi dignatus est. Daemogem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit et ululantem abire coëgit. Infantem (qui² fuit primus quem sacro fonte abluì), ab Indo quamvis idololatra delatum, Michaëlem

¹ Edit. Main. legit *imbuere* (R. T.).

² Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

appellavit, ipsomet Indo palam testante se ab angelo Domini admonitum consecuturum eum cum baptismo salutem aeternam, et ad hoc ipsum beatum Ludovicum a Deo illuc directum fuisse. Idolorum etiam tuguria succendi curavit, et tanta sanctitatis eius fama apud barbaras illas gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes in quemdam ministrum (solâ praesentiâ tumultum sedando) detinuerit. Publicum etiam ibi adulterum quamvis potentem acriter reprehendit; a quo postea armis valide invasus, mirantibus cunctis, telo in terram cadente, incolumis et intrepidus evasit.

§ 20. Nec ab hominibus solum, sed etiam a daemonibus in illarum gentium conversionibus plurima pertulit, praesertim apud quemdam veteranum idolorum sacerdotem morti proximum, quem sacro baptismo initiavit, et ab ipsorum immundorum spirituum infestatione, fixo apud illum sanctae crucis signo, liberavit. Iacobum Raphaëlem Frances ex eo loco praevidebat naufragum futurum, quem propterea per diem et binas noctes natantem et beatissimae Virginis SS. Rosarii patrocinium assidue implorantem, salvum ad litus recepit; ubi eum propterea cum subsidiis victus et vestitus expectaverat, et a mortis instantis faucibus eripuit.

Etiam a daemonibus plurima invictè pertulit.

§ 21. Ab ipsis Indis visus fuit a terrâ in ecstasi elevatus, quem postmodum summâ veneratione coluerunt, et abeuntem amare desseverunt; crediturque populum illum eius intercessione in Christi Domini fide adhuc perseverare, ad cuius hospitium in oratorium commutatum etiam nunc et Indi et Hispani ad divina beneficia eius patrocinio impetranda accurrunt.

Visus est a terra in ecstasi elevatus.

§ 22. His similia in oppidis Cipacoë et Pelvati egit, ubi etiam, evangelicam paupertatem servans, lactus in rerum

Similia egit in oppidis Cipacoë et Pelvati.

summâ inopiâ et volens vitam degebat, ac orationibus praeter spem optatos obtinuit imbres, et Cinagam fluvium praearquarum redundantiâ impervium, signans cruce aquas, prout voluit, transegit. Cadentes etiam circum undique pluviae, illo beatissimam Virginem de Rosario pie invocante, nec ipsum nec socios attigerunt.

Quindecim millia Indorum sua praedicatione convertit.

§ 23. Sub monte S. Marthae Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis praedicationibus ad fidem conversâ, baptizavit. Et non procul inde potentissimum venenum sibi ab idolorum sacrificio propinatum ebibens, post quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus seu parvis serpentibus stomacho eiecit, ac incolumis magno praesentium stupore perduravit.

Daemones signo crucis saepe fugavit.

§ 24. Daemones, visibiliter gentibus illis apparentes, signo crucis et miris modis saepe fugavit, quibus plures alios ad fidem adduxit. In oppido Monpoix visi sunt ei genuflexo assistere sancti doctores Ambrosius et Thomas de Aquino.

Ei genuflexo visi sunt assistere S. Ambrosius et S. Thomas de Aquino.

§ 25. In insulâ S. Thomae, dum furentes pagani arreptis lapidibus viro sancto necem intentant, monitus ut figeret, constantissime renuit, solâque divini verbi efficaciam ducentos ex aggressoribus iugo Christi subiecit. Quemdam ex Pegionis proceribus de salutiferae Crucis arcano mysterio doceri cupientem repente miraculo convertit; nam arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus, conspicuam figuram crucis rudi cortici mirabiliter impressit, eoque ostento tum illi tum aliis baptismum in fide vivificae crucis persuasit.

In eo promissio evangelii, quod praedicabat, verificatur.

§ 26. Sane vir iste apostolicus non solum iuxta promissionem S. Evangelii, quod praedicabat, in nomine Domini nostri Iesu Christi daemonia totis regionibus eiecit, serpentes infernales visi-

1 Forsan legendum *eiecit* (R. T.).

liter incolis minaces abstulit, ac linguis novis inter gentes locutus est, verum etiam pluries in testimonium Fidei mortiferum quid bibens innoxie discrimen vitae superavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem, suâ zonâ praerungi iussam, unâ cum prole ab interitu liberavit, ipsamque iam puerperam, cum marito, propinquis, ac domesticis, lavaero sacri baptismatis ab infidelitate mundavit.

§ 27. Navigans cum aliis in flumine a Magdalena nuncupato, irruente tempestate navi eversâ, cumetisque in aquâ immersis, orans emersionem et incolumitatem obtinuit. Pristinam valetudinem pluribus reddidisse, et defunctam ad vitam SS. Rosarii applicatione revocasse, compertum fuit.

Navigans cum aliis irruente tempestate navi eversâ, cumetisque in aquâ immersis, orans incolumitatem obtinuit.

§ 28. Videns, nec impedire aut ferre valens angustias, quibus, ut plurimum, violenter a praefectis quibusdam etiam vulneribus et caede Indi opprimebantur, obedientiam obtentâ, in Hispanias rediit; eumque in mari navis periclitaretur, rogatus a navigantibus, tumentes undas tandem cruce signavit, donec, optatâ tranquillitate redditâ, omnes ad portum Hispali incolumes pervenerunt.

Indos opprimeret liberat.

§ 29. In conventu S. Boniphrii post reditum ab Indis ex obedientiam praefuit, quem acre alieno gravatum et inopiâ ex annorum sterilitate ortâ laborantem invenit, et omnibus satisfaciens, religiosus nunquam in aliquo ex consuetis defuit. Quin et plurimis egenis miserabilibusque personis large eleemosynas suppeditavit, quandoque etiam Deo illorum necessitates revelante, et mirabiliter ei pecunias ministrante. Quin et in aedificio ad honorem S. Crucis constructo ostendit regente Domino servis eius nihil deesse.

Conventum S. Boniphrii regit.

§ 30. In coenobio Valentiae superiorum iussu licet invitus prior constitutus,

Ab imagine sancti Vincentii

Ferreri elevatur. in cellâ sancti Vincentii Ferrerii regimen eidem Sancto commendans, ab imagine ipsius, coram qua prostratus orabat, se inclinante, meruit amplexu honorari atque elevari. Mortificationes, cruentas disciplinas, frequentiam chori et summam abstinenciam, quibus se exercebat, nec concionando nec regendo dimisit. Ut studiorum cursus exacte perficerentur accurate invigilavit, cupiens suos subditos semper in sanctis aut eruditis exercitiis occupatos, quorum e claustro exitum, nisi urgente necessitate, non permisit. Ostio sui cubiculi magnis characteribus inscribi voleit: *Si hominibus placerem, servus Dei non essem.* Ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo prudentis¹ consilia, fratris familiaritatem, patris benignitatem, viri sancti perfectionem et omnium virtutum compendium invenerit.

Animam sui poenitentis in saeculosa gloria conspexit. § 31. Contigit ei ibi videre animam cuiusdam sui olim poenitentis (qui eundem Beatum verbo laeserat) testantem, Deum nolle eam ad gloriam admittere, nisi culpam ipso dimittente et pro eâ celebrante; quo facto, sequenti nocte illam in Sanctorum gloriâ conspexit.

Sanctorum et Christi visionibus pluries recreatus. § 32. Aliis etiam beatorum in aeternâ felicitate regnantium et maxime sanctorum sui patriarchae Dominici et Francisci, quin et ipsius Christi Domini visionibus recreatus fuit, sibi que omnia sua peccata dimissa fuisse audivit.

Conciones quadragesimae licet infirmus et naturaliter impotens absolvit. § 33. Saetabi (vulgo Xativa) a primoribus civitatis rogatus pro concionibus in proximâ Quadragesimâ apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus pressum et naturaliter impotentem se agnosceret, a Deo et velle et cursum integrum quadragesimalium concionum perficere obtinuit. Gubernatori Valentiae Iacobo Ferrerio, indictis ei quibusdam precibus, scripturarum, de quarum amissione sum-

mopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit.

§ 34. Spiritu etiam prophético ita mirifice claruit ut in plurimas res futuras, cum et spiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines et mortes, quam circa animarum profectus et mores, saepissime pronuntiavit. Nam et sanctae Teresiae a Iesu suam Excalceatorum claustralium tunc fundatam Congregationem brevi inter illustriores sanctae Ecclesiae religiones (ut reipsâ evenit) connumerandam esse praedixit. Tribus regularibus diversos ipsorum successus et fines, prout contigerunt, pronuntiavit. Virum nobilem, iniuriâ praclatum quemdam vexantem, ultionem Domini brevi experturum fore dixit, quod mors eius repentina a Domino revelante ei notum fuisse demonstravit. Arcana etiam plurima, tam in rebus corporeis quam secretis cordium latentia, nuda et aperta fuisse oculis mentis ipsius a Deo illustratae (stupentibus omnibus) rerum eventus ostensa fuisse indicarunt, atque in hoc dono penetrandi secreta cordium valde singularis ac admirandus fuit. Alia quoque quamplura, naturaliter ignota, tam clare, distincte et ordinate, prout erant aut acta aut cogitata, enarravit, ut solum Deo revelante haec illi innotuisse compertum fuerit.

§ 35. Virtus eius in toto decursu vitae a Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut assiduis passionibus tollerandis magna illi patientia opus fuerit; in complexione enim ipsius satis delicatâ non solum potentia visiva parum valens et auditus imperfectus inerat, sed etiam horribili ulcere in crure per multos annos et vertigine capitis vehementer cruciabatur. Quin et viscerum pravis affectionibus et aliis occultis infirmitatibus, maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace probavit

Spiritu prophético clarus.

Ingens patientia in infirmitatibus.

¹ Edit. Main legit *valentis* (R. T.).

illum Dominus, animo sic invicto omnia tolerante, ut frequenter ex eius ore verba doctoris sanctae Ecclesiae Augustini resonarent: *Domine hic ure, hic seca, hic, non parcas, ut in aeternum parcas.*

Convalescentiam ad mortificationem et communem observantiam redit.

§ 36. Ubi primum convalescebat, ad mortificationis et observantiae communis exercitia revertebatur, cunctis se oblectationibus et convalescentium levaminibus sponte privans, aliis infirmis oblata sibi fereula cuncta partiebatur; quin et saxo decumbens sub linteaminibus posito corpus torquere consueverat, dicens arctam esse viam quae ducit ad vitam.

Instantem sibi mortem agnovit.

§ 37. Sic infirmo fortior semper redditus, agnovit sibi instare adimplerionem divini promissi, quod olim in festo sanctae Catharinae virginis et martyris obtinuerat, quando ex medio magnae lucis sponsum ei fuit tandem ex his tenebris in lucem illam aeternam, quae lucet sanctis Dei in perpetuas aeternitates, migrandum esse. Nam inter labores concionum morbo ingravescente, febribus decubuit, et suscepturus pro viatico sanctissimae Eucharistiae sacramentum, devotissime non sine multis lacrymis sanctae fidei catholicae accuratam professionem emisit; imploravit etiam ferventissime Domini nostri Iesu Christi auxilium et Sanctissimae Virginis Deiparae patrocinium, necnon aliorum Sanctorum, et praecipue sui Ordinis, expressoque nomine sancti Vincentii Ferrerii, subiunxit: *Pater mihi¹ currus Israel et auriga eius.*

Circumstantes rogavit, ut secum Dominum deprecarentur ne mortis sententiam revocaret.

§ 38. Enixe petiit a circumstantibus ut simul cum eo Dominum deprecarentur ne mortis sententiam revocaret, et Joanni Boil, moerenti de gravi suae filiae infirmitate, eam tunc non migraturam a vita vere praedixit. Remittente postmodum paulisper vi morbi, non sine labore ad sacrum celebrandum surgebat. Iterum ingravescente infirmitate, assis-

¹ Potius lege *mi* (R. T.).

tentem et saepissime ministrantem, non sine magna sua confusione et animi demissione, habuit Joannem a Ribera patriarcham Antiochenum, tunc archiepiscopum Valentinum, qui, dum in cruciatibus ipsum ad resignationem in divinae voluntatis beneplacitum hortatur¹, audivit illum dicentem se poenas illas quibusvis mundi huius terrenis bonis pluris facere et cariores habere. Ab his cruciatibus, quantumvis vehementibus, nec detineri aut retardari potuit quin per singulos dies per binas horas consuetae orationi vacaret, et saepe sacra exomologesi se purificans, divino altaris epulo reficiebatur, aliisque infirmis horum sacramentorum frequentiam suadebat, saepe repetens haec divina mysteria non solum animae sed etiam corporis, ut plurimum, salutem operari.

§ 39. Concentus musicos in eâ aegritudine audiens, totus elevatus in Deum solvebatur in lacrymas. Denique, variis remediis et morbi vicissitudinibus ex animo toleratis, appropinquante S. Dionysii festivitate, quâ die ante annum se moriturum esse praedixerat, plures occurrerunt certatim cupientes ab eo benedici, vel suis rosariis eius linteamina attingi. Inter hos filius ducis Gandiac genuflexus, et pedes eius lacrymabundus osculatus, benedictionem devote et singultiens praestolabatur, quod vir Dei, se quidem maximum peccatorem cum divo Paulo dictans, et mente ad nihilum suum conversus, humillime praestitit. Hoc etiam divinitus sorori Angelae a Guglione virginis religiosae Ordinis sancti Francisci in perpetuâ clausurâ degenti concessum fuit, dum ex corde optabat praesentialiter Christi Domini servum venerari; illico enim (ministerio creditur angelico) ante eius pedes constituta et voti compos facta, suae cellae iterum miraculose

Elevatus in Deum, concentus musicos audivit.

¹ Forsan hortaretur (R. T.).

reddita fuit. Cupiebat interim Ludovicus dissolvi et esse cum Christo, nec aliter quam aut sanctissimi altaris sacramenti quotidianâ sumptione, aut cum crucifixi imagine colloquiis suas moras solabatur. Feriâ sextâ ante obitum, referenti diem veneris esse, *Benedictus Deus* (respondit ille), *adhuc quatuor supersunt dies*. Frequentè caelesti sancti Vincentii Ferrerii visitatione, quem a teneris annis summâ veneratione et imitatione colere studuerat, recreabatur.

Obitus ipsius.

§ 40. Biduo ante decessum e vitâ, sacram olei infirmorum unctionem devote petiit, et singulis orationibus respondens, seque sanctis orationibus et mortificationis exercitiis muniens, sanctissimi crucifixi imaginem frequentibus oculis venerans et orans, in die festo S. Dionysii, ut saepe praedixerat, horâ quindecimâ, sentiens se paulatim deficere, assistentem ex more patriareham pro impetrandâ benedictione et sancti Evangelii lectione precatus est. Quod amantissimus antistes uberrime lacrymans praestitit. Cumque commendationis animae iuxta sui Ordinis ritum preces persolverentur, ad illa verba: « ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam regni caelestis, praestante Domino nostro Iesu Christo », spiritum suum in manus Patris vinculis carnis absolutum commendavit, VII idus octobris, anno reparatae salutis MDLXXXI, aetatis suae LV; coque temporis momento visa est ex eius ore lux instar fulguris rectâ in caelos vibrata totam cellam illuminare, et supra conventum divina claritas fulsit. Quin et in ecclesiâ pluries militiae caelestis armonici concentus a diversis auditi sunt, et pluribus aliis signis servi sui gloriam omnipotens Deus notam fecit, quibus publica populi ve-

neratio successit, Ludovicum undique Sanctum proclamantis, et certatim coronis ac rosariis sacrum corporis pignus attingere tentantis; misericordiam enim a Domino ac divina quaecumque beneficia se obtenturos omnes sperabant, si eum apud divinam clementiam protectorem et advocatum obtinere digni forent.

§ 41. His accessit Altissimi erga suum servum assistentia; ita ut eius suffragantibus meritis, et vivens, et post obitum, populis in necessitatibus per opera mira et prodigia, quibus ipse Deus in sanctis suis mirabilis dignoscitur, protector et adiutor semper extiterit. Ex processibus enim confectis, et ad Urbem transmissis, ac aliis auctoritate apostolicâ causam beatificationis et canonizationis eius respicientibus, Congregatio Sacrorum Rituum censuit constare, non solum de illorum validitate et de famâ sanctitatis, deque virtutibus theologicis et cardinalibus in gradu heroico, verum etiam concludentes probationes continere insignium miraculorum eiusdem tam viventis quam defuncti.

Processus pro ipsius beatificatione.

§ 42. Cum enim esset prior Albaidæ, pastoribus accendentibus ignem, ventorum vi irruente, et flammâ succrescente, iam ardentibus arboribus in vineis et frutetis, magnum excitandum esse ad destructionem ignem timebatur, non sine magno conventus detrimento. Accurrit vir Dei, et elevatis oculis in caelum, signo crucis flammam benedixit, quae illico evanuit, ac si nunquam ibi fuisset; eadem arbores, laesae exiguâ solum lincâ in signum miraculi apparente, immunes ab adustione visae sunt remanere.

Miracula tam viventis quam defuncti referuntur.

Moncadae in domo Iosephi a Campo neptis hospitis Speranza Assentia dicta ab exitiali strumâ in collo afflicta cum foetore horrendo ex ulceribus manante, non solum circumstantibus sed etiam

1 Videtur legendum potius *Frequentè* (R. T).

ipsimet infirmae intolerabili, facto signo crucis super parte affectâ, et linguâ linitâ a dieto beato Ludovico veluti a sensibus alienato, et facie eius luce fulgidâ remanente, statim aegra convaluit.

Cadaver ipsius quadam veluti chrySTALLINâ puritate sic nituit, ut adstantes in eius virgineâ carne, velut in limpidissimo speculo, suosmet vultus fuerint conspicati.

Toto etiam corpore suavissimus odor erumpens non solum proxime vicinos, sed longius dissitos mirificæ peregrinae fragrantiae oblectamento adhalavit.

Sex circiter mensibus loco humido ac stillicidiis obnoxio sepultum iacuerat sancti viri cadaver, quando extractum ut decentiori tumulto inferretur, integrum incorruptumque, solis vestibus undique putrefactis, repertum est, iterumque mirabili suaveolentiâ circumstantes implevit.

Ursulae Soler filia erat, cui immanes capitis dolores omne capillitium radieius abstulerant. Medicamentum, quod magis obfuturum ab omnibus timebatur, petiit a lampade quae coram beati viri sepulcro ardebat; huius oleo perunctum caput puellae, non solum abactis penitus doloribus, integram valetudinem, sed et capillos recuperavit.

Quaedam puella oculis orbata, ad fontem loci Ruzafa, e quo Beatus bibere solebat, lotis oculis, pristinum eorum usum recuperavit.

Gaspar Ramirez caecus, ad tumultum Sancti novenam peragens, ultimâque die oculos sepulcro cum fide applicans, profluvium crocei humoris emisit ab oculis, ac subito caecitatis suae caliginem laetus abstersit.

Lactanti Andraeae Abreus cum aruisent mamillae, novenâ ad sepulcrum Sancti exactâ, mox pristinam lactis affluentiam impetravit.

Bull. Rom. — Vol. XVIII. . 29

Isabella Ioanna Salon cum pluribus annis graviter ulceroso quodam abscessu torqueretur, attacta feretro quod Sancti cadaver gestaverat, perfectae sanitatis beneficio potita est.

Isabella Gerbin supradicto Ruzafa benedicto fonte abluta, simul et febrim et dysenteriam et herniam incolumis abegit.

Anna Monfort, cui paralysis usum membrorum prorsus ademerat, et morbi violentia situm oris foedissime distorserat, haustu aquae ex eodem Ruzafae fonte, ac invocato S. Ludovici nomine, tum ipsa valetudini, tum os priori situi restitutum fuit.

Hieronymae Capell filiulus, rupto peritoneo, forasque extrusis intestinis, iugiter emans et sanguinem vomens, ubi tandem a matre ad fontem Ruzafae pannis in eo madefactis incinctus fuit, integre sanus domum reportatur.

Vincentia Morell vidua, ex nervorum dirâ attractione per undecim menses decubua, foedisque ulceribus undique plena, dum panno, quo Sanctus usus fuerat, nervos et ulcera successive obsignat, eodem ordine et haec sanari et illos vivide sensit explicari, finitâque singulorum obsignatione, vegeta lectum reliquit.

Cum in conventu S. Honuphrii priorem agens reficiendae religiosorum communitati panes deesse adverteret, Christi in deserto providentiam imitatus, septem fragmenta, quae solum domi superfuera, arripuit, eaque solo benedictionis impendio sic multiplicavit, ut non tantum in primâ mensâ fratribus triginta et amplius in prandium abunde suffecerint, sed etiam reliquos in secundâ mensâ congrue saturaverint.

Ioanni de Pedevera domestico Valentini archiepiscopi famulo delapsus ex alto pondus gravissimum ita utrumque

eius diffregerat, ut per novem menses aliter quam grallis innixus moveri non potuerit. In his aegerrime usque ad sancti viri sepulchrum accedens, fusâ oratione, confestim in pedes exiliit, grallisque inibi relictis, domum incolumis repedavit.

Isabella Vincentia Paiades, acutâ febris medullitus exusta, iamque a medicis derelicta, morti appropinquabat; sed ad contactum rosarii, quod S. Ludovico, dum vixit, usui fuerat, subito, mirantibus quotquot aderant, febris abscessit.

Paulus V hunc servum Dei catalogo Beatorum adseripsit.

§ 43. His aliisque non paucis virtutibus ac signis permotus felicitis recordationis Paulus V, praedecessor noster, servum Dei Ludovicum catalogo Beatorum adseripsit.

Miracula quatuor post beatificationem.

§ 44. Exinde [aliis processibus rite confectis, approbata insuper fuere miracula quae subsequuntur:

Primum incorrupti sacri corporis post annos fere sexagintasex ab eius sepulturâ, tametsi nunquam interea fuisset aut exenteratum aut ullis adversus corruptionem condimentis imbutum. Et nihiiominus, dum anno MDCXLVII transferebatur in pretiosius monumentum, adhuc flexibile, illaesum, atque tractabile inveniebatur.

Secundum in repentinâ sanatione pueruli Aloysii Vincentii Montesinos, qui, ardentissimâ correptus febre, exhaustus dysenteria et vomitibus, scaturiens vermibus, iamque costulis stomacho adnatis, eo deductus erat ut domesticis plane videretur extinctus, unde mortalibus involucris obfasciatus parabatur ad sepulturam. At moestissimus parens, facto ad S. Ludovici tumbam recursu, atque ibidem emisso voto, cum festinus domum revertitur, filioli pulsum explorans, vitae indicium reperit, statimque puer oculos aperiens, ex integro sanus apprehenditur.

Tertium in stupendâ praeservatione quadriennis puellae Gesualdae Gildae Ramirez, quam currus mole carbonum onustus, rapidoque sex mulorum tractu celer, obterendam humi deiecerat, ac duabus rotis substratam valide opprimebat: sed, implorato S. Ludovici praesidio, surrexit incolumis puella, et in evidentiam miraculi apparuerunt in eius capite, collo et humeris clavorum signa a rotis leviter impressa.

Quartum in Bartholomaeo Christophoro Damingue, quem deformis hernia pendulis intestinis adeo laxaverat, ut, sicubi in genua procumberet scrotum, ulceribus iam erosum ac putrescens, humum tangeret; sed ad invocationem S. Ludovici tota haec miselli calamitas illico evanuit.

§ 45. His et aliis deductis approbatisque miraculis, emanavit decretum a patris memoriae Clemente IX etiam praedecessore nostro, posse tuto deveniri ad solemnem praedicti Beati canonizationem, pro qua obtinendâ accesserunt carissimorum in Christo filiorum nostrorum Leopoldi I Romanorum regis in imperatorem electi, et Caroli II Hispaniarum regis, necnon et Ordinis Praedicatorum preces, quibus a praedictis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et a nobis eandem saepius postulaverunt. Quapropter eius vitae sanctissimae meritis exigentibus, et ad praedictorum preces inclinati, cum iam nihil deesset eorum, quae, ad hanc sacrosanctam functionem necessario ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum praescripto agenda et servanda requirebantur, iustum et debitum esse censentes, ut, quos Deus honorat in caelis, nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris, hodie in sacrosanctâ ba-

Clementis IX decrevit posse tuto deveniri ad solemnem dicti Beati canonizationem.

silicâ B. Petri Principis apostolorum, in qua solemnî ritu cum eiusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentîa mane convenimus, post trinas pro canonizationis decreto nobis nomine dicti Caroli regis per dilectum filium nostrum Ludovicum tituli S. Sabinae S. R. E. presbyterum cardinalem de Portocarrero pro parte eiusdem regis porrectas petitiones, post sacros hymnos, litanias, aliasque, preces post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam,

Canonizatio.

§ 46. Ad honorem sanctissimæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem sanctæ fidei catholice et christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, deliberatione præhabita, et divinâ ope sæpius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio, B. Ludovicum Bertrandum Sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum eum catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus et adscribimus: statuentes ab Ecclesiâ universali quolibet anno die x octobris memoriam eius inter sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recolî debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen.

Indulgentiæ
visitantibus sepulchrum diei
Sancti in die festo
singulis annis.

§ 47. Eadem auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis in die festo ipsius S. Ludovici ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos ac totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliâs quomodolibet debitis poeni-

tentiis misericorditer in Domino relaxavimus in formâ Ecclesiæ consuetâ.

§ 48. His peractis, Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Christum Dominum, Patris sempiternum Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno *Te Deum* solêmniter decantato, peculiari in honorem B. Ludovici oratione precati sumus per eiusdem merita, atque ad altare S. Petri apostoli missam celebravimus cum eiusdem Sancti commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessimus.

Indulgentia plenaria præsentibus.

§ 49. Equum igitur est nos gratias agere et laudare Deum Patrem omnipotentem, qui servum suum benedixit in omni benedictione spirituali ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et dedit illum univêrsis christifidelibus tamquam fulgentem lucem in hac nocte peccatorum et tribulationum nostrarum, ut Ecclesiæ pacem et tranquillitatem, principibus christianis optatam concordiam, et infidelibus a viâ salutis errantibus lumen veritatis obtineant. Adeamus igitur cum fiducia thronum divinæ pietatis, ore et opere supplicantes ut S. Ludovicus universo christiano populo prosit meritis et exemplis, precibus adsit ac patrocinio, et in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

Gratias agi Deo.

§ 50. Ceterum, quia difficile foret præsentibus nostras litteras ad singula loca ubi opus esset deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Sanctio poe
ualis.

§ 51. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXI, pridie idus aprilis, pontificatus nostri anno 1.

[Dat. die 12 aprilis 1671, pontif. anno 1.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego F. M. episcopus Portuensis cardinalis Brancatius.

† Ego Uldericus episcopus Tusculanus cardinalis Carpinus.

†

†

† Ego Virginius episcopus Albanensis cardinalis Ursinus.

†

† Ego Caesar presbyter cardinalis Fachenettus.

†

†

† N. tituli S. Mariae Transtiberim cardinalis Ludovisius.

† Ego Alderanus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Cybo.

† Ego Fridericus tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Sfortia.

† Ego Benedictus tituli S. Nonuphrii presbyter cardinalis Odescalcus.

†

† Ego Aloysius tituli S. Alexii presbyter cardinalis Homodens.

† Ego P. tituli S. Marci presbyter cardinalis Ottobonus.

† Ego Laurentius tituli S. Chrysogoni cardinalis Imperialis.

† Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Santacrucius.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Spada.

† Ego Franciscus tituli Ss. Quatuor Coronatorum cardinalis Albitius.

† Ego Octavius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis de Aquaviva et Aragonia.

† Ego Carolus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Pius.

† Ego Carolus tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Gualterius.

† Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Chisius.

†

†

† Ego Iacobus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Franzonus.

†

† Ego Petrus tituli S. Callixti presbyter cardinalis Vidonus.

† Ego Franciscus Maria tituli S. Matthaei presbyter cardinalis Mancinus.

†

†

†

† Ego Nerius tituli Ss. Nerei et Achillei cardinalis Corsinus.

† Ego Carolus tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Bonellus.

†

† Ego Carolus tituli S. Susannae presbyter cardinalis Caraffa.

† Ego P. tituli Ss. XII Apostolorum presbyter cardinalis de Alteriis, S. R. E. camerarius.

† Ego Caesar tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Rasponus.

†

†

- † Ego Iacobus tituli S. Mariae de Pace presbyter cardinalis Ninius.
- † Ego Iulius tituli S. Martini in Montibus presbyter cardinalis Spinula.
- † Ego Carolus tituli S. Mariae de Ara-caeli presbyter cardinalis Robertus Vitor.
- †
- †
- †
- †
- † Ego Iacobus tituli S. Sixti presbyter cardinalis Rospigliosus.
- † Ego Ludovicus tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Portocarrerus.
- †
- †
- † Ego Ioannes tituli S. Bernardi presbyter cardinalis Bona.
- † Ego Federicus tituli S. Augustini presbyter cardinalis Borromaeus.
- † Ego Camillus tituli S. Mariae in Domnica presbyter cardinalis Maximus.
- † Ego Gaspar tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Carpineus.
- †
- †
- † Ego Fridericus tituli S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Hassia.
- †
- † Ego Carolus S. Caesarei diaconus cardinalis Barberinus.
- † Ego Decius S. Eustachii diaconus cardinalis Azzolinus.
- † Ego Paulus tituli S. Nicolai diaconus cardinalis Sabellus.
- †
- † Ego Sigismundus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Chisius.

I. G. SLUSIUS.

Visa de Curiâ S. de PILASTRIS.

Loco † plumbi.

D. CIAMPINUS.

Registrata in Secretaria Brevium.

LXV.

Constitutio, ut Romanis aliisque nobilibus Status Ecclesiastici liceat exercere commercia sine praeiudicio nobilitatis.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, omnium christifidelium patrem et pastorem, non solum spiritualibus dominici gregis sibi divinitus commissi utilitatibus iugi vigilantia consulere, sed etiam temporalibus suorum et Apostolicae Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis paterno studio providere, sicut reipublicae conducibile fore in Domino arbitramur¹.

§ 1. Cum itaque commerciis et negotiationibus honestarumque artium exercitio respublicae floreat, industria vigeat, segne otium, ex quo plurima mali seges surgere solet, exterminetur, omniumque rerum ad vitam necessariorum copia pareatur, horumque commodorum intuitu in plerisque Italiae aliisque florentissimis christiani orbis ditionibus lege cautum sive laudabili consuetudine introductum sit ut nullum per commercia nobilitati praeiudicium inferatur:

§ 2. Nos dignam munere nostro paternaeque erga nostros et Sedis praedictae subditos charitati congruentem rem facturi nobis videmur, si Romanae quoque, quam peculiari dilectione prosequimur, ceterarumque civitatum et locorum temporalis S. R. E. ditionis nobilitati operam atque industriam honeste utiliterque exercendi ac patrimonium sine cuiusquam iniuria augendi parem tribuamus potestatem. Motu itaque proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis

¹ Potius lege arbitratur (R. T.).

Prædium.

Causae Constitutionis.

Statuit et in rubrica.

plenitudine, omnibus et singulis, tam Romanis, quam Bononiensibus, Ferrariensibus, Avenionensibus, Anconitanis et Beneventanis, ceterarumque civitatum, provinciarum, oppidorum, terrarum et locorum quorumcumque nobis et dictae Sedi tam mediate quam immediate subiectorum nobilibus praesentibus et futuris, cuiuscumque status, gradus et praecminentiae et dignitatis existant, ut lanificii et serici artes, ac argentariam seu nummulariam, necnon mercaturas, negotiationes et commercia quaecumque terrâ, mari vel flumine exercere, nostraque et Sedis praefatae ac almae Urbis nostrae et provinciarum, civitatum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum vectigalia conducere, omniaque et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna facere et¹ exequi libere et licite possint et valeant (dummodo tamen merces minutim per se ipsos minime vendant) itaut propterea nullum omnino eorum nobilitati, dignitati, gradui, conditioni, titulis, praecminentiaeque et praerogativis praedictis inferatur, aut illatum² quoquo modo dici, censi, praetendi vel intelligi unquam possit, sed ipsi omnes et singuli, eorumque filii posterii et descendentes quicumque in eodem omnino nobilitatis et dignitatis gradu sint et remaneant, etiam ad effectum consequendi habitum et crucem fratrum militum de Iustitiâ, hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac S. Stephani, aliarumque militiarum et Ordinum militarium quorumcumque, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignorum, eorumque privilegiis, praerogativis, praeceminentiis, honoribus, iuribus et gratiis fruendi et gaudendi, ac quoad

¹ Partic. et addimus ex Cherub. (R. T.).

² Perperam edit. Main. *illarum pro illatum* habet (R. T.).

alia omnia et singula, tam ecclesiastica, quam profana, sive saecularia, ad quae nobiles quomodolibet admitti et recipi consueverunt seu possunt et debent, non secus ac si nihil praedictorum unquam exercuissent, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§ 3. Decerentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis forsan interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quaecumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus¹ aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac inexcogitato, inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris, seu statutorum, stabilimentorum et ordinationum capitularium, consuetudinum et usuum ac privilegiorum hospitalis aliorumque Ordinum militarium huiusmodi reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere

Clausulae praeservatae.

¹ Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari,

Nec aliter iudicari posse ducerunt.

§ 4. Sicque et non aliter in praemis-
sis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, necnon Camerae nostrae Apostolicae praesidentes clericos, aliosve officiales et ministros, ac memorati hospitalis, aliarumque militiarum et Ordinum militarium huiusmodi magnos magistros, seu administratores, conventus, consilia et tribunalia quaecumque, ceterosque quoslibet quacumque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et desiniri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratis quaecumque interesse Camerae praedictae concernentibus in eadem Camera intra certum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus, etiam imperialibus et municipalibus, ac Urbis et quarumcumque provinciarum, civitatum, oppidorum, terrarum et locorum, necnon dicti hospitalis, aliarumque

militiarum et Ordinum militarium, ac ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, congregationum et locorum piorum quorumvis, aliisque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus, et novis additionibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, stylis, etiam quantumvis inveteratis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam Urbi, provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis, ac hospitali, aliisque militiis et Ordinibus, congregationibus, aliisque locis quibusvis, illorumque respective communitatibus et universitatibus, magnis magistris et administratoribus, conventibus, capitulis etiam generalibus, fratribus, militibus, equitibus, nobilibus et aliis personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliâ quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter ac exactissime et accuratissime expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes,

illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse, ac plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Constitutio-
nem publicari
mandat.

§ 6. Ut autem eadem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicut publicatas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde afficere, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent,

Transumptio-
rum fides.

§ 7. Utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv maii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 maii 1671, pontif. anno II.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCLXXI, indictione IX, die vero XX mensis maii, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia Papae X, anno eius II, supradicta Constitutio affixa et publicata fuit ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe et cancellariae apostolicae et in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per Laurentium Signium sanctissimi domini nostri Papae cursorum.

AGABITUS DE MAGISTRIS,
magister cursorum.

LXVI.

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias fratrum et monialium Ordinis sancti Dominici tam erectas quam erigendas ubicumque locorum in festis sanctorum Ludovici Bertrandi, die x octobris, et Rosae de S. Maria, die xxx augusti¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus et caelestis beatitudinis consortes effecit, vi-ces, licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos caeli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Cum itaque nos nuper ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in alma Urbe nostrâ tunc existentium consilio, beatum Ludovicum Bertrandum, Ordinis Praedicatorum professorem, et beatam Rosam de S. Maria virginem Limanam, Tertii Ordinis sancti Dominici, auctoritate nobis a Domino traditâ, Sanctos esse creverimus et definiverimus, illosque Sanctorum catalogo solemniter adscripserimus: hinc est quod nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri

Indulgentia
ut in rubrica.

¹ Nunc primum impressa.

et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem reffectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum, monasteriorum et domorum regularium tam fratrum quam monialium Ordinis praedicti hactenus erectis et in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, diebus festis eorundem sanctorum Ludovici Bertrandi et Rosae de S. Maria, nempe S. Ludovici quidem die x octobris, S. Rosae vero die xxx augusti, a primis vespere usque ad occasum solis festorum huiusmodi, annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptorum fides.

§ 2. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv maii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 15 maii 1671, pontif. anno II.

Registrata in Secret. Brevium, lib. II reversor. fol. 692.

LXVII.

*Indulgentia in ecclesiis clericorum regularium Theatinorum in die festo S. Caietani eiusdem Congregationis fundatoris*¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus et caelestis beatitudinis consortio effecit, vices licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos caeli incolas fidelium devotionem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Cum itaque nos nuper ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, in aliam Urbe nostrâ tunc existentium consilio, beatum Caietanum Thienacum, Congregationis clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum fundatorem, auctoritate nobis a Domino traditâ, sanctum esse decreverimus et definiverimus, ac Sanctorum catalogo solemniter adscripserimus:

Sanctificatio sancti Caietani clericorum Theatinorum fundatoris.

§ 2. Hinc est quod nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, et de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem reffectis,

Indulgentia ut in rubrica.

¹ Nunc primum impressa.

qui aliquam ex ecclesiis quoruncumque collegiorum, domorum regularium et monasteriorum, tam clericorum regularium dictae Congregationis quam monialium eorundem clericorum regularium curae et gubernio subiectarum, hactenus erectis et impostorum quodcumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die vii augusti festo eiusdem S. Caietani Thienaei, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi christianorum principum concordiam, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis: etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 iunii 1671, pontif. anno II.

LXVIII.

Decretum, quoad renunciationem seu alternationem abbatum Montis Oliveti, quales esse debeant.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Tenor praecedentis indultus.

Nuper emanarunt ad favorem Congregationis monachorum Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti litterae in simili forma Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens Papa X, ad perpetuam rei memoriam. Ex commissae nobis divinitus dispensationis officio, etc.¹.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii februarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

§ 6. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dictae Congregationis nobis subinde exponi fecit, dilecti pariter filii superiores eiusdem Congregationis in definitorio capituli generalis ipsius Congregationis mense aprili proxime praeterito congregati, amplitudine gratiae per praeinsertas litteras nostras concessae, in eâ parte quae renunciationes sive alternationes gubernatorum concernit, mature consideratâ, illam aliquibus conditionibus limitari prospero felicitique praefatae Congregationis regimini conducibile fore censuerint:

Motivum huius decreti.

§ 7. Nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Petitio.

§ 8. Nos igitur, ipsius procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati:

Concessio.

§ 9. Quod illi monachi, ad quorum favorem fient renunciationes sive alternationes huiusmodi, quadraginta annis maiores, nec abbatum easdem alternationes facientium in primo vel secundo

Qualitates monachorum, ad quorum favorem haec fieri possunt.

¹ Reliquum vide supra pag. 168 (R. T.).

gradu consanguinei esse, sed in monasteriis, in quibus saltem viginti monachi resideant, officiales fuisse debeant, nec eiusmodi renunciaciones sive alternationes ab illis abbatibus, qui sint actu visitatores, atque in praeiudicium officiorum actualium aut eorum qui fuerint officiales monasterii Montis Oliveti maioris dictae Congregationis, ceteris paribus, fieri possint, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 10. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras perpetuâ roboris firmitate subsistere ac inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si seens super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 11. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus litteris sunt seu dici possent esse contraria, praesertis nostris litteris, necnon omnibus et singulis illis quae in eis concessimus non obstande, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 12. Ceterum volumus similiter ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xi iunii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 iunii 1671, pontif. anno II.

LXIX.

Confirmatio Brevium Urbani VIII et Innocentii X, quibus duobus vicibus quolibet anno mandatur praedicatoribus verbi Dei commendatio locorum Terraesanae¹.

Clemens Papa X.
ad futuram rei memoriam.

Salvatoris domini nostri, qui pro humani generis redemptione seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vires, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantiam incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni qua fieri poterit maiori honorificentiam recolantur.

Prooemium.

§ 1. Cum itaque (felicis recordationis Urbano Papae VIII praedecessori nostro alias exposito¹ quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terraesanae existentia fere diruta erant, et, quae adhuc ibi existebant monasteria, acre alieno, ob impiam Turcarum, haeticorum et schismaticorum tyrannidem et pro sanctae Fidei Catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur) idem Urbanus praedecessor patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum et congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis

Brevis Urbani VIII quid constituat.

¹ Specialiter hoc decrevit Urbanus VIII Constitut. *Salvatoris*, ac postea Innocentius X Constit. *Salvatoris* confirmavit.

¹ Male edit. Main legit *expositum* (B. T.).

sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorundem sacrorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et aliàs prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die III februaryi MDCXXXIV desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur;

Ab Innocen-
ti X confirma-
tur.

§ 2. Et, sicut pro parte dilectorum Ludovici a Iustitia pro Italia, et Simonis Garciae pro Germaniâ, ac Andreae a Fontemaiore pro Hispania, et Petri Meron, fratrum expresse professorum Ordinis fratrum minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, pro Galliâ respective commissariorum eiusdem Terraesanae nobis nuper expositum fuit, ipsi, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae, quae a recolendae memoriae Innocentio Papa X praedecessore pariter nostro confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desiderant:

Confirmat ut
in rubrica.

§ 3. Nos, eorundem sacrorum monumentorum conservationi et mantentioni consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praedictas Urbani praedecessoris litteras, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus; salvâ semper auctoritate Congregationis dictorum cardinalium.

Præcipit ec-
clesiasticis su-
perioribus ob-
servantiam.

§ 4. Volumus autem ut patriarchae, archiepiscopi et episcopi praedicti, in relatione status suarum ecclesiarum quando visitabunt limina apostolorum faciendâ, referant se praedictis Urbani praedecessoris et praesentibus nostris litteris paruisse: contrariis non obstantibus quibuscumque.

§ 5. Volumus insuper quod earundem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptio-
rum fides.

Datum Romae, apud S. Marian Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 iunii 1671, pontif. an. II.

LXX.

Indulgentia in ecclesiis domorum vel collegiorum Societatis Iesu in die S. Francisci Borgiae pro omnibus christifidelibus ¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris et domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus et caelestis beatitudinis consortes effecit, vires, licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium numerum thesauros, quorum nobis tradita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos caeli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Cum itaque nos nuper, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in almâ Urbe nostrâ tunc existentium consilio, beatum Franciscum Borgiam, dum vixit, praepositum generalem Societatis Iesu, aucto-

Canonizatio
sancti Francisci
Borgiae.

¹ Nunc primum impressa.

ritate nobis a Domino traditâ, Sanctum esse decreverimus et definiverimus, ac Sanctorum catalogo solemnî ritu adscripserimus:

Indulgentia ut
in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, et de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione reffectis, qui aliquam ex ecclesiis domorum vel collegiorum quorumcumque Societatis praefatae hactenus erectis et imposteriorum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die in octobris, festo eiusdem S. Francisci Borgiae, a primis vespere usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordîâ, haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, piâ ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem ut ipsarum praesentium littèrarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii memoratae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae praesentibus ipsis habeatur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III Iulii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 Iulii 1671, pontif. anno II.

LXXI.

Extendit et ampliat indultum cardinalis et nunciî in regno Portugalliae de recitando officio et missâ celebrandâ in totâ ditione illius regis in honorem beati Gundisalvi de Amarante Ordinis Praedicatorum ad universam sancti Dominici religionem.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae divinitus commissum salubriter exequi adiuvante Domino satagentes, piâ sublimitum religiosarumque personarum vota, ad augendam in terris beatorum in caelis cum Domino nostro Iesu Christo regnantium venerationem laudabili studio tendentia, libenter exaudimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, spiritualemque christifidelium consolationem atque aedificationem expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Aliâs siquidem (commissa per felicis recordationis Pium Papam IV praedecessorem nostrum, ad preces clarae memoriae Sebastiani, dum vixit, Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, bonae memoriae Henrico tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbytero cardinali Portugalliae nuncupato, et Prospero episcopo Rossanensi, tunc Sedis Apostolicae in regno Portugalliae cum potestate legati de latere nuncio, quatenus, examinato per ipsos processu antea confecto de mandato recolendae memoriae Iulii Papa III praedecessoris pariter nostri, vel alio desuper servatâ formâ sacrorum canonum de novo conficiendo, coniunctim procedentes, constituto prius de crebris miraculis quae omnipotens Deus intercessionem beati Gundisalvi de Amarante sacerdotis expresse professi Ordinis Praedicatorum, in regno Portugalliae nati et vitâ functi, tam in illius

Causa huius
constitutionis.

vità quam post felicem illius obdormitionem operari dignatus fuerat, concurrente ad ecclesiam, ubi requiescit corpus illius, a clarae pariter memoriae Ioanne rege Portugalliae illustri ipsius Sebastiani regis praedecessore magnifice extractam et dotatam, ex diversis regnis et provinciis incredibili frequentia christifidelium, eorumque in eundem beatum Gundisalvum devotione in dies magis invalescente, concederent, ut, in omnibus et singulis ecclesiis tam saecularium quam regularium regnorum ipsi Sebastiano regi subiectorum, officium, horae canonicae et missa de dicto beato Gundisalvo, ad instar aliorum Sanctorum Confessorum, in die obitus ipsius, libere et licite recitari et celebrari possent, prout in ipsius Pii praedecessoris litteris desuper in formam Brevis die III septembris MDLX expeditis latius continetur)

Indultum cardinalis et nunci.

§ 2. Idem Henricus cardinalis, ac Prosper episcopus, nuncius, in executionem litterarum huiusmodi, constituto prius de praemissis iuxta sacrorum canonum dispositionem, per eorum sententiam latam die XVI septembris sequentis anni MDLXI, auctoritate apostolica qua fruebantur in hac parte, concesserunt et indulserunt ut ex tunc in⁴ omnibus et quibuscumque ecclesiis et monasteriis etiam saecularium omnium regnorum et dominiorum Portugalliae possent libere et licite recitari officium et horae canonicae ac missae celebrari in honorem dicti gloriosi Gundisalvi de Amarante, eodem prorsus modo et forma, quo et quibus recitantur et celebrantur in honorem aliorum Sanctorum Confessorum.

Ad proces principis Portugalliae,

§ 3. Cum autem, sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri principis Portugalliae et Algarbiorum regnorum gubernatoris, per dilectum

filium nobilem virum modernum marchionem de las Minas, coronae Portugalliae apud nos et Sedem Apostolicam oratorem ordinarium, nobis nuper expositum fuit, crescente in dies populi erga praefatum beatum Gundisalvum devotione, tam idem Petrus princeps, quam dilectus filius Ioannes Thomas de Roccaberti magister generalis dicti Ordinis, pro singulari quem erga memoratum beatum Gundisalvum gerunt devotionis affectu, indultum praefatum ad universum Ordinem sancti Dominici tam fratrum quam monialium extendi summopere desiderant: nobis propterea idem Petrus princeps et Ioannes Thomas magister generalis, tam suo quam universi Ordinis praefati nomine, humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 4. Nos igitur, laudabili dicti Petri principis pietati favorabilem assensum paterno affectu praebere cupientes, ac praefatum Ioannem magistrum generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, qui rem mature perpenderit, consilio, indultum recitandi officium et horas canonicas ac celebrandi missam de dicto beato Gundisalvo, tamquam de Sancto Confessore non Pontifice, concessum ut praefertur, ad universum Ordinem tam fratrum quam monialium sancti Dominici,

Ampliat ut in rubrica.

1 Praep. in nos addimus (R. T.).

modo et formâ praemissis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dal. die 10 iulii 1671, pontif. anno II.

LXXII.

Indultum pro Congregatione Missionis, ut illius presbyteri aliorum ipsius Congregationis iter cum ipsis agentium confessiones audire possint, et superior generalis in singulis domibus deputare valeat confessarios, cum facultate aperiendi litteras Poenitentiariae Apostolicae¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolici muneris, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque clementiae altitudo humilitati nostrae imponere dignata est, ratio nos admonet, ut paternam congregationum virorum in Ecclesiâ Dei uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre iugiter satagentium, curam peculiari studio gerentes, illas, quo laudabilia earum instituta cum maiori spirituali consola-

¹ Nunc primum edita.

tionem uberiorique animarum fructu prosequi valeant, apostolicis favoribus et gratis decoremus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Renatus Almeras, superior generalis Congregationis Missionis, quod, cum ipse sacerdotes aliosque dictae Congregationis missionum obeundarum aliisque de causis in varias partes ex officii sui debito mittat, frequenter contingit ut illi per dioeceses trans-eant, in quibus ad confessiones audiendas approbati non sunt, et proinde non audent sibi invicem peccata sua sacramentaliter confiteri, tametsi multi theologi existiment id eis licere vigore quarundam felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litterarum, per quas a iurisdictione Ordinariorum, in iis quae ad disciplinam domesticam spectant, eximuntur: quam tamen opinionem, abundantioris cautelae gratiâ, sequi hactenus noluerunt, sed in eiusmodi occasionibus peccata sua confessariis in locis per quae transibant approbatis confessi sunt.

Expositio.

§ 2. Cum autem sicut, eadem expositio subiungebat, presbyteris aliisque praefatis non solum comodius, sed etiam eorum animabus utilius futurum sit, si in itinere personis per eorum superiores deputatis ac instituti praefatae Congregationis peritis peccata sua confiteri valeant,

Motiva.

§ 3. Et persaepe eveniat ut in missionibus aliisque functionibus, quibus presbyteri Congregationis praefatae iuxta eorum institutum incumbunt, eis offerantur casus, in quibus oporteat litteras a Poenitentiariae Apostolicae officio obtinere, eiusmodi vero litterae inutiles interdum remaneant, propter defectum personarum, quae illas aperire et executioni mandare valeant, nec eiusmodi

Alterum simile motivum.

defectum supplere possint presbyteri praefati, quippe qui scilicet sacrae theologiae tam moralis quam speculativae studiis operam sedulo navent, nullum tamen gradum scholasticum suscipere consueverunt: nobis propterea dictus Renatus superior generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur.

Statuit ut in
rubrica.

§ 4. Nos igitur, piis eiusdem Renati prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quibuscumque Congregationis praefatae presbyteris, qui tamen in diocesis ubi residere soliti sint, seu unde discesserint, ad confessiones audiendas approbati reperiantur, ut sacramentales quorumvis aliorum eiusdem Congregationis unâ cum ipsis iter pro tempore agentium confessiones, tametsi in illis diocesis, in quibus iter agendo reperirentur, approbati non fuerint, audire, illosque a peccatis suis poenitentia salutari, et aliis, quae fuerint iniungenda, eis iniunctis, absolvere libere, licite et valide possint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Facultas data
superiori generali
quoad litteras
Poenitentiarum
Apostolicae
aperiteudas.

§ 5. Praeterea memorato Renato moderno eiusque successoribus superioribus generalibus Congregationis praefatae, per se vel per alios sibi subordinatos eiusdem Congregationis superiores, certum in unaquaque ipsius Congregationis domo (prout expedire in Domino iudi-

caverint) numerum presbyterorum dictae Congregationis, integritate, pietate, doctrinâ et prudentiâ conspicuorum, qui, dummodo ab Ordinariis locorum ad confessiones audiendas approbati fuerint, litteras per praefatum Poenitentiarum Apostolicae officium pro tempore expeditas aperire, ac illas, servatâ ceteroqui earum formâ et dispositione, exequi libere pariter et licite valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si magisterii vel doctoratus aliosque gradus, quos habentibus confessariis litterae ipsae directae fuerint, suscepisse reperirentur, dictâ auctoritate designandi ac eligendi et deputandi, quaecumque necessariam et opportunam facultatem et licentiam, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandoecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sique in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§ 8. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Congregationis subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae

Transumptum fides.

seu superioris generalis eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adlberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

I. G. SLUSICS.

Dat. die 10 iulii 1671, pontif. anno II.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium mensis iulii.

LXXIII.

Quod fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum, et moniales Cappuccinae, cuiuslibet mensis die non impedita officium sanctae Clarae recitare valeant.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis officio, pia christifidelium, illorum praesertim, qui, Altissimi obsequiis sub suavi arctioris religionis iugo mancipati, bonoque Christi odore de bona conversatione fragrant, uberes bonorum operum fructus in Ecclesia Dei, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagunt, vota, ad augendam in terris caelestis regni incolarum venerationem tendentia, libenter exaudimus, illaque favoribus et gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatio.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, tam fratres dicti Ordinis quam moniales Cappuccinae nuncupatae, pro singulari eorum erga sanctam Claram devotionis affectu, officium de illa singulis mensibus recitare plurimum desiderant:

Bull. Rom. — Vol. XVIII. — 31

§ 2. Nos, piis eorum votis favorabilem assensum hac in re praebere volentes, dictumque ministrum generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis tam fratribus quam monialibus praedictis, ut officium de eadem sancta Clara, singulis mensibus, aliqua die non impedita officio novem lectionum, sub ritu semiduplici, recitare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Concedit ut in rubrica.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra illud, quae

Transumptis fidem addit.

haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iulii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 iulii 1671, pontif. anno II.

LXXIV.

Statuit quod fratres exteri Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorem in conventibus S. Francisci ad Ripam Tiberis et S. Petri in Monte Aureo de Urbe ultra quindecim dies morari non valeant.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Causa constitutionis.

Cum felicis recordationis Alexander VII et Clemens IX Romani Pontifices praedecessores nostri, ut incommodis, quae conventus S. Francisci ad Ripam Tiberis et S. Petri in Monte Aureo de Urbe fratrum Minorum Ordinis eius sancti Francisci de Observantiâ Reformatorem nuncupatorum ex diuturnâ in eis fratrum exterorum mansione patiebantur, occurrerent, guardianis seu superioribus eorundem conventuum mandaverint ut in posterum fratres externos dicti Ordinis ad Urbem praedictam ex devotione vel ad negotia pertractanda accessuros, aut tunc in eâ forsan degentes, non permetterent in dictis conventibus, nec in eorum quolibet respective, ultra quindecim dies commorari, sub poenis tam dictis guardianis et cuilibet illorum pro tempore, quam iisdem fratribus, si sacerdotes forent, privationis vocis activae et passivae et officiorum ipso facto, si autem laici, carcerationis, aliisque ipsorum Alexandri et Clementis praedecessorum respective arbitrio infligendis; procuratori vero generali eiusdem Ordinis, et¹ ab iis, qui

¹ Potius lege ut pro et (R. T.).

negotia intra dictum tempus absolvere nequirent, scripturas ea concernentes sibi consignari, eademque negotia sedulo pertractari ac expediri curaret; et (sicut accepimus) praenarratae ordinationes non eâ, quâ par est, curâ serventur¹; sed illis fraus fiat, fratribus exteris praedictis, post moram quindecim dierum in dictis conventibus respective peractam, ad conventus extra Urbem, non sine horum quoque conventuum gravamine, secedentibus, et paulo post ad eandem Urbem redeuntibus, quasi eis non esset interdictum in conventibus supradictis, seu eorum altero, per alios quindecim dies moram trahere:

§ 1. Hinc est quod nos, eorundem conventuum indemnitati et levamento quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ac memoratorum Alexandri et Clementis praedecessorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne de cetero quicumque fratres exteri dicti Ordinis, ad Urbem praedictam devotionis vel negotiorum causâ pro tempore accessuri, in supradictis S. Francisci et S. Petri in Monte Aureo conventibus, seu eorum altero, ultra quindecim dies commorari, nec ipsorum conventuum guardiani seu superiores respective, nunc et pro tempore existentes, id permittere ullo modo audeant seu praesument, sub poenis, quoad fratres sacerdotes, seu clericos, ac guardianos, seu superiores praedictos, eorumve quolibet, privationis vocis activae et passivae ac officiorum per eos obtentorum ipso facto incurrendae; quoad laicos vero, seu conversos, carcerationis, aliisque nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis, tenore praesentium prohibemus et interdicimus.

¹ Edit. Main. legit *servantur* (R. T.).

Statut ut in rubrica.

Ab externis
quid agendum
declarat.

§ 2. Praecipientes, sub eisdem poenis, ut fratres exteri, qui in eisdem conventibus, seu eorum altero, moram quindecim dierum spatium traxisse de praesenti reperiuntur, statim atque praesentes litterae ibidem publicatae fuerint, inde discedant ad proprias provincias reversuri. Quod si negotia habuerint¹ quae tam cito nequeant expediri, scripturas illa concernentes consignent dilecto filio eorum procuratori generali, qui eadem negotia sedulo pertractari, et, quamprimum fieri poterit, expediri curet.

Elidentibus
decretum poe-
nas addit.

§ 3. Porro, si quis praesentem prohibitionem eludere tentaverit, ad conventus extra Urbem tantisper secedendo, et in eandem Urbem regrediendo, quasi sibi in conventibus praefatis seu eorum altero per alios quindecim dies commorari liceat, tam ipse, quam guardiani, seu superiores praedicti, qui eiusmodi elusoriis conatibus non obstiterint, poenis supradictis omnino subiaceant.

Decretum ir-
ritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sub-
lata.

§ 5. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et conventuum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmi-

tate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii iulii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 iulii 1671, pontif. anno II.

LXXV.

Quod electiones priorum, subpriorum, sacristarum et procuratorum Ordinis B. M. de Monte Carmelo a communitatibus conventuum provincialium in Brevi expressarum non fiant, sed in definitoriis capitulorum provincialium; earundemque electionum abrogationes a priore generali approbari debere statuit.

Dilecto filio Matthaeo Orlando, priori generali Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo,
Clemens Papa X.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, septem provinciae ultramontanae tui Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo, nempe Germaniae Inferioris, Aquitaniae, Provinciae, Tolosae, Germaniae Superioris, Vasconiae et Flandro-Belgicae, ut factionibus aliisque malis, quae ex electionibus priorum per communitates conventuum fieri solitis in detrimentum observantiae regularis

Motiva.

¹ Potius lege *habuerint* (R. T.).

ac salutis animarum et religiosae quietis promanabant, occurrerent, easdem electiones abrogaverint, easque in definitoria earundem provinciarum respective transtulerint; tu vero etiam subpriorum ac sacristarum et procuratorum singulorum conventuum provinciarum huiusmodi electiones abrogari eorundem conventuum quieti et regulari observantiae conducibile fore existimes; per constitutiones autem Ordinis, a felicitate recordationis Urbano VIII et Innocentio X Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris confirmatas, pro provinciis reformatis ordinatum reperitur ut huiusmodi electiones priorum, subpriorum, sacristarum et procuratorum a communitatibus conventuum fiant; nobis propterea humiliter supplicari fecisti ut tibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Concedit ut
in rubrica.

§ 1. Nos igitur votis tuis, ad promovendum regularis observantiae religiosaeque tranquillitatis bonum laudabiliter tendentibus, favorabiliter annuere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi abrogationes electionum priorum a memoratis septem provinciis ultramontanis factas, ut praefertur, auctoritate nostrâ apostolicâ confirmandi et approbandi, ac ut in posterum in praedictis septem provinciis priores, subpriores et procuratores singulorum conventuum, non amplius per communitates ipsorum conventuum, sed in definitoriis capitulo-

rum provincialium, et, quatenus aliquod ex dictorum officialium muneribus extra tempus eiusmodi capitulorum vacaverit, in congregatione annuâ definitorii uniuscuiusque provinciae respective eligantur dictâ auctoritate statuendi et ordinandi, plenam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimus.

§ 2. Statutum autem sic a te faciendum, ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari mandamus.

Praeceptum
de observando.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis, provinciarum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio
contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxxi iulii MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 31 iulii 1671, pontif. anno II.

LXXVI.

*Quod clerici regulares Congregationis Theatinorum officium de Purificatione B. Virginis Mariae cum octavâ quot annis recitare valeant*¹.

¹ De hac Congregatione vide Const. cccxxv Alexandri VII in tom. XVI, pag. 643 (R. T.).

**Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Ad pastorale fastigium, nullo licet meritorum suffragio, per ineffabilem divinae clementiae abundantiam evecti, pia christifidelium, eorum praesertim, qui, Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati, propriae alienaeque salutis laudabiliter incumbunt, vota¹ ad augendam in terris gloriosissimae Virginis Deiparae Mariae patronae et advocatae nostrae venerationem tendentia libenter exaudimus, eaque favoribus et gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatio. § 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum clericorum regularium Congregationis Theatinorum nobis nuper expositum fuit, ipsi officium de Purificatione eiusdem B. Mariae Virginis, quam in patronam elegerunt, cum octavâ recitare posse plurimum desiderant:

**Indulget pro-
ut in rubrica.**

§ 2. Nos, eorum desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus etiam dilecti filii nobilis viri Petri de Aragonia ducis Segobricae et Cardonae, regni Neapolis proregis, dum oratoris munere pro carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum rege catholico ad praestandam nobis eiusdem Caroli regis nomine obedientiamungebatur, ac dilectae in Christo filiae nobilis mulieris ducissae Ferae eius coniugis nomine nobis super hoc humiliter por-

rectis inclinati, omnibus et singulis clericis regularibus praedictae Congregationis Theatinorum, ut ipsi officium de Purificatione memoratae Virginis gloriosissimae Mariae quotannis die secundâ februarii cum octavâ recitare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

**Decretum Ir-
ritans.**

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

**Contrariis de-
rogat.**

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

**Transumptio-
rum fides.**

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx augusti MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 augusti 1671, pontif an. II.

LXXVII.

*Erectio Montis non vacabilis Ursini
quintae erectionis, cum amplissimis*

¹ Perperam ed. Main. legit *vana pro vota* (R.T.)

*gratis et privilegiis favore montistarum et Montis depositariorum*¹.

Clemens Papa X,
Motu proprio, etc.

Exordium.

Romanum decet Pontificem gratias, personis de se ac sanctâ Sede Apostolicâ benemeritis aliâs concessas, prout occasio vel necessitas expostulat, ampliare, et super eis disponere, prout salubriter in Domino conspicit expedire.

Pauli V motusproprio refertur pro erectione Montis Ursini.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus PP. V praedecessor noster per suam motusproprii cedula, sub datum VII idus septembris anno sui pontificatus VIII, Montem non vacabilem Ursinum tertiâe erectionis nuncupatum locorum seu portionum quatuor millium, redditus vero annui scutorum quinque monetae pro quolibet loco, ad favorem et pro commodo Virginii Ursini tunc Brachiani ducis, super castris Cerveteris et Galeriae, Portuensis dioecesis, illorumque territoriis, tenimentis, agris, agrorum culturis, molendinis, ferreriis, aliisque membris, pertinentiis et iuribus quibuscumque, ac eorum redditibus et fructibus annuis ad scuta triginta quinque millia monetae annuatim circiter ascendentibus, cum assignatione annuorum scutorum viginti millium monetae pro fructibus dictorum locorum quatuor millium, ac assignamenti praedicti dismembratione a ducatu Brachiani, donec Mons ipse duraret, erexit ac instituit, cum amplissimâ derogatione et respective translatione quaruncumque obligationum realium et personalium, hypothecarum, investiturarum, concessionum, ordinationum, legatorum, fideicommissorum, primogeniturarum, aut alienandi, obligandi seu hypothecandi prohibitionum, per quoscumque dicti Virginii Ursini ducis antecessores, sive etiam transver-

¹ Nunc primum impressa.

sales vel extraneos, ac forsân per Romanos Pontifices praedecessores nostros, tam in contractibus, concessionibus et constitutionibus, quam in ultimis voluntatibus, codicillis et aliis quibuscumque dispositionibus quomodolibet purificatis et purificandis, factarum, appositarum et confirmatarum, necnon etiam cum liberatione praedictorum bonorum et iurium a quacumque caducitate, devolutione, aut quavis aliâ poenâ ad quarumvis personarum et pupillorum et viduarum et aliarum quarumvis privilegiatarum, aut monasteriorum, collegiorum et aliorum piorum locorum favorem, et sub quibusvis clausulis vinculis et cautelis, etiamsi bona praedicta ex quocumque capite, aut quavis de causâ, vel aliâs quomodolibet ex causâ dotium sive alimentorum vel alterius causae quantumlibet privilegiatae gravata et onerata essent vel forent, prout latius in praecitatâ motusproprii cedulâ continetur;

§ 2. Deinde vero idem Paulus praedecessor alio simili motuproprio, sub datum kalendis octobris, anno sui pontificatus XIII, alia loca millia trecenta quinquaginta, pro extinctione Montis Viani, super fructibus castrorum Viani, Orioli, ac tenutarum Rotae et Ischiae, Viterbiensis dioecesis, aliaque loca quingenta super castro Cessani, illiusque tenutis, et praesertim Posi, Portuensis dioecesis, vigore sui motusproprii septimo idus septembris anno XV; et postremo similis memoriae Gregorius XV, etiam praedecessor noster, per suam motusproprii cedula, kalendis iunii anno pontificatus I signatam, alia loca duo millia quingenta antedicto Monti Ursino tertiâe erectionis respective ediderunt¹, creaverunt et instituerunt; et pro ultimo dictorum locorum duorum millium quingen-

Deinde dictus Paulus V et Gregorius XV alia loca addiderunt.

¹ Forsân addiderunt pro ediderunt legendum (R. T.).

torum congruâ dote annisque fructibus civitatem Brachiani, castrum Montis Rani, villam Montis Virginei, et tenutam, seu casale, Iuliani nuncupatam, Portuensis et Sutrinensis respective dioecesis (cum illorum territoriis, tenimentis, goris¹, agrorum culturâ, molendinis, ferreis, fabricis, aliisque membris et pertinentiis quibuscumque in totum et illorum responsionibus et afflictibus annuatim reddentibus summam scutorum sexdecim millium monetae de iniis decem pro quolibet scuto), tunc ad Paulum Iordanum Ursinum Brachiani ducem, pro cuius commodo eadem additio facta fuit, respective spectantia et per eum pacifice possessa², assignavit et specialiter applicavit³, et⁴ prout latius in singulis praecitatis motuum propriorum erectionis et additionum praemissarum cedolis continetur. Mons vero praedictus⁵ prout accepimus, attentis pluribus extractionibus in ipso hactenus factis, reperiatur ad praesens in summâ et quantitate locorum duorum millium trecentorum viginti septem cum uno tertio tantum :

§ 3. Nos, volentes dilectum filium nobilem virum Flavium Ursinum modernum Brachiani ducem, a maioribus suis non degenerem, et caput familiae Ursinae inter omnes alias de Sede Apostolicâ benemeritae, aliquo speciali prosequi favore, eidemque super gravi aere alieno, quo premitur, opportunum levamen adferre, habentes hic pro expressis ac de verbo ad verbum insertis omnes et singulas motuum propriorum cedulas

1 Paulo ante in loco parall. § 1 lectum fuit *agris* (R. T.).

2 Male ut puto ed. Man. legit *spectan... possesso* (R. T.).

3 Nempe Gregorius XV, ut patet ex contextu (R. T.).

4 Aptius coniunct. *et deleteretur* (R. T.).

5 Aptius lege *Cum vero Mons praedictus* (R. T.).

super erectione dicti Montis eiusque praenarratis additionibus emanatas, non ad ipsius Flavii ducis seu alterius pro eo desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ nostrâ scientiâ, maturâque deliberatione, ac de apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, ut idem dux minori quo fieri possit interusorio pecunias reperire, illisque mediantibus conditionem suam meliorem reddere valeat, unum Montem Ursinum quintae erectionis nuncupandum, a kalendis mensis septembris praesentis anni MDCLXXI inchoandum, scutorum trecentorum millium monetae iniurum decem pro quolibet scuto, et sic locorum seu portionum trium millium, resignabilium ad instar aliorum Montium non vacabilium Romanae Curiae, scutorum centum monetae pro quolibet loco, et portione computatis¹ (quorum fructus iis, qui, dicti ducis Flavii fidem sequuti, in eodem Monte pecunias collocaverint, de bimestri in bimestre solvendi ad rationem scutorum quatuor monetae pro quolibet loco seu centenario et anno sint esseque debeant constituti et assignati super infrascriptorum bonorum per ipsum ducem Flavium possessorum, scilicet civitatis Brachiani annui fructus scutorum duodecim millium similium, ac castrî Cerveteris in districtu almae Urbis nostrae, respective positorum et existentium, annui fructus scutorum viginti quinque millium, introitibus, redditibus, fructibus, proventibus, iuribus, obventionibus, ac emolumentis universis, certis, incertis, ordinariis et extraordinariis, praesentibus et futuris, ad scuta viginti quinque millium monetae et ultra ut asseritur ascendentibus), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, creamus, erigimus et insti-

1 Aptius lege *computatorum*, aut antea *scutis* legendum pro *scutorum*, vel aliter syntaxis reordinanda (R. T.).

Pontifex motu proprio confirmat dictas erectiones et additiones, et montem Ursinum quintae erectionis creat ut in rubrica.

tuimus, et ex dictis redditibus annuam summam scutorum duodecim millium monetae ab omni onere prosus liberam, immunem et exemptam annuam¹ dividimus et separamus, illamque sic divisam et separatam eidem Monti et illius locorum futuris emptoribus applicamus et appropriamus.

Providet securitati emptorum locorum, etc

§ 4. Ut autem emptorum, depositariorum et aliorum quorumvis futurorum creditorum Montis huiusmodi, qui, dicti ducis Flavii fidem sequuti, pecunias suas in eo collocare voluit, securitati magis provisum sit, volumus et decernimus quod dictus dux Flavius teneatur et debeat ex redditibus et proventibus civitatis et castrorum praedictorum, pro congrua dote eiusdem Montis, scutorum duodecim millium² monetae romanae penes bancum depositarii eiusdem Montis annuatim deponere ad effectum illa per depositarium ipsum pro tempore existentem solvendi montistis et creditoribus dicti Montis pro fructibus illius ad dictam rationem scutorum quatuor monetae romanae pro quolibet loco et anno, de bimestri in bimestre, et in fine cuiuslibet bimestris, Romae, libere et omni mora cessante, durante dicto Monte; summamque, ex quovis casu etiam fortuito et inopinato ex introitibus et redditibus praefatis deficientem, dictus dux Flavius de proprio, et cum aliis redditibus et pecuniis supplere teneatur; et, si contingeret praedicta bona dicto Monti assignata sive in toto sive in parte locari, teneatur afflictuarios et arrendatarios huiusmodi nec non administratores etiam in forma Camerae Apostolicae obligare facere in favorem montistarum et depositarii dicti Montis de solvendo in manibus dicti depositarii annuam sum-

¹ Vox *annuam* delenda (R. T.).

² Oporteret legere *millia*, vel *scuta duodecim mille* (R. T.).

mam pecuniarum pro huiusmodi effectu debitarum et debendarum, usque tamen ad summam dicto Monti pro illius dote et fructibus ut supra assignatam; alias omnes locationes nullae sint et esse censeantur, prout nos nullas et invalidas esse decernimus, volumus et declaramus.

§ 5. Elapsis vero viginti annis ab erectione huiusmodi Montis computandis, dux Flavius praedictus extinctionem eiusdem Montis incipere et facere debeat, extinguendo quolibet anno scuta quinddecim millia monetae, et restitutis singulis montistis scutis centum monetae pro quolibet loco et portione, liberis et absque ullo vinculo, praecedente tamen edicto, iuxta solitum, et per extractionem, adinstar aliorum Montium extinguibilium Romanae Curiae, et sic quolibet anno in huiusmodi extinctionem continuare usque ad totalem eiusdem Montis extinctionem; ita tamen quod montistae¹ et creditores praefati extractionem et extinctionem huiusmodi procurare minime teneantur, sed quoad eos Mons ipse, donec fuerit extinctus, perpetuus sit et esse censeatur.

Statuit pro eiusdem Montis extinctione.

§ 6. Dictus autem dux Flavius teneatur eligere et deputare in depositarium dicti Montis aliquem mercatorem hic in Urbe fide et facultatibus idoneum, ad contentamentum dilecti filii nostri Hieronymi Gastaldi nostri et Camerae nostrae thesaurarii generalis et illius in officio huiusmodi successorum, qui principaliter et in solidum se obliget pro solutione fructuum dicti Montis per novennium proximum, ab ipso die erectionis dicti Montis inchoandum², et ut sequitur continuandum, de bimestri in bimestre, et in fine cuiuslibet bimestris, libere etiam cessantibus et exactis vel non exactis

Depositarius pro tempore eligendus.

¹ Edit. Main. legit *montista* (R. T.).

² Edit. Main. legit *inchoante* (R. T.).

praedictis et aliis quibusvis assignamentis et alio quocumque impedimento et quavis exceptione non obstantibus, et successivè huiusmodi aliam aequè idoneam cautionem bancariam de triennio in triennium, et per sex menses ante finem triennii, durante Monte praedicto, eisdem modo et formà ac pro omnibus et singulis superius expressis, obligatum praestare et renovare, et, in eventum mortis, deteriorationis conditionis, vel absentiae de Urbe depositarii dicti Montis pro tempore existentis, alium depositarium atque idoneum mercatorem in Urbe habentem bancum apertum simili modo et formà obligatum praestare et renovare infra quindecim dies a tali eventu proximos, et hoc toties servare et adimplere, quoties casus huiusmodi venerit. Cui duci Flavio, ut, per se vel eius procuratorem, praedicta loca tria millia dicti Montis (libere¹ et exempta a solutione emolumentorum pro expeditione litterarum praesentium annonae Urbis, archiconfraternitati pietatis carceratorum, proxenetico collegio, ac mercedum secretario, ratiocinatori dicti Montis debitorum pro ipso duce Flavio et aliis qui loca praedicta ab eo primà vice acquirunt) vendere et alienare, illorumque pretium ad infrascriptum tamen effectum exigere, recipere et habere, et de exactis, habitis et receptis solventes, et quos opus fuerit, quietare², ad effectum tamen illud unico contextu penes dicti Montis depositarium deponendi et ut infra convertendi, tenore praesentium licentiam et opportunam facultatem concedimus et impartimur.

Depositarius quomodo dictum pretium erogare teneantur.

§ 7. Pretium vero, ex venditione dicti Montis redigendum, deponi debeat penes depositarium eiusdem Montis ad effectum illud erogandi et convertendi in extin-

ctionem diversorum debitorum a duce Flavio suisque antecessoribus contractorum cum licentiâ et beneplacito apostolico et habentium ad eorum favorem obligata etiam bona iurisdictionalia et feudalia quaecumque iuxta notam ab ipso dandam, et respective erogare¹ pro aliis ipsius Flavii indigentis; creditores autem, qui dictum pretium Montium recipient, teneantur et obligati sint, prout nos teneri et obligatos esse volumus, cedere collegio montistarum huiusmodi Montis Ursini quintae erectionis omnia et singula eorum iura et actiones, ac privilegia quaecumque, etiam anterioritatis et potioritatis, sibi quomodolibet competentia, occasione et pro ratâ suorum creditorum, translative et non extinctive, et talia qualia, etc., ad effectum ut dictum collegium illiusque montistae dictis iuribus uti possint, tam agendo quam excipiendo, et ad omnes alios effectus sibi magis proficuos et necessarios.

§ 8. Nec non, pro maiori cautelâ montistarum ac depositariorum pro tempore eiusdem Montis, praedictus Flavius Ursinus Brachiani dux, et venerabilis frater noster Virginius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis, et Lelius Vico Varronis princeps, germani fratres de Ursinis, omnibus et singulis in praesenti motu proprio contentis et expressis consentire teneantur, et cum effectu consentiant, ac sese omnes, eorumque haeredes et successores, ac bona omnia praesentia et futura in solidum (tam pro solutione fructuum Montis praedicti et illius extinctione et evictione et obligatione de praestando et renovando mercatorem et depositarium eiusdem Montis, et aliorum quorumcumque, ac etiam ad favorem eorundem mercatorum et de-

Consensus ducis Ursini et aliorum de familia praestandus.

¹ Aptius forsàn *libera* legeretur (R. T.).

² Deest verbum *possit* (R. T.).

¹ Aptius lege *erogari* (R. T.).

positariorum, ac pro observatione et adimplemento omnium et singulorum in praesenti eedulâ motus proprii et instrumento seu instrumentis desuper celebrandis contentorum seu continendorum) aequè, principaliter et in solidum, et in formâ Camerae nostrae Apostolicae, cum iuramento, et aliis cautelis necessariis et opportunis, promittant, et accedant, et se obligent) sine tamen praepiudicio quorumcumque iurium camerae nostrae quomodolibet in et super civitate et castro praedictis competentium et competiturorum, tam in quocumque casu et eventu caducitatis et devolutionis illorum, quam ex quovis capite forsitan hucusque evento, et quod in futurum quovis modo evenire possit, ac purificatum et purificandum ad favorem eiusdem Camerae et Sedis Apostolicae) etiam quoad¹ praestationes in casu venditionis eorundem civitatis et castri, quam etiam ex quavis aliâ causâ et occasione promissiones et obligationes, contractus, instrumenta et alia inde faciendâ, aequè ac si in quavis legitimâ et magis requisitâ formâ et cum solitis solemnitatibus facta fuissent, validas fore et esse, suosque plenarios effectus sortiri, vimque et robur perpetuae firmitatis obtinere debere decernimus et declaramus, et ex nunc confirmamus et approbamus, nostraeque firmitatis robur adiicimus, omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum defectus etiam substantiales et formales, si qui intervenerint, apostolicâ auctoritate supplementis.

Eidem Monti, etc., concedit omnia privilegia aliorum Montium.

§ 9. Praeterea eidem Monti, illiusque depositario et montistis, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, praepiendentibus, praerogativis, indultis, aliisque favoribus et

¹ Sequentia lectori scio dimitimus (R. T.).

gratiis universis, quibus Montes restaurati primae et tertiae erectionis, aliique Montes nostrae Camerae, ac baronum et universitatum, et alii quicumque Romanae Curiae non vacabiles, tam ex concessionibus apostolicis, quam de iure, usu vel consuetudine, ac aliâs quomodolibet utuntur, fruuntur et potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, pariformiter, et sine ullâ prorsus differentiâ, uti frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, concedimus.

§ 10. Nec non ex praedictorum civitatis et castri fructibus, redditibus, proventibus, ac emolumentis quibuscumque, certis et incertis, tam ordinariis quam extraordinariis, dictam annuam summam scutorum duodecim millium monetae pro solutione fructuum et dotis dicti Montis, ab omnibus et quibuscumque oneribus liberam, immunem, exemptam, dicto Monti, illiusque collegio et montistis, pro suâ dote, et fructibus et emolumentis, ut supra, respective assignamus, concedimus et applicamus; et pro illis exigendis, habendis, percipiendis et consequendis dictos montistas, collegium et depositarium, tam uti singulos quam universos, procuratores irrevocabiles et dominos, ut in rem propriam, cum potestate exigendi, et cum clausulâ et effectu constituti, et facultate substituendi, et aliis facultatibus opportunis, constituimus et deputamus.

Iura montistis concessa.

§ 11. Et nihilominus pro potiori cautelâ decernimus et declaramus, quod in eventum non observationis aut non adimplementi praemissorum, vel alicuius eorum, ac etiam in omnes et singulos casus contraventionis et impedimenti, seu invaliditatis et rescissionis et¹ quocumque capite, ratione, praetextu et

Quid in casu contraventionis.

¹ Potius lege et pro ex (R. T.).

causâ, etiam in corpore iuris clausis, liceat collegio et depositario dicti Montis pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios, dicti Montis nomine propria auctoritate, sine alienius iudicis seu curiae decreto vel mandato, et absque vitio spolii et attentatorum, corporalem et actualem possessionem civitatis et castrae praedictorum, illorumque membrorum, et iurium dicto Monti ut supra assignatorum et obligatorum, libere et licite capere, apprehendere, captamque et apprehensam retinere et continuare, necnon fructus et emolumenta ex dictis civitate et castro provenientia percipere, exigere et levare, ac, si magis ipsis expedire videbitur, in toto vel in parte, etiam quibusvis personis, ac pro pretio seu pretiis, conditionibus et responsionibus reperibilibus, et ad tempus eis benevisum, semel et pluries, et quoties eis placuerit, locare, arrendare, et in locationem et arrendam concedere, ac in administrationem dare, fructus, affictus et responsiones huiusmodi, pro concurrenti ratâ dicto Monti pro dote et fructibus ut supra assignatâ, percipere, exigere et recuperare, et de exactis, etc., et habuisse confessis solventes, et quos erit opus, quietare, et in solventium favorem iura et actiones cedere et transferre; ad quae et alia praemissa omnia necessaria et opportuna dictos montistas, et collegium et depositarios, procuratores irrevocabiles, ut in rem propriam, cum facultate substituendi, et aliis clausulis et facultatibus necessariis et opportunis, specialiter et expresse constituimus et deputamus.

Subrogatio et
hypotheca in
favorem mon-
tistarum.

§ 12. Eosque, tam uti singulos quam universos, quoad annuam summam praedictam, illiusque exactionem et consecutionem, in omne ius et locum et privilegium dictorum de Ursinis, eorumque haeredum et descendendum et succes-

orum, ponimus, substituimus et subrogamus; ac bona supra dicta, non obstante quod sint cuivis fideicommisso subiecta et aliâs quomodolibet gravata et onerata, ex tunc, pro integrâ solutione fructuum et extinctione dicti Montis, eiusdem Montis creditoribus nec non depositariis nunc et pro tempore eligendis, pro eorum indemnitate relevatione, tam ex causâ pecuniarum quas dicti fratres de Ursini quovis tempore deficerent in banco dictorum depositariorum deponere ad effectum solvendi fructus eiusdem Montis, quam provisionis cedulae per dictos depositarios ad favorem montistarum ut supra faciendae, ac cambiorum et recambiorum, quae super summis ut supra a praedictis Ursinis debito tempore in banco eorundem depositariorum non depositatis decurrere contigerit, ac damnorum et interesse per eosdem depositarios forsitan patiendorum, aliorumque promittendorum observatione, usque ad integram ipsorum montistarum et respective depositariorum satisfactionem, aliisque praemissis, ac perpetuâ validitate, observatione et adimplemento omnium et singulorum praemissorum, ultra quascumque alias obligationes, ceterorum omnium bonorum etiam iurisdictionalium et feudaliû, et tam praesentium quam futurorum, generaliter ac specialiter et expresse, siue tamen praeiudicio quorumcumque iurium Camerae nostrae, ut supra, et circa¹ illius obligationem, et non aliâs, etc., obligamus et hypothecamus, et obligata et hypothecata fore et esse, easdemque obligationes, hypothecas, necnon Montis huiusmodi erectionem, omniaque et singula praemissa, et quae inde sequentur quaecumque, perpetua, valida², firma et efficacia fore et esse, ac plenam firmitatis robur habere et ob-

¹ Potius lege *citra* (R. T.).

² Forsan legendum *perpetuo valida* (P. T.).

tinere volumus, decernimus, atque declaramus, tam in favorem dicti Montis et illius futurorum creditorum, quam dicti depositarii dicto tempore et aliorum obligandorum.

Vincula priora suspendit.

§ 13. Et, si super dictis civitate et castro, seu eorum aliquo, per quoscumque eorumdem de Ursinis antecessores, ascendentes seu collaterales, vel quovis modo auctores et transversales et extraneos, quodvis fideicommissum, pactum de succedendo, primogenitura, maioratus, substitutiones et quaevis aliae conditiones, dispositiones, seu alienandi prohibitiones, sub quibusvis legibus, conventionibus et prohibitionibus, etiam quantumvis poenalibus et gravissimis, etiam ex pacto et providentiâ pro conservatione familiae agnationis et in favorem liberorum descendendum, ac etiam pro dote, seu aliâs quomodolibet facta, apposita et inducta fuerint et sint, et tam purificata quam purificanda, ad favorem quorumvis tam de familiâ dictarum de Ursinis quam aliorum, ac etiam ecclesiarum, et quorumcumque locorum piorum, et personarum quantumvis piarum, privilegiatarum, ac speciali ac individuâ expressione dignarum, quomodocumque et qualitercumque, quorum omnium et singulorum veros, integros, tolosque tenores hic pro plene et sufficienter expressis ac insertis haberi volumus, illaque omnia, dicto Monte durante, in favorem ipsius Montis et illius depositarii, montistarum et aliorum praedictorum suspendimus, locumque minime habere, effectumque sortiri non posse volumus atque decernimus, quamvis dicta fideicommissa et alia ut supra cum inventariis sint posita, registrata et producta in archivio iuxta formam constitutionis Urbani VIII praedecessoris nostri.

Montis summam annuam liberat a quolibet

§ 14. Neenon annuam summam praefatam, ut praefertur, dismembratam, et

dicto Monti, illiusque montistis, depositariis et creditoribus, eodem Monte durante, a dictis fideicommissis et pactis de succedendo, maioratibus, substitutionibus, alienandi prohibitionibus, caducitatibus, devolutionibus, privationibus, necnon etiam prioribus et potioribus quantumvis privilegiatis hypothecis, obligationibus, aliisque dispositionibus, nexibus, vinculis et oneribus ex quavis piâ et privilegiatâ causâ per dictos de Ursinis, et quoscumque alios auctores, seu alios quosvis etiam extraneos ut supra, et alios¹ quomodolibet factis, impositis, inductis², quibus civitas ac castra praedicta eorumque membra et pertinentiae quomodolibet subiecta sunt et esse dici vel praetendi possunt, penitus omnino eximimus et liberamus.

bet fideicommissis, pacto vel hypotheca.

§ 15. Et quoscumque creditores dictorum de Ursinis, eorumque auctorum, et aliorum, ut supra, quantumcumque privilegiatos, etiam priores et potiores, ac praevio assensu, beneplacito et derogationibus dictorum fideicommissorum et aliorum supradictorum, et tam a nobis quam a nostris praedecessoribus emanati si qui sint vel fuerint, tam vigore obligationis in formâ camerae nostrae apostolicae, vel aliâs sub quavis formâ, expressione verborum, cum uno vel pluribus iuramentis, et ex causâ dotis et alimentorum, in et super dictis civitate et castro super expressis, et Monti assignatis, generales et speciales, tacitas vel expressas obligationes et³ hypothecas habentes, non posse, donec dictus Mons durabit, et donec sequuta fuerit integra satisfactio tam montistarum quam depositariorum pro tempore, ex causis supra expressis in et super civitate et castro praefatis,

Montistae ceteros creditores praecedunt.

¹ Forsan legendum *aliâs* (R. T.).

² Edit. Mam. habet *factos, impositos, inductos* (R. T.).

³ Coniunct. *et nos addimus* (R. T.).

eorumque membris et iuribus, nec in proprietate nec in fructibus et redditibus eidem Monti assignatis, vel contra eorum conductores, affectuarios, administratores et debitores nunc et pro tempore existentes, pro dictâ summâ ac pro solutione fructuum et extinctione ut supra assignatâ, easdem obligationes et hypothecas exercere: nec actionem, seu iudicium aliquod intentare, minusque super illis montistas, depositarios, aliosque praefatos molestare vel impedire, nisi factâ aliorum bonorum dictorum de Ursinis, eorumque auctorum eis obligatorum excussione, et, quatenus alia bona pro eorum creditorum satisfactione non sufficient.

Omnes hypothecas praecedentes transferent in alia bona dictorum de Ursinis.

§ 16. Nos enim obligationes et hypothecas omnes et singulas praefatas, si quae sint, ad effectum praefatum, dicto Monte durante, et donec sequuta fuerit praedictorum satisfactio, suspendimus, et in alia quaecumque dictorum de Ursinis, eorumque auctorum, etc., bona, tam allodialia quam iurisdictionalia, iura et introitus, eodem Monte durante, modo et formâ praemissis, ad effectum praefatum, praedictorum omnium tenores hic pro expressis et insertis habentes, transferimus et translata esse declaramus, cum hoc quod omnes praefatae clausulae et facultates semper censeantur et sint appositae ad maiorem securitatem et cautelam dictorum montistarum et depositarii quomodolibet resultantes, et cum facultate semper variandi, itaut unâ viâ electâ non praedudicetur montistis, depositariis et aliis praefatis, quin ad alia¹ redire possint, sed simul et semel tam conjunctim quam divisim illis uti et experiri valeant.

Decernit dicti Montis loca obnoxia non esse reductionibus.

§ 17. Decernentes Montem huiusmodi illiusque loca, respectu dotis, fructuum et emolumentorum, aliarumque assigna-

¹ Potius lege *aliam* (R. T.).

tionum praefatarum, nullis omnino reductionibus, diminutionibus aut mensuram seu mensurarum retentionibus, et quibuscumque aliis contrariis dispositionibus, etiam praetextu enormis et enormissimae laesionis, urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis, et ex quavis aliâ cognitâ vel incognitâ etiam necessario exprimendâ causâ, vel aliâs quomodolibet obnoxia fore et esse, firmaque et valida semper persistere, et ab illis fore semper excepta et exempta; nec dictos de Ursinis, minusque quosvis dicti Montis futuros creditores ac depositarios, illorumque haeredes et successores quoscumque, seu ius et causam ab eis quomodolibet habentes et habituros super praedictis, seu illorum aliquo, quoquo modo molestari, perturbari vel impediri.

§ 18. Et insuper, volentes Montem praedictum specialibus favoribus et gratiis decorare, motu, scientiâ et potestate similibus perpetuo statuimus et ordinamus quod quicumque etiam laici utriusque sexus ac presbyteri et alii clerici, necnon ecclesiastici et alii quicumque praefati, etiam S. R. E. cardinales, aut ceteri cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis saecularis et quorumcumque Ordinum, etiam in communi, mendicantium et militantium vel hospitantium regulares, aut aliae quaecumque personae cuiusvis generis, etiam minores et pupilli, ac etiam spurii, illegitimi, aut aliâs quomodolibet inhabiles et incapaces, necnon communitates, universitates, ecclesiae, cappellae, collegia, congregationes, conventus, societates, hospitalia, et alia quaevis tam profana quam pia et religiosa loca, tam intus quam extra iurisdictionem nostram temporalem, ac etiam quaecumque mundi parte pro tempore existentia (infidelibus tamen exceptis), nihilominus in Monte huiusmodi

Indulget ut omnes, exceptis infidelibus, quascumque summas in huiusmodi Monte ponere possint.

quascumque pecuniarum summas etiam ex metropolitanarum, cathedralium, aliarum ecclesiarum vel monasteriorum, abbatiarum, hospitalium, commendarum, et quarumvis ecclesiarum, tam saecularium quam regularium, beneficiorum, seu etiam pensionum annuarum ex fructibus et redditibus et proventibus ecclesiasticis tam haecenus acquisitis quam in futurum acquirendis, semel vel pluries, et quoties eis visum fuerit, non tamen infra summam centorum centum monetae, conferre, ponere et erogare, pro singulis locis et portionibus annua scuta quatuor monetae in fine cuiuslibet bimestris illorum ratam sine aliquo conscientiae scrupulo, seu sortis principalis diminutione, aut quovis alio restitutionis onere, et omni prorsus impedimento cessante, percipere, consequi, et in eorum usum et utilitatem convertere libere et licite possint et valeant, concedimus et indulgemus.

Constituit thesaurarium generalem Camerae protectorem et administratorem dicti Montis.

§ 19. Ut autem dicti Montis regimen et gubernium rectius et fidelius geratur et dirigatur, dilectum filium Hieronymum Gastaldum, nostrum et Camerae nostrae thesaurarium generalem, et successive alios pro tempore existentes thesaurarios generales, in dicti Montis protectores et administratores, cum potestate litteras patentes locorum dicti Montis sub eorum nominibus et sigillo subscribendi et concedendi, ac secretarium et rationcinatorem dicti Montis, a dicto duce Flavio, suisque, etc., nominandum et eligendum, necnon omnes et quascumque causas dicti Montis, et ab eo quomodolibet dependentes ac moventes, per se, vel alium, seu alios, cognoscendi, decidendi et terminandi, et ab aliis iudicibus et tribunalibus, etiam quod vigore obligationis camerale agatur, advocandi et reassumendi, ac omnia alia eidem Monti utilia et necessaria, privative quoad om-

nes alios Romanae Curiae iudices et tribunalia, peragendi, eligimus et deputamus.

§ 20. Volumus autem atque decernimus quod montistae dicti Montis Ursini non teneantur nec cogi possint in iudicio nec extra probare nec curare quod pecuniae, per eos in emptionem locorum dicti Montis expositae, fuerint erogatae et conversae in extinctionem supradictorum debitorum, vel aliam quamvis probationem quantumvis necessariam facere. Decernentes pariter et declarantes praesentem nostri motus proprii cedulae et litteras forsitan conficiendas, etiam ex eo quod quicumque interesse habentes, etc., vel habere praetendentes, etc., ad id vocati seu auditi, aut etiam in⁴ instrumentis et aliis circa illorum executionem faciendis solemnitates statutariae, et aliàs de iure vel consuetudine, et quomodolibet requisitae, adimpletae et observatae non fuerint, aut aliàs, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel nostrae intentionis aut quocumque alio defectu, seu quovis alio praetextu, iure, colore, ratione vel causâ notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, vocari, limitari, molestari, aut in ius vel controversiam adduci, illorumque effectum et executionem retardari vel impediri, minusque adversus eas quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse nec debere, minusque sub quibuscumque similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, moderationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas et sub posteriori datâ emanatas fore et esse censerem, semperque validas, firmas et efficaces fore et esse, suosque plena-

Quod Montistae non teneantur probare conversionem pecuniarum.

4 Praeposit. in nos addimus (R. T.).

rios et integros effectus sortiri et obtinere, nec ad illas in Camerâ Apostolicâ praesentandum, et in illius libris registrari faciendum, iuxta constitutionem felicitis recordationis Pii Papae IV praecessoris nostri, aut aliâs quomodocumque teneri, et nihilominus in suo robore, viribus et effectu semper persistere,

Decretum irritans.

§ 21. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios, commissarios, delegatos et subdelegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici et causarum curiae dictae Camerae auditores, necnon S. R. E. cardinales, camerarios, eorumque vicecamerarios, ac dictae Camerae thesaurarios, clericos praesidentes, commissarios, ceterosque camerales, necnon etiam cardinales de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 22. Non obstantibus praemissis, aut quibusvis testamentis, codicillis, donationibus, ultimis voluntatibus, dispositionibus, fideicommissis, substitutionibus, etiam ad favorem ecclesiarum, locorum piorum et aliorum supranominatorum, etc., primogenituris, pactis de succedendo, alienandique seque obligandi prohibitionibus, per quoscumque quomodolibet factis, ac etiam pluries iterisque vicibus quomodolibet confirmatis, innovatis et approbatis, ac obligationibus et hypothecis, etiam iuramento et obligatione camerale et apostolica licentiâ et beneplacito vallatis, ac Pii IV *De registrandis*, ac aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis (exceptâ constitutione felicitis recordationis Clementis VIII, qua iura Camerae nostrae Apostolicae in Montium ere-

ctionibus praeservantur), necnon nostrâ de iure quaesito non tollendo et gratiis ad instar non concedendis, aliisque cancellariae nostrae regulis, statutis Urbis, eorumque reformationibus, consuetudinibus, decretis, stabilimentis, usibus et naturis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ etiam consistorialiter et de fratrum consilio et assensu roboratis, et cum quibusvis clausulis derogatoriis ac derogatoriarum derogatoriis, privilegiis quoque et indultis, facultatibus et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis irritantibus, eidem thesaurario, necnon Congregationi super Montibus, et quibusvis aliis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et aliis decretis, usibus, naturis, etiam iuramento, firmitate et motu similibus, ac etiam consistorialiter, praemissa etiam aut eorum aliqua expresse fieri prohibentibus seu impediens, aut aliis in contrarium quomodolibet facientibus, concessis, etc.; ac non obstante quod supradicta fideicommissa, et alia ut supra, sint in archivio cum inventariis registrata et exhibita, et non obstante constitutione Urbani VIII moderatoriâ Bullae baronum; quibus omnibus, etiamsi de illis, etc., eorum tenores, etc., praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, etc., illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter et expresse ac latissime, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

§ 23. Ceterum volumus quod praesentis nostri motus proprii cedula¹ sola nostra signatura, absque aliâ datâ, etsi non registretur, sufficiat, et tam in iudicio quam extra plenam fidem faciat,

Sola signaturâ huius motus proprii cedulae sufficiat sub plumbo.

1 Videtur legendum *cedulae* (R. T.).

regulâ quacumque contrariâ non ob-
stante; et nihilominus, litterae tam in
formâ Brevis sub annulo Piscatoris, quam
sub plumbo, et per officium minoris gra-
tiae, cum supradictorum omnium et singu-
lorum maioris¹ specificatione et expres-
sione, aliisque clausulis necessariis et
opportunitis, ac solitis et consuetis, ac
aliis, et prout videbitur, expediri possint.
Et quia nimis arduum et difficile foret
praesentem cedulam, sive litteras desu-
per conficiendas, omnibus et quibus opus
foret originaliter ac ubique locorum
exhibere, volumus atque decernimus,
quod tam praesentis motusproprii ce-
dulae, quam litterarum, si quas desuper
in quavis formâ expediri contigerit, tran-
sumptis et exemplis, etiam impressis,
manu secretarii dicti Montis aut alicuius
Camerae nostrae notarii subscriptis,
sigilloque thesaurarii generalis obsigna-
tis, eadem prorsus fides in iudicio et
extra adhibeatur, quae ipsismet origi-
nalibus adhiberetur si ostenderentur,
exhiberentur, vel producerentur; regulâ
quacumque contrariâ pariter non ob-
stante, etc.

Fiat motu proprio E.

Acceptatio
dictae cedulae
motusproprii
facta per ducem
Flavium Ursi-
num, et obliga-
tio aliorum fra-
trum.

Illustrissimus et excellentissimus do-
minus D. Flavius Ursinus Brachiani dux
acceptavit supradictam cedulam motus-
proprii, et iuxta illius formam dicto Monti
Ursino quintae erectionis constituit et
assignavit fructus supra dictâ civitate
Brachiani ac Cerveteris, ex quorum red-
ditibus, etc., dismembravit, etc., annuam
summam scutorum duodecim millium
monetae, illamque dicti Monti pro eius
dote et fructibus assignavit et cessit ac
applicavit, montistas ac depositarios eius-
dem Montis in eius locum substituit, ac
obligationes in favorem ipsius Montis ac
depositoriorum, pro adimplemento sibi

¹ Potius lege maiore (R. T.).

a sanctissimo domino nostro Papa iniun-
ctorum, iuxta formam cedulae motuspro-
prii praedicti, fecit, etc.; et in solidum
cum dicto excellentissimo domino duce
Flavio pro observatione omnium prae-
missorum accesserunt, fideiusserunt et
sese obligarunt eminentissimus et reve-
rendissimus dominus Virginius cardina-
lis, ac illustrissimus et excellentissimus
dictus Lelius Vicovarii¹ princeps, ger-
mani fratres de Ursinis, et sic sese in
formâ Camerae Apostolicae obligarunt,
et tactis pectore et scripturis respective,
iurarunt, prout latius in instrumento sub
datum² die, per acta mei infrascripti
desuper rogato, ad quod, etc.

Die 20 septembris 1861.

FRANCISCUS ANAMORUS, R.C.A. not.

« Noi Benedetto Candolfi et Carlo Rossi
in vigor della presente nostra cedula
bancaria promettemo e *in solidum* ci
obbligiamo *in formâ C. A.* di pagar qui
in Roma liberamente e senza eccezione
alcuna alli signori montisti del nuovo
Monte Orsini quinta erezione li frutti
delli luoghi tre mila, che sono stati eretti
in esso Monte, a ragione di scudi quat-
tro per luogo l'anno, e questo paga-
mento lo promettiamo nelli modi sud-
detti per nove anni prossimi venturi già
cominciati il 1 settembre passato, e da
finire l'ultimo agosto dell'anno MDCLXXX,
cioè ogni bimestre in fine la rata parte
a ciascheduno di essi signori montisti
spettante, in conformità delle liste bime-
strali che ci verranno consegnate dal
computista del medesimo Monte, alle
quali liste per la quantità de' luoghi e
per l'annuo frutto si abbia relazione,
e questa cedola dichiariamo farla ad
istanza dell'eccellentissimo signor don
Flavio Orsini duca di Bracciano, dal
quale ne dovremo esser rimborsati e

Cedula ban-
caria Benedi-
cti Candolfi et
Caroli Rossi.

¹ Supra lectum fuit *Vico Varronis* (R. T.).

² Forsan deest *hoc* (R. T.).

rilevati da ogni danno in conformità del contenuto nel Motuproprio dell' erezione e nell' istromento della deputazione ed accettazione di depositaria del medesimo Monte, che si deve rogare in questo giorno per gli atti dell' Angelucci notaro A. C., a' quali Motuproprii ed istromenti in tutto e per tutto s'abbia relazione. In fede, etc., Roma dal Banco, questo dì VI ottobre MDCLXXI.

BENEDETTO CANDOLFI e CARLO ROSSI ».

LXXVIII.

Quomodo sit intelligendum indultum de officio B. Stanislai Societatis Iesu recitando et missâ in Poloniae regno et magno ducatu Lithuaniae celebrandâ; nimirum in ecclesiis praedictorum regni et magni ducatus quibuscumque, etiam non Societatis Iesu; extra vero dicta loca, in ecclesiis ad solam eiusdem Societatis religionem spectantibus recitari officium et missam celebrari posse declarat¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Aliàs, piis enixisque carissimi in Christo filii nostri Michaëlis Poloniae regis illustris ac dilectorum filiorum praepositi generalis et presbyterorum Societatis Iesu precibus nobis humiliter porrectis favorabilem assensum praebere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de B. Stanislao Kostka Polono eiusdem Societatis quotannis die XIII novembris in universo regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae, necnon in ecclesiâ S. Andreae in Monte Quirinali huius almae Urbis nostrae ubi eiusdem B. Stanislai corpus

¹ Indultum de quo in rubricâ habes supra in Constit. xxiii, *In apostolicae*, huius Pontificis

requiescit, ac aliis omnibus et singulis ecclesiis dictae Societatis Iesu, missa etiam a sacerdotibus eo die ad ecclesias huiusmodi confluentibus et a religiosis eiusdem Societatis ubicumque terrarum existentibus celebrari, et officium recitari de communi Confessorum non Pontificum, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, libere et licite possent et valerent, auctoritate apostolicâ concessimus et indulimus, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XVI augusti MDCLXX expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, continetur.

§ 1. Cum autem, sicut pro parte presbyterorum Societatis praefatae nobis nuper expositum fuit, a pluribus existimatum fuerit, missam et officium huiusmodi non potuisse, neque posse celebrari, nisi in ecclesiis dictae Societatis, nec extra eas in praedictis regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae, attentis verbis dictarum litterarum, per quae in omnibus et singulis ecclesiis dictae Societatis missam etiam a sacerdotibus eo die ad ecclesias huiusmodi confluentibus celebrari posse indulgetur: nobis propterea dilectus filius procurator generalis eiusdem Societatis humiliter supplicari fecit, ut, ad tollendum omne dubium, de opportuna declarationis gratiâ in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, ipsius procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, cunctis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat

Petitio.

Constitutionem quomodo intelligendam declarat.

consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, litteras nostras praefatas, quoad regnum Poloniae et magnum ducatum Lithuaniae, de omnibus ecclesiis et personis intelligi debere (ita nempe ut in universo regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae huiusmodi omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, cuiuscumque status, gradus, ordinis, ac clerus universus, possint et valeant eadem die XIII^a novembris missam et officium de eodem beato Stanislao Kostka in eorum propriis ecclesiis et domibus religiosis aliisque locis sacris celebrare et respective recitare), in aliis vero locis extendi ad solas ecclesias presbyterorum Societatis praefatae, iuxta facultatem in eisdem litteris concessam, dicta auctoritate, tenore praesentium, declaramus; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praefatorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit, in futurum plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu

exemplis, etiam impressis, manu secretarii dictae Societatis vel notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel praepositi aut vicarii generalis eiusdem Societatis pro tempore existentis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx septembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 septembris 1671, pontif. anno II.

LXXIX.

Quod abbas generalis Congregationis Vallisumbrosae pro tempore existens mozzettam et mantellettam, pileum et biretum praelatos etiam in cappellis pontificiis deferre et gestare possit¹.

**Clemens Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Decet Romanum Pontificem ad ea, per quae personarum ecclesiasticarum quarumlibet, praesertim congregationum monasticarum, quae Sanctorum, et Romanorum Pontificum, aliorumque virorum pietate et doctrina praestantium numero decoratae existunt, ornamento, divinique cultus celebritati et decori peramplius consulitur, libenti animo intendere, ac in his sui pastoralis officii partes favorabiliter impartiri, prout, locorum et temporum ac personarum huiusmodi Dei servitio dicatarum qualitatibus et circumstantiis debite pensatis, ad devotionis christifidelium augmentum et propagationem necnon Altissimi lau-

Exordium.

¹ Edit. Main. legit 15 (R. T.).

¹ Simile indultum concessit alteri Congregationi Alexander VII Constit. *Decet*.

dem et gloriam prospicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Theodori Baldini moderni abbatis generalis Congregationis Vallisumbrosae Ordinis sancti Bededicti petitio continebat, quod, cum inter congregationes monachorum Italiae dicti Ordinis Congregatio praedicta duorum Summorum Pontificum, ac plurimum Sanctorum numero et viris insignibus pietate et doctrinâ praestantibus decorata, ac etiam ex antiquitate et a Sede Apostolicâ diversis favoribus et gratiis insignita existat, itaut illius abbas generalis mitrâ, baculo et annulo pastoralibus ceterisque pontificalibus insigniis utatur et fruatur ac potiat et gaudeat; plurimum tamen decori et dignitati abbatis generalis primodictae Congregationis videretur convenire ipsum Theodorum et pro tempore existentes primodictae Congregationis abbates generales a nobis et dictâ Sede aliquâ digniori praerogativâ decorari et illustrari. Quare, pro parte dicti Theodori, et pro eo¹ dilecti filii nostri Leopoldi S. R. E. cardinalis Medices nuncupati, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eiusdem Congregationis Vallisumbrosae eiusque abbatum generalium pro tempore existentium decori consulere, aliâsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut
in rubrica.

§ 2. Nos igitur, qui ecclesiarum quarumlibet et congregationum decorem, divinique cultus et christifidelium devotionis augmentum, nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, eundem Theodorum, ac eius successores pro tempore existentes abbates generales praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliis-

¹ Videtur legendum eâ (R. T.).

que ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac honestis ipsius Theodori votis hac in parte favorabiliter annuentes, ex voto Congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium super ritibus ecclesiasticis praepositorum, eidem Theodoro et pro tempore existentibus abbatibus generalibus primodictae Congregationis, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, tam in Romanâ Curiâ quam extra eam, ac ubique locorum ubi dictum Theodorum et pro tempore existentes abbates generales praedictos pro tempore residere et morari contigerit, ac in quibusvis visitationibus, capitulis, sessionibus, necnon quibusvis actibus et processibus, etiam coram nobis et Romanis pro tempore existentibus Pontificibus successoribus nostris, etiam in cappellis pontificiis, mozzettam et mantellettam coloris habitus ipsius Congregationis Vallisumbrosae unâ cum pileo et bireto praelatitiis induere, gestare et deferre, illisque uti, frui et gaudere libere et licite possit et valeat, ac possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus, plenamque et liberam facultatem et auctoritatem impartimur: discernentes ipsum Theodorum, ac pro tempore existentes abbates generales praedictos super delatione, gestatione et usu mozzetae, mantellettae, pilei et bireti praedictorum, a quoquam sub quovis praetextu, occasione vel causâ, quantumvis iuridicâ et legitimâ, vel quaesito colore et ingenio, nullatenus impediri posse, neque debere;

Clausulae prae-
servativae.

§ 3. Praesentes quoque semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suasque plenarias et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem Theodoro et pro tempore existentibus abbatibus generalibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari debere, nec sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illas emanare contigerit, toties praesentes in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori datâ per dictum Theodorum ac pro tempore existentes abbates generales praedictos quaecumque eligendâ, concessas esse et fore,

Clausula sub-
latâ.

§ 4. Sicque et non aliâs per quoscumque indices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes et honore fulgentes, ac causarum curiae Camerae Apostolicae et palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus et provincialibus ac generalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinis et Congregationis Vallisumbrosae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poe-
nalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutio-
nis, concessionis, indulti, impartitionis et decreti infringere, vel ei ausu teme-

rario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXI, VI nonas octobris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 octobris 1671, pontif. anno II.

LXXX.

Prohibet omnibus et singulis fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum pro quacumque re obtinendâ recursum ad personas extra eundem Ordinem¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus ut regularem observantiam religiosamque tranquillitatem inter religiosos viros, eos praesertim, quos, suave Christi iugum sub arctioris vitae instituto amplectos, ceteris modestiae atque humilitatis et religiositatis exemplo praeferre decet, quantum nobis ex alto conceditur, tueri atque conservare satagamus.

Exordium.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni ministri generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis oc-

Supplicatio.

¹ De hac materiâ vide quae indicavi tibi ad Constitut. *Admonet* Alexandri VII, ubi ad rem plura videre poteris, et ad Constitut. xxx *Ecclesiae* huius Pontificis.

casione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus praesentibus et futuris, ne de cetero ad obtinendas obedientias sive permissiones visitandi eorum parentes seu propinquos, aut loca sacra quaecumque, vel ut ad dignitates, officia aut munera quaelibet eiusdem Ordinis aut ad studia promoveantur, sive ut ab uno ad alium locum transire vel in aliquo particulari conventu permanere eis liceat, vel ut cum eis dispensetur ad hoc ut ante peractum septennale studium in concionatores assumi munusve concionatoris exercere, aut ut ante completum in eodem Ordine septennium ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri valeant, sive ad alia similia consequenda, tam pro se quam pro aliis Ordinis praefati fratribus, ad quarumcumque personarum extra eundem Ordinem existentium, etiam quavis ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate, praecellentiam et potestate fungentium, aut aliâs specificâ et individuâ mentione et expressione dignarum, favores, suffragia vel intercessionem recurrere illisve uti audeant quovis modo vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis vocis activae et passivae ac graduum et officiorum quorumcumque per eas obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et quaevis alia in posterum obtinenda, poenis per contraventores ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo prohibemus et interdicimus.

Prohibet ut
in rubricâ.

Clausulae prae-
servativae.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obti-

nere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter et inconeuisse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Quocirca memorato ministro generali harum serie committimus et mandamus ut ipsas praesentes litteras in omnibus et singulis Ordinis praefati provinciarum et conventibus quamprimum publicari curet, ne quisquam illarum ignorantiam allegare possit.

Exequutorem
praesentium de-
putat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque provinciarum et conventuum quorumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat con-
trariis.

§ 5. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Fides tran-
sumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

iorem, sub annulo Piscatoris die II, octobris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 octobris 1671, pontif. anno II.

LXXXI.

Indulgentiam plenariam largitur omnibus christifidelibus, qui intererint missae de Nomine Beatissimae Virginis Mariae, die XVII septembris quotannis celebrandae, in ecclesiis provinciarum et regnorum regis Hispaniarum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Alias emanarunt a nobis, ad supplicationem carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae Hispaniarum reginae catholicae nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia ducem Segorbiae et Cardonae, regni Neapolis proregem, qui tunc munere oratoris ad praestandam nobis carissimi in Christo filii nostri Caroli eorundem Hispaniarum regis catholici obedientiam apud nos et Sedem Apostolicamungebatur, humiliter porrectam, litterae in simili forma Brevis tenoris qui sequitur, videlicet;

Tenor prioris
Brevis refertur.

§. 1. *Clemens Papa X ad perpetuam rei memoriam.* Praeclara carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae Hispaniarum reginae catholicae in Deum pietas ac eximia omnique laudum praecognio digna erga gloriosissimam Virginem Deiparam Mariam devotio aliaeque christianae virtutes singulari erga nos et hanc sanctam Sedem observantiae et devotioni coniunctae, quibus bonorum omnium largitor Altissimus eandem Mariannam reginam multipliciter insignivit, promerentur ut piis illius votis ad augendam in terris eiusdem beatissimae atque augustissimae Virginis caeli reginae venerationem tendentibus apostoli-

cae benignitatis assensum libentissime praebemus. Cum itaque, sicut dilectus filius nobilis vir Petrus de Aragonia dux Segorbiae et Cardonae, regni Neapolis prorex, et carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici apud nos et Sedem Apostolicam orator ad praestandam nobis eiusdem Caroli regis nomine obedientiam missus, pro parte praedictae Mariannae reginae nobis nuper exponi fecit, eadem Marianna regina, pro singulari sua erga SS. Mariae Nomen pietate, eius cultum ubique terrarum in dies propagari, ac proinde officium de Nomine eiusdem beatissimae Virginis Mariae, cum lectio-nibus et officio in Toletana dioecesi recitari solitis, quotannis XVII septembris recitandum, ad universum clerum tam saecularem quam regularem utriusque sexus, per omnes provincias, regna, status, regiones et dominia, ubivis locorum dicto Carolo regi subiecta, a nobis extendi summopere desideret: nos, piis ipsius Mariannae reginae votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, supplicationibus eius nomine nobis per memoratum Petrum ducem proregem et oratorem super hoc humiliter porrectis inclinati, petitam extensionem praedicti officii de Nomine beatissimae Virginis Mariae, quotannis die XVII septembris recitandi, universo clero tam saeculari quam regulari utriusque sexus per omnes provincias, regna, status, regiones et dominia memorato Carolo regi subiecta, praedicta auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in prae-

missis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales de latere legatos et Apostolicae Sedis praedictae nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam inpressis, manu alicuius publici notarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCLXXI, pontificatus nostri anno I.

Concedit
in rubrica.

§. 2. Nunc autem ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, piisque memoratae Marianae reginae precibus nobis pro parte

praedicti Petri ducis et proregis humiliter porrectis uberiore paternae charitatis benignitate ajuventes, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrae communionis reffectis, qui missae solenni in quacumque ecclesia provinciarum, regionum, statuum, regionum et dominiorum praedicto Carolo regi subiectorum praedictorum dicta die XVII septembris quotannis celebrandae interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 3. Ceterum volumus pariter ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam inpressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptio-
rum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 octobris 1671, pontif. anno II.

LXXXII.

*Reductio officiorum notariorum sacri palatii apostolici.*¹

Clemens Papa X,
Motu proprio, etc.

Romanus Pontifex in supremo dignitatis apostolicae culmine divina disponente clementia constitutus, illud in pri-

Exordium.

¹ De horum notariorum materia plura videre poteris in repertorio sub verbo *Notarii*.

mis propensis et indefessis studiis curare et excogitare, ut nimirum suis etiam futuris temporibus¹ non solum incommodis publicis, sed etiam litigantium expensis ac defatigationibus in quantum fieri potest, consulatur et obvietur, et illa interdum, quae a praedecessoribus suis, temporum et rerum qualitate id tunc exposcente, provide pro Camerae nostrae Apostolicae iurium, reddituum et bonorum recto et firmo regimine, et nonnullorum Sedis Apostolicae officialium indemnitate, et maiori personarum ad Romanam Curiam pro iustitiâ consequendâ confluentium sublevamine et commoditate sancita sunt, novis emergentibus rationibus, revocare et immutare, aliaque desuper disponere et ordinare consuevit, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspiciat in Domino salubriter expedire.

Sixtus IV numerum auditorum et locatenentium reduxit.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Sixtus PP. IV praedecessor noster (postquam per quasdam suas litteras², motu proprio, et ex certâ scientiâ, apostolicâ auctoritate statuerat et ordinaverat quod sacri palatii apostolici causarum auditorum et eorum locatenentium numerus, qui tunc quatuordecim erat, ex tunc deinceps duodenarius existeret, quodque, si qui supra dictum statutum numerum nominatorum auditorum et locatenentium tales esse desinerent,³ illorum officia in se ipsis extincta penitus essent et esse censerentur, illisque aggregari, et ultra dictum duodenarium numerum in auditorem vel locatenentem admitti nemo posset, prout in dictis litteris plenius continebatur), attendens non minus recte quam prudenter quod si,

quemadmodum auditorum et locatenentium eorundem numerus erat proinde limitatus, ita notarii causarum eiusdem palatii coram eisdem auditoribus et locatenentibus scribentes certo determinato numero eorundem auditorum et locatenentium numero correspondente includerentur, ipsique collegium constituerent, et Apostolicae Sedis officiales essent, ac in processionibus et aliis publicis actibus, ad quas alii eiusdem Sedis officiales convocari consueverunt, interessent, eorumque officia perpetua existerent, et ex tot proborum et peritorum virorum collegio Curia praedicta plurimum illustraretur, ipsique notarii quamdam honoris et dignitatis praerogativam se assecutos fore gauderent, mitioresque in exigendis debitis eorum salariis se litigantibus exhibere valerent (quod eatenus absque eorum detrimento, et quod⁴ officia ipsorum magnis cum impensis acquisita temporibus² et brevi quodam tempore peritura erant, facere non potuerant), et exinde litigantes ipsi non modicum reportarent expensarum sublevamen: motu suo proprio, ac irrefragabili et perpetuo valiturâ constitutione sancivit, statuit et ordinavit, quod de cetero perpetuis futuris temporibus numerus dictorum notariorum esset quadraginta octo, numero videlicet dictorum auditorum et locatenentium merito correspondens, qui, ad instar aliorum Sedis praedictae officialium, collegium constituerent; quodque, ne illi, qui de officiis notariorum eorundem disponere eatenus consueverant, illorum dispositione fraudarentur, aut ad quos ipsorum officiorum dispositio pertinere debebat dubium aliquod insurgere valeret, et³ in futurum

¹ Vocem *quod* interiectam delemus (R. T.).

² Huiusmodi litterae leguntur in *Bullario*, tom. v, pag. 207 (R. T.).

³ Coniunctionem *et* interiectam delemus ex loco parall., tom. vi, pag. 205 b (R. T.).

⁴ Aptius legerem *eo quod* (R. T.).

² Lectio defectiva videtur (R. T.).

³ Coniunct. *et* certo certius mihi videtur delenda (R. T.).

ex singulis quatuor officiis singulorum quatuor notariorum, coram singulis ex duodecim auditoribus seu locatentibus praedictis pro tempore scribentium, unum Romani Pontificis, et aliud vicecancellarii, aliud vero camerarii S. R. E., et reliquum auditoris officia appellarentur; et, decedentibus aliquibus ex notariis supra dictis, illa ex officiis notariorum sic decedentium, quae Romani Pontificis, per Romanum Pontificem, quae vicecancellarii, per vicecancellarium, ac quae camerarii, per camerarium, quae vero auditorum officia extitissent, per auditores praedictos pro tempore existentes aliis idoneis conferrentur: ac alias, prout in litteris desuper confectis etiam plenius continetur¹.

Alexander VII
notariorum re-
ductionem de-
cernit, quae
non sortitur ef-
fectum.

§ 2. Cum autem ad aures nostras non sine gravi animi nostri displicentiâ pervenerit quod a longævâ annorum serie collegium dictorum notariorum palatii apostolici auditorum (ob defectum et diminutionem non modicam causarum, litium et negotiorum, etc., temporum iniuriis et calamitatibus proveniente, etiam ratione onerum eidem collegio per pie memoriae Paulum Papam V praedecessorem nostrum motu simili, praeviâ quarumcumque nonnullorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionum, officiorum notariorum huiusmodi scripturas non vacare disponentium revocatione, omnes et singulas omnium officiorum praedictorum scripturas, eatenus factas et in futurum conficiendas, etiam unâ cum titulo vacavisse et vacare debuisse declarando, ex voto tamen tunc Rotae auditorum, impositorum, aliorumque eisdem notariatum officiis incumbentium) annuis vel mensuris praestationibus per aliquot annos decursis, et forsitan non solutis, per eosdem solvi solitis, in gravissimum

¹ Huiusmodi litterae Sixti V non leguntur in *Bullario* (R. T.).

dictae Camerae aliorumque interesse habentium praeiudicium et detrimentum, dictique collegii splendoris etiam damnosum vilipendium, satisfacere et correspondere non valeat; quodque scripturae (ultra continuas litigantium et curialium incommoditates, quas ipsi, ob diversas notariorum praedictorum in variis et remotis ac ab invicem separatis Urbis partibus sitas mansiones per ipsos notarios habitatas, saepe numero patiuntur), in dictis notariorum domibus conservatae, quandoque deperdi possint, ac etiam realiter nonnullae, non sine máximo litigantium praeiudicio, forsitan deperditae fuerint; proptereaque in congregatione super praemissis a recolendae memoriae Alexandro Papa VII similiter praedecessore nostro deputatâ, quod, attentis supradictis narratis, numerus¹ notariorum huiusmodi ad minorem numerum reduceretur, ipsique notarii sic reducendi in uno et eodem loco cohabitare et inibi in archivio ad id destinando omnes et singulas scripturas conservare tenerentur, salvis in reliquis erectionibus praedictis, licet frustra, et absque ullo effectu, decretum fuerit:

§ 3. Nos igitur, quibus cura et sollicitudo boni publici insidet, dicti Alexandri praedecessoris vestigiis in hoc inhaerendo, non solum praedictis, verum etiam pro maiori et publicâ curialium et litigantium utilitate ac commoditate, illorumque minori dispendio, necnon aliis rationabilibus de causis, in congregatione novissime per nos particulariter deputatâ cum dilectorum filiorum nostrorum prodatarii ac vicecancellarii et pro camerarii S. R. E. necnon trium apostolici palatii huiusmodi auditorum ab eadem Rota ad effectum huiusmodi deputatorum interventu habitâ, mature dis-

Quam executioni mandat hic Pontifex, ad quatuor tantum illos reducere.

¹ Male edit. Main. legit *numerum* (R. T.).

cussis adducti, motu simili, etiam ex voto posterioris congregationis huiusmodi, numerum quadraginta octo officiorum notariatuum huiusmodi ad quatuor officia vacabilia notariorum huiusmodi dumtaxat, reliqua quadraginta quatuor officia huiusmodi et illorum titulos motu pari supprimentes et annullantes, perpetuo reducimus, primi videlicet per Vincentium ad nos et successores nostros Romanos Pontifices, secundi vero per Carolum ad vicecancellarium, et tertii per Jacobum Philippum ad camerarium S. R. E., necnon quarti officiorum huiusmodi de cetero vacaturorum per Petrum infrascriptos respective possessorum collationes ad dictos auditores pro tempore existentes respective spectare et pertinere declaramus, ac in dictos quatuor notarios unum¹ collegium constituentes, ex voto eiusdem posterioris congregationis, Vincentium Cicellium, Carolum Bonamici, Jacobum Philippum Caesarini, et Petrum Francisconium, dilectos filios, triginta septem officia huiusmodi respective ad praesens obtinentes (ita ut ipsi reliqua undecim officia huiusmodi, per Antonium Cartonium et Hieronymum Aloysium Rosignanum, ac Emiliam Gottum, etiam dilectos filios, respective ad praesens possessa, iusto et competenti, et per posteriorem congregationem huiusmodi constituendo et beneviso pretio, habitam tamen ratione qualitatum praesentium temporum et consimilium officiorum huiusmodi hisce temporibus et forsitan non ita pridem factarum venditionum, et aliorum particularium, cum conditione et pacto tamen omnia et singula onera alias quadraginta octo notariis huiusmodi inveniendis supportandi, a dictis Antonio et Hieronymo Aloysio et Emilio emere, domini vero Antonius et Hieronymus Aloysius ac Emilius praedicti domini

¹ Potius lege ac dictos ... in unum (R. T.).

undecim officia sic suppressa vendere respective teneantur) motu simili nominamus.

§ 4. Volumus autem quod, Antonio et Hieronymo Aloysio ac Emilio praedictis, aut aliquo illorum, dicta undecim officia seu illorum aliqua ut praefertur suppressa vendere recusantibus, seu recusante, statim, facto deposito pretii ut praefertur benevisi penes sacrum Montis Pietatis Urbis in creditum illorum, venditio legitime facta censeatur eo ipso, et quod de cetero ipsi Antonius et Hieronymus Aloysius ac Emilius notarii, tam scribendo quam in causis dicti tribunalis se ingerendo aut immiscendo, denominari aut appellari nullatenus possint prohibemus.

§ 5. Quinimo ipsis¹, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae et aliis arbitrio intelligendis poenis, quatenus ipsi statim facto deposito pretii huiusmodi omnes et singulos libros, scripturas et registra, ceteraque singula notariorum huiusmodi officia concernentia, dominis quatuor notariis ut praefertur nominatis respective consignare debeant, praecipimus et mandamus.

§ 6. Ceterum pro dictorum quatuor notariorum, dictique illorum collegii, honoris et dignitatis praerogativa conservanda, ut ipsi omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, indultis, praerogativis, concessionibus, gratiis, praemiaentis et antelationibus, quibus alias dicti quadraginta octo notarii, ante suppressionem et reductionem praedictas, quomodolibet utebantur, fruebantur et potiebantur, pari modo et absque aliqua prorsus differentia frui, potiri et gaudere possint et valeant, supportatis tamen oneribus praedictis, motu pari concedimus et indulgemus.

¹ Edit. Main. legit ipsi (R. T.).

Suppressis vendere recusantibus, quid agendum statuit.

Ipsosque ad consignationem scripturarum sub certis poenis compellit.

Privilegia ad quatuor notariorum favorem confirmat.

Clausulae prae-
servativae.

§ 7. Praesentes quoque et desuper conficiendas litteras, etiam ex eo quod singuli nominati praedicti praemissis non consenserint, nec forsitan ad ea omnia et singula vocati et auditi fuerint, nullo, nunquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quovis etiam quantumvis magno et inexcogitato et substantiali defectu, etiam ex eo quod super praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex alio quolibet capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praedictorum specialiter ac individue exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi vel aliis superius expressis seu illatis¹ nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae seu iustitiae remedium impetrari, seu etiam motu et potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato aut concessio quempiam uti seu iuvare in iudicio et extra posse, neque ipsas² praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendî, sed semper ab illis exceptas perpetuoque validas et efficaces existere et

¹ Forsan legendum *allatis* (n. T.).

² Edit. Main. legit *ipsos* (n. T.).

fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,

§ 8. Sicque et non aliâs per quoscunque indices, etiam Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ, etc., iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari (perpetuum silentium super litibus et controversiis aliâs per dictos notarios contra quosvis alios in dicti sacri palatii apostolici auditorio aut alio tribunali coram quovis iudice praemissorum occasione quomodolibet suscitatis imponendo), motu simili, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

§ 9. Non obstantibus praemissis, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, et indultis, privilegiis, supradictis collegio illiusque singularibus personis quomodolibet concessis, necnon piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri gratias Cameram praedictam concernentes in eâdem Camerâ registrari debere disponente, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, desuper in genere vel in specie editis, etiam motu proprio, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et quibuscumque etiam quantumvis efficacissimis clausulis et decretis etiam irritantibus roboratis, et aliâs in contrarium praedictorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi,

Clausula sub-
latâ.

Contrariis
derogat.

ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et potestatis plenitudine similibus, derogamus, ac derogatum esse volumus et declaramus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio E.

Solam signaturam fidem facere statuit.

Et quod singulorum officiorum huiusmodi concessorum¹ et litterarum tenores etiam veriores habeantur pro expressis, seu toto vel in parte exprimi possint in litteris, et de ipsius² suppressione, reductione, annullatione, concessione, voluntate, indulto, declaratione et derogatione, aliisque praemissis, ut supra, quae hic pro sufficienter et ad partes repetitis habeantur, ut supra in litteris, et cum clausulâ *Ad perpetuam rei memoriam* latissime extensâ, et quod praemissorum omnium et singulorum etiam denominationes, qualitates, nuncupationes, invocationes, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris. Volumus autem quod sola praesentis motusproprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regulâ contrariâ D. F., ceterisque contrariis quibuscumque, ut supra, non obstantibus, seu si videbitur per Breve nostrum seu officium de Curiâ expediri possint.

Fiat E.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem x kalendas novembris, anno II.

Dat. die 23 octobris 1671, pontif. anno II.

Anno a Nativitate D. N. I. C. MDCLXXI, indictione IX, die vero XXXI mensis

¹ Forsan legendum *concessionum* (R. T.).

² Videtur legendum *ipsius* pro *ipsius* (R. T.).

octobris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis divinâ providentiâ Papae X, anno eius II, supradicta cedula motusproprii Sanctissimi affixa et publicata fuit ad valvas Curiae, et in acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, ut moris est, per me Ioannem Antonium Bertarellum apostolicum cursorem.

JOSEPH PIZZARDUS inagister cursor.

LXXXIII.

Confirmatio et renovatio Constitutionum a Summis Pontificibus editarum super solutione communium, annatarum et quindenniorum, ac indicatione unionum, cum revocatione privilegiorum ac Congregationis deputatione¹.

Clemens Episcopus,
Motu proprio, etc.

Postquam² nonnullae a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris (Camerâ Apostolicae et Collegii³ venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ac dilectorum filiorum Cancellariae Apostolicae officialium de communibus, annatis et quindenniis participantium indemnitati consulere, imo illorum iura manutenere, necnon illorum damnis plerumque ex incuriâ illorum iurium exactorum

Causae huius Constitutionis.

¹ Similem confirmationem et renovationem constitutionum Pii et Sixti V habes in Constitutione LXIV Urbani VIII, *Aliâs*, tom. XIII, pagina 161, ubi multa circa materiam annotata videre poteris.

² Constitutionem istam plurimis tum in edit. Cherub. tum eo magis in edit. Main. erroribus deturpatam, ac verborum obtruncationibus mutilam, insuper et absurdâ interpunctione plerumque notatam, adeo ut fere inextricabilis evadat, pro viribus emendare conabimur (R. T.).

³ Male ed. Main. legit *collegium* (R. T.).

provenire solitis obviare cupientibus) super solutione communium, annatarum et aliorum iurium praedictorum eisdem camerae, collegio et officialibus ratione unionum monasteriorum, prioratum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum certis modo et formâ tunc expressis qualificatorum, constitutiones editae emanaverant ;

Paulus IV revocat absolutio-
nem a quibusdam
nisi quam dede-
rat Eugenius IV
quibusdam con-
gregationibus.

§ 1. Felicis recordationis Paulus PP. IV¹, praedecessor noster, singulas litteras piae memoriae Eugenii PP. IV, etiam praedecessoris nostri, nonnullas congregationes regulares (quas² a sententiis, censuris et poenis, quibus ob non solutionem mediorum seu integrorum fructuum primi anni monasteriorum et beneficiorum per ipsum Eugenium praedecessorem huiusmodi vel Sedem Apostolicam eorum monasteriis, prioratibus, ecclesiis et beneficiis sive locis eatenus unitorum innodatae erant, per suas litteras absolvit, et quas-cumque obligationes per eas dictae camerae propterea factas, ac medios seu integros fructus huiusmodi eis liberaliter remisit, et de illis ac aliis quibus-cumque, quae praedictae camerae eatenus solvere quomodolibet obligatae erant, generalem quietantiam fecit) concernentes (pro eo quod per litteras praedictas successoribus suis Romanis Pontificibus, et per consequens collegio cardinalium huiusmodi et officialibus Romanae Curiae causam ab ipsis Romanis Pontificibus * habentibus, praeiudicare non potuisset³.) * ac recolendae memoriae Leonis X et Clementis VII Romanorum Pontificum, ⁴ similiter praedecessorum

¹ Const. Pauli IV habes in tom. VI, pag. 533 (R. T.).

² Vocem *quas* nos addimus (R. T.).

³ Pericopem istam * *habentibus* *potuisset*, addimus ex edit. Cherub. et ex loco parall. Const. Pauli IV, tom. VI, pag. 535 a (R. T.).

⁴ Iterum pericopem istam * *ac recolendae* ...

nostrorum (tamquam contra ordinationes, statuta, decreta et declarationem sanctae memoriae Pauli et Iulii II, pariter praedecessorum nostrorum, ac causâ non cognitâ, et non vocatis nec auditis, quorum intererat, emanatas), ad viam et terminos iuris reducens et reductas esse decernens, motu simili, etc., omnes et singulas uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones de quibusvis monasteriis, prioratibus, praeposituris, praepositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, saecularibus et quorumvis Ordinum seu militiarum regularibus, quibuscumque collegiatis ecclesiis, seu earum mensis capitularibus, vel collegiis, universitatibus et utriusque sexus congregationibus, etiam saecularibus, necnon domibus, fabricis, hospitalibus et aliis piis locis, etiam illis a solutione huiusmodi exemptionem habere praesumentibus, quae ex eorum perpetuitate non vacant, per quoscumque Pontifices praedecessores suos quocumque tempore etiam ante sanctae memoriae Martinum Papam V etiam praedecessorem suum et ipsum Paulum IV praedecessorem huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, perpetuo factas, et de cetero per successores suos Romanos Pontifices similiter perpetuo faciendas, sub litteris Pauli II praedecessoris huiusmodi includi et comprehendi;

§ 2. Et propterea tam quascumque congregationes, quam quosvis alios in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones huiusmodi factae fuerant, etiamsi se superinde in Camera non obligavissent, ad solutionem communium et *Pontificum*, addimus ex edit. Cherub. et ex loco parall. cit. (R. T.).

Illasque con-
gregationes sub
Iulii III litteris
comprehendi
declarat.

nutorum servitorum ac annatarum et aliorum iurium praedictorum eidem¹ Camerae, Collegio et officialibus, ratione earundem unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et submissionum, singulis quindecim annis a die quo illae suum effectum sortitae fuissent, aliàs iuxta tenorem litterarum Iulii III² praedecessoris huiusmodi, faciendam teneri et obligatos esse, et ad id, necnon ad se communibus et minutis servitiis ac annatis et aliis iuribus praedictis de quindecim annis in quindecim annos realiter et cum effectu solvendis in formâ solitâ obligandum, etiam per sententias, censuras et poenas, etiam privationis et dissolutionis unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et submissionum praedictarum, in litteris Pauli, Iulii II ac Iulii III praedecessorum huiusmodi contentas, cogi et compelli posse, necnon monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, personatus, administrationes et officia et beneficia unita huiusmodi onus solutionis communium et minorum servitorum ac annatarum et aliorum iurium praedictorum semper habuisse et habere decrevit et declaravit; mandans propterea bonae memoriae Ioanni Michaëli S. Mariae Saraceno et Virgilio S. Simeonis tituli de Spoleto nuncupatis presbyteris S. R. E. cardinalibus, tunc in humanis agentibus, ut omnes et singulas causas coram eis inter procuratorem fiscalem dictae Camerae et³ officiales praedictos ex unâ et quascumque congregationes seu alias personas ex alterâ partibus, super solutione commu-

nium et minorum servitorum ac annatarum et aliorum iurium praedictorum, vel eorum occasione, pro tempore pendentes, iuxta eius Constitutionis tenorem terminarent et deciderent; quodque omnes et singuli, in quorum favorem uniones aliaque praedicta emanassent, infra terminum eis a dictis Ioanne Michaële et Virgilio cardinalibus praefigendum, omnia et⁴ singula monasteria et alia beneficia ecclesiastica unita huiusmodi, unâ cum illorum fructuum anno valore, Ioanni Michaëli et Virgilio cardinalibus praedictis notificasse et intimasse debuissent², et ad id per sententias, censuras et poenas in litteris eiusdem Pauli praedecessoris contentas cogi et compelli possent, decrevit, statuit et ordinavit; irritante decreto desuper apposito, et aliàs prout in dictis litteris sub datum x kalendas februarii, pontificatus sui anno iv, plenius continetur.

§ 3. Et successive sanctae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, provide considerans³, quod annatarum, communium et aliorum iurium Camerae Apostolicae debitorum exactio, in recognitionem universalis domini introducta, esset antiquissima, et quindenniorum usus et solutio ideo adinventi fuerant, ne Camerae praedictae ex monasteriorum aliorumque beneficiorum unionibus, quae amplius vacare non sperabantur, detrimentum aliquod induceretur, volens propterea praedictae Camerae et eorundem cardinalium Collegio, necnon Cancellariae apostolicae officialibus, de communibus, annatis et quindenniis participantibus, iura praeservare, illorumque

Pius V.

¹ In loco parall legitur *eidem* (R. T.).

² Legendum videretur ex praemissis *Iulii II*; et in Const. Pauli IV, quae hic breviter refertur, memoratus antea fuit etiam *Iulius III* (R. T.).

³ Coniunct et addimus ex loc. parall. tom. vi, pag. 536 b (R. T.).

⁴ Coniunct. et addimus ex loc. parall. tom. vi, pag. 537 a (R. T.).

² Aptius ex loc. parall. cit. lege *deberent* (R. T.).

³ Vide Constitut. LX PP. Pii V in tom. vii, pag. 578 et seq. (R. T.).

indemnitati consulere invigilans, motu pari, etc., omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum et collegiatarum ecclesiarum¹ capitula, congregationes, universitates, collegia, hospitalia, ac pia loca, et quosvis alios, in quorum favorem tam saecularium quam quorumvis Ordinum regularium et² monasteria, prioratus, praepositurae, necnon dignitates et alia quaecumque beneficia ecclesiastica unita, annexa et incorporata, seu applicata existerent, et illorum uniones eis factae reperirentur, quantumcumque exempta et privilegiata existerent, etiamsi superinde in Camera Apostolica se non obligassent, dummodo monasteria seu beneficia ipsa possiderent, ad solutionem communium, annatarum et aliorum iurium praedictorum eisdem Camerae, Collegio et officialibus, ratione unionum, annexionum, seu applicationum praedictarum, singulis quindecim annis, a die qua illae suum sortitae fuissent effectum, faciendam teneri et obligatos esse, et ad id per sententias, censuras et poenas in singulis Pauli II et aliorum praedecessorum suorum summorum Pontificum litteris contentas cogi et compelli posse, decrevit et declaravit; mandans propterea bonae memoriae Hieronymo, tunc episcopo Maceratensi, Camerae Apostolicae clerico, annatarumque iudici tunc existenti, ut, pro faciliiori indagazione unionum praedictarum, omnia et singula cathedralium etiam metropolitanarum et collegiatarum ecclesiarum capitula, collegia, necnon tam virorum quam mulierum saeculares et quorumvis Ordinum regulares congregationes, seu collegia et pia loca huiusmodi, eorundemque praelatos et procuratores, ad indicandum et profitendum medio iuramento omnia et singula mo-

¹ Edit. Main. legit *ecclesiarumque* (R. T.).

² Particula *et* delenda videtur (R. T.).

nasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, parochiales ecclesias et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, quae ipsa capitula, congregationes, et alia loca praedicta possiderent, et quo titulo illa possedissent, illorumque annuos¹ valores, sub privationis et aliis in litteris in forma motus proprii Pii V praedecessoris huiusmodi contentis sententiis, censuris et poenis, in Romanam Curiam et extra eam moneret et requireret, prout in litteris Pii V praedictis huiusmodi etiam plenius continetur.

§ 4. Et deinde etiam sanctae memoriae Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster (attendens² quod tantumdem detrimenti Camerae, Collegio et officialibus praedictis ex unionibus, quae ab Ordinariis locorum et aliis fiebant, proveniebat, ac propterea aequum esse censens ut³, quod in unionibus per Sedem Apostolicam factis locum obtineret, illud idem et fortius in unionibus per ipsos Ordinarios factis et faciendis observaretur, et licet in constitutionibus et litteris praedecessorum suorum comprehendi videretur, tamen ut cuius disputandi occasio praecideretur), motu pari, etc., statuit et declaravit quod uniones, annexiones, incorporationes, submissiones de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, etiamsi monasteria monialium et hospitalia fuissent, quae tamen tempore ipsarum unionum cura, conventu et hospitalitate caruissent (et quorum singulorum, vel, si plura beneficia unice litteris comprehensa essent, quorum cuiuslibet annuus valor viginti qua-

Et Sixtus V solutionem quatuordecim annorum fieri praecipuit.

¹ Perperam edit. Main. legit *annuos* pro *annuos* (R. T.).

² Confer Const. XLVI PP. Sixti V in tom. VIII, pag. 703 (R. T.).

³ Particula *ut* addimus ex loco parallelo; ed. Main., pro *censens ut*, legit *censuerat* (R. T.).

tuor ducatos ¹ auri de camerà secundum communem aestimationem valoris anni nummorum non ² excessisset, dummodo tamen omnium insimul illum transcenderet), cuiusque ecclesiae, monasterio, collegio, domui, societati, congregationi, Ordini, militiae, hospitali, seminario, aut alteri loco pio, tam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos, necnon per Sedis Apostolicae legatos, nuncios et alios quoscumque subdelegatos, aut aliàs quomodolibet apostolicà auctoritate, quam ³ per quemcumque loci Ordinarium, in qualibet mundi parte catenus factae et in futurum faciendae (etiamsi manualia, et de iure patronatus ducum, marchionum, baronum, comitum, et aliorum nobilium et illustrium beneficia illa fuissent), sub dictorum praedecessorum constitutionibus et ordinationibus omnino comprehendi et includi ⁴, et ab omnibus comprehensas et inclusas esse censi voluit; et ⁵ ad solutionem quindenniorum teneri et obligatos esse, et ad id cogi et compelli posse declaravit; mandavitque bonae memoriae Alexandro Glorierio, Camerae Apostolicae clerico, et annatarum tunc iudici, ut, pro faciliiori indagatione unionum praedictarum, omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum, et collegiatarum ecclesiarum capitula, et alia loca pia praedicta moneret et requireret ut ⁶ profiterentur medio iura-

¹ Edit. Main. legit *quorum quodlibet annum valorem viginti quatuor ducatorum* (R. T.).

² Particulam *non* nos addimus; edit. Main. habet *sec. com. aest. val. ann. num. excessisset* (R. T.).

³ Vocem *quam* addimus ex loc. parallelo (R. T.).

⁴ Ex loco parallelo et ex ratione contextus lege *potius comprehenderentur et includerentur* (R. T.).

⁵ Heic subde ex loco parallelo *propterea omnia et singula capitula, etc. et pia loca huiusmodi* (R. T.).

⁶ Perperam ed. Main. legit *ac pro ut* (R. T.).

mento omnia et singula beneficia ecclesiastica, quae vigore similium unionum quomodolibet possidebant, illorumque annuos valores, iuxta praedicti Sixti V praedecessoris Constitutiones, cum facultate citandi et inhibendi, et aliis, prout ¹ in litteris in formà Brevis sub datum XIV mensis maii MDLXXXVI similiter plenius continetur.

§ 5. Postremo felicitis recordationis Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster ², cum, sicut acceperat, et sicut ei etiam innotuerat, adessent quamplurimae uniones et applicationes a dicto tempore citra factae, quarum notitia a Camerà et Cancellarià Apostolicà desiderabatur, volens propterea tam Camerae praedictae quam eorundem cardinalium collegio et officialibus de annatis participantibus consulere, motu simili, quas-cumque tam sub plumbio, quam in formà Brevis et motus proprii litteras dictorum Pii V et Sixti V, necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum suorum, super solutione annatarum, communium, quindenniorum et aliorum iurium, tam ratione provisionum seu unionum perpetuarum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum per Sedem Apostolicam factarum et faciendarum editas, confirmatas et innovatas, cum omnibus clausulis, decretis, derogationibus, ac censuris et poenis in illis contentis, necnon omnia et singula per quoscumque iudices, executores et commissarios in praemissis et circa ea quomodolibet gesta et executa, et inde legitime secuta quaecumque (quorum ³ tenores, ac si de verbo ad verbum illic inserti essent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habens),

Quae omnia confirmavit Urbanus VIII.

¹ Particulam *prout* nos addimus (R. T.).

² Vide Constit. LXIV Urbani VIII, tom. XIII, pag. 161 (R. T.).

³ Potius lege *eorum* (R. T.).

auctoritate apostolicâ confirmavit et approbavit, necnon illis opportuna et irrefragabilis firmitatis robur adiecit, omnesque et singulos iuris et facti ac alios defectus, si qui forsan intervenissent, in eisdem supplevit, atque illas et illa, quatenus opus esset, innovavit; mandans propterea bonae memoriae magistro Hieronymo Raymundo dictae Camerae clerico (cui ante¹ a piae memoriae Gregorio Papa XV etiam praedecessore nostro omnes et singulae causae inter quondam Gasparem Rivaldum, cancellariae apostolicae generalem subcollectorem, ex unâ, et quascumque congregationes, capitula, collegia, loca pia, et quasvis alias personas, ex alterâ partibus, super solutione annatarum, communium et aliorum iurium, quindenniorum commissae reperiiebantur), et aliis in eius locum per dictum Urbanum vel eius successores subrogandis iudicibus, ut, pro faciliori indagazione unionum, annexionum, incorporationum, seu applicationum praedictarum, omnia et singula capitula, collegia, congregationes, seminaria, societates et alia loca pia praedicta, eorumque praelatos et procuratores, ad indicandum et profitendum medio iuramento omnia et singula monasteria, prioratus, praeposuras, praepositatus, parochiales ecclesias, et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, etiamsi manualia et de iurepatronatus, ut praefertur, fuissent, quavis auctoritate apostolicâ seu ordinariâ aut subdelegatâ eis unita et concessa, quae ipsa capitula, collegia, seminaria, congregationes et alia loca pia praedicta vigore unionum huiusmodi possidebant, illorumque annuos valores, sub privationis et aliis in litteris dictorum Pii et Sixti praedecessorum huiusmodi contentis sententiis, censuris et poenis, in Romanâ Curiâ et extra eam

¹ Edit. Main. legit *antea* pro *ante a* (R. T.).

monerent et requirerent, cum potestate dicta capitula, collegia, congregationes, seminaria, societates, hospitalia et alia loca pia praedicta, necnon quindenniorum et iurium debitores in litteris eiusdem Urbani praedecessoris comprehensos, etiam per edictum publicum, constituto summarie de non tuto accessu, tam in dictâ Curiâ quam extra eam, citandi, monendi et requirendi, ac eis et aliis quibusvis, et, quoties opus fuisset, sub censuris et poenis ecclesiasticis ac pecuniariis eorum arbitrio ferendis, statuendis, moderandis et applicandis, ac etiam privationis beneficiorum unitorum, etiam simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum beneficia unita, et solvendum quindennia decursa, etiamsi ad id in Camerâ Apostolicâ non se obligavissent, constituto tamen de sortito effectu unionum, per similes sententias, censuras et poenas, etiam per interdicti tam localis quam personalis appositionem, quoties opus fuisset, per dictum Hieronymum, et illi subrogandos¹, ferendas et promulgandas, necnon fructuum, reddituum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum, quae ipsi debitores possidebant, pro quantitate eorum debiti sequestrationem, et alia opportuna iuris et facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, cogendi et compellendi, ac in praemissis omnibus et singulis etiam summarie et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, et aliâs more camerâli, procedendi, ac eos, qui sententias, censuras et poenas praedictas, ut praemittitur, incurrerant², ab³ iisdem censuris et poenis, praeviâ satisfactione, absolvendi et liberandi, aliaque faciendi, gerendi

¹ Edit. Main. legit *subrogandas* (R. T.).

² Aptius lege *incurrerint* (R. T.).

³ Praeposit. *ab* nos addimus ex loco parall. (R. T.).

et exercendi, quae in praemissis necessaria fuissent, seu quomodolibet opportuna, ac aliis, prout¹ in litteris apostolicis eiusdem Urbani praedecessoris, sub datum idibus iunii anni Domini MDCCXXIV, pontificatus sui anno 1, etiam plenius continetur.

Confirmatio et
approbatio de
qua in rubrica.

§ 6. Cum autem, sicut accepimus, exactiones iurium ratione quindenniorum huiusmodi decursorum, et eorundem cardinalium collegio debitorum, ob procuratorum dicti collegii incuriam, non sine maximo illius damno et praeiudicio, non solum neglectae fuerint, imo etiam diversae regularium et forsae saecularium personarum congregationes, etc., sub litteris praedictis minime comprehendi contendant, et propterea, ac forsae aliis frivolis praetextibus, communia, minuta servitia, annatas et alia iura Camerae et collegio ac officialibus praedictis ratione unionum eisdem monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis ecclesiasticis hactenus factarum debita, licet solutio huiusmodi, in recognitionem universalis domini introducta, sit antiquissima, ut praefertur, censuras et poenas in singulis litteris praedictis contentas damnabiliter incurrendo, in maximum animarum suarum periculum, et Camerae ac collegii, officialiumque praedictorum detrimentum, persolvere recusent; nos vero² praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, nolentes Camerae nostrae Apostolicae, cui diversa impensarum onera pro Ecclesiae Romanae statu conservando quotidie incumbunt, iura pro posse nostro negligere, quinimo tam illius quam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum cancellariae apostolicae officialium de annatis participantium indemnitatibus de cetero obviare, necnon illo-

rum commodis et utilitatibus consulere, ac illorum iura illaesa, ut tenemur, servare volentes, motu simili, omnia et singula privilegia, immunitates et exemptiones per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros quibusvis congregationibus et quibusvis aliis, ratione solutionis communium, quindenniorum, aliorumque iurium praedictorum Camerae, collegio et officialibus praedictis faciendae, hactenus quomodolibet concessa revocantes et annullantes, revocataque et annullata ex nunc esse et fore decernentes, quascumque, tam sub plumbo quam in formâ Brevis et motus-proprii litteras eorundem Paulii IV, et Pii ac Sixti V, atque Urbani VIII, necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, super solutione annatarum, communium, quindenniorum et aliorum iurium, tam ratione provisionum seu unionum perpetuarum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum per dictam Sedem factarum et in posterum faciendarum editas, confirmatas et innovatas, cum omnibus clausulis, decretis, derogationibus, ac censuris et poenis in illis inflictis, comminatis et contentis, necnon omnia et singula per quoscumque iudices, executores et commissarios in praemissis et circa ea quomodolibet gesta et executas, et inde legitime secuta quaecumque (quorum¹ tenores, ac si de verbo ad verbum hic inserti essent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, necnon illis perpetuae et irrefragabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti et quosvis alios defectus, si qui desuper forsae quomodolibet intervenerint in eisdem, supple-

¹ Particulam *prout* nos addimus (R. T.).

² Vox *vero* praeter rem esse videtur (R. T.).

¹ Potius lege *horum* (R. T.).

mus, atque illas et illa, quatenus opus sit, innovamus; ac omnes et singulas uniones de quibusvis monasteriis et aliis beneficiis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, quibuscumque ecclesiis, etiam parochialibus, et utriusque sexus congregationibus, tam saecularibus quam regularibus, et aliis piis locis, nullis penitus exclusis, quae ex eorum perpetuitate non vacant, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et ante ipsum Martinum praedecessorem, et nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, perpetuo factas, et de cetero tam per nos quam successores nostros similiter perpetuo faciendas, sub litteris Pauli praedecessoris huiusmodi comprehendendi et includi;

Congregationes omnes ad huiusmodi solutionem teneri statuit.

§ 7. Ideoque quascumque congregationes, et¹ quosvis alios in quorum favorem uniones huiusmodi factae fuerint, etiamsi se superinde in Camera non obligaverint, ad solutionem communium et minorum servitorum et annatarum, aliorumque iurium praedictorum, eisdem Camerae, collegio et officialibus ratione earundem unionum, ut praefertur, faciendam teneri, et ad idem, necnon de² communibus et aliis iuribus praedictis solvendis obligandum, etiam per sententias, censuras et poenas, etiam privationis et dissolutionis unionum huiusmodi, cogi et compelli posse, omnia et singula in contrarium disposita tamquam nulla et irrita revocantes, nulliusque valoris et momenti esse et fore declarantes, motu simili, etc., statuimus et decernimus.

Et compelli posse declarat.

§ 8. Et insuper (ne de cetero in dubium revocari contingat, utcumque per quaecumque loca pia, tam saecularia

¹ Coniunct. et nos addimus (R. T.).

² Potius lege et ad id, nec non ad se, prout supra § 2 (R. T.).

quam quorumvis Ordinum regularia, quod¹ quinquennia et alia iura, ratione pensionum perpetuarum hactenus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos in favorem dictorum locorum piorum seu illorum fabricam super quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum fructibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, ac etiam canonicatum et praebendarum distributionibus quotidianis, reservatarum et imposterum per nos et successores nostros reservandarum, et locis piis assignatarum et assignandarum, summam tamen viginti quatuor ducatorum auri de camera excedentium, Camerae Apostolicae et collegio et officialibus praedictis persolvere debeant et teneantur), motu pari², ad quodlibet dubium e medio tollendum, et pro maiore dilucidatione litiumque remotiore occasione, quascumque congregationes, parochialia, ceteraque praedicta loca pia, in quorum favorem similes pensiones perpetuo ut praefertur reservatae fuerint et in posterum reservari contigerit, etiamsi se perinde in Camera non obligaverint, ad solutionem quinquenniorum, aliorumque iurium, ratione pensionum perpetuarum huiusmodi, licet a quibuscumque oneribus ordinariis et extraordinariis impositis et in futurum imponendis liberarum, immunium et exemptarum, eisdem Camerae, collegio et officialibus faciendam teneri et obligata existere, et ad idem per supradictas poenas, etiam privationis, cassationis, extinctionis et annulationis similium pensionum, cogi et compelli posse declaramus.

§ 9. Necnon, in securiorem et faciliorem omnium et singulorum praedictorum

Exequutorem deputat.

¹ Particulam quod nos addimus (R. T.).

² Perperam, ut puto, edit. Main. addit, etc., et deinde novam § incipit (R. T.).

executionem, dilecto filio moderno et pro tempore existenti annatarum iudici, ut, pro faciliiori indagazione unionum praedictarum, omnia et singula quarumlibet ecclesiarum capitula, congregationes, collegia, aliaque loca praedicta moneat ut profiteantur medio iuramento omnia et singula beneficia ecclesiastica, quae vigore similium unionum, et pensiones perpetuas huiusmodi¹ quomodolibet possident ac percipiunt, illorumque annuos valores, iuxta praedictorum praedecessorum nostrorum constitutiones, cum facultate citandi et inhibendi et² alia Camerae, collegio et officialibus praedictis proficua et necessaria faciendi, mandamus, ut³, pro faciliiori indagazione unionum huiusmodi, omnia et singula capitula, collegia, congregationes, seminaria, societates et alia loca pia praedicta, eorumque superiores, ad indicandum et profitendum medio iuramento omnia et singula monasteria et quaecumque alia beneficia ecclesiastica quomodolibet eis unita et concessa, et pensiones perpetuas illis reservatas et assignatas, quae et quas ipsa capitula, collegia, seminaria, congregationes et alia loca pia praedicta vigore unionum huiusmodi possident et percipiunt respective, illorumque et illarum valores annuos, sub privationis et aliis in supradictis litteris contentis sententiis, censuris et poenis, in dicta Curia et extra eam moneat et requirat, cum potestate dicta capitula, collegia, congregationes, seminaria ac parochialia et alia loca pia, necnon quindenniorum et iurium debitores, etiam per edictum publicum, constituto summarie de non tuto accessu, tam in dicta Curia quam extra eam citandi, monendi et requirendi, ac eis et quibusvis aliis, et

¹ Deest vox *quas* (R. T.).

² Coniunct. *et nos addimus* (R. T.).

³ Aliqua repetitio heic irrepsisse videtur (R. T.).

quoties opus fuerit, sub censuris et poenis ecclesiasticis ac pecuniariis eius arbitrio ferendis, statuendis, moderandis et applicandis, ac etiam privationis beneficiorum unitorum et extinctionis et annullationis pensionum reservatarum huiusmodi, etiam simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum beneficia unita ac pensiones reservatas huiusmodi et solvendum quindennia decursa, etiamsi in Camera praedicta non se obligaverint, constituto tamen de sortito effectu unionum et pensionum huiusmodi reservationum, per similes sententias, censuras et poenas, etiam per interdicti tam localis quam personalis appositionem, quoties opus fuerit per dictum indicem et illi subrogandos ferendas et promulgandas, necnon fructuum, reddituum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum et pensionum huiusmodi, quae ipsi debitores possident et percipiunt, pro quantitate eorum debiti sequestrationem, et alia opportuna iuris et facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, cogendi et compellendi, ac in praemissis omnibus et singulis etiam summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, et alias more camerale, procedendi, ac eos, qui sententias, censuras et poenas praedictas, ut praefertur, incurrunt¹, ab² iisdem censuris et poenis, praevia satisfactione, absolvendi et liberandi, aliaque faciendi, gerendi et exercendi, quae in praemissis fuerint quomodolibet opportuna.

§ 10. Necnon (ut dilecti filii nostri moderni et pro tempore existentes sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, qui illius honorabilia membra et de negotiis in consistoriis nostris tractari solitis apprime informati existunt, quosque in

Congregationem pro quindenniorum executione instituit.

¹ Aptius lege *incurrerint* (R. T.).

² Praeposit. *ab nos addimus* (R. T.).

partem apostolicae sollicitudinis evocavit Altissimus, statum illorum iuxta cardinalatus sublimitatem decentius tenere, et expensarum onera, quae eos iugiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeant) particularem Congregationem (in qua prae ceteris dilecti filii nostri Petrus tituli S. Marci Ottobonus, et Carolus tituli S. Priscae Pius, ac Carolus tituli S. Eusebii Gualterius, necnon Gaspar tituli S. Pudentianae de Carpineo, atque Angelus S. Angeli in Foro Piscium diaconus Celsus respective nuncupati, etiam S. R. E. cardinales, et pro tempore existentes sacri collegii camerarii, illorumque immediati successores, ac annatarum iudex Camerae Apostolicae clericus, necnon etiam dicti collegii secretarius, pro tempore existentes, dictam Congregationem constituentes, alique per nos et successores nostros in locum illorum subrogandi interesse possint et valeant), pro exactione quindenniorum omnium et singulorum beneficiorum ut praefertur unitorum et in libris Camerae praedictae taxatorum, et pensionum perpetuarum reservatarum huiusmodi, per quascumque congregationes et alia loca pia huiusmodi debitorum, faciendâ, motu simili, etc., constituimus et deputamus.

Etque privilegia elargitur.

§ 11. Necnon eidem Congregationi omnia et singula privilegia, indulta et facultates hactenus annatarum iudici apostolicâ auctoritate concessa, etiam cum auctoritate et potestate (praeviâ tamen avocatione cuiuslibet causae seu causarum coram quocumque iudice super praemissis vertentis seu vertentium) dictas et alias solutiones annatarum, communium, quindenniorum et aliorum iurium praedictorum concernentes introductas et imposterum introducendas causas, iuxta litterarum praedictarum formam et dispositionem, etiam cum facultate requirendi votum sacrae Rotae auditorii, in

causis tamen eidem Congregationi benevisis duntaxat, causas¹, etiamsi super iuribus competentibus collegio una vel plures latae fuerint sententiae dicto collegio non audito, audiendi, decidendi, cognoscendi, sineque debito terminandi; necnon quascumque congregationes, aliaque loca pia huiusmodi, in quorum favorem monasteria et alia beneficia unita ac pensiones perpetuae huiusmodi reservatae fuerint, ad instantiam dictae Congregationis, ad librorum computorum exhibitionem, appellatione, recursu et reclamatione penitus remotis², compellendi³, facultatem, motu pari, etc., concedimus et communicamus, etiam cum potestate dicta capitula, collegia, congregationes, seminaria, societates, hospitalia et alia loca praedicta, necnon eorundem quindenniorum et iurium debitores in praesentibus nostris litteris comprehensos⁴, etiam per edictum publicum, constituto summarie de non tuto accessu, tam in dictâ Curia quam extra eam citandi, monendi et requirendi, ac⁵ eis et aliis quibusvis, et quoties opus fuerit, sub censuris et poenis ecclesiasticis ac pecuniariis, eorum arbitrio ferendis, statuendis, moderandis et applicandis, ac etiam privationis beneficiorum unitorum, cassationis pensionum praedictarum, etiam simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum beneficia unita et pensiones assignatas huiusmodi et solvendum quindennia decursa, etiamsi ad id in Camera Apostolicâ non se obligaverint, constituto tamen de sortito effectu unionum, per similes sententias, censuras et poenas, etiam per interdicti tam

¹ Vox *causas* delenda videtur (R. T.).

² Perperam tam edit. Main. tam ed. Cherub. legunt *commolis* pro *remotis* (R. T.).

³ Eaedem editiones habent *repellendi* pro *compellendi* (R. T.).

⁴ Edit. Main. legit *comprehensis* (R. T.).

⁵ Utraque ed. habet *requirendi ab eis* (R. T.).

localis quam personalis appositionem, per eos et in eorum loco subrogandos, quoties opus fuerit, ferendas et promulgandas, necnon fructuum, reddituum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum, quae ipsi debitores possidebunt, pro quantitate eorum debiti sequestrationem, et alia opportuna iuris et facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, cogendi et compellendi, ac in praemissis omnibus et singulis etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, et aliâs more camerali, procedendi, et eos, qui sententias, censuras et poenas ut praefertur incurrerint, ab eisdem censuris et poenis, praeviâ satisfactione, absolvendi et liberandi, aliaque faciendi, decidendi, gerendi et exercendi, quae in praemissis necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna.

Clausulas prae-
servativas ap-
ponit.

§ 12. Praesentes quoque et desuper conficiendas litteras, etiam ex eo quod superiores congregationum et monasteriorum, et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quovis alio defectu, etiam quantumvis magno et inexcogitato, ac substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis, seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda¹ et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultant, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, seu occasione vel causâ etiam quantumvis iustâ,

1 Edit. Man. habet *reservanda* (R. T.).

rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis relatis in litteris ullibi¹ appareret seu aliter probari² posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illos³ restitutionis in integrum, apertitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concessio aut impetrato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendendi, sed semper ab illis exceptas, et⁴ perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari,

§ 13. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac nuncios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet in quocumque iudicio et in quavis instantiâ aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque, etc., motu pari, etc., decernimus.

§ 14. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non

Nec aliter iudicari posse ducerunt.

Contrariis derogat.

1 Potius lege *nullibi* (R. T.).

2 Deest particula *non* (R. T.).

3 Potius lege *illas* nempe *litteras* (R. T.).

4 Coniunct. *et* addimus ed. Cherub. (R. T.).

tollendo, necnon etiam in synodalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon etiam, quatenus opus sit, congregationum et monasteriorum et quorumvis aliorum locorum piorum statutis, etiam iuramento, etc., roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etc., sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu simili, etc., et de apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, innovatis; quibus omnibus, etc., etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, motu pari, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque: cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio E.

§ 15. Et quod dictarum litterarum et inde secutorum quorumcumque tenores etiam veriores, ac datum earundem, necnon litis et causae, si quae sint, status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium ac¹ singulorum monasteriorum et congregationum et aliorum locorum piorum unitorum huiusmodi denominationes et qualitates habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi possint, et de perpetuis confirmatione, approbatione, roboris adiectione, defectuum suppletionem, invocatione, statuto, decreto, mandato, declaratione, deputatione, constitutione,

¹ Coniunct. ac nos addimus (R. T.).

concessione, communicatione, derogatione et aliis praemissis ut supra latissime extendendis, et quod praemissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum, maior et verior specificatio et expressio fieri possit¹ in litteris in formam gratiosam, cum clausula *perpetuo*² et *ad perpetuam rei memoriam*, etiam per officium contradictarum, aut alias per Cancellariam, aut de Curia, ut vocant, seu per viam (S) secretam, absque aliquo alio signo seu contrasigno expediendae et relaxandae, seu, si videbitur, sola praesentis motus proprii signaturam sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra illud: regulam quacumque contrariam non obstante.

§ 16. Volumus autem ut praesentium transumptis manu datarii nostri subscriptis et etiam impressis fides adhibeatur.

Transumptum fides.

Fiat E.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, vii kalendas novembris, anno II.

Dat. die 26 octobris 1671, pontif. anno II.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCLXXI, die vero XXI mensis novembris, indictione IX, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis divina providentia Papae X, anno eius II, supradicta confirmatio et renovatio constitutionum affixa et publicata fuit ad vulvas basilicae Principis Apostolorum, cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Carolum Franceschinum apostolicum cursorem.

IOANNES ANTONIUS BERTARELLUS
pro magistro cursorum.

¹ Edit. Main. legit *possint* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *perpetua* (R. T.).

LXXXIV.

Statutum pro civitate Avenionensi circa aetatem et qualitates requisitas in iudicibus curiae ordinariae S. Petri, et quod Avenionenses trahi nequeant ad Romanam Curiam nisi in causis scuta mille in sorte et scuta centum in annuo redditu excedentibus, cum confirmatione privilegiorum universitatis dictae civitatis, ac ordinatione ut fundationes septem collegiorum iuxta primaevam institutionem serventur, et aliis circa nominationem ad officia dictae civitatis, cum confirmatione Brevium Urbani VIII quod, praeter legatos, vicelegatos, archiepiscopum et praefectos armorum dictae civitatis, nemo sit immunis ab impositionibus, quae in ingressu civitatis praedictae solvuntur¹.

Clemens Papa IX
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Constantis fidei et sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Avenionensis erga nos et Romanam Ecclesiam gerere comprobantur, nos adducit ut eorum commodis paternâ benignitate libenter consulamus. Itaque, specialem eidem communitati et hominibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatae existunt, ad effectum praesentium demtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ut iudices curiae ordinariae S. Petri nun-

¹ Nunc primum impressa.

cupatae dictae civitatis, qui annuales sunt, in eâ aetate constituti, illisque qualitatibus praediti esse debeant, quas statuta eiusdem civitatis requirunt, ita ut iunior quidem saltem vigintiquinque annorum aetatem et tres annos praeicae sive usus forensis compleverit, senior vero saltem sit quadragenarius, nec his per vicelegatos in dictâ civitate pro tempore existentes ullo modo derogari possit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

§ 2. Porro, ut indemnitati partium litigantium, ne expensis supra modum graventur, consulamus, cives et incolas dictae civitatis iuxta privilegia apostolica eis concessa ad Romanam Curiam ex quacumque causâ et sub quovis praetextu in primâ instantiâ trahi minime posse, nisi partes se extra eandem civitatem conveniri posse obligaverint, nec in eorum causis ad eandem Romanam Curiam appellari vel recurri posse vel debere, nisi causae ipsae summam mille scutorum monetae romanae, vel redditum annuum centum scutorum parium¹ excesserint, auctoritate et tenore praedictis, pariter ordinamus, atque ita inviolabiliter observari mandamus.

§ 3. Praeterea privilegia, gratias et indulta quaecumque, universitati studii generalis civitatis Avenionensis praefatae, eiusque rectoribus, scholaribus et personis quibuslibet, a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa, neque Concilii Tridentini decretis aut posterioribus constitutionibus et ordinationibus apostolicis adversentur, dictâ auctoritate, harum serie, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus.

¹ Edit. Main. legit *parum pro parium* (R.T.).

Causae trahi nequeant! Cr- heu nisi sum- tum mille scu- torum monetae romanae, aut redditum annuum scutorum centum partium excesserint.

Confirmat pri- vilegia et in- dulta universi- tatis studii ge- neralis praef- atae in subrica.

Foundationes septem collegiorum serventur iuxta primam eorum institutionem.

§ 4. Volentes ut foundationes septem collegiorum eiusdem civitatis iuxta primam eorum institutionem accurate serventur. De capitaneatus autem portarum aliisque officiis dictae civitatis, per resignationem vel obitum aut aliis quomodolibet nunc et pro tempore vacantibus, ad quae nominatio seu praesentatio personarum idonearum eidem civitati iuxta privilegia ei desuper concessa seu aliis legitime competere dignoscitur, ita de cetero disponi volumus, ut nominatio quidem seu praesentatio officialium ad dilectos filios consilium dictae civitatis, admissio vero seu institutio ad dilectum filium nostrum Palutium basilicae Ss. XII Apostolorum S. R. E. presbyterum cardinalem Alterium nuncupatum, modernum et pro tempore existentem nostrum et Apostolicae Sedis in civitate praefata et comitatu nostro Venayssino de latere legatum, respective spectent: et proinde sic pro tempore nominatos seu praesentatos, et in specie dilectum filium cognominatum Robert, qui ad officium capitaneatus Portae S. Michaëlis dictae civitatis de praesenti vacans per consilium praedictum nominatus seu praesentatus reperitur, si idonei fuerint, ad officia huiusmodi admitti, seu in illis institui, solitasque provisionum litteras ad eorum favorem respective expediri mandamus.

Confirmat litteras Urbani VIII et Alexandri VII, quod praeter legatos, vicelegatos et archiepiscopos, necnon sit immunis ab impostivibus, quae in ingressu dictae civitatis solvantur.

§ 4. Postremo felicitis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri anno MDCXLIII expeditas aliasque Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum in simili formâ Brevis litteras, a recolendae memoriae Alexandro Papa VII⁴ etiam praedessore nostro per chirographum die XIX februarii MDCLXIII emanatum confirmatas, quoad illum articulum quo disponitur quod in dictâ civitate, praeter legatos, vicelegatos et archiepiscopos Avenionenses, ac

4 Edit. Main. legit VIII (n. r.).

praefatos generales armorum ibidem pro tempore existentes, nemo ab oneribus et cuiusvis generis impositionibus, quae in ingressu dictae civitatis solvantur, immunitatis seu exemptus existat, auctoritate praefata, earundem tenore praesentium, confirmamus pariter et approbamus.

§ 5. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliis in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales etiam de latere legatos, eorumque vicelegatos, necnon Camerae nostrae Apostolicae praesidentes, clericos, aliosque officiales et ministros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae civitatis, aliisque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Transumptio-
rum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi novembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 novembris 1671, pontif. anno II.

Registrata in Secretariâ in lib. Brevium mensis novembris, part. II, fol. 80.

LXXXV.

Confirmatio decreti definitorii generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia Recollectorum pro electione praefectarum et priorissarum monialium per provincias Germano-Belgicas et annexas¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Kelleri, commissarius generalis provinciarum Germano-Belgarum et annexarum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, quod in capitulo generali dicti Ordinis Vallisoleti novissime celebrato² definitorium generale decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor decreti
definitorii.

§ 1. « Praecipit definitorium generale, quod, iuxta constitutiones generales et praxim religionis, ministri provinciales nationis Germano-Belgicae dent libe-

¹ Nunc primum impressa.

² Edit. Main. legit *celebrati* (R. T.).

ram electionem praefectarum, priorissarum, vel quocumque nomine nuncupatarum, in omnibus monialium monasteriis, idque singulis trienniis »; quod decretum constitutionibus felicis recordationis Leonis X, Sixti V et Urbani VIII Romanorum Pontificum praedecessorum, necnon litteris recolendae memoriae Clementis Papae IX praedecessoris pariter nostri in simili formâ Brevis die xx martii MDCLXXXVIII expeditis¹, conforme est; eique insuper accessit decretum seu mandatum venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Ostiensis S. R. E. cardinalis Barberini nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, sub infrascripto tenore, videlicet:

§ 2. « Attentis narratis (previâ revocatione suppressoriae² aliâs a nobis obtentae), servari constitutiones et statuta Ordinis et sacrae Congregationis decreta, atque ad eorum praescriptum procedi ad electionem abbatissae aliarumque praefectarum etiam decernimus et mandamus, in contrarium non obstantibus quibuscumque. In quorum, etc. Datum Romae in palatio cancellariae apostolicae hac die xxx aprilis MDCLXXI.

Tenor alterius
decreti cardina-
lis protectoris.

FRANCISCUS cardinalis BARBERINUS, protector, *et infra*, IOANNES BAPTISTA DE PALAGIO, auditor ».

§ 3. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, ut praeinserta decreta in totâ natione exactius serventur, et inviolabiliter ab omnibus observentur, et ne ullae postmodum contentiones oriri possint, sed decreta ipsa in omnibus monialium, tam Clarissarum, Urbanistarum et Collectanarum, quam quovis alio nomine nuncupatarum monasteriis³

Preces patris
commissarii ge-
neralis dicti Or-
dinis.

¹ Edit. Main. habet *expediri* pro *expeditis* (R. T.).

² Sic legit edit. Main. (R. T.).

³ Edit. Main. legit *monasterii* (R. T.).

nationis praefatae exactissime ad usum deducantur, praedictus Ludovicus commissarius generalis eadem decreta apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac ministris provincialibus et cunctis monialibus praefatis, ut in omnibus dictae nationis conventibus, seu monasteriis, decretis huiusmodi se conforment, illaque executioni mandent, sub poenis arbitrio nostro seu Congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae infligendis, praecipui, utque illi soli, et non alii, electionibus intersint qui de more et iuxta usum et gratiam nationis praefatae interesse consueverunt, ne ullae insolitae postmodum novitates cum notabili turbatione regiminis introduci aut attentari possint, mandari, perpetuumque quibuscumque contradicentibus silentium imponi summopere desideret¹:

Annuit Pontifex.

§ 4. Nos, ipsum Ludovicum commissarium generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum cardinalium, qui dilectum filium commissarium curiae Ordinis praefati audiverunt, consilio, attentis narratis, enarrata decreta Francisci episcopi cardinalis et protectoris ac definitorii generalis praefatorum, ut supra petitur, auctoritate apostolicâ, tenore praesen-

tium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nationis ac provinciarum et monasteriorum seu conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

Obstantia moral;

§ 7. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Eisque derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 novembris 1671, pontif. anno II.

¹ Edit. Main. legit *desiderent* (R. T.).

LXXXVI.

Quod de cetero omnes et singuli definitores perpetui provinciarum fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci, post finitum lecturae, praedicationis, vel magisterii novitiorum, aut inquisitoratus tempus, exprovincialium praecementiis fruuntur, ac si provincialatus munere functi; et alia circa praecedentiam inter eos declarat¹.

Clemens Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, singulorum² merita aequa lance perpendentes, illorum, qui in Ecclesiae et religionis obsequium operam studiumque suum laudabiliter conferunt, honorificentiae libenter consulimus, sicut rationi consentaneum esse arbitramur in Domino.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Magnus a Cantu, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in eodem Ordine reperiuntur definitores perpetui, qui patres provinciae vocari solent, in quinque species distincti: nempe aliqui propter gestum in propria vel aliena provincia provincialatus officium; alii quia lecturam duodecim annorum spatium in regentiis, inter quas sunt quae primae classis vocantur, et collegiis vel universitatibus studii generalis exerceverint; alii ex eo quod verbum Dei eodem temporis spatio in pulpitis seu ecclesiis per decreta dicti Ordinis praescriptis praedicaverint; alii quia, cum in sacra theologia magistri essent, per annos duodecim magistri novitiorum munere functi sint; et reliqui ex decreto felicis re-

licis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri, qui pariter, magisterii in sacra theologia gradu decorati, per duodecim annorum decursum inquisitores haereticae pravitatis fuerint, seu partim lecturam ut supra et partim Inquisitionis officium exercuerint. Inter praefatos autem definitores perpetuos, sive patres provinciae, ea est differentia, quod, qui propter gestum provincialatum tales sunt, tametsi iuvenes, ceteros definitores perpetuos seu patres provinciae huiusmodi antea longe institutos praecedant. Hae vero differentia a dilectis pariter filiis ministro generali ac definitores generalibus perpetuis et assistentibus dicti Ordinis mature considerata, simulque perpensis laboribus eorum, qui legunt, praedicant, novitiorum institutioni praesunt, et tribunali officii Inquisitionis haereticae pravitatis inserviunt, qui plerumque non provehantur ad provincialatum, ad quem ut plurimum promoventur eorum discipuli aut alii meritis et qualitate inferiores, qui subinde eos praecedunt non sine eorum verecundia et aliorum admiratione: ipsi minister generalis ac definitores generales et assistentes, re cum dilecto filio nostro Giberto S. R. E. cardinali Borromaeo nuncupato Ordinis praefati apud nos et Sedem Apostolicam protectore communicata, illoque assentiente, censuerunt rem omnem ex nostra et huius sanctae Sedis providentia ad aequalitatem fore redigendam, ne fratres eiusdem Ordinis ad studiosos labores reddantur segniores, sed ad illos potius in Ecclesiae obsequium et dicti Ordinis decorem alacriter suscipiendos, atque peragendos animentur. Quare dictus Ludovicus procurator generalis, eorundem ministri generalis ac definitores generalium et assistentium nomine, nobis humiliter supplicari fecit ut in

¹ Vide ad praesentem materiam constitutionem *Inscrutabilis* ab Alexandro VII editam.

² Edit. Main. legit *singularum* (R. T.).

praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indulget
in rubrica.

§ 2. Nos igitur, ipsos ministrum generalem ac definitores generales et assistentes, necnon Ludovicum procuratorem generalem, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus¹ existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum² fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero omnes et singuli definitores perpetui provinciarum dicti Ordinis, modo et formâ praefatis, post finitum lecturae seu praedicationis vel magisterii novitiorum aut inquisitoratus tempus per constitutionem eiusdem Ordinis seu praefatum Alexandri praedecessoris decretum respective praescriptum, ab existente pro tempore ministro generali Ordinis huiusmodi per patentes eius litteras, ceteroquin canonice, hactenus instituti et in futurum instituendi, illico exprovincialium praesentium, praerogativis et praecedentiis fruantur, potiantur et gaudeant, in omnibus et per omnia, ac sine ullâ prorsus differentiâ, ac si provincialatus munere functi fuissent, atque ita inter eos et exprovinciales praefatos servetur aequalitas, ut³ quoad ordinem praecedentiae sola prioritas sive antianitas definitoriatus et paternitatis provinciae attendatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

¹ Ex praemissis legendum *innodatae* (R. T.).

² Ex praemissis lege *absolutus* (R. T.).

³ Particula *ut nos addimus*; ed. Cherub. habet *et pro ut* (R.T.).

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari,

Decretum irritaos.

§ 4. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nec aliter indicari posse decernit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentis, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Marianam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 decembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 decembris 1671, pontif. anno II.

LXXXVII.

Extensio indulgentiae, concessae ecclesiis fratrum Excalceatorum et monialium Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, ad omnes ecclesias eiusdem Ordinis Calceatorum ubique etiam in futurum existentes in die festo sancti Petri de Nolasco.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia
plenaria aliâs
concessa.

§ 1. Aliâs nos omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Excalceatorum et monialium Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, tam eatenus erectis quam imposterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die festo eiusdem Ordinis fundatoris, a primis vespersis usque ad occasum solis festi huiusmodi, annis singulis devote visitavissent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer concessimus; et aliâs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die xxviii augusti m̄dclxx expeditis litteris, quas perpetuis futuris temporibus valere voluimus, et quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto habemus, uberius continetur.

Illius extensio
ut in rubrica.

§ 2. Nunc autem supplicationibus dilecti filii Matthiae de Cardona vicarii et procuratoris generalis totius Ordinis praedicti nomine nobis super hoc humiliter perrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, concessionem plenariae indulgentiae

et peccatorum remissionis, visitantibus ecclesias supradictas a nobis factam ut praefertur, ad omnes et singulas ecclesias fratrum Calceatorum Ordinis praedicti, tam hactenus erectas, quam imposterum quandocumque erigendas, et ubicumque locorum existentes, ita ut omnes et singuli utriusque sexus christifideles vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communionem refecti, qui aliquam ex his ecclesiis die festo eiusdem sancti Petri Nolasehi, a primis vespersis usque ad occasum solis festi huiusmodi, annis singulis pariter visitaverint, et ibidem sicut praemittitur oraverint, eandem plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus. Praesentibus itidem perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 3. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum
fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v decembris m̄dclxxi, pontificatus nostri anno ii.

Dat. die 5 decembris 1671, pontif. anno ii.

LXXXVIII.

Exemptio nonnullorum familiarium suorum a spolio¹.

¹ Simile privilegium inter alia concessit dapperis S. R. E. cardinalium Clemens IX, et hic idem Pont. Const. vii, *Nos volentes*.

**Clemens Papa X
ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Romanus Pontifex, gratiarum dispensator, suos et Apostolicae Sedis devotos et fideles, praesertim illos qui ei et Sedi praefatae grata familiaritatis obsequia iugiter impendunt, specialis benevolentiae favoribus complecti solet, prout, personarum qualitatibus debite pensatis, censet rationi et aequitati esse consentaneum.

Concedit exemptionem ut in rubricâ.

§ 1. Hinc est quod, nos quorundam familiarium nostrorum, quorum nomina infra sunt expressa, indemnitati, quantum cum Domino possumus consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine (etiam praeter et ultra quascumque alias similes vel dissimiles generales vel speciales gratias, facultates, exemptiones, indulgentias et privilegia eisdem familiaribus infra nominatis hactenus a nobis vel Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessas et concessa, et posterum etiam a nobis et successoribus nostris Romanis pariter Pontificibus concedendas et concedenda, quas omnes et singulas, ac omnia et singula, perinde ac si illarum et illorum omnium tenores praesentibus expressi ac de verbo ad verbum inserti forent, in suo robore et firmitate remanere et esse, nec per illas aut illa eisdem praesentibus vel per praesentes illis in aliquo praecudicari,

vel eas seu ea invicem confundi seu impediri, sed, etiam cumulative procedendo, unam seu unum per aliam seu aliud coadiuvari et suppleri posse et debere decernimus et declaramus), eisdem familiaribus nostris infra nominatis, et eorum cuilibet, quod eorum et cuiuslibet eorum haeredes, donatarii, legatarii et successores, tam ex testamento, seu aliâ dispositione, quam ab intestato ratione sanguinis eis et cuilibet eorum succedentes, sive alii ab eis, et eorum quolibet, eorumque et cuiuslibet eorum haeredibus, donatariis, legatariis et successoribus huiusmodi causam quomodolibet habentes quicumque, per camerarium nostrum pro tempore existentem, thesaurarium generalem, aut commissarium, vel spoliatorum iuriumque Camerae Apostolicae debitorum collectores et subcollectores, sive alios quoscumque officiales et ministros ipsius Camerae, seu quoscumque alios, tam ratione quoruncumque beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet nuncupatorum et qualitercumque qualificatorum, etiam personalem residentiam requirentium, per eos hactenus obtentorum et in posterum obtinendorum, cuiuscumque valoris et annui redditus etiam maximi, excessivi et inexcogitabilis existant, quam etiam ratione quarumcumque pensionum annuarum super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis apostolicâ auctoritate eis hactenus reservatarum, seu in eos simili auctoritate translatarum, ac de cetero eâdem auctoritate eis reservandarum, aut in eos transferendarum, ad quamcumque summam etiam maximam et inexcogitabilem ascendant, nullo unquam tempore super rebus et bonis per eos et quemlibet eorum respective pro tempore relictis (etiâsi ab intestato, et sine ullâ vel cum minus validâ bonorum suorum dis-

positione ipsi et eorum quilibet respective ubivis locorum, in qualibet mundi parte, tam continuâ quam interpolatâ illorum inibi mansione, ac etiam extra loca debitae residentiae, ac etiam iter agendo, ab humanis decedant) molestari, perturbari aut inquietari nullatenus possint, nec debeant, itaut de omnibus et quibuscumque rebus et bonis suis, ac per eos et eorum quemlibet acquisitis et acquirendis, tam ex praefatis iam obtentis et obtinendis beneficiis, quam etiam ex praefatis eis iam reservatis seu reservandis ac in eos translatis et transferendis pensionibus, ut praefertur, tam inter vivos quam causâ mortis, et in ultimâ voluntate, ac in favorem quorumcumque (non tamen personarum a iure prohibitarum et incapacium) disponere, seu illa etiam ab intestato transmittere libere et licite valeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Inhibet iudicibus contra praedicta quid minimum attentare.

§ 2. Districtius inhibentes eisdem camerario, thesaurario, commissario, aliisque Sedis et Camerae praefatarum officialibus et ministris, seu aliis quibuscumque, ne in bonis et rebus per eos et eorum quemlibet respective pro tempore relictis, beneficiorum vel pensionum huiusmodi occasione vel praetextu manus iniicere, aut aliquam illorum descriptionem, seu inventarium, aut depositum vel sequestrium, seu quid simile, vel attentare quoquomodo audeant vel praesumant.

Decretum irritabile.

§ 3. Ac decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, illisque et eorum cuilibet, ac haeredibus et successoribus eorum, aliisque praefatis, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon praefatos camerarium, thesaurarium, commissarium, praesiden-

tes clericos, et alios quoscumque Camerae et Sedis praefatarum ministros et officiales, ac quosvis alios, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis praefatae nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, necnon felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis quaecumque interesse Camerae praefatae concernentibus in eadem Camerâ praesentandis et registrari faciendis, itaut praesentes inibi praesentari et registrari nullo unquam tempore necesse sit, et aliis etiam nostris ac quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, dictaeque Camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Camerae, illiusque officialibus et ministris, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis ac decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac ex causâ et titulo onerosis, in genere vel in specie, ac aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis,

specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Nomina familiarum.

§ 6. Nomina autem familiarum¹ nostrorum sunt quae sequuntur, videlicet: venerabiles fratres Alexander Crescentius patriarcha Alexandrinus, cubiculi nostri, Bernardinus Roccius archiepiscopus Damascenus, palatii nostri apostolici respective praefecti, Stephanus de Augustinis archiepiscopus Heraeclae, elemosynarius secretus noster, et Ioseph Eusanus episcopus Helenopolitanus, sacrorum nostri praefectus; ac dilecti filii magistri Iohannes Gualterius Slusius Leodiensis, secretarius Brevium nostrorum secretorum, et Prosper Bottinius Lucanus, auditor, in utraque signaturâ nostrâ referendarii, praelati domestici nostri; necnon Iosephus Vallemanius, pincerna, Franciscus Polinus, Nicolaus Gentilis Camerinensis, architriclinus, Carolus Balduccius Tusculanae, vestiarius, Ascanius Paganellus, Venantius Benignius, Octavianus Cambius Camerinensis, Antonius Simon Baglionus Pisaurensis, notarum arcanarum secretarius, Floridus Salvato-

¹ Edit. Main. tegit *familiarum* (R. T.).

rius Civitatis Castelli, medicus secretus, Dominicus Panti Pisaurensis, Pomponius Cavallus Ravennatensis, Iohannes Angelus ab Altemps Romanae, Marius Thaddaeus Heinensis, Marius Spinola Ianuensis, litterarum nostrarum in formâ Brevis ad principes secretarius, Nicolaus Piccolomini Senensis, secretarius libellorum supplicum nobis porrectorum, Octavius Falconerius Florentinae, Petrus de Iohanne Siracusanae, Nicolaus Antonius Fili ab Altamura, Hugo Hubertus de Servient Gratianopolitanae, et Gulielmus baro de Furstenbergh Coloniensis, cubicularii secreti nostri, ac Sanctes de Pilastris subdatarius noster, Riccardus Crucianus Camerinensis, caudatarius, Antonius Maria Martorellus Tusculanae, crucifer, Iosephus Barbius Camerinensis et Ferdinandus Consalvius Auximanae, cappellani secreti nostri, Franciscus Ceriolus, magister domus nostrae, Bruno Bellozzius Asculanae, Petrus Baros Turnacensis, Evangelista Caesaris Romanae, Simon de Amicis Camerinensis, Sebastianus Mirolius Civitatis Castellanae et Bartholomaeus de Leone Cordubensis respective civitatum vel dioecesium, clerici seu presbyteri, vel laici, cubiculi nostri auditores.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 decembris 1671, pontif. anno II.

LXXXIX.

Concessio indulgentiarum visitantibus ecclesias Ordinis sancti Augustini in diebus, quibus festivitates sanctorum Augustini, Monicæ, Nicolai Tarentinacis, et Thomae de Villanova celebrantur.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Unigeniti Dei Filii Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui e sinu Patris descendit in terram, et, caducam humanae carnis fragilitatem ineffabili clementiâ induens ut genus humanum de laqueo servitutis eriperet et ad primaeivam divinae imaginis atque similitudinis nobilitatem reformaret, saluberrimorum praeceptorum vitaeque magisterio nos instruxit, vices, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, gerentes in terris, gloriosos caelestis regni incolae, illos praesertim, qui, tamquam splendidissimae lucernae super candelabrum in domo Domini positae, divinorum eloquiorum arcana reserarunt¹, et Ecclesiam universam salutaris doctrinae fluentis irrigarunt, fructuumque e charitatis radice surgentium copiâ locupletarunt, sincerâ devotione prosequimur, et fidei erga illos pietatem, spiritualium gratiarum, quarum dispensatio nobis a Domino credita est, muneribus, fovere atque incitare studemus, sicut ad ipsorum fidelium aedificationem Ecclesiaeque utilitatem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Indulgetur ut in cubrica.

§ 1. Itaque eximia omnisque humanae laudis praeconium longe supergressa sancti Augustini episcopi et confessoris, Ecclesiae doctores praecellentissimi, qui, spiritu Dei plenus, haeresum errorumque tenebras, tamquam fulgentissimum christianae eruditionis iubar, profundissimis, simulque sole clarioribus scriptis profligavit, et hominum corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charitatis ignae succendit, decora² grato devotoque

¹ Edit. Main. legit *reservarunt* (R. T.).

² Subintellige *merita* (R. T.).

mentis affectu recolentes; sanctaeque Monicae eius genitricis, cuius piis lacrynis et apud Deum gemitibus tanti tamque sublimis Doctoris conversionem debemus, ac sanctorum Nicolai Tolentini et Thomae de Villanova archiepiscopi Valentini, qui, religiosam vitam in Ordine eremitarum eiusdem sancti Augustini professi, vitae sanctitate et miraculis, quae divina bonitas eorum intercessione operari dignata est, eximie claruerunt, aliorumque Sanctorum dicti Ordinis professorum praeclara merita piâ meditatione considerantes, necnon venerabilis fratris Iosephi Eusanii episcopi Helenopolitani, sacrarii nostri apostolici praefecti, qui in minoribus constitutus professionem regularem in Ordine praedicto emisit, supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum etiam Excalceatorum quam monialium dicti Ordinis hactenus erectis et in futurum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in eorundem sanctorum Augustini et Monicae, ac Nicolai Tolentini et Thomae de Villanova festis diebus, necnon die XIII novembris, qua omnium sanctorum Ordinis praedicti commemoratio ibidem fieri solet, a primis vespere usque ad occasum solis dierum huiusmodi, annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praefatis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino con-

cedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumpto-
rum fides.

§ 2. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii decembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 decembris 1671, pontif. anno II.

XC.

Indulgentias elargitur illis, qui ecclesias Ordinis sancti Benedicti in diebus festis eiusdem, ac sanctorum Scholasticae, Placidi et Mauri, ac in die quo commemoratio omnium sanctorum Ordinis praedicti celebratur, visitabunt.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Universis chsistifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Commissae nobis a Domino nostro Iesu Christo dispensationis ratio exigit, ut caelestium numerum thesauros, ad augendam in terris sanctorum in caelis regnantium, qui tradita sibi talenta non defoderunt in terram, sed uberi bonorum operum fructu multiplicarunt, venerationem, fovendamque et incitandam erga illos fidelium devotionem, fidei prudentiam, quantum nobis ex alto conceditur, erogare studeamus.

Motiva.

§ 1. Itaque, praeclara sancti Benedicti abbatis, qui, despectis omnibus quae mundus amat et colit, caelestis gratiae benedictione repletus, sanctae conversa-

tionis studiis miraculisque eximie claruit et monachorum regulam scripsit, discretionem praecipuam, sermone luculentam, sub qua numerosa religiosorum monachorum sanctimonialiumque agmina Deo hodieque strenue militant, sanctae quoque Scholasticae eius sororis, quae, speciosis virginitatis, pietatis, aliarumque virtutum monilibus exornata, in amplexum sponsi caelestis evolavit, ac sanctorum Placidi, qui primus monachorum Ordinis eiusdem sancti Benedicti martyrii gloriam decorari meruit, et Mauri abbatis, monastici instituti in Galliis propagatoris eximii, aliorumque innumerorum sanctorum Ordinis praefati professorum in Ecclesiam Dei merita pio devotoque animi affectu recolentes, necnon dilecti filii Ildephonsi de Mier, monachi expresse professi et procuratoris generalis Congregationis Hispaniae dicti Ordinis, in sacra theologiae magistri, supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiam et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrae communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque monasteriorum tam monachorum quam monialium regulam sancti Benedicti profitentium, hactenus erectis et in posterum quaecumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in eorundem sanctorum Benedicti et Scholasticae ac Placidi et Mauri festis diebus, necnon die xiii novembris, qua omnium sanctorum Ordinis praedicti commemoratio ibidem fieri solet, a primis vespere usque ad occasum solis dierum huiusmodi, annis singulis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiam, haeresum extirpationem, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltationem pias ad Deum pre-

ces effuderint, quo die ex praefatis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus

Transumpto
rum fides.

valituris.
§ 2. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticae constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si foret exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX decembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 decembris 1671, pontif. anno II.

XCI.

Declarat electiones duas monachorum Cisterciensium Congregationis Hispaniae in abbatem non posse sibi immediate succedere ¹.

Clemens Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divina dispositione praesidemus, ad ea peculiare vigilantiae nostrae curas libenter convertimus, ² quae prospero christifidelium sub suavi monastici instituti ingo vota sua reddere Deo laudabiliter studentium gubernio quietique religiosae conducibilia fore in Domino arbitramur.

Petitio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Dionysius Mantilla, procurator generalis Congregationis san-

¹ Pro Cisterciensium Ordinis reformatione Const. edidit Alexander VII, *In suprema* (l. XVII, pag. 441), ubi aliqua ad rem reperies.

² Praepositio per hinc abiicimus (R. T.).

cti Bernardi Hispaniae monachorum Ordinis Cisterciensis, quod, cum in ultimo capitulo generali dictae Congregationis die VI maii proximi et sequentis celebrato, tam nostrae die XIV februarii itidem proxime praeteriti, quam felicitis recordationis Clementis PP. IX praedecessoris nostri in simili forma Brevis litterae, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praefatorum super reformatione dicti Ordinis deputatorum die XV octobris MDCLXXIX ¹ respective ad restituendam tuendamque in eadem Congregatione religiosae tranquillitatis serenitatem emanatae, cum omni reverentia acceptatae et unanimi consensu executioni demandatae fuerint, dilecti pariter filii generalis reformatore et definitores dictae Congregationis in eodem capitulo congregati nobis supplicandum esse censuerunt, ut earundem litterarum observantiam nonnullis salubribus statutis munire atque stabilire vellemus. Quare dictus Dionysius procurator generalis, generalis reformatore et definitore praedictorum nomine, nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignareremur.

§ 2. Nos igitur, eorundem generalis reformatore ac definitore et Dionysii procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et ab-

Declarat ut
in rubrica.

¹ Male edit. Main. legit 1699 (R. T.).

lutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut de cetero eorum monachorum dictae Congregationis, qui triennio immediate praecedente fuerint abbates aliquorum monasteriorum ipsius Congregationis, fieri non possint reelectiones in abbates monasteriorum aliorum eiusdem Congregationis, itant monachus, qui in fine triennii proximi antecedentis functus fuerit munere dignitatis abbatialis, non possit triennio immediate sequente eligi in abbatem, neque in monasterio in quo fuerit abbas in fine triennii proxime praecedentis, neque in alio monasterio Congregationis praedictae. Nolumus enim duas electiones eiusdem monachi in abbatem sibi immediate succedere, unam scilicet triennio proxime antecedente in uno monasterio, alteram vero triennio proxime subsequente in eodem monasterio vel in alio. Ab hac tamen lege excipimus abbatiam monasterii Palaziolensis, cuius abbas est generalis reformator, et eligi debet tam ex abbatibus quam ex aliis monachis habilibus totius Congregationis praedictae. Ceterum qui triennio antecedente fuerit generalis reformator et abbas Palaziolensis, non possit eligi in abbatem alicuius monasterii eiusdem Congregationis triennio immediate sequente.

Abbatibus a quibus eligendi suat.

§ 3. Porro abbates a monachis conventualibus monasteriorum dictae Congregationis amplius non eligantur, sed abbatum huiusmodi electio in definitorio celebretur, hae formâ videlicet, ut, post electionem definitorum, visitatorum, suppletorum, secretarii capituli, et promotoris Congregationis praedictae, eligantur canonice sex electores, qui eo ipso quod assument officium electoris non habeant vocem passivam in ullâ electio-

ne abbatum celebrandâ in eodem triennio. Hi autem sex electores cum generali reformatore et sex definitoribus canonice eligant abbates pro quibuslibet monasteriis Congregationis praedictae, ita ut qui in electione abbatis cuiuslibet monasterii ex tredecim praedictis vocabilibus, videlicet generali reformatore, sex definitoribus, et dictis sex electoribus, maiorem partem suffragiorum habuerit, sit electus abbas illius monasterii, cuius abbatiae celebratur electio.

Praedicti autem generalis reformator, sex definitores et sex electores debeant eligere abbates, tam pro monasterio Matritensi S. Annae, ac collegiis Salmanticensi et Complutensi, quam pro ceteris monasteriis totius Congregationis praedictae. Et similiter omnes praedicti debeant eligere procuratores generales Curiae Romanae, Matriti, Vallisoleti et Cornubiae¹.

§ 4. Ex dictis vero sex electoribus tres debeant esse oriundi ex terris sitis citra montes, prout de definitoribus decrevit memoratus Clemens praedecessor; et sicut ex eadem dono matrice non possunt eligi duo definitores, ita nec duo electores filii eiusdem domus matris eligi possint.

§ 5. Quod si morte, promotione, renunciatione aut privatione aliqua abbatia vacaverit, monachi illius monasterii, cuius abbas obierit aut renunciaverit, vel privatus fuerit, duorum dierum naturalium spatio (qui numerari debeant a defuncti morte, renunciatione a generali reformatore admissâ atque conventui iudice notificatâ, aut privatione per definitivam sententiam confirmatâ et intimatâ), cum suo praesidente vel praeposito in suo capitulo congregati, ad electionem abbatis eiusdem monasterii procedant, et ex monachis eiusdem mo-

Electores qui esse debeant.

Monachi quando eligere possint abbatem.

¹ Sic ed. Main.; ed. Cherub. h. *Cornubiae* (R.T.).

nasterii, sive fuerint ex domibus, quae vulgo nuncupantur matricēs, sive ex aliis monasteriis dictae Congregationis, qui habiles sint conditionesque requisitas iuxta leges eiusdem Congregationis habeant, sibi libere abbatem eligant, priorque aut conventui praesidens electionem factam canonice confirmet. Si autem monachus aliquis peregre profectus sit, qui suffragium et vocem activam habeat, vel longe a monasterio degat pro fundi monasterii eiusdem administratione, qui spatium praedictorum duorum dierum naturalium non possit interesse electioni, ad ipsam electionem vocari non debeat. Sed statim electio fiat intra spatium duorum dierum naturalium ab illis monachis conventualibus, qui intra praedictum spatium in monasterio fuerint praesentes. Si vero intra praedicti temporis spatium abbas electus non fuerit a monachis conventualibus monasterii, ad generalem reformatorem provisio abbatis eiusdem monasterii devolvatur.

Observationem praesentium mandat.

§ 6. Ceterum si quis monachorum Congregationis praedictae contra praesentium litterarum dispositionem quidquam facere vel attentare praesumpserit, poenam privationis vocis activae et passivae eo ipso absque aliā declaratione se noverit incursum.

Easque iurari debere.

Volumus autem, et dictā auctoritate praecipimus, ut in proxime futuro capitulo generali memoratae Congregationis omnes capitulares, antequam ad aliquam electionem procedant, iurent super sancta Dei Evangelia observare omnia et singula per praesentes litteras statuta et ordinata, ipsaeque praesentes litterae ieter definitiones iuratas collocentur, et in singulis capitulis generalibus in posterum quocumque celebrandis omnes capitulares iureiurando se ad illarum observantiam adstringant antequam ad ullam electionem procedant; ut moris

est iurare definitiones quae in Congregatione praedictā nuncupantur iuratae.

§ 7. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri,

Decretum irritans.

§ 8. Sicque et non aliter in praemis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, et de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublatā eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nec aliter iudicari posse dicitur.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis eiusque monasteriorum seu collegiorum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicā, vel quavis firmitate aliā roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliās in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 10. Denum volumus pariter ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesia-

Transumptorum fides.

sticâ constitutae munitis, eadem ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiv decembris MDCLXXI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 decembris 1671, pontif. anno II.

XCH.

Confirmatio indulgentiarum confratribus et consororibus confraternitatis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo a Paulo V concessarum, cum additione quod applicari possint animabus christifidelium defunctorum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae Constitutionis.

Cum, sicut accepimus, aliâs felicis recordationis Paulus Papa V, praedecessor noster, confraternitati SS. Scapularis nuncupatae sub invocatione B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, eiusque confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem refectis, qui ecclesiam seu capellam vel oratorium, in qua seu quo confraternitas huiusmodi canonice instituta fuisset, in festo principali Commemorationis eiusdem Beatae Mariae Virginis die xv mensis iulii, aut, iuxta ritum nonnullorum locorum, die dominicâ immediate sequenti celebrari solito, devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione piâ ad Deum preces effudissent, plenariam; ac eisdem confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem refectis, qui processionibus in unâ dominicâ cuiuslibet mensis per dictam confraternitatem de licentia Ordinarium locorum fieri solitae

devote interfussent, et' ut supra oravissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, necnon alias poenitentiarum relaxationes eisdem confratribus et consororibus certa pietatis et charitatis opera peragentibus misericorditer in Domino perpetuo concesserit, prout in litteris apostolicis dicti Pauli praedecessoris desuper expeditis plenius dicitur contineri:

§ 1. Nos, ut confraternitas huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Matthaei Orlandi Ordinis eiusdem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo prioris generalis nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, per dictum Paulum praedecessorem dictae confraternitati eiusque confratribus et consororibus ut praefertur concessas, animabus christifidelium, quae Deo charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii, servatâ in reliquis eiusdem Pauli praedecessoris litterarum desuper emanatarum formâ et dispositione, applicari posse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, misericorditer in Domino, etiam perpetuo, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§ 2. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

1 Coniunct. et addimus ex edit. Cherub (B.T.).

Confirmatur
ut in rubrica

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCLXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 ianuarii 1672, pontif. anno II.

XCIII.

Diversae ordinationes circa extractionem reliquiarum ex coemeteriis Urbis et locorum circumvicinorum, illarumque custodiam et distributionem¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Ex commissae nobis caelitus curae pastoralis officio providere volentes ut sanctorum martyrum corpora et reliquiae pie ac decenter, et sine turpi quaestu, ex huius almae Urbis nostrae et locorum circumvicinorum coemeteriis extrahantur, recondantur, asserventur, ac fideliter prudenterque distribuuntur, de nonnullorum dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, aliorumque doctrinâ, rerum usu et prudentiâ praestantium virorum, qui rem iussu nostro mature discussissent, et quorum sententia nobis a dilecto filio nostro Gasparo S. R. E. presbytero cardinali Carpineo nuncupato, in Urbe praefatâ vicario in spiritualibus generali ac prodatario nostro, relata fuit, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus et mandamus ut nemo ad extrahendas a coemeteriis praefatis reliquias accedat,

Nemo accedat ad extrahendas a coemeteriis Urbis reliquias, nisi de licentia cardinalis vicarii.

nisi eius rei facultatem habeat scripto, quod memorati Gasparis cardinalis moderni seu pro tempore existentis in eadem Urbe vicarii in spiritualibus generalis sigillo munitum et illius manu subscriptum sit; nec ossa vel corpus ullum sub poenâ excommunicationis latae sententiae effodiat et ex aliquo coe-

meteriorum huiusmodi extrahat aliter quam coram sacerdote per dictum Gasparem cardinalem modernum seu pro tempore existentem vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Congregatio venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praeposita.

§ 2. Qua omni recognitione factâ, statim singula corpora et cuiuscumque martyris reliquias seorsum in capsulis recondat, quas sigillo clausas rectâ deferri curet ad Urbem, in palatio nostro asservandas, et a venerabili fratre Iosepho Eusanio, episcopo Helenopolitano, moderno et pro tempore existente sacrorum apostolici praefecto, vel ab alio per praefatum Gasparem cardinalem modernum seu pro tempore existentem vicarium designando, qui probatis moribus ac presbyteratus ordine insignitus sit, custodiendas.

Extractae deferri debent ad Urbem in palatio apostolico.

§ 3. Haec autem martyrum corpora et reliquiae ne distribuuntur et publice ad cultum et venerationem exponantur antequam per dictum Gasparem cardinalem modernum seu pro tempore existentem vicarium, vel alios quibus haec cura demandata est, examinata et examinatae, ac Romani Pontificis vel memoratae cardinalium Congregationis auctoritate approbata et approbatae fuerint.

Antequam distribuuntur et publice ad cultum exponantur, quid agendum sit.

§ 4. Quoniam vero eadem sacra corpora et insignes reliquias, videlicet caput, crus, brachium, et eam corporis partem in qua passus est martyr, si tamen integra est, nec in privatis aedibus, neque apud laicos homines, sed in ecclesiâ religiose collocari et asservari par est; ideo iubemus ea et eas nemini in posterum concedi qui Ordinarii litteras non asserat, quibus apud praefa-

Insignes reliquias nec in privatis aedibus, nec apud laicos collocari aut observari par est.

¹ Nunc primum impressa

tum Gasparem cardinalem modernum seu pro tempore existentem vicarium commendetur ecclesiae, pro qua petuntur, dignitas, testatunque fiat operae pretium esse petitis Sanctorum reliquiis ecclesiam illam donari, et ibi futurum ut eâ qua decet religione custodiantur et colantur.

Exceptio pro
principibus
et
praelatis.

§ 4. Excepiendos tamen volumus magnos principes, et praecipuos Ecclesiae praelatos, cum quibus liberalius agendum erit. Et ne ceterorum quoque fideium pietas hoc sancto munere omnino privetur, minus insignes reliquiae illis concedentur. In omnibus autem modum servari iubemus, quoniam prae copiâ saepius accidit ut sanctiora quaeque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum est.

Liber a nota
onum
debitarum.

§ 5. Conficiatur etiam liber, in quo sacra corpora et reliquiae a coemeteriis praedictis extractae adnotentur, tum nomina illorum, quibus reliquiae ipsae distributae, et ecclesiarum, pro quibus impetratae fuerint. Porro, qui ornant et vendunt capsulas, thecas et vasa quibus reliquiae Sanctorum includuntur, reliquiis alia ne adscribant nomina, nisi quae a dicto Gasparo cardinali moderno seu pro tempore existente vicario imponentur, sub viginti quinque scutorum monetae, aliisque poenis eiusdem vicarii arbitrio infligendis. Atque, ut omnis tollatur occasio turpis quaestus, iis, quorum operam et ministerium in effodiendis et extrahendis sacris corporibus idem Gaspar cardinalis modernus seu pro tempore existens vicarius adhibebit, de pecuniis et elemosynis, quae piis operibus applicandae forent, et de mandato ipsius vicarii, accipient quantum aequum fuerit pro expensis omnibus et iuxta eorum mercedem.

Quaestus prohibetur.

§ 6. Postremo sub excommunicationis

1 Coniunctio et redundat (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

38

latae sententiae poenâ per transgressores ipso facto incurrendâ districtè prohibemus, ne in tradendis sacris corporibus et reliquiis, et pro confectione litterarum patentium desuper expediendarum, earumque sigillo, aliquid, etiam modicum, ullo unquam praetextu, etiam a sponte dantibus, accipiatur.

§ 7. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quarumvis ecclesiarum et basilicarum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogationibus, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus

Derogat contrarius.

omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, specificatis et servatis respective habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 9. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCLXXII, pontificatus nostri anno II.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 13 ianuarii 1672, pontif. anno II.

Registrata in lib. Brevium mensis ianuarii fol. 1, parte utraque.

XCIV.

Confirmatio decretorum sacrae Congregationis episcoporum et regularium favore totius Ordinis Minorum Observantium sancti Francisci circa elemosynas funerales et funera defunctorum qui in eorum ecclesiis sepulturam elegerint, scilicet, quod parochi ab haeredibus dictorum defunctorum maiorem elemosynam petere nequeant,

quam percepissent si in eorum parochiali vel alia saeculari ecclesia sepeliri voluissent, et quod tali casu functiones super cadaveribus ad ipsos regulares non autem parochos pertineant¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Alias, pro parte tunc existentis commissarii curiae fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum supplicato ut prohiberetur parochis et clericis terrae de Geverano Brundusinae dioecesis, omnibusque aliis parochis et presbyteris, ne audent accipere maiorem elemosynam pro defunctis qui sepelirentur in ecclesiis dictorum fratrum, quam accipiebant pro iis qui in ipsorum parochorum seu presbyterorum saecularium ecclesiis sepeliebantur, emanavit die VII decembris MDCXL ab eadem Congregatione decretum tenoris sequentis, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad tollendas indebitas exactiones, quae, ut proponitur, in tumulandis defunctorum corporibus fieri solent, censuit iniungendum, prout praesentis decreti tenore iniunxit², archiepiscopo Brundisino, ceterisque locorum Ordinariis, ne permittant ut parochi, alique de clero saeculari, maiorem posthac elemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum qui in ecclesiis regularium praedictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent si in parochiali seu alia ipsius cleri saecularis ecclesia sepe-

Sacrae Congregationis decretum refertur.

¹ Nunc primum impressa.

² Aptius lege iniungit (R. T.).

liri voluissent; contrariis quibuscumque non obstantibus, etc. Romae die vii decembris MDCXL ». *Ita reperitur in regesto authographo sacrae Congregationis negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae. In quorum fidem, etc.*

Romae, xxxi decembris MDCLXXI.

C. de V. archiep. Athenar.

Alind decretum eiusdem sacrae Congregationis.

§ 2. Et subinde, cum tunc existentes fratres provinciae Dalmatiae praedicti Ordinis Congregationi praefatae exposuissent, functiones funerales defunctorum, quorum cadavera in eorum ecclesiis sepulturae mandarentur, facere, ad eos, non ad parochos spectare; Congregatio praefata die xxxi augusti MDCLVII aliud decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, iuxta alias resoluta censuit, functiones funeralium super cadavera defunctorum, quae in ecclesiis regularium contigit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos regulares, non ad parochos pertinere, ac proinde ita in oratorum ecclesiis circa praemissa servandum esse, prout servari mandat et praecipit; contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae die xxxi augusti MDCLVII ». *Ita reperitur in regesto authographo sacrae Congregationis negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae. In quorum fidem, etc. Romae xxxi decembris MDCLXXI.*

C. de V. Archiep. Athenar., etc.

Confirmat P. n. titox ut in tribica.

§ 3. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Francisci Mariae a Castro S. Petri de Bononia procuratoris generalis Ordinis praefati nobis nuper expositum fuit, ipsa decreta huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentia, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri

summopere desideret: nos, specialem ipsi Francisco Mariae procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, decreta praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adieimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sique in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causasum palatii apostolici auditores, indicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii ianuarii MDCLXXII, pontificatus nostri anno II.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 18 ianuarii 1672, pontif. an. II.

Registrata in lib. Brevium mensis ianuarii parte. utraque, fol. 145.

XCV.

Confirmat decretum sacrae Congregationis negotiis episcoporum et regularium praepositae, nimirum non licere parochis, occasione associationis cadaverum, ingredi regularium ecclesias, sed teneri dimittere cadavera ad ianuam ecclesiarum; cetera vero munia in huiusmodi ministeriis per regulares esse expedienda¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum sacrae Congregationis aliàs editum.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposite exposito, quod eadem Congregatio die xvi decembris MDCLXI super controversiis, quae inter parochos civitatis Placentinae et monachos monasterii S. Sixti Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti occasione funerum erant exortae, inter alia decreverat servanda esse decreta et declarationes aliàs factas, scilicet parochis in associatione seu occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesiam monachorum praedictorum, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale, officia vero et munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis monachis peragi debere, non autem a parochis, atque ita in praemissis omnibus deinceps fieri et executioni mandari praeceperat;

Ampliatio eiusdem decreti.

§ 2. Et in eadem expositione subimito quod eadem rationes militarent ad

¹ Consimilem Constitutionem habes supra in Alexandro VII, *Aliàs pro parte*, tom. XVI, pagina 588.

favorem dicti Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ; ideoque supplicato ut Congregatio praefata resolutionem sive decisionem huiusmodi extenderet ad associationem per parochos fieri solitam cadaverum defunctorum, quae in ecclesiis fratrum huius Ordinis sepeliuntur, idque ad tollendas controversias quae in aliquibus parochiis eâ occasione inter parochos et fratres Ordinis huiusmodi nascuntur non sine scandalo ac fraternae et christianae charitatis detrimento: emanavit ab eadem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita censuit oratoribus dandam esse infra-scriptam declarationem aliàs editam, nempe parochis, in associatione sive occasione associationis cadaverum, non licere ingredi ecclesias regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis regularibus peragi debere, non autem a parochis; atque ita in praemissis omnino deinceps fieri et exequi, praesentium vigore mandat et praecipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae xxvii novembris MDCLXXI.

F. M. Card. BRANCATIUS.

Loco † sigilli ».

§ 3. Cum autem, sicut praefatus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocínio communiti summopere desideret: nos, specialem ipsi procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti,

C. nfirmatio ut in rubrica.

aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praecursorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis rebur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sique in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii ianuarii MDCLXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 ianuarii 1672, pontif. an. II.

XCVI.

Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, favore Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciarum Hispaniae, super

*facultate eligendi conservatores non designatos in synodo dioecesanâ in civitatibus et dioecibus in quibus nulli sunt iudices synodales*¹.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Didaci de Mendibil commissarii generalis curiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum² in multis dioecibus regnorum Hispaniae synodi a plurimis annis celebratae non fuerint, nullique proinde ibidem iudices in eiusmodi synodis deputati reperiantur, quos fratres conventuum dicti Ordinis in illis partibus consistentium in conservatores eligere seu nominare valeant, ipse Didacus commissarius generalis plurimum cupiebat facultatem nominandi in conservatores alias personas, quae qualitatibus per constitutionem felicis recordationis Gregorii PP. XV praedecessoris nostri de conservatoribus editam requisitis ceteroqui praeditae sint, fratribus praefatis concedi, quemadmodum aliàs in similibus casibus a Sede Apostolicâ concessa fuit: emanavit a praefatâ Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita censuit oratori dandam infrascriptam declarationem aliàs editam sequentis tenoris: Sacra Congregatio, etc., censuit episcopos quamprimum dioecesanam synodum omnino celebrare teneri; et interim in civitatibus et dioecibus in quibus nulli iudi-

Decretum sacrae Congregationis episcoporum et regularium.

¹ Nunc primum edita.

² Partic. cum nos addimus (R.T.).

ces extant in concilio provinciali aut dioecesano designati, licere regularibus, servatâ in reliquis formâ Constitutionis felicis recordationis Gregorii XV hac de re editae, conservatores nominare habentes qualitates a iure requisitas. Quorum tamen conservatorum facultas eo ipso expiret, cum primum huiusmodi synodus celebrata fuerit, in eâque iudices designati extiterint. Romae, iv decembris MDCCLXXI.

F. M. Card. BRANCATHI.

C. de V. archiep. Athenar. &c.

Confirmatio
ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dicti Didaci nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmiter subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret: nos, ipsum Didacum specialibus gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praecursorum approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscunque iudices ordinarios ac delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et defini de-

bere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praefatâ Gregorii praedecessoris aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio
contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii ianuarii MDCCLXXII, pontificatus nostri anno II.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 18 ianuarii 1672, pontif. anno II.

Registrata in Secretaria Brev. in lib. mensis ianuarii, parte utraq̃ue, fol. 150.

XCVII.

Subdit ministro generali Minorum de Observantiâ conventum S. Bonaventurae Lugdunensem ab eiusdem obedientiâ se subtrahere tentantem.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Maria Rhini a Politio, minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, cum ante triennium tunc existentes fratres conventus S. Bonaventurae civitatis Lugdunensis provinciae eiusdem S. Bonaventurae dicti Ordinis, ut male ordinatae eorum vitae reformationem evitarent, se dictumque conventum iurisdictioni ministri generalis Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci Conventualium nuncupatorum subiicere tentarent, Congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam super eiusmodi novitate recursus habitus fuerat, decrevit eundem conventum sub iurisdictione mi-

Expositio.

nistri generalis dicti Ordinis Minorum de Observantiâ sicut antea remanere debere, idque executioni mandatum fuit; nec quidquam novi ultra tentatum, praeterquam quod, cum dictus Franciscus Maria minister generalis ad visitandas et¹ reformandas Galliae provincias dicti Ordinis iussu nostro profectus fuisset, fratres conventus praefati, et cum illis unâ eorum guardianus, intercessione venerabilis fratris archiepiscopi Lugdunensis, litteras commendatitias a carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum rege christianissimo obtinuerunt ad hoc ut eis licentia assumendi statum saeculare, cum eorum conventus seu ecclesiae in collegiatam ecclesiam erectione, ab hac Sanctâ Sede impetraretur. Verum his ad notitiam dicti Francisci Mariae ministri generalis deductis, ipse² Franciscus Maria minister generalis eundem Ludovicum regem adiit, et ab eius pietate obtinuit revocationem dictarum litterarum, atque ita exclusa fuit novitas religioni perniciosa, sublataque occasio mali exempli, quo fratres aliorum conventuum ad similia procuranda, reformationis, quam humana fragilitas aversatur, evitandae causâ, adduci potuissent.

Petitio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilecti filii fratres dicti conventus Lugdunensis, pro maiori eorum parte, cum dilecto pariter filio Petro Quinton eorum guardiano et rebellionis antesignano uniti, ad tantam devenerint insolentiam, ut, sub praetextu seu spe litterarum apostolicarum, per quas eorum professio annullaretur, obedientiam non solum eorum ministro provinciali, sed etiam visitatori et commissario delegato reformatori a nobis nominato negare praesumpserint; dictus vero Fran-

¹ Coniunct. *et nos addimus* (R. T.).

² Edit. Main. legit *ipsi* (R. T.).

ciscus Maria minister generalis, ne dictus conventus, qui ex primariis Ordinis praefati existit, et in quo sancti Bonaventurae Ecclesiae doctoris, qui ibidem sanctae conversationis meritis refulsit et in Domino obdormivit, caput (ut pie creditur) asservatur, in profundum malorum descendat, ac pernicioso exemplo alios quoque eiusdem et aliarum Franciae provincialium conventus in ruina trahat, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

§ 3. Nos, ipsius Francisci Mariae ministri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, inhaerentes decreto aliâs, videlicet die xxxi maii MDCLXIX, edito, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus dictum conventum S. Bonaventurae Lugdunensis civitatis perseverare debere, ut antea, sub omnimodâ iurisdictione ministri generalis dicti Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum; ac propterea stricte mandamus guardiano, ceterisque eiusdem conventus fratribus, ut in omnibus eidem ministro generali, necnon ministro provinciali ipsius provinciae, ac visitatori, itidemque reformatori, ad praescriptum sacrorum canonum,

Declarat ut
in rubrica.

sacri Concilii Tridentini, apostolicarum constitutionum, et Ordinis praedicti, omnino pareant atque obediant; et adversus parere recusantes prout iuris fuerit animadverti, dictâ auctoritate, harum serie, praecipimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicutque ius¹ respective inviolabiliter observari,

Nec aliter inducere posse decernit.

§ 5. Sicutque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarius derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et conventus ac Ordinis praefactorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgiis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanens, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii

¹ Non dubito quin pro *sicutque ius* legendum sit *atque ab eis*; attamen ita legit etiam edit. Cherub. (R. T.).

februarii MDCLXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 februarii 1672, pontif. anno II.

XCVIII.

Beatificatio servi Dei Pii Papae V, eiusque missae et officii certis in locis concessio.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Unigenitus Dei Filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, cum sanctos atque electos suos, eos praesertim quos gregis sui pastores constituit secundum cor suum, creditae dispensationis munere pie fideliterque peracto, non solum aeternae beatitudinis praemiis donat in caelis, sed etiam illorum sanctitatem sequentibus signis testatam celebremque facit in terris, humilitati nostrae, quam Ecclesiae suae sanctae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praeficere dignatus est, luculenta proponit exempla, quae ipso dominante atque adiuvante pro modulo infirmitatis nostrae humiliter sequi conitamur. Unde, cum inter dominici gregis pastores apostolici zeli atque vigoris gloriae pastoralisque charitatis et vigilantiae laude, et sanctae humilitatis aliarumque omnium virtutum fulgore, quasi stella matutina in medio nebulae, longe lateque resplenduerit Dei servus felix recordationis Pius Papa V praedecessor noster, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsi domum, et in diebus suis corroboravit templum: merito adducimur ut illius honorem atque venerationem, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae decus, catholicaeque fidei presidium, ac spiritualem fidelium aedificationem, quantum nobis ex alto conceditur, promovere studeamus.

Confectis processibus et probatis virtutibus,

§ 1. Cum itaque mature diligenterque discussis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus dudum de Apostolicae Sedis licentiâ confectis, ac etiam subinde repetitis, super vitae sanctitate heroicisque virtutibus et aliis charismatibus, quibus idem servus Dei Pius Papa V praedecessor noster multipliciter claruisse, ac miraculis, quae eius intercessione, ac ad manifestandam illius sanctitatem, a Deo patrata fuisse asserebatur¹, eadem Congregatio coram nobis constituta, praevis etiam consultorum suffragiis, unanimiter censuerit posse, quandocumque nobis placeret, memoratum servum Dei Beatum declarari, atque indulgeri ut de eo tamquam de Confessore Pontifice in quibusdam locis officium et missa recitari et celebrari possint:

Pium Papam V Beatum declarat.

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enixis multorum orthodoxorum regum, aliorumque principum, ac totius Ordinis sancti Dominici, in quo praefatus servus Dei Pius Papa V, dum in minoribus constitutus erat, professionem regularem emisit, supplicationibus, nobis super hoc humiliter porrectis, paternâ benignitate annuentes, de memoratorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut idem servus Dei Pius Papa V in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de eo sub ritu semiduplici in omnibus ecclesiis tam² saecularibus quam regularibus utriusque sexus recitetur officium et missa celebretur de Con-

fessore Pontifice singulis annis iuxta rubricas breviarii et missalis romani die v maii, quae prima est non impedita post diem primam eiusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit.

§ 3. Haec vero, nempe recitationem officii et missae celebrationem, fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in almâ Urbe nostrâ, ubi eiusdem servi Dei corpus in basilicâ S. Mariae Maioris requiescit, tum in oppido Boschi Bertouensis dioecesis, ubi natus est, necnon in civitatibus et dioecesibus Montis Regalis, provinciae Taurinensis, ac Sutrinâ, et Nepesinâ, ubi sedit antistes, ac in universo Ordine sancti Dominici, tam fratrum quam monialium, et quantum ad missas attinet, etiam a sacerdotibus confluentibus. Praeterea, primo dumtaxat anno, a datis hisce litteris, et quoad Indias, a die quo eadem litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis Urbis ac civitatum et dioecesium et Ordinis praedictorum respective solemnia beatificationis eiusdem servi Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die, quoad Urbem, a dilecto filio nostro in eadem Urbe vicario in spiritualibus generali, extra illam vero ab Ordinariis respective constitutâ, et intra sex menses promulgandâ, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum dietae Urbis celebrata fuerint eadem solemnia, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praedictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam

Officium et missam certis in locis designat.

Transumptis fidem addit.

¹ Edit. Cherub. legit *asserebantur* (R. T.).

² Vocem *tam* nos addimus ex ed. Cherubini (R. T.).

in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii aprilis MDCLXXII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 aprilis 1672, pontif. anno II.

XCI.

Declarat quod indulta per felicitis recordationis Urbanum Papa VIII concessa fratribus oblatiis seu servientibus Tertii Ordinis sancti Francisci Congregationis Gallicanae tunc temporis existentibus, intelligantur emanata ad favorem etiam hodiernorum et per subsequencia perpetua tempora futurorum huiusmodi Congregationis oblatorum seu servientium praedictorum; quos suffragia ferre non posse nisi in receptione novitiorum ad professionem eiusdem cum eis conditionis statuit¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoraliis officii sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, curam gerentes, enatas inter eos controversias, quae amabilis concordiae fraternaeque charitatis serenitatem obnubilare possent, opportunae provisionis remedio recidere, ac illorum statui et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Causae Constitutionis.

§ 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Urbanus VIII, praedecessor noster, ad sedandas inquietudines atque animi

¹ Ne pluries dicta otiose repetam, te remitto ad ea quae notavi ad Constit. cni, *Decet Romanum*, Innocenti X, tom. xv, pag. 565, ubi aliqua ad praesentem materiam reperies.

perturbationes, quas maior pars tunc existentium fratrum oblatorum seu servientium Tertii Ordinis sancti Francisci Congregationis Gallicanae in suo huiusmodi statu patiebatur, per quasdam suas in simili forma Brevis die xxvi augusti MDCLXI emanatas litteras, cum eisdem fratribus oblatiis seu servientibus super quarto voto per eos emitti solito de non procurando alio quam suo fratrum oblatorum seu servientium huiusmodi statu, ad effectum infrascriptum, auctoritate apostolica dispensavit, quantumque votum huiusmodi illis relaxavit; necnon eisdem fratribus oblatiis seu servientibus tunc in dicto Ordine existentibus, quod ipsi, postquam per septem annos continuos ab eorum professione numerandos, ac per alterius anni spatium, in aliquo recollectionis loco a ministris provincialibus et definitoribus designato in dicto fratrum oblatorum seu servientium statu permansissent, ab ipsis ministris provincialibus et definitoribus huiusmodi in capitulo aut definitorio provinciali ad caputium et statum laicalem admitti, et inter ipsos fratres laicos eiusmodi Ordinis, iuxta eorum antiquitatem, necnon etiam inter clericos, qui nondum quatuor annos a sua professione expleverant, iuxta constitutiones praefatae Congregationis Gallicanae, sedere possent, concessit et indulsit; eam tamen lege ut nec eiusmodi fratres oblatis, seu servientes, ad caputium et statum laicorum assumpti, nec laici, qui nondum suffragiorum iure potiti fuerunt, nec denique alii qui deinceps ad statum laicalem in dicto Ordine admitterentur, ullo suffragiorum iure gaudere valerent, nisi in receptione novitiorum ad professionem eiusdem cum eis status et conditionis. Voluit insuper dictus Urbanus praedecessor, et pariter indulsit, ut, si quis ex dictis fratribus oblatiis, seu servientibus,

huiusmodi, post supradictos septem a suâ professione annos, suum huiusmodi statum immutare nollet, de superiorum suorum consensu in eo permanere, necnon eisdem privilegiis, quibus alii gavisuri essent, qui accepto caputio statum suum mutavissent, gaudere libere et licite posset, et aliâs, prout in praefatis Urbani praedecessoris litteris, quarum tenorem¹ praesentibus pro plene et sufficienter expresso² ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii superiores dictae Congregationis Gallicanae nobis nuper exponi fecerunt, super praemissis, seu eorum occasione, subinde in eâdem Congregatione variae exortae fuerint controversiae, super quibus aliae ab eodem Urbano praedecessore die xxv maii MDCXLIV, ac a recolendae memoriae Innocentio X, die vi aprilis MDCXLVIII, et Alexandro VII, Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris, die x decembris MDCLIX, ac die xiii septembris MDCLX, et die xi aprilis MDCLXI respective expeditae fuerunt pariter in formâ Brevis litterae, ac tandem die iv maii MDCLXIII decretum a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ emanavit, nec tamen exinde memoratae Congregationis Gallicanae tranquillitati sufficienter provisum reperiatur, sed praenarratae perturbationes et inquietudines denuo reviviscentes novum in praesens paternae charitatis et providentiae nostrae praesidium exposcant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

¹ Edit. Main. legit *tenore* (R. T.)

² Edit. Main. legit *expressis* (R. T.).

§ 3. Nos igitur, eorundem superiorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac aliarum litterarum et decreti praefatorum tenores praesentibus similiter pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium super hoc negotio a nobis specialiter deputatorum, qui dilectum etiam filium procuratorem generalem, seu commissarium curiae familiae ultramontanae Ordinis sancti Francisci audiverunt, ac rem mature examinerunt, consilio, dispensationem, relaxationem et indulta, quae memoratus Urbanus praedecessor per suas litteras primodictas praefatis fratribus oblatis tunc temporis existentibus, sicut supra scriptum est, concessit, dilectis filiis hodiernis, et per subsequencia perpetua tempora futuris fratribus oblatis seu servientibus dictae Congregationis Gallicanae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, pariformiter concedimus: statuentes ut non solum fratres oblatis seu servientes, qui eo tempore, quo primodictae Urbani praedecessoris litterae emanarunt, in praefatâ Congregatione Gallicanâ erant, sed etiam alii odierni, et per subsequencia perpetua tempora futuri fratres oblatis seu servientes Congregationis huiusmodi, necnon quicumque alii, qui ad statum laicalem in eâdem Congregatione immediate seu in ingressu religionis as-

Declarat ut
in rubrica.

sumentur, nullo unquam tempore suffragiorum iure gaudere valeant nisi in receptione novitiorum ad professionem eiusdem eum eis status et conditionis; ac super controversiis praefatis perpetuum partibus silentium, eadem auctoritate, harum serie, imponimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarium derogatio.

§ 5. Non obstantibus praefatis aliis Urbani ac Innocentii et Alexandri praedecessorum litteris, et decreto memoratae Congregationis cardinalium, ac quibusvis constitutionibus, ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et Congregationis Gallicanae, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu

exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII maii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 maii 1672, pontif. anno III.

C.

Indulgentia pro ecclesiis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo in die festo eiusdem Beatae Mariae Virginis, et sanctorum Andreae Corsini episcopi, Angeli martyris et Alberti confessoris.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Universis christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostrae credidit divina dignatio, libenter erogamus, sicut ad fovendam incitandamque fidelium erga sanctos in caelis cum Christo regnantes devotionem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Exordium.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Matthaei Orlandi, prioris generalis Ordinis fratrum S. Mariae Virginis de Monte Carmelo, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi:

Petito.

§ 2. Omnibus et singulis utriusque

Concessio ut in rubrica.

1 Huc desinit omnino editio Cherubiniana, quae, utpote accuratior, aliquando nobis adiumento fuit ad errata Mainardiana corrigenda (R. T.).

sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, et sacrâ communionem referētis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum quam monialium dicti Ordinis hactenus erectis et in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die xvi iulii, aut dominicâ immediate sequenti, qua festum Commemorationis eiusdem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo celebratur, ac in sancti Andreae Corsini episcopi, et sancti Angeli martyris, ac sancti Alberti confessoris, qui religiosam vitam in Ordine praefato professi fuerunt, festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praefatis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiv maii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 14 maii 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretaria in lib. III Brevium diversorum, fol. 341.

1 Vocem tam nos addimus (R. T.).

CI.

Constitutio suppressionis controversiarum fratrum Discalceatorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in provinciâ S. Antonii Brasiliae, cum deputatione suorum officialium.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancti apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque clementiae altitudo humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, committere dignata est, salubriter exequi adiuvante Domino iugiter satagentes, exorta inter religiosos viros animorum dissidia, ne fraternae charitatis religiosaeque tranquillitatis serenitatem diutius conturbent, opportunis rationibus recidere, ac ipsorum religiosorum statui et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, providere studemus, sicut, personarum, locorum et temporum qualitatibus mature perpensis, in Domino expedire arbitramur.

Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Maria Rhini a Politio, magister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, cum in provinciâ S. Antonii Brasiliae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis a pluribus retro annis vigerint controversiae non minus paci ac charitati religiosae quam regulari observantiae ac strictiori instituto eiusdem provinciae plurimum adversae ac praeiudiciales, praecipue quidem propter capitulum quoddam ibidem anno MDCLXVIII celebratum, quod a tunc existente eiusdem Ordinis ministro generali dicti Francisci Mariae praedecessore annullatum fuit cum institutione alterius ministri provincialis et definitorii dictae provinciae, ac propter

Exponatur controversiae exortae.

delegationem cuiusdam commissarii nationalis qui adhuc in eadem provinciâ manet cum obedientiâ maioris numeri conventuum; ex adverso vero remanserint ex aliâ parte praefatum commissarium recusante ministri et definitores annullati, qui, non obstantibus censuris ab eodem commissario fulminatis, novum capitulum celebrarunt anno MDCLXX cum retentione paucorum conventuum in districtu de Pernabuco, atque itaque utraque pars in divisione perseveret:

Supplicatio.

§ 2. Idem Franciscus Maria minister generalis pro muneris sui obligatione subditorum sibi commissorum saluti et quieti religiosae prospectum esse exoptans, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderat.

Suppressio
controversiarum.

§ 3. Nos igitur, ipsius Francisci Mariae ministri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac eius et infra nominatorum fratrum expresse professorum Ordinis praefati singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas¹ fore censentes, supplicationibus eiusdem Francisci Mariae ministri generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulos, qui poenis et censuris occasione praenarratarum controversiarum hinc inde latis quovis modo innodati sunt, seu aliâs quomodolibet in praemissis aut rei aut obnoxii existunt, a censuris et poenis huiusmodi, quas propter eadem praemissa quovis

modo incurrerant, seu incurrisse dici, censeri vel praetendi possent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in utroque foro absolvimus et totaliter liberamus, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittimus et condonamus.

§ 4. Ac cum ipsis omnibus et singulis super irregularitate, si quam, ex eo quod censuris huiusmodi propter eadem praemissa innodati sacrosanctum missae sacrificium et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverint seu aliâs in suis ordinibus ministraverint, quovis modo contraxisse reperiantur, ad quemcumque effectum, auctoritate et tenore praefatis, de specialis dono gratiae dispensamus, eosque et eorum quemlibet in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, restituimus reponimus et plenarie reintegramus; necnon super praenarratis controversiis perpetuum cunctis silentium imponimus.

Dispensatio
ab irregularitate contracta.

§ 5. Praeterea utriusque partis praefatae ministris et definitibus qui de praesenti in memoratâ provinciâ divisi gubernant (quos omnes et singulos a gubernii munere respective absolvimus), necnon illis qui in praefato capitulo anni MDCLXVII ut praefertur annullato electi fuerunt, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, gratiis et indultis, a statutis dicti Ordinis pro ipsorum instituto praescriptis, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si legitime electi munerum suorum tempus ab iisdem statutis praefixum explevissent, dictâ auctoritate, harum serie, concedimus et indulgemus. Ac dilectum filium Antonium a S. Clara fratrem dicti Ordinis, commissarium nationalem in provinciâ praefatâ delegatum, a suo commissariatus huiusmodi officio absolutum, aucto-

Ministros, qui de praesenti gubernant dictam provinciam ab eorum munere absolvit.

¹ Edit. Man. legit *absolutos* (R. T.).

ritate praedictâ, earundem tenore praesentium, declaramus, eique praecipimus ne amplius quidquam iurisdictionis in eâdem provinciâ exerceat, sed statim ad propria revertatur.

Deputat ministrum provinciam, custodem et novos definitores.

§ 6. Porro felici prosperoque dictae provinciae S. Antonii Brasiliae regimini et gubernio salubriter providere cupientes, ac de infrascriptorum Ordinis praefati professorum fide, prudentiâ, vigilantâ, charitate, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, dilectos filios Simonem a Plagis in ministrum provinciam, ac Dominicum a S. Antonio in custodem, necnon Matthaeum a Praesentatione, Antonium ab Angelis, Bonaventuram a Rosario, et Dominicum a Martyribus, fratres expresse professos Ordinis huiusmodi, in definitores eiusdem provinciae S. Antonii Brasiliae respective, ad tempus quo eiusmodi officia iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta per Sedem Apostolicam confirmata durare consueverunt, cum omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, auctoritate, praeminentiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, auctoritate et tenore praefatis, constituimus et deputamus; ac illis secundo loco, in casu mortis, dilectos pariter filios Bernardinum a Purificatione in ministrum provinciam, et Stephanum a Regibus in custodem, ac Ioannem a Luce, et Danielem a S. Francisco, eiusdem Ordinis professos, in definitores provinciae huiusmodi respective substituiimus et subrogamus.

Eis mandat interesse electioni novorum guardianorum.

§ 7. Volentes ut minister provincialis ac custos et definitores sic a nobis deputati sive substituti respective, unâ cum commissario per memoratum Franciscum Mariam ministrum generalem ad provinciam praefatam pro illius reformatione destinando, electioni faciendae

novorum guardianorum, iuxta statuta Ordinis et exigentiam provinciae huiusmodi, assistant.

§ 8. Demum eidem commissario, sic ^{Executores deputat.} destinando, praesentes litteras executioni mandandi, ac demandari faciendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, quancumque necessariam et opportunam facultatem, eâdem auctoritate, harum serie, tribuimus et impartimur.

§ 9. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis provinciae praefatae superioribus, fratribus, personis, ceterisque ad quos spectat et spectabit in futurum, ut supranominatos fratres ad officia eis respective per praesentes demandata illorumque liberum exercitium iuxta earundem tenorem praesentium recipiant et admittant, eosque recognoscant, et illis in omnibus officia huiusmodi concernentibus pareant et obediant, faveantque et assistant respective.

Mandat esse parendum.

§ 10. Ac decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari,

Decretum irritans.

§ 11. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sic iudicandum.

Obstantia memorat.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et provinciae, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

Eis derogat.

§ 13. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

A censuris absolutio.

§ 14. Volumus autem, ut illi, quos a censuris propter praemissa ineuris ut praefertur absolvimus, poenitentiam, quam eis sacerdos idoneus propter eadem praemissa iniunxerit, omnino adimpleant, alioquin praesentes litterae, quoad absolutionem huiusmodi in eius⁴ foro conscientiae, minime suffragentur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii maii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 18 maii 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretar. Brev. in lib. mensis maii, p. II, fol. 151.

CII.

Faultas prioris generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo conferendi lauream doctoralem fratribus magistris in collegiis et studiis sui Ordinis.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Inhibitionem Clementis IX.

Aliâs felicis recordationis Clemens PP. IX, praedecessor noster, dilecto filio
1 Pro in eius legerem eis in (R. T.).

Matthaeo Orlando, moderno et pro tempore existenti priori generali Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo, facultatem conferendi lauream doctoralem illis fratribus dicti Ordinis, qui, ex praecepto constitutionum Ordinis huiusmodi, magisterio insigniti forent, auctoritate apostolicâ concessit; ita tamen ut illâ extra collegium Salamantinum non nisi in collegio S. Mariae Transpontinae de Urbe eiusdem Ordinis uti possit, et aliâs prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis, die xx iulii MDCLXVIII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 1. Cum autem, sicut praefatus Matthaeus prior generalis nobis nuper exponi fecit, fratres magistri a priore generali dicti Ordinis pro tempore existente instituti secundum formam regularium institutorum ante susceptionem laureae doctoralis huiusmodi nullis frui possint privilegiis, saepe vero contingat priorem generalem Ordinis huiusmodi, visitationis aliorumque negotiorum eiusdem Ordinis causâ, per plures annos extra Urbem praefatam manere, eo autem absente fratres magistri lauream doctoralem suscipiendi gratiâ ad eandem Urbem frustra sint accessuri, nec propter eorum paupertatem eiusmodi lauream in aliquâ studii generalis universitate suscipere valeant, attentis intolerabilibus pecuniarum summis ibidem expendendis, quibus pauperrima inter Mendicantes religio nimium gravaretur:

§ 2. Nobis propterea dictus Matthaeus prior generalis, ne praefatos fratres magistros privilegiis suis diu carere contingat, humiliter supplicari fecit, ut sibi suisque successoribus prioribus generalibus in praemissis opportune pro-

Motivum ampliandi dictum indultum.

Petitio.

videre et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur.

Concessio.

§ 3. Nos igitur, ipsius Matthaei prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefato Matthaeo moderno, eiusque successoribus prioribus generalibus Ordinis praedicti pro tempore existentibus, quando fuerint in conventibus eiusdem Ordinis ubi collegium seu studium pro studentibus religionis institutum sit, lauream doctoratus praenarratis magistris ipsius Ordinis, servatis tamen quoad reliqua omnibus ex praecepto constitutionum Ordinis huiusmodi servandis, auctoritate nostrâ apostolicâ conferendi facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis¹, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praefati Cle-

¹ Edit. Main. legit *illos* (R. T.).

mentis praedecessoris nostri litteris, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in eisdem Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non ob stare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iunii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 20 iunii 1672, pontif. anno III.

Registrata in libro Brevium mensis iunii, part. utraq̄ue, fol. 585.

CHI.

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias tam fratrum quam monialium Ordinis Servorum B. Mariae Virginis ubicumque existentes, tam hactenus erectas quam erigendas, xxiii augusti, festo S. Philippi Benitii¹.

Clemens Papa X, -
ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos sabuberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, et caelestis beatitudinis consortes effecit, vi-ces, licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos caeli incolas fidelium devotio-^{Exordium.} nem salubriter expedit in Domino arbitramur.

§ 1. Cum itaque nos, ad honorem SS. et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae

Canonizatio S. Philippi Benitii.

¹ Philippi Benitii cultum approbavit Leo X, et deinde extendit Paulus V, ut videre est in *Bulario* tom. XII, pag. 427 (R. T.).

religionis incrementum, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in aliam Urbem nostram tunc existentium consilio, beatum Philippum Benitium, dum vixit, Ordinis fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis professorem et propagatorem, auctoritate nobis a Domino traditam, Sanctum esse decreverimus¹ et definiverimus:

¹ Indulgentia et
in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum quam monialium dicti Ordinis haecenus erectis et in posterum quodocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die xxiii augusti, festo eiusdem S. Philippi Benitii, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

² Transumptio-
rum fides.

§ 3. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem porsus fides in iudicio vel extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem
1 Edit. Main. legit *decrevimus* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die iv iulii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 4 iulii 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. Brevium, in lib. III diversorum, fol. 351.

CIV.

Breve exemptionum nonnullorum familiarium suorum a gabellis et aliis impositionibus, et facultatis testandi pro iisdem.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Venerabili fratri Alexandro Crescentio patriarchae Alexandrino, cubiculi nostri praefecto, ac dilectis filiis magistris Ioanni Gualterio Slusio Leodiensi, secretario Brevium nostrorum secretorum, et Prospero Bottinio Lucensi, in utraque signaturam nostram referendariis, auditori, praelatis domesticis nostris, ac Iosepho Vallemanno pincernae, Francisco Polino, Nicolao Gentili Camerinensis, architrucino, Carolo Balduccio Tusculanae, vestiario, Ascanio Paganello, Venantio Benignio, Octavio Cambio Camerinensis, Dominico Sancti Pisaurensis, Pomponio Canalis Ravennatis, cubiculariis secretis nostris, et Iosepho Barbio Camerinensis, cappellano secreto nostro, ac Brunoni Bellozio Asculanae respective civitatum vel dioecesium clericis seu presbyteris, cubiculi nostri auditori, familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Ad Romani Pontificis, quem supremum in terris gratiarum dispensatorem constituit Deus, circumspectam noscitur providentiam pertinere, ut sibi et Apostolicae Sedi devotos, eos praecipue, quorum fidem, integritatem, prudentiam et industriam in obeundis gravibus dictae Sedis ministeriis et muneribus, neenon accuratam sollicitudinem, assiduitatem, dexteritatem et vigilantiam in

Exordium.

impendingis sibi gratis familiaritatis obsequiis multis rerum experimentis spectatas habet, peculiarium gratiarum favoribus condeoret, eorumque indemnitati ac haeredum et successorum cuiuslibet eorum securitati consulere satagat, sicut personarum meritis convenire arbitratur.

Familiares a
cenuris absol-
vit.

§ 2. Hinc est quod nos, ad grata familiaritatis obsequia, quae nobis haecenus impendistis et adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitae et morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita singulari erga nos et Sedem praedictam fidei et devotioni coniuncta, quibus vos omnes et singulos etiam familiari experientia iuvare novimus, condignam rationem habentes, vosque¹ propterea speciali favore gratiae prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas² fore censentes:

Omnes gratias
et indulta con-
cessa a praede-
cessoribus Pon-
tificibus confir-
mat.

§ 3. Motu proprio, non ad vestram aut cuiuslibet vestrum nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione meraque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine (etiam praeter et ultra quaecumque alias, similes vel dissimiles, generales vel speciales, gratias, facultates, exemptiones, indulta et privilegia vobis et vestrum cuilibet a nobis vel a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessas et concessa, et in posterum etiam a nobis et Romanis Pontificibus successoribus no-

stris concedendas et concedenda, quas omnes et singulas, quaeque omnia et singula, perinde ac si illarum et illorum tenores praesentibus expressi ac de verbo ad verbum inserti forent, in suo robore et firmitate remanere et esse, nec per illas et illa eisdem praesentibus, vel per praesentes illis in aliquo praeciudicari, vel eas seu ea invicem confundi seu impediri, sed etiam cumulative procedendo unam seu unum per aliam seu aliud coadiuvare et suppleri posse, vobisque omnibus et singulis tam coniunctim quam divisim plenissime suffragari debere volumus, decernimus et declaramus).

§ 4. Vos omnes et singulos, vestraque et cuiuslibet vestrum beneficia et officia quaecumque, quotcumque et qualiacumque, ac cuiuscumque qualitatis etiam speciali expressione dignae existentia, tam haecenus in titulum, commendam vel administrationem, seu alias quomodolibet obtenta, quam in futurum quovis modo et quodocumque obtinenda, illorumque omnium et singulorum fructus, redditus, proventus, obventiones, bona, res, emolumenta et iura quaecumque, ac vestra et cuiuslibet vestrum praedia, possessiones, agros, terras, animalia, domos, molendina et alia bona, patrimonialia et temporalia, mobilia et immobilia, ac semoventia, necnon actiones et iura quaelibet praesentia et futura, ac tum a vobis et quolibet vestrum de praesenti possessa et haecenus acquisita, quam in posterum quodocumque et quomodocumque acquirenda et possidenda, urbana et rustica, tam in alia Urbe eiusque districtu, quam in aliis quibuscumque civitatibus etiam Ferrariensi, Bononiensi, Beneventana, Aconitana et Avenionensi, et aliis etiam specificam et individuanam mentionem requirentibus, earumque territoriis et di-

Amplissima
exemptio dicto-
rum familiarium
ab omnibus da-
tis, etc.

¹ Ed. Main. legit *eosque* (R. T.).

² Ed. Main. habet *absolutos* (R. T.).

strictibus, ac quibuscumque oppidis, terris et locis Status nostri Ecclesiastici mediate vel immediate subiectis, et aliis ubicumque locorum, provinciarum et regnorum respective consistentia, dictorumque bonorum fructus, proventus, pensiones, affectus et emolumenta quaecumque, ac etiam, respectu eorundem bonorum tantum, vestros et cuiuslibet vestrum colonos, laboratores, affectuarios et conductores quoscumque, cuiusvis qualitatis, quantitatis et naturae bona huiusmodi, ac cuiuscumque annui valoris illorum fructus, redditus et proventus sint, vel fuerint, ac etiam quaecumque a vobis et singulis vestrum vendenda, et pro vestris familiarumque vestrarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis, aliisque partibus, seu portionibus, subsidiis etiam charitativis, nec non vectigalibus, gabellis, portoriis, dantiis, pedagiis, taxis, collectis et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, etiam subsidii triennalis et quaterni carnis, aliisque impositionibus realibus, personalibus et mixtis¹, etiam ratione munitionum moenium, et pontium et portarum et moliturarum, ac mercium cuiuscumque generis transitus seu passus et vecturae etiam in aliud territorium seu provinciam, terram mari et flumine, necnon equorum mortuorum stabulationum et hospitacionum militum, institutionis seminarii ecclesiastici et mantentionis classis et tireminum pontificiarum, ac etiam ob bellum contra infideles, vel in subventionem Sedis et Camerae praedictarum, aut christianae reipublicae seu Status Ecclesiastici praedicti tuitionem et defensionem, ac aliis

ex quacumque licet gravissimâ, urgentissimâ, necessariâ, insolitâ, incognitâ, ac inexcogitabili causâ impositis, ac quodcumque et qualitercumque imponendis, etiam ratione venditionis et emptio- nis equorum aliorumque animalium solvi solitis (tant vos et quilibet vestrum nihil omnino horum vel similium subire vel solvere teneamini, nec per Camerae Apostolicae aut alios commissarios et ministros, seu vectigalium, gabellarum, decimarum, subsidiorum, impositionum, tributorum et aliorum praedictorum redemptores, conductores, collectores, subcollectores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, ad id valeatis coartari, quoad vixeritis et quilibet vestrum vixerit respective, tenore praesentium eximimus et plenarie liberamus, ac liberos, immunes, francos et exemptos, liberaque, immunita, franca et exempta esse et fore decernimus pariter et declaramus.

§ 5. Praeterea vobis et cuilibet vestrum, ut de omnibus et singulis locis, libris, gemmis, etiam pretiosis et quolibet principe etiam maximo et praesule dignis, necnon de suppellectilibus aliisque mobilibus etiam in pecuniâ cuiuscumque generis consistentibus ac semoventibus et immobilibus quomodolibet nuncupatis bonis, ac castris et terris quacumque dignitate suffultis, villis, domibus, palatiis, vineis, casalibus, possessionibus, censibus, locis et portionibus montium quorumbilibet, aliisque dominiis temporalibus, feudalibus et iurisdictionalibus, meroque et mixto imperio (sine praedictis tamen iurium Camerae Apostolicae praedictae quoad iurisdictionalia huiusmodi), tam in Urbe quam extra eam ubivis, etiam penes beneficia ecclesiastica quaecumque cum curâ et sine curâ saecularia et cuiusvis Ordinis re-

Facultas illis conceditur testandi et disponendi de eorum bonis

¹ Edit. Main. legit *missis* pro *mixtis* (R. T.).

gularia, per vos et vestrum quemlibet in titulum, commendam vel administrationem, seu aliàs, ex quibusvis dispensationibus et concessionibus etiam apostolicis obtenta et in posterum obtinenda, existentibus, ac iuribus, actionibus, et viâ, formâ et occasione ad vos et vestrum quemlibet respective nunc et pro tempore spectantibus, etiam quibuscumque rebus consistentibus, etiamsi illa omnia vel eorum maior aut aliqua pars ex fructibus et emolumentis quorumcumque monasteriorum, etiam consistorialium, praepositarum, prioratum, praepositarum, dignitatum, etiam conventualium, maiorum et principalium, personatum, administrationum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum eum curâ et sine curâ saecularium et quorumvis Ordinum, militiarum et hospitalium, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, regularium, quocumque nomine nuncupatorum et quomodolibet qualificatorum, etiam personalem residentiam requirentium, quae auctoritate ordinariâ, vel ex quibusvis concessionibus et dispositionibus seu indultis apostolicis, regumque et aliorum principum nominationibus seu praesentationibus, aut aliàs quomodolibet in titulum, commendam, vel administrationem, aut alio quocumque modo obtinistis et de praesenti obtinetis et in posterum simul vel successive aut pluries iteratis vicibus et aliàs quomodolibet obtinebitis, ac vestrum quilibet obtinuit, obtinet et obtinebit respective, necnon ex quibuscumque aliis fructibus, redditibus et proventibus etiam ecclesiasticis loco pensionum annuarum, ac pensionibus annuis super similibus vel dissimilibus etiam mensarum archiepiscopali, episcopali, abbatiali, capitularium et conventualium, ac monasteriorum, canonicatum et praebendarum aliorumque beneficiorum eccle-

siasticorum fructibus, redditibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, atque etiam distributionibus quotidianis et emolumentis etiam manualibus, ac solis praesentibus et divinis officiis horisque diurnis et nocturnis interessentibus dari et per eos lucrificari solitis, vobis et vestrum cuilibet respective reservatis et assignatis, ac reservandis et assignandis, necnon emolumentis quorumcumque Romanae Curiae officiorum, ac tam ex paternâ quam ex aliis haereditatibus seu aliàs quavis occasione vel contemplatione provenerint, seu in posterum provenient, ac qualitercumque, quomodocumque et undecumque, etiam in functionibus quorumcumque munerum et legationum, ac aliàs quomodolibet per eos et vestrum quemlibet acquisita sint et in posterum acquiri contigerit, cuiuscumque quantitatis praedicta omnia, ac cuiuscumque valoris etiam annui et inexcogitati, et qualitatis seu conditionis bona et alia supradicta fuerint (illa omnia, eorumque veros et annuos valores et denominationes, etiamsi omnia praedicta, seu eorum aliqua, talia fuerint, quae sub generali appellatione honorum suppellectilium non venient, sed specialibus indigeant vocabulis, specialemque notam requirant, praesentibus ac si specificè et singillatim exprimerentur, pro sufficienter expressis et specificatis habentes), usque ad quancumque summam, quantumvis notabilem, notabilissimam et inexcogitam, per viam testamenti nuncupativi, seu in scriptis aut epistolarum seu codicillorum, aut aliàs solo verbo vel alio quovis modo, etiam minus solempni, et sine aliquâ insinuatione, testandi, seu donatione, tam inter vivos quam causâ mortis, etiam per viam simplicis distributionis, seu contractus, etiam omissis quibusvis solemnitatibus, etiam substantialibus, et formis aliàs re-

quisitis tam de iure quam per constitutiones, statuta et consuetudines Urbis, civitatum vel locorum ubi vos seu vestrum quemlibet respective ita disponere aut mori contigerit, in eadem voluntate permanendo, etiam coram notario publico, vel duobus testibus, aut per cuiuslibet vestrum cedulam privatam, seu quacumque ultimâ voluntate, et aliâs prout et quemadmodum vobis¹ et vestrum cuilibet respective videbitur, tam in dictâ curiâ quam extra eam, etiam in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis vel aliorum vobis seu vestrum cuilibet respective pro tempore concessarum et in posterum concedendarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere intendatis aut velitis, seu quilibet vestrum intendat aut velit, in quosvis pios et non pios usus,

Favore quorumcumque etiam illegitimerum, aliâs tamen quam ex proprio corpore natorum.

§ 6. Et in quascumque personas utriusque sexus (sive consanguinei, affines, seu nepotes, aut etiam alii quovis modo vobis respective coniuncti, vel servitores aut familiares vestri, aut etiam extranei, etiamsi illegitimi ex quovis illicito et damnato coitu aliâs quam ex proprio corpore cuiuslibet vestrum respective procreati, ac etiam ipsorum illegitimerum parentes, coniuges, filii, descendentes, ascendentes vel cognati seu attinentes fuerint) necnon collegia, universitates et loca tam pia quam non pia, et aliâs quomodocumque et qualitercumque pro libero² et voluntate cuiuslibet vestrum absolutis, semel vel pluries, in toto vel in parte, etiam successive, ac toties quoties cuilibet vestrum respective videbitur et placuerit, disponere, eaque legare, relinquere et erogare, et seu dispositiones, testamenta, legata, relicta, in vim praesentium seu aliâs quomodolibet facta,

similiter quodocumque vobis respective videbitur, in totum vel in partem, etiam saepe et saepius moderari, limitare, commutare, alterare, ac in totum vel pro parte revocare et in alias personas distribuere, ac aliâs de illis pariter, prout vestrum cuilibet respective videbitur et placuerit, ac duxeritis faciendum, tam in curiâ praedictâ quam extra eam, etiam extra loca debitae vestrae et cuiuslibet vestrum residentiae respective, ac ubicumque et quodocumque etiam in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis, vel aliarum¹ vobis pro tempore, seu cuilibet vestrum, respective concessarum facultatum, vel quod in vim illarum testari vel disponere velitis et intendatis, ac etiam praesentibus litteris in actu concedendi² per quemlibet vestrum respective testamenti, seu cuiuslibet alterius ultimae voluntatis et dispositionis, si cuilibet vestrum respective videbitur, non exhibitis, disponere libere et licite possitis et valeatis, ac vestrum quilibet possit et valeat respective, liberam, plenam et omnimodam licentiam et facultatem perpetuo duraturam, motu, scientiâ, deliberatione, liberalitate ac potestatis plenitudine paribus, harum serie, concedimus et impartimur.

§ 7. Ac ex nunc testamenta, codicillos, donationes, dispositiones, legata, relicta et erogata, ac ultimas voluntates vestras, contractus huiusmodi, et quidquid super his per quemlibet vestrum, etiam nullâ vel minus sufficienti facultate suffultum, hactenus vel in futurum, in toto vel in parte, testatum, codicillatum, donatum, relictum, erogatum, et aliâs tam inter vivos quam in ultimâ voluntate seu aliâs quovis modo dispositum esse contigerit, omniaque et singula inde secuta et sequentum, ex nunc pro-

Omnes huiusmodi dispositiones validat et approbat.

¹ Pessime ed. Maio. legit *urbis* pro *vobis* (R. T.).

² Potius lege *libito* (R. T.).

¹ Ed. Maio. legit *aliorum* pro *aliarum* (R. T.).

² Videtur legendum *condendi* (R. T.).

ut ex tunc, et e contra, approbamus et confirmamus, ac valida et efficacia esse et fore, perpetuâque roboris firmitate subsistere volumus; omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui forsân intervenerint in eisdem, supplemus.

Bona eorum decedentium ab intestato mandantur esse deferenda ad hæredes.

§ 8. Et nihilominus statuimus et ordinamus, vobisque omnibus et singulis indulgemus, ut, etiamsi contigerit vestrum quemlibet ab intestato, et sine ullâ rerum et bonorum suorum huiusmodi, vel cum invalidâ et minus legitimâ dispositione, in quacumque mundi parte, etiam in dictâ curiâ, vel extra loca debitæ a vobis respective residentie, etiam nullâ subsistente causâ, decedere, omnia et singula bona, res et iura, actiones, fructus, pensiones et alia quaecumque et qualiacumque supra expressa, non ad Sedem et Cameram vel ecclesias et monasteria et beneficia prædicta, seu in eis successores, sed ad hæredes sanguinis cuiuslibet vestrum respective, et quoscumque alios vestrum cuiuslibet ab intestato succedentes, integre devenire debeant.

Eadem bona exiit a spoliis.

§ 9. Decernentes omnia et singula prædicta, etiam ut præfertur qualificata, necnon spolia et quaecumque alia per vos et quemlibet vestrum respective pro tempore relicta, res et bona, ac alia præmissa, nullo unquam tempore tanquam spolia ad nos ac Sedem et Cameram prædictas devolvi seu spectare quomodolibet prætendi posse; ac hæredes, donatarios et alios, ad quorum favorem bona ipsa quovis modo relicta esse seu ad quos illa ab intestato spectare contigerit, necnon executores et alios quibus negotium executionis vestrarum voluntatum huiusmodi respective commiseritis, ad solvendum tertiam vel aliam partem bonorum eorundem per quemlibet vestrum respective pro

1 Coniunct. et nos addimus (R. T.).

tempore relictorum, quæ forsân per constitutiones apostolicas, aut alias de iure vel consuetudine, post obitum cuiuslibet vestrum ad dictam Cameram, aut ad nos et successores nostros Romanos Pontifices spectare, seu in pios vel alios usus, et forsân contra infideles, aut in fabricam supradictæ basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, vel eorundem monasteriorum, aut ecclesiarum et beneficiorum prædictorum, seu cruciatæ sanctæ, vel alios usus converti deberet, seu dum vixeritis respective convertere debeatis, illudque, nullâ subsistente causâ, sed pro cuiuslibet vestrum respective libito voluntatis prætermiseritis (quam ex nunc vobis et vestrum cuiuslibet, hæredibusque, donatariis, ac aliis quocumque titulo, etiam ab intestato, successoribus vestris huiusmodi liberaliter et titulo irrevocabilis donationis inter vivos gratiose donamus et elargimur) minime teneri.

§ 10. Nec super bonis per quemlibet vestrum, ut præfertur, seu aliis pro tempore dispositis, seu etiam ab intestato relictis, per camerarium seu procamerarium nostrum pro tempore existentem, thesaurarium generalem, commissarium, collectores, subcollectores, aut alios quoscumque agentes pro dictâ Camerâ, quovis prætextu, auctoritate, potestate, occasione vel causâ, manus iniici, minusque eis aliquam descriptionem, seu inventarium vel depositum, aut sequestrum, seu quid simile facere, attentare, seu prætendere licere, neque per eos vel vestros in ecclesiis, monasteriis vel beneficiis respective successores, aut dictæ fabricæ præpositos, vel alios quoscumque, quovis modo, directe vel indirecte (etiam ex causâ illicitæ negotiationis, vel quod fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum prædictorum, propter non residentiam vel incompatibilitatem

Etiâ si fructus beneficiorum ab eis possessorum mala et indebite perciperint.

1 Particula vel omnino delenda videtur (R. T.).

beneficiorum quorumcumque per vos et vestrum quemlibet respective nunc et pro tempore obtentorum et in posterum obtinendorum, vel aliàs quacumque de causâ vestros non feceritis, sed illos male atque indebite perceperitis, et propterea ad illorum restitutionem Camerae nostrae Apostolicae, seu monasteriis et beneficiis vel fabricae praedictis, aut cuicumque alteri personae vel loco faciendam teneamini, dummodo super his causa vobis viventibus respective non fuerit introducta) molestari et inquietari posse aut debere.

Neque adversus haeredes quod praetendi possit.

§ 11. Necnon camerarium, seu procurarium, thesaurarium, praesidentes clericos, agentes, collectores, subcollectores, commissarios, deputatos, aut alios praedictos, a quidquam vobis, aut vestrum quolibet, seu vestris et cuiuslibet vestrum haeredibus praedictis tam ab intestato quam ex testamento, legatariis, donatariis, aut aliis in quorum favorem dispositum fuerit, aut qui ab intestato ut praefertur succedent, occasione praemissorum, seu sequestrationis, dissequestrationis, excamerationis, propinae, seu trigesimae, transactionis, vel cuiuslibet alterius pactionis, aut aliorum quorumcumque iurium vel regalium eis loco salarii vel mercedis aut pro labore vel in recompensam quomodolibet debitum¹, seu etiam causâ et titulo oneroso eis concessum², vel aliter, competens, sive in parvâ sive in magnâ quantitate, petere, accipere, vel praetendere nullatenus unquam posse, sed praesentes litteras sufficere ad effectum tuendi dominium et possessionem omnium et singulorum praedictorum haeredibus, legatariis et quibusvis aliis personis, in quarum favorem per vos³ seu vestrum quemlibet re-

spective dispositum fuerit, vel qui ab intestato succedent.

§ 12. Neque etiam ex eo quod, tam condito testamento, vel aliàs inter vivos seu in ultimâ voluntate, quam etiam nullâ vel minus validâ et legitimâ dispositione factâ, aut etiam ab intestato, quemlibet vestrum, in praedictâ curiâ, aut quacumque mundi parte, extra beneficia, etiam curam animarum habentia, et personalem residentiam requirentia, saecularia et quorumvis Ordinum ac militiarum, etiam praefati hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, regularia, et aliàs qualitercumque qualificata, per vos seu vestrum quemlibet respective nunc et pro tempore obtenta et obtinenda, etiam pro cuiuslibet vestrum solâ voluntate et nullâ subsistente causâ non residendi, vos seu quemlibet vestrum decedere contigerit (constitutionis felicis recordationis Pii PP. IV praedecessoris nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos seu alios praelatos, necnon parochialium ecclesiarum rectores, aliosque personali residentiae adstrictos extra illam quandocumque decedentes, vii kalendas decembris pontificatus sui anno v, vel alio veriori tempore, emanatae, et aliarum quaruncumque constitutionum, ac sacrorum canonum et decretorum conciliorum, etiam generalium, aut alio quocumque praetextu) molestari vel inquietari posse aut debere, minusque praesentes sub praedictâ Pii IV praedecessoris nostri super residentia, et aliis apostolicis constitutionibus, ac sacrorum canonum et conciliorum synodaliū vel provincialium ac etiam generalium decretis, nec etiam sub quibusvis similium vel dissimilium exemptionum et facultatum aliarumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, declarationibus apostolicis, ac dictae Camerae vel aliis contra-

Eadem bona declarat immunita ab omni molestia, etc.

1 *Legerem debitorum* (R. T.).

2 *Etiā hic legem concessorum* (R. T.).

3 *Pessime edit. Main. legit nos pro vos* (R. T.).

riis dispositionibus, etiam per modum legis aut constitutionis generalis et statuti perpetui ac cancellariae apostolicae regulae, etiam per nos et Sedem Apostolicam seu Romanos Pontifices successores nostros, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et ex quibusvis causis, etiam inexcogitabilibus, ac in favorem fidei, et divini cultus augmentum, necnon pro dictarum Sedis et Camerae necessitatibus, pro tempore factis et in futurum faciendis comprehendî, sed ab illis¹ semper exceptas, et, quoties comprehendî viderentur, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo sub quavis posteriori datâ per vos, seu vestrum quemlibet, vel alios praedictos a vobis seu vestrum quolibet respective causam pro tempore ut supra quomodolibet habentes seu habituros, eligendâ concessas, semperque validas et efficaces fore et esse, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,

Dieta familia-
res hisce gra-
tiis cum aliis
antea concessis
vel concedendis
cumulative uli
possunt.

§ 13. Neque praesentes per alias similes vel dissimiles gratias vobis et cuilibet vestrum concessas et concedendas revocari, suspendi, limitari vel confundi, sed vos omnes et singulos illis accumulative in omnibus et per omnia uti, si quid autem in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, id per aliam suppleri posse et debere, nec vos seu vestrum quemlibet ad aliquam particularem licentiam sive indultum vel confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum aut impetrandum, vel etiam in aliâ quacumque simili vel dissimili gratiâ, vel eius confirmatione, vobis seu vestrum cuilibet quaecumque concedendâ, de praesenti mentionem aliquam faciendam teneri, nec ad id ullâ unquam necessi-

¹ Edit. Main. legit *aliis* (R. T.).

tate cogi posse, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. camerarium seu procamerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, eorumque vicelegatos, nec non thesaurarium generalem, praesidentes clericos, commissarios, collectores et subcollectores, et alios quoslibet Sedis et Camerae praedictarum officiales et ministros¹, quavis auctoritate, praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, in quacumque causâ et instantiâ, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 14. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae praedictae generali auditori, motu pari, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel per alium, seu alios, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte vestrâ, seu alienius vestrum, sive quorumcumque donatariorum, legatariorum, haeredum et successorum cuinslibet vestrum respective, et aliorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque, et vestrum cuilibet, et aliis praedictis in praemissis efficaciae defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ omnia et singula praemissa per locorum ordinarios et Camerae praedictae commissarios, deputatos et ministros, aliosve quoscumque inviolabiliter observari,

Exequutores designat.

¹ Edit. Main. legit *officialibus et ministris* (R. T.).

Quibus facultatem prestat et contradicentes compescendi.

§ 15. Non permittentes vos, seu vestrum quemlibet, vel donatarios, legatarios, haeredes et successores vestros respective, aliosve praedictos, vel eorum aliquem, desuper a quoquam quomolibet indebite molestari, perturbari, vel aliàs quovis modo impediri, contradictores quoslibet et rebelles, auctoritate nostrâ praedictâ, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, servatâ formâ Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, et auxilium brachii saecularis, quatenus opus sit, invocando.

Obstantia rem vel Bonifacii VIII et Pii IV.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, necnon praedicti Pii IV praedecessoris tam super residentiâ episcoporum, archiepiscoporum et aliorum praelatorum, necnon rectorum parochialium ecclesiarum, ceterorumque personali residentiae adstrictorum extra illam quomodocumque decedentium, sub datum vii kalendas decembris, pontificatus sui anno v, seu alio veriori tempore, quam de gratiis quaecumque interesse dietae Camerae concernentibus in eâdem Camera intra certum tunc expressum tempus praesentandis, et in illâ eiusque libris registrandis, alioquin nullae et invalidae existant (ad quod vos seu aliquem vestrum teneri nullo modo volumus, sed praesentes litteras, ac omnia et singula in illis contenta, valida et efficacia fore et esse, ac suum plenarium et integrum effectum sortiri et obtinere, in omnibus et per omnia, perinde ac si in ipsâ Ca-

merâ praesentatae et insinuatae ac in eius libris registratae fuissent, decernimus et mandamus),

§ 17. Ac piae memoriae Sixti V et Pii etiam V, Romanorum etiam Pontificum praedecessorum pariter nostrorum, contra illegitimos, et testamenta, codicillos, legata, donationes, et quascumque alias dispositiones ad eorum seu ex ipsis descendendum favorem factas annullantibus, et praefati Bonifacii praedecessoris, per quam concessionem de fructibus percipiendis in absentia sine praefinitione termini fieri prohibentur, necnon sacrorum canonum et conciliorum generalium decretis, quibus decernitur praelatos et beneficiatos quoscumque, propter non residentiam, seu incompatibilitatem, vel aliâ quacumque de causâ, fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum, etiam consistorialium, suos non facere, sed eos ecclesiis seu beneficiis, pro eorum reparatione, vel successoribus in eis deberi, vel in quoscumque alios pios usus in totum vel in partem erogandos aut Camerae praedictae vel cuicumque alteri applicandos esse disponentibus, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum, ac etiam nostris, super praelatorum et aliorum beneficiatorum decedentium spoliis, haecenus editis et in posterum edendis, et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac declarationibus, dictaeque cancellariae regulis,

§ 18. Necnon Urbis, Camerae et Basilicae praedictarum, et ecclesiarum, monasteriorum et hospitalium, etiam S. Iohannis Hierosolymitani, aliorumque locorum, tam saecularium quam regularium,

Sixti V et sancti Pii V, necnon Bonifacii VIII, etc.

Et alia, etiam Alexandri VII.

in quibus beneficia huiusmodi forsā fuerint, seu a quibusvis¹ illa dependere contigerit, et Ordinum, quorum illa fuerint, et militiarum quarumcumque, etiam dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, necnon civitatum, provinciarum, terrarum et locorum quorumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicā, vel quavis firmitate aliā roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Urbis², Camerae, fabricae, basilicae, ecclesiis, monasteriis, militiis, hospitalibus et Ordinibus praedictis, eorumque praesulibus, superioribus quocumque nomine nuncupatis, capitulis et conventibus, necnon quibusvis civitatibus, provinciis, terris et locis, illorumque communitatibus, universitatibus, hominibus et personis, ac pedagiorum, dationum, gabellarum, decimarum, impositionum, et aliorum onerum praedictorum exactoribus, collectoribus et redemptoribus, etiam ex titulo oneroso, et quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, ac nos et Sedem praedictam, etiam motu, scientiā et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter, seu aliis quomodolibet concessis et concedendis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis et innovatis, etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra illa, praefatis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et militiis, seu illorum praesulibus, administratoribus

¹ Potius lege *quibus pro quibusvis* (R. T.).

² Potius lege *Urbi* (R. T.).

et magistris, vel aliis quibuscumque personis, per vos vel procuratores vestros respective praestiteritis, vel in posterum vos seu quemlibet vestrum praestare contigerit iuramentum, ac litteris piae etiam memoriae Alexandri Papae VI praedecessoris pariter nostri, per quas, etiam forsā motu simili, ac ex certā scientiā, ac de apostolicae potestatis plenitudine, inter alia statuit et ordinavit, quod tertia seu alia tunc expressa pars omnium et singulorum honorum mobilium et immobilium, ex ecclesiis, aliisque dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, eorumve fructibus, seu aliis acquisitorum, sive etiam intuitu et contemplatione personae pro tempore provenientium, de quibus per eos, quibus facultates testandi concessae fuerint, in quibuscumque testamentis, donationibus, codicillis et aliis ultimis voluntatibus, quovis modo, etiam ad pias causas quascumque, et alios licitos usus, etiam praetextu similium licentiarum, facultatum et gratiarum eis pro tempore concessarum, testari seu disponi contingeret, dictae Camerae pro Cruciatā sanctā et aliis Romanae Ecclesiae necessitatibus reservaretur, illamque ad dictam Cameram pleno iure pertinere, ipsamque Cameram eam vendere posse et debere, ac irritum exinde decrevit et inane quidquid secus quacumque auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, et quibusvis similium facultatum et exemptionum, restrictionibus, limitationibus, modificationibus et revocationibus quomodolibet factis et faciendis;

§ 19. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de iis eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ha-

Eis omnibus specialiter derogat.

benda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, motu, scientià, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim a praedictâ sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Praesentibus
adhibet
firmitatem.

§ 20. Ceterum easdem praesentes litteras, et omnia et singula in eis contenta, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu intentionis nostrae vel quovis alio quantumvis magno et maximo et substantiali vitio vel defectu, etiam ex eo quod in concessione praesentium interesse habentes seu habere praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, vocati, citati vel auditi non fuerint, vel etiam ex contrariâ quavis contractus vel privilegii dispositione, statuto, usu vel consuetudine, seu aliàs undecumque, vel ex quavis aliâ causâ et occasione, quantumvis magnâ, iustâ et rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, annullari, restringi, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas seu illa restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aliòve quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus con-

cesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se invare posse, sed illa perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, vique validi et iurati contractus ex causâ vere onerosâ inter Sedem et Cameram praedictas ex unâ, ac vos et vestrum quemlibet ex alterâ partibus stipulati obtinere, ac vobis omnibus et singulis, et illis, in quorum favorem ut praemittitur respective disposueritis, in omnibus et per omnia plenissime suffragari debere pariter decernimus,

§ 21. Quinimo nullum dari posse quantumvis insolitum et incogitatum casum, quo cuiuslibet vestrum voluntas, tam inter vivos quam causâ mortis vel aliàs expressa et declarata, ac praesentium facultas et beneficium, si ab intestato aut aliàs decedatis, seu vestrum quilibet decedat, respective suum plerarium non sortiantur effectum, excepto tamen casu, quo disponderetis, seu vestrum aliquis respective disponderet, ad favorem illorum illegitimorum, quos supra expresse volumus et declaravimus harum beneficio frui et potiri non posse;

Nihil potest
oppo-
nere adver-
sus testamen-
ta vel alias dis-
positiones dicto-
rum familia-
rum.

§ 22. Quod si ullo unquam tempore contingeret hanc nostram concessionem et facultatem vobis et vestrum cuilibet concessam, et contenta in eâ, in dubium revocari, eius rei cognitionem ad Camerae apostolicae clericos spectare volumus, et in eâ viâ ordinariâ procedi, non obstantibus facultatibus praedicto thesaurario generali eiusdem Camerae nunc et pro tempore existenti per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros aut nos concessis, ac etiam per nos et successores nostros Romanos etiam Pontifices in futurum concedendis:

Si harum lit-
terarum dubi-
tatio emergat,
eius cogniti-
onem committit
clericis Camer-
ae Apostoli-
cae.

§ 23. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pariter pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis te-

Contrariis
omnibus deroga-
tur.

noribus specialis, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus similiter pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum omnium et singulorum, specialiter et expresse derogamus, et latissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praeservat
iura Camerae
quoad fructus
inexactos.

§ 24. Per praesentes autem non intendimus in aliquo derogare vel praedjudicare Camerae apostolicae praedictae quoad fructus inexactos iuxta constitutionem similis recordationis Iulii III et Urbani VIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum desuper editas, ac aliàs per nos seu Romanos Pontifices successores nostros edendas.

Transumptio-
rum fides.

§ 25. Denique volumus ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si essent originaliter exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi iulii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 iulii 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. in lib. III Brevium diversorum, fol. 101.

CV.

Confirmatio et approbatio decreti pro custodia S. Petri de Alcantara Ordini-

nis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum in regno Neapolitano.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii custodes et definitores custodiae sancti Petri de Alcantara Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in regno Neapolitano auctoritate apostolicae erectae, quod, cum ad favorem eiusdem custodiae a felicis recordationis Clemente IX praedecessore nostro ac a nobis binae emanaverint in simili forma Brevis litterae, per quas status ipsius custodiae recte prudenterque ordinatus reperitur; venerabilis frater noster Franciscus episcopus Ostiensis ac Veliternensis S. R. E. cardinalis Barberinus nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, vigore facultatis sibi super hoc a nobis attributae, omnibus et singulis modernis et pro tempore existentibus superioribus, tam maioribus quam minoribus, ac quibuscumque fratribus dicti Ordinis de Observantiâ et Reformatis, aliove quocumque nomine vocatis, aliisque, ad quos spectat, spectareque potest, mandavit et praecepit, sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendae¹, aliisque tamen gravioribus suo et pro tempore existentis protectoris arbitrio imponendis, ne adversus eandem custodiam eique concessarum litterarum praedictarum tenorem sive in Romanâ Curia sive extra eam quidquam etiam minimum petere, attentare vel facere quovis modo audeant, nisi prius vocatis certioribus redditis custode et definitore dictae custodiae pro tempore existentibus, ac etiam Ordinis praefati protectore informato, et aliàs, prout plenius continetur in ipsis

Exordium ab
his quae Cle-
mens IX et hic
Pontifex de-
mandaverant
pro custodia
S. Petri de Al-
cantara in re-
gno Neapolita-
no.

¹ Aptius lege *incurrendâ* (R. T.).

Francisci episcopi cardinalis et protectoris decreto desuper emanato tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor decreti
cardinalis pro-
tectoris.

« Franciscus miseratione divinâ episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius, sacri collegii decanus, et totius Ordinis sancti Francisci protector, corrector et gubernator, etc., omnibus, etc. Cum sanctissimus dominus noster Clemens Papa X nobis remiserit preces Sanctitati Suae porrectas nomine custodiae S. Petri de Alcantara fratrum Minorum Discalceatorum sancti Francisci in regno Neapolitano nuper erectae, supplicantis nihil tractari, decerni, innovari ac fieri contra eam aut binas apostolicas litteras in formâ Brevis a Sanctitate Suâ eidem concessas, primam incipientem *Apostolicae servitutis*, etc., die xxx septembris anni MDCLXX, secundam incipientem *Ex commissi nobis*, etc., die xxviii augusti anni MDCLXXI expeditas, ipsâ custodiâ prius non audita et non citatâ:

Nos, aequum et iustum ab eâ petitum indicantes, praedictae eiusdem sanctissimi domini nostri commissionis ac, tamen quo fungimur protectoris officii vigore et auctoritate, omnibus et singulis nunc et pro tempore superioribus, tam maioribus quam minoribus, cuiuslibet qualitatis et dignitatis, ac quibuscumque fratribus Ordinis Minorum Observantibus et Reformatis, sive alio quocumque nomine vocatis, omnibusque etiam et singulis personis, ad quos quomodolibet spectat et pertinet, spectareque et pertinere potest, mandamus ac strictè praecipimus sub poenâ privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendâ, aliisque etiam gravioribus nostro et cardinalis pro tempore protectoris arbitrio imponendis, ne quomodolibet et qualitercumque audeant adversus praedictam custodiâ aut eidem

concessorum praedictorum Brevium tenorem sive in eisdem contentorum aliquid quidquam vel minimum petere, attentare vel facere, tam iudicialiter quam extrajudicialiter, seu alio quovis modo, intra vel extra Romanam Curiam, directe vel indirecte, per se ipsos vel per alios, non vocatis prius authentice aut vocari factis, ac plene de omnibus et singulis, quae contra eandem custodiâ, aut eiusdem memorata Brevia, petenda, tractanda, tentanda aut decernenda sunt, certioratis et in scriptis informatis (ut se defendant, aut defensiones suas Apostolicae Sedi exponi possint facere) ipsius custodiâ pro tempore custode et definitioribus, ac etiam prius de eisdem cardinali Ordinis pro tempore protectore informato, cuius etiam partes erunt id ad notitiam dictorum custodis et definitiorum deducere, ut debeant audiri et audiantur, priusquam aliquid circa praedicta quomodolibet tractetur, petatur, tentetur, innovetur, aut fiat, seu decernatur, aut fieri et decerni mandetur: et ita in omnibus observari mandamus, non solum praemisso, sed etiam omni meliori modo.

Datum Romae, in cancellariae apostolicae palatio, die 1 aprilis MDCLXXII.

F. cardinalis BARBERINUS, protector.

Loco † sigilli ».

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes praemissa, quo firmiter subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocini communiti summopere desiderent:

Petitio.

§ 3. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si qui-

Confirmatio
decreti ut in ru-
brica.

1 Male ed. Main. leg. *eiusdem cardinalis* (n.r.).

bus quodomolibet inodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus nobis eorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, praecinsertum memorati Francisci episcopi cardinalis et protectoris decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinariorum et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia re-
novat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

Eisque derogat.

§ 7. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maior-

rem, sub annulo Piscatoris, die VIII Iulii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 8 Iulii 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretariâ, in libro Brevium mensis Iulii, parte utrâque, fol. 194.

CVI.

Translatio indulgentiae a secundâ dominicâ octobris ad diem secundam eiusdem mensis pro die festo sancti Angeli Custodis concessa archiconfraternitati eiusdem Angeli Custodis de Urbe.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres archiconfraternitatis sub invocatione sanctorum Angelorum Custodum de Urbe, quod, inter ceteras indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes eidem archiconfraternitati per Sedem Apostolicam concessas, omnibus et singulis confratribus et consororibus dictae archiconfraternitatis vere poenitentibus, ac sacrâ communionem refectis, qui ecclesiam seu oratorium dictae archiconfraternitatis dominicâ secundâ mensis octobris a primis vespere usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissio misericorditer in Domino auctoritate apostolicâ concessa reperitur.

Indulgentia
plenaria cum
concessa.

§ 1. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, dictos exponentes indulgentiam huiusmodi a dictâ dominicâ secundâ octobris ad diem secundam

Patuit.

eiusdem mensis, quae per decretum Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum a nobis approbatum profesto eorundem sanctorum Angelorum Custodum assignata fuit, transferri plurimum desiderent:

Absolutio a censuris.

§ 2. Nos, eorundem officialium et confratrum votis haec in re benigne annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes,

Pontifex transfert dictam indulgentiam a dominicâ secundâ mensis octobris ad diem 11 eiusdem mensis.

§ 3. Supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, indulgentiam praedictam, die dominicâ secundâ octobris dictae archiconfraternitati concessam, ad diem secundam eiusdem mensis, servatâ tamen in reliquis omnibus litterarum apostolicarum desuper expeditarum formâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo transferimus; utque confratres et consorores archiconfraternitatis huiusmodi, praemissa adimplentes, eandem prorsus indulgentiam et remissionem peccatorum die secundâ mensis octobris in posterum consequantur, quam consequerentur si eadem praemissa die dominicâ secundâ mensis octobris praedicti adimplerent, concedimus et indulgemus. In contrarium non obstantibus quibuscumque.

Obstantia removet.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii iulii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 28 iulii 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis iulii, part. . . . , fol. . . .

CVII.

Confirmatio seu extensio decretorum aliàs a sacrâ Congregatione episcoporum et regularium editorum super associatione cadaverum defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepeliuntur; et circa eleemosynas funerum et funera eorundem defunctorum facienda per regulares, non autem per parochos, favore domorum et collegiorum Societatis Iesu.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Alphonsi de Alarcos presbyteri regularis procuratoris generalis provinciarum Hispaniarum et Indiarum Societatis Iesu, Congregationi¹ venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod eadem Congregatio die vii decembris MDCXL, ad instantiam commissarii curiae fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, declaraverat parochos et presbyteros Terrae de Leverano ac alios dioecesis Brundusinae non posse accipere maiorem eleemosynam pro defunctis qui sepelirentur in ecclesiis dictorum fratrum, quam accipiebant ab iis qui sepeliebantur in ecclesiis dictorum parochorum et presbyterorum saecularium; et deinde xxxi augusti MDCLVII, ad instantiam fratrum provinciae Dalmatinae eiusdem Ordinis, declaraverat functiones funerales super cadaveribus defunctorum quae sepelirentur in ecclesiis regularium, postquam ipsa cadavera ad ecclesias ipsorum regularium pervenissent, ad eosdem regulares, non autem ad parochos pertinere; similiterque declaraverat die xvi decembris MDCLXI super controversiis

Decreta sacrae Congregationis aliàs edita de hac re.

¹ Male ed. Main. legit *Congregationis* (R. T.).

quae inter parochos civitatis Placentinae et monachos monasterii S. Sixti Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti occasione funerum erant exortae¹, prout etiam die xvii² novembris MDCLXXI, ad instantiam procuratoris generalis dicti Ordinis fratrum Minorum, declaraverat parochis, qui associabant cadavera defunctorum qui in ecclesiis regularium sepeliebantur, non licere eâ occasione ingredi ecclesias regularium, sed ad ianuas ipsarum ecclesiarum dimittere debere cadavera huiusmodi, et solum posse benedicere ac dare ultimum vale, officiaque et alia munia, quae in similibus fieri solebant, debere fieri a regularibus non autem a parochis :

Motivum extensionis dictorum decretorum.

§ 2. Et in eadem expositione subiuncto, quod, licet praefatae dispositiones seu declarationes essent adeo iustae, et militarent caedem rationes illas observandi circa cadavera quae sepeliebantur in ecclesiis domorum et collegiorum dictae Societatis lesu, nihilominus assidue exoriebantur gravissimae discordiae et scandala ex eo quod parochi illis stare nollent, in gravissimum praefatae Societatis et christifidelium, qui post obitum sua cadavera in ipsius Societatis ecclesiis sepeliri volebant, detrimentum; ideoque supplicato ut Congregatio praefata declararet suprascripta decreta, seu declarationes, circa cadavera quae in ecclesiis domorum et collegiorum praefatae Societatis lesu sepelirentur perinde observari debere, ac si ad instantiam ipsius Societatis emanassent :

Extensio ut in rubrica.

§ 3. Emanavit ab eadem cardinalium Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet :

« Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et con-

¹ Tertia declaratio non est, ut puto, in Bullario; duas praec. habes sup. p. 298 et 299 (R. T.).

² Vide supra pag. 300 ubi legitur XXVII (R. T.).

sultationibus episcoporum et regularium praeposita, oratoris precibus benigne indulgens, censuit dandas esse petitas declarationes saepe alias editas, easque etiam in praenarratis ecclesiis Societatis esse observandas, videlicet parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuas ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale, officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis regularibus peragi debere, non autem a parochis; episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere ut parochi aliique de clero saeculari maiorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent si in parochiali seu alia¹ ipsius cleri saecularis ecclesia sepeliri voluissent; functiones funeralium super cadavera defunctorum, quae in ecclesiis regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos regulares, non ad parochos pertinere. Contrariis quibuscumque circa suprascripta omnia minime obstantibus.

Romae, vi maii MDCLXXII.

F. M. cardinalis BRANCATIUS.

C. de V. archiepisc. Athenar.

Loco † sigilli ».

§ 4. Cum autem, sicut praefatus Alphonsus nobis subiinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentia, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Alphonso gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel

Pontificis confirmatio.

¹ Edit. Main. legit *alias* (R. T.).

ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praecursorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Decretum in
Folio.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Delegatio
confirmatum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio
fides.

§ 7. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii dictae Societatis vel alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio quam extra illud, quae praesentibus adhiberetur¹ si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III

¹ Verba quae praesentibus adhiberetur nos addimus (R. T.).

februarii MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 augusti 1672, pontif. anno III.

Registrata in lib. Brevium mensis augusti, part. 1, fol. 199.

CVIII.

Statutum pro Congregatione Lateranensi canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini ut illius capitulum generale de cetero de sexennio ad sexennium celebretur, cum prorogatione officialium ac diversis ordinationibus pro eiusdem Congregationis levamento, etc.

Clomens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum ad notitiam nostram pervenisset Congregationem Lateranensem canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini eiusque monasteria, propter varios casus, diversis debitis in sorte et residuis, quae capsae publicae dictae Congregationis in Urbe debentur, ad summam septingentorum sexaginta quatuor millium quingentorum quinquaginta trium scutorum mouetae, salvo veriori calculo, ascendentibus, gravatam¹ existere, et, pro capitali septingentorum et duorum millium quingentorum septuaginta quinque scutorum similium, quotannis, fructuum sive interusuriorum nomine, viginti novem millia quadringenta quinquaginta duo scuta paria solvi, ex his autem annua viginti unum millia septingenta septuaginta duo scuta huiusmodi redimibilia seu francabilia esse:

Exordium.

§ 1. Nos, eiusdem Congregationis levamento consultum esse cupientes, mandavimus nonnullis Romanae Curiae praedictae doctrinâ, prudentiâ et rerum usu eximie praeditis, ut de opportunis re-

Pro levamento
dictae capsae
Papa erigit
congregationem
praedictorum.

¹ Edit. Main legit *gravata* (R. T.).

mediis consistarent, nobisque sententias suas referrent. Illi vero, mandatis nostris obsequentes, re mature diligenterque perpensâ, pro ipsius Congregationis levamento expedire censuerunt :

Tenor ordinationum factarum.

I. Capituli generalis eiusdem Congregationis celebrationem a triennio ad sexennium prolongari, inde enim expensas considerabiles pro accessu, morâ et recessu a loco capituli necessarias rescari, capitulo autem huiusmodi non posse nec debere sub quocumque praetextu interesse alios, praeter solos abbates regiminis et titulares; per quae duo capita Congregatio praefata annuis expensis mille scutorum dictae monetae exoneraretur :

II. Visitationes alternis annis fieri debere; posse enim eo anno, quo visitatio non fieret, casibus occurrentibus per visitatorem illius provinciae, in qua casus eveniret, provideri; hacque ratione mille sexcenta scuta paria annuatim compendii fieri :

III. Abrogandum omnino atque tollendum esse usum cuiusdam recreationis in dictâ Congregatione quotannis fieri solitae, quae *Ventura* vocatur, confirmandumque decretum prohibitorium illius ab eadem Congregatione pluries reiteratum, unde annis singulis expensae quadringentorum scutorum similium parceretur :

IV. Porro resecationum et compendiorum huiusmodi, quae quotannis ad summam trium millium scutorum monetae praefatae ascendunt, repartitionem inter omnia monasteria dictae Congregationis, excepto monasterio Tremi nuncupato, ab abbate generali ipsius Congregationis proportionatim fieri debere ad ratam quam unumquodque monasterium pro taxis visitationum solvit, et singulorum monasteriorum portiones quotannis mittendas fore ad capsam

publicam, quemadmodum circa praestationes aliorum onerum, quae de praesenti solvunt, servatur :

V. Applicanda quoque fore eidem capsae publicae spolia canonicorum regularium dictae Congregationis pro tempore decedentium, illaque, praeviâ aestimatione per duos peritos ab abbatibus et capitulis monasteriorum eligendos faciendâ, vendi, ac inventarium unâ cum pretio et aestimationibus in libro per unumquodque monasterium ad hunc finem retinendo annotari debere, quae, licet incerta sint, tamen de praeterito ad summam mille et quingentorum scutorum similium annuatim calculata fuerunt :

VI. Et quia unicum assecurationis capsae publicae huiusmodi remedium superest si litterae felicitis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri die XII aprilis MDCVIII emanatae et chirographum recolendae memoriae Alexandri Papae VII praedecessoris pariter nostri manu subscriptum et die VI decembris MDCXLIV expeditum executioni mandentur, ordinandum fore ut singuli superiores monasteriorum provinciarum Mediolanensis et Pedemontii, seu *Ducalinae* nuncupatae, bona stabilia vendere, pecunias ad censum capere, et alia omnia, quae per litteras et chirographa huiusmodi ordinantur, facere debeant, cum participatione tamen abbatis generalis et consensu dilecti filii nostri Caroli Barberini sanctae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, ad hoc ut proprium uniuscuiusque monasterii debitum extinguî possit; atque ita dictae litterae et chirographum executioni mandata remaneant eâ formâ quae opportunior fuerit, ita ut saltem omnes solutiones quas capsae publicae in suis provinciis faciunt seu facere debent inde retrahantur, obligenturque ipsi superiores ad

remittendum eidem capsae tantam pecuniae quantitatem quae ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenariio sufficiat ad extinctionem annuae praestationis cuilibet monasterio assignatae, et in reparatione assignandae, unde extinguantur capitalia francabilia et residue debita, atque ita effectus liberationis capsae publicae huiusmodi inde consequatur:

VII. Quod si ne hoc quidem remedium sufficiat, quia forsitan non adsint tot bona quae distrahi possint, aut id fieri non expediat, eo casu liceat vendere et alienare duo ex monasteriis praefatarum provinciarum et aliarum aere alieno oppressarum, si ita pro utilitate dictae Congregationis expedire memoratis Carolo cardinali protectori et abbati generali maturam deliberatione praeviam visum fuerit; pretium autem erogetur in extinctionem primo loco debitorum monasterii, et successive provinciae in qua alienatio facta fuerit:

VIII. Et ut ordinationes praefatae effectum habeant, abbates locales in termino biennii debeant procuratorem generalem et dictum Carolum cardinalem protectorem certiores reddere se illas cum effectu adimplevisse per extinctionem debitorum vel illorum abductionem in suam provinciam, itaut capsula publica romana libera remaneat, alioquin poenis infrascriptis subiaceant, videlicet: transacto biennio huiusmodi, nec adimpletis dictis ordinationibus, non possit in illo monasterio acceptari quisquam ad habitum canonici vel conversi, nec deveniri ad electionem abbatis, quamdiu satisfactum non fuerit; abbas vero abbatia, ac voce activa et passiva, necnon gubernio omnique alia praerogativa privatus remaneat, et minister seu gubernator monasterii eligatur; remaneant similiter privati ii procuratores qui pro eorum parte non adimpleverint, quod eis

iniungitur; elapso autem dicto biennio, abbas generalis, eiusque definitorium ordinationes supradictas, in ea parte in qua non fuerunt in biennio huiusmodi adimpletae, rigore exequi debeant; quod si in termino sui generalatus ordinationes praefatas ad effectum non deduxerint¹, idem abbas generalis et visitatores illius provinciae, in qua defectum fuerit, remaneant in proximo futuro capitulo privati voce activa et passiva, ac quaecumque praerogativa et gradu quos vigore regularum seu constitutionum vel consuetudinum dictae Congregationis in dietis et definitorio per sexennium subsequens obtinere possent, et eorum loco eligantur alii ac a definitorio eligi debeant.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii abbas generalis et definitores dictae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, praemissis, sic per praelatos praefatos prudenter cogitatis atque deliberatis, in dieta eiusdem Congregationis Placentiae proxime celebrata per dictos exponentes aliosque tam vocales quam non vocales dictae Congregationis mature diligenterque consideratis atque trutinatis, ipsi, quo eadem praemissa ad effectum deducantur publicaeque utilitati ipsius Congregationis magis consulatur, expedire censuerint: non solum fieri celebrationis dicti capituli generalis prolongationem de triennio ad sexennium, ipsumque capitulum sine sociorum interventu celebrari, ac recreationem praefatam, quae *Ventura* vocatur, abrogari; sed etiam visitationes, non alternis annis, sed singulis trienniis semel tantum fieri, quo insuper cuiusque anni impensae resecentur, hisque mediantibus tria millia scutorum parium annuatim capsae publicae praedictae assignari: loco spoliomm autem, quae incerta sunt, certam

Dictae ordinationes in dieta eiusdem Congregationis Placentiae fuerunt ut infra acceptatae et modificatae.

¹ Aptius infra pag. 335 a est *deduxerit* (R.T.).

assignationem mille tercentorum tredecim scutorum et octoginta baioccorum annuatim fieri, atque ita in totum quatuor millia ducenta nonagintasex scuta et quinquaginta octo baiocchos monetae huiusmodi quotannis eidem capsae applicari: eamque de communi consensu aequam applicationis huiusmodi repartitionem inter omnia ipsius Congregationis monasteria, concurrente etiam ad id provinciam Venetam, fecerint: verum, considerantes quod si intra brevem biennii terminum ad venditionem honorum stabilitum esset deveniendum, illa vilissimo pretio distrahi necesse foret propter tergiversationes atque machinationes emptorum, qui superioribus sic ad vendendum coactis vilia et vix dimidia iusti valoris pretia afferrent, atque ita venditiones eum gravissimo detrimento et ruinam monasteriorum extorquerent, et proinde e re ipsius Congregationis magnopere fore existimaverint, si terminus huiusmodi ad quadriennium ampliaretur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex approbat praedicta.

§ 3. Nos igitur, Congregationis praefatae statui et levamento, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere, ipsosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae¹ existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas² fore censentes, ac litterarum et chirographi praefatorum

¹ Edit. Main. legit *innodati* (R. T.).

² Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac audita super praemissis memorati Caroli cardinalis et protectoris relatione:

i. Ut capitulum generale dictae Congregationis, quod de triennio in triennium celebrari haecenus consuevit, deinceps de sexennio in sexennium celebretur, illique soli abbates regimini et titulares, non autem alii sub quocumque praetextu, interesse debeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus et ordinamus: ac proinde praefatis modernis abbati generali et visitoribus ac procuratori generali eiusdem Congregationis sua respective officia ad aliud triennium, a fine triennii, ad quod in proximo praeterito ipsius Congregationis capitulo generali electi fuerunt, computandum (ita ut interea in suis officiis huiusmodi cum omnibus et singulis praeeminentibus, praerogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis continuare libere et licite possint et valeant), eadem auctoritate, harum serie prorogamus, extendimus et ampliamus:

Prorogatio capituli generalis.

ii. Visitationes¹ autem monasteriorum Congregationis praedictae, quae annis singulis fieri solebant, in posterum singulis trienniis semel tantum fieri volumus:

Prorogatio visitationum.

iii. Necnon supradictae recreationis, quae *Ventura* vocatur, in eadem Congregatione, quamvis fieri solitae, usum, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo tollimus et abrogamus, ipsamque recreationem de cetero fieri prohibemus:

Abrogatio recreationis *Venturae* unucup.

iv. Porro taxam et repartitionem annuorum quatuor millium ducentorum nonaginta sex scutorum et quinquaginta octo baioccorum, capsae publicae praefatae solvendorum, communi consensu

Repartitio debitorum approbatur.

¹ Mate edit. Main. legit *Visitatores* (R. T.).

inter omnia dictae Congregationis monasteria in dietâ proxime praeteritâ factam ut praefertur, dictâ auctoritate, eorundem tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac unumquodque ex dictis monasteriis suam portionem eiusdem taxae iuxta repartitionem huiusmodi eidem capsae publicae annis singulis realiter et cum effectu solvere debere decernimus et ordinamus:

Præcipit
exequi dictas
litteras Pauli V
et chirographum
Alexandri VII prout in
rubrica. v. Praeterea ut Pauli litterae et Alexandri praedecessorum praefatorum chirographum supradictae executioni mandentur, omnibus et singulis superioribus monasteriorum provinciarum Mediolanensis et Pedemontis, seu *Ducalinae* nuncupatae, praefatarum, harum serie praecipimus et mandamus, ut bona stabilia ad eorum monasteria respective spectantia vendant, pecunias desuper ad censum capiant, aliaque omnia, quae per litteras et chirographum huiusmodi ordinantur, respective faciant et omnino exequantur, cum participatione tamen abbatis generalis et consensu dieti Caroli cardinalis et protectoris, ad hoc ut proprium uniuscuiusque monasterii debitum extinguere possit, atque ita eadem litterae et chirographum, eâ formâ quae opportunior fuerit, executioni mandata remaneant, ita ut saltem omnes solutiones, quas capsae publicae in suis provinciis faciunt, seu facere debent, inde retrahantur; ac eosdem superiores obligatos esse volumus ad remittendum ad eandem capsam publicam tantam pecuniae quantitatem, quae, ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenariis, sufficiat ad extinctionem annuae praestationis cuilibet monasterio etiam in praefatâ repartitione assignatae, unde capitalia francabilia et residua debita huiusmodi liberetur:

1 Edit. Main. legit *caedem* (K. T.).

vi. Ceterum, si ne hoc quidem remedium sufficiat, quia forsitan non adsint tot bona quae distrahi possint, aut id fieri non expediat, eo casu licentiam et facultatem tribuimus vendendi et alienandi duo ex monasteriis praefatarum et aliarum dictae Congregationis provinciarum aere alieno oppressarum, si ita pro utilitate ipsius Congregationis expedire eisdem Carolo cardinali et protectori ac abbati generali, maturâ deliberatione praeviâ, visum fuerit; pretium autem inde proventurum erogari volumus in extinctionem primo loco debitorum monasterii, et successive provinciae in qua alienatio facta fuerit:

vii. Porro abbates locales in termino quadriennii proxime venturi procuratorem generalem dictae Congregationis ac praefatum Carolum cardinalem et protectorem certiores reddere et per notam distinctam edocere debeant, quod praesentes ordinationes cum effectu adimplerint per extinctionem debitorum vel illorum abductionem in suam provinciam, ita ut supradicta capsula publica romana libera remaneat; alioquin, transacto quadriennio huiusmodi, nec adimpletis dictis ordinationibus, non possit in illo monasterio, quod moram in adimplendo commiserit, acceptari quisquam ad habitum canonici regularis vel conversi, nec deveniri ad electionem abbatis quamdiu eisdem ordinationibus satisfactum non fuerit: abbas vero abbatiam et gubernio ac voce activâ et passivâ omnique aliâ praerogativâ privatus remaneat, et eius loco minister seu gubernator monasterii eligatur; procuratores quoque, qui pro eorum parte sibi iniuncta non adimplerint, pariformiter privati remaneant:

viii. Elapso autem eodem quadriennio, moderni seu pro tempore existentes abbas generalis et definitorium dictae Congregationis ordinationes supradictas,

In subditum
dat facultatem
alienandi duo
monasteria pro-
vinciarum aere
alieno oppres-
sarum.

Abbatibus loca-
les intra qua-
driennium di-
cere debent se
dictae ordina-
tiones adim-
plesse.

Post dictum
quadriennium
abbas generalis
et definitorium
tenentur di-
ctae ordina-
tiones adimplere

in eâ parte in
qua non fuerint
adimpletae.

in eâ parte in qua non fuerint in decursu quadriennii huiusmodi adimpletae, rigorose exequi debeant; quod si abbas generalis in termino sui generalatus ordinationes praefatas ad effectum non deduxerit, idem abbas generalis et visitatores illius provinciae, in qua defectum fuerit, remaneant in proxime futuro capitulo generali privati voce activâ et passivâ ac quacumque praerogativâ et gradu, quos vigore constitutionum seu regularum vel consuetudinum dictae Congregationis in dietis et definitorio per sexennium subsequens obtinere possent, eorumque loco alii eligantur, prout a definitorio eligi debere volumus et ordinamus.

Decretum ir-
rilans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcussè observari, sicque et non aliâs in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definituri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus piae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non

tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis eiusque provinciarum et monasteriorum quorumcumque, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi, eiusque provinciis et monasteriis, ac superioribus et personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis et innovatis, ac omnibus et singulis illis, quae in litteris et chirographo supradictis concessa sunt non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari, derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur,

Transumptio-
rum iides.

quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 19 augusti 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. Brevium, in lib. mensis augusti, p. II, fol. 96.

CIX.

Extensio indulgentiarum recitandi officium S. Iuliani episcopi et confessoris cum octavi, tam die festo eiusdem Sancti quam die commemorationis illius, episcopo ac capitulo et clero civitatis et dioecesis Conchensis a Clemente VIII et Paulo V concessorum, ad omnia et singula Hispaniarum regna.

Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque clementiae altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, committere dignata est, salubriter exequi adiuvante Domino iugiter satagentes, sanctorum Christi confessorum, qui, feliciter decurso vitae mortalis studio, immarcescibilis gloriae coronam in caelis a iusto iudice consequi meruerunt, cultum et venerationem in terris promovere atque ampliare studemus, sicut pia sublimium personarum non minus virtutis quam regii culminis splendore conspicuarum, ac catholicorum antistitum in partem sollicitudinis nostrae vocatorum, aliorumque christifidelium vota postulant, et nos ad omnipotentis Dei gloriam Ecclesiaeque sanctae decus atque aedificationem expedit in Domino arbitramur.

Clementis VIII
indultum.

§ 1. Dudum siquidem, pro parte tunc existentium episcopi et capituli et cleri

civitatis et dioecesis Conchensis, felicis recordationis Clementi Papae VIII praedecessori nostro exposito, beatum Iulianum episcopum et confessorem, eiusdem civitatis et ecclesiae patronum, in maximam apud eos venerationem haberi, et illius natalem diem festum hiemali tempore, quo, propter¹ temporis eiusdem et ipsius civitatis Conchensis situs asperitatem, convicini populi eiusdem Sancti devoti illuc accedere non poterant, et propterea eius commemorationem die v mensis septembris, qua frequentes christifideles devotionis causa illuc accedebant, celebrari solere, cupereque episcopum ac capitulum et clerum praefatos, ad maiorem eiusdem Sancti venerationem, eorumque spiritualem consolationem, utroque tempore huiusmodi in officio, quod de ipso Sancto recitabant, orationem propriam et lectiones ex ipsius sancti Iuliani historia desumptas recitare posse: idem Clemens praedecessor, de tunc existentium S. R. E. cardinalium Congregationi sacrorum rituum praepositorum, qui orationem et lectiones huiusmodi iussu ipsius Clementis praedecessoris examinauerant et approbaverant, sententiam, eidem episcopo, capitulo, canonicis et clero universo civitatis et dioecesis Conchensis, ut in festo et commemoratione praefati B. Iuliani episcopi et confessoris, eiusdem civitatis et ecclesiae patroni, orationem propriam et tres lectiones secundi nocturni ex ipsius S. Iuliani historia desumptas, quas litteris suis adscribi voluit, recitare libere et licite possent et valerent, auctoritate apostolica concessit et indulsit.

§ 2. Et subinde, recolendae memoriae Paulo Papae V praedecessori pariter nostro, tunc existentium episcopi et capituli Conchensis nominibus, etiam exposito, quod ipsi eundem B. Iulianum

Aliud indultum Pauli V.

¹ Male ed. Main. legit *per pro propter* (R.T.).

in eorum et suae ecclesiae Conchen-
sis patronum agnoscebant et veneraban-
tur, ac illius proprium officium die festo
ipsius B. Iuliani et per totam octavam
eiusdem festi in civitate et dioecesi praedictis recitari et celebrari posse cupie-
bant: dictus Paulus praedecessor offi-
cium praefatum cum eius octavâ in eius
litteris insertum, quod a memoratis car-
dinalibus approbatum fuerat, de eorum-
dem cardinalium consilio, dictâ auctori-
tate perpetuo confirmavit et approbavit,
utque in civitate et dioecesi Conchensi
ab episcopo et capitulo ac toto clero
ecclesiae et dioecesis¹ Conchensis huius-
modi recitari et celebrari posset con-
cessit pariter et indulxit; et aliâs, prout
in eorundem Clementis et Pauli praede-
cessorum litteris desuper in formâ Bre-
vis die XVIII octobris MDXCIV et die XXI
maii MDXIII respective expeditis, qua-
rum tenores praesentibus pro plene et
sufficienter expressis ac de verbo ad
verbum insertis haberi volumus, uberius
continetur.

Petino.

§ 4. Cum autem, sicut dilectus noster
Ioannes Everardus eiusdem S. R. E. car-
dinalis Nidhardus nuncupatus carissimi
in Christo filii Caroli Hispaniarum regis
catholici nomine nobis nuper exposuit,
tam ipse Carolus rex, quam omnes fere
venerabiles fratres archiepiscopi et epi-
scopi, ac dilecti filii capitula plurima-
rum ecclesiarum, necnon communitates
et homines plerarumque civitatum re-
gnorum Hispaniarum, pio erga memo-
ratum sanctum Iulianum devotionis af-
fectu ducti, indulta praefata ad omnia
Hispaniarum regna huiusmodi extendi
sumnoperè desiderant²:

§ 5. Nos, eiusdem piis Caroli regis vo-
tis hac in re quantum cum Domino pos-
sumus paterno affectu favorabiliter an-

nuere cupientes, dictosque archiepisco-
pos, episcopos et capitula et commu-
nitates et homines specialibus favoribus
et gratiis prosequi volentes, et eorum
singulares personas a quibusvis excom-
municationis, suspensionis et interdicti,
aliisque ecclesiasticis sententiis, censu-
ris et poenis, a iure vel ab homine, qua-
vis occasione vel causâ latis, si quibus
quomodolibet innodatae¹ existunt, ad ef-
fectum praesentium dumtaxat consequen-
dum, harum serie absolventes, et abso-
lutas² fore censentes, supplicationibus
praefati Ioannis Everardi cardinalis nobis
super hoc humiliter porrectis incli-
nati, de venerabilium fratrum nostro-
rum S. R. E. praefatae cardinalium
sacris ritibus praepositorum consilio,
indulta, quoad orationis propriae et le-
ctionum ac officii S. Iuliani cum octavâ
huiusmodi recitationem et celebratio-
nem respective, tam die festo eiusdem
S. Iuliani, quam die commemorationis
illius, episcopo et capitulo et clero ci-
vitatibus et dioecesis Conchensis a me-
moratis Clemente et Paulo praedecesso-
ribus concessa, ut praefertur, ad omnia
et singula Hispaniarum regna, servatâ
tamen ceteroqui litterarum praefatarum
respective formâ et dispositione, eâdem
auctoritate, tenore praesentium, extendi-
mus et ampliamus.

§ 6. Decernentes easdem praesentes lit-
teras semper firmas, validas et efficaces
existere et fore, suosque plenarios et
integros effectus sortiri et obtinere, ac
illis, ad quos spectat et pro tempore
quandocumque spectabit, in omnibus et
per omnia plenissime suffragari, sicque
in praemissis per quoscumque indices
ordinarios et delegatos, etiam causarum
palatii apostolici auditores, ac S. R. E.
cardinales, etiam de latere legatos, Apo-

Decretum ur-
tians.

Pontifex prae-
fata indulto Cle-
mentis VIII et
Pauli V extendit
ad omnia His-
paniarum re-
gna.

1 Edit. Main. legit *dioecesi* (R. T.).2 Edit. Main. legit *desiderant* (R. T.).1 Edit. Main. legit *innodati* (R. T.).2 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

stolicae Sedis nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quarumvis ecclesiarum et basilicarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 8. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvi augusti MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 26 augusti 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. Brevium in lib. mensis augusti, part. II, fol. 112.

CX.

Declaratio nullitatis transactionis seu cautionis ab archiepiscopo Ianuensi cum duce et gubernatoribus Reipublicae Ianuensis in controversiâ super sedis archiepiscopalis collocatione, etc.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum, ex Apostolicae Sedis decretorum ac sacrorum rituum et caeremoniarum ecclesiasticarum dispositione per consuetudinem immemorabilem roboratâ, sedes archiepiscopalis unâ cum baldachino superimposito in ecclesiâ metropolitana Ianuensi iuxta altare a cornu evangelii usque ad proxime elapsa tempora semper sita fuerit, non contradicentibus duce et gubernatoribus Reipublicae Ianuensis sedem ducalem a cornu epistolae in eadem ecclesiâ vel a dicto cornu evangelii infra tamen sedem archiepiscopalem praedictam retinentibus; verum, post dimissionem dictae ecclesiae Ianuensis a bonae memoriae Stephano, dum vixit, S. R. E. cardinali Durazzo nuncupato, eiusdem ecclesiae Ianuensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesule, in manibus felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri factam, et ab eodem Alexandro praedecessore admissam, tunc existentes dux et gubernatores dictae Reipublicae de facto et propria auctoritate praedictam sedem archiepiscopalem a memorato cornu evangelii amoveri, illamque a cornu epistolae collocari fecerint, violatâ inde archiepiscopali dignitate ac iurisdictione, necnon praedictorum decretorum, rituum et caeremoniarum ecclesiasticarum dispositione; cui attentato, per venerabilem fratrem Ioannem Baptistam modernum archiepiscopum Iannensem apud hanc Sedem Apostolicam deducto et denun-

Enarratio facta.

ciato, quamvis praedictus Alexander praedecessor et recolendae memoriae Clemens Papa IX, etiam praedecessor noster, compluribus officiis et paternis adhortationibus interpositis, occurrere studuerint, causâ huiusmodi iterum cum omnibus illius annexis ad se et Sedem Apostolicam praedictam (prout ex litteris Congregationis tunc existentium eiusdem S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositorum die xviii augusti MDCLXXV¹ scriptis fusius patet²) avocata, inhibita quoque specialiter archiepiscopo Ianuensi pro tempore existenti facultate utendi sede archiepiscopali praedicta ad cornu epistolae sicut praemittitur translata, nihilominus, dum nos eadem paternâ qua memorati praedecessores nostri longanimitate confidebamus fore ut aliquando eiusmodi controversia congruum et apostolicis decretis ritibusque et caeremoniis ecclesiasticis ac dignitati archiepiscopali consentaneum finem sortiri deberet, attentâ praecipue antiquâ Reipublicae praedictae in Ecclesiam pietate, praeter omnem spem et non sine gravi animi nostri molestiâ ad aures nostras pervenerit, inter praedictum Ioannem Baptistam archiepiscopum ex unâ, ac dilectos filios nobiles viros ducem et gubernatores dictae Reipublicae ex alterâ partibus, initam fuisse, nobis et Apostolicâ Sede inconsultis, quamdam assertam transactionem sive conventionem, per quam, si valida foret, grave metropolitanae ecclesiae et archiepiscopali dignitati Ianuensi praeiudicium inferretur:

§ 2. Hinc est quod nos, qui iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, metropolitanae ecclesiae et archiepiscopalis dignitatis

praedictarum honorificentiam, praerogativas et iura quaecumque sarta tecta, atque illis bona tueri et conservare, ac in praemissis, ex commissae nobis caelitus dispensationis munere, opportune providere cupientes, necnon praedictae transactionis seu conventionis, eiusque articulorum seu capitulorum quorumcumque seriem, ac scripturarum et decretorum quorumlibet desuper forsitan quovis modo confectorum et emanatorum tenores, aliave quaecumque etiam specificam et individuum mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis et exactissime atque accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eandem transactionem seu conventionem a memorato Ioanne Baptista archiepiscopo cum praedictis duce et gubernatoribus, vel senatu, aut magistratibus, aliisque quibusvis ministris dictae Reipublicae Ianuensis super praenarratâ controversiâ quomodolibet initam, eiusque articulos et capitula seu pacta quaecumque, necnon scripturas et decreta quaelibet desuper confecta et emanata respective, cum omnibus et singulis in eis eorumque quolibet contentis ac inde sequutis et quomodocumque sequuturis, ipso iure nulla, irrita et invalida, inania et de facto attentata, viribusque et effectu penitus et omnino vacua et nullius roboris et momenti fuisse et esse et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, nec dictum Ioannem Baptistam et futuros archiepiscopos Ianuenses illa seu eorum aliquod quodcumque observare posse vel debere, neque ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut possidendi seu quasi possidendi vel praescribendi

Declaratio
nullitatis ut in
rubrica.

¹ Videtur legend. 1665, vel forsitan 1657 (R. T.).
² Perperam edit. Main. legit *pariter pro patet* (R. T.).

causam, acquisitum fuisse vel esse, aut quodcumque acquiri vel competere posse, sed illa omnia et singula pro non factis nec gestis, perinde ac si nunquam emanassent, perpetuo haberi debere, tenore praesentium decernimus et declaramus; quinimo, ad maiorem et abundantiore cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula harum serie reprobamus, cassamus, irritamus et annullamus viribusque et effectu penitus omnino vacuumus, ac adversus illa, quatenus de facto processerunt, metropolitanam ecclesiam et dignitatem archiepiscopalem lanuensem praedictas, ipsumque Ioannem Baptistam archiepiscopum, in integrum et pristinum, ac in eum, in quo, antequam praedicta tractatio seu conventio iniretur aut de eâ tractaretur vel cogitaretur quomodolibet, erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Præceptum
archiepiscopo
de parendo.

§ 3. Quocirca praedicto Ioanni Baptistae archiepiscopo, in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis, per praesentes praecipimus et mandamus, ut sedem archiepiscopalem praedictam, unâ cum baldachino super imposito, a cornu epistolae sicut praemittitur collocatam, inde intra triduum, a die notificationis ipsorum praesentium litterarum seu earum affixionis ad valvas eiusdem ecclesiae numerandum, omnino amoveat et amoveri curet.

Decretum ir-
ritans.

§ 5. Decernentes pariter easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod Ioannes Baptista archiepiscopus, ac dux et gubernatores, alique praefati, et ceteri quicumque in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeceminentiae et dignitatis existant, illis non con-

senserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes litterae emanarint, adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus¹, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aut² aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum sacri palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, et alios quoslibet quacumque praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et

¹ Male edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

² Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praedictae ecclesiae et aliis quibuscumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis et aliis quibusvis personis, etiam quaecumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et quomodolibet qualificatis, sub¹ quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et quantiscumque vicibus iteratis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum,

¹ Edit. Main. legit seu pro sub (n. r.).

haec vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum
fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 5 septembris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. Brevium in lib. III diversorum, fol 129.

CXI.

Editto del santo Offizio circa alcuni capi appartenenti alla sacra Inquisizione.

Noi Francesco vescovo d'Ostia Barberino, Francesco Maria vescovo di Porto Braccaccio, Alderano del titolo di S. Prassede Cybo, Pietro del titolo di S. Marco Ottobono, Lorenzo del titolo di S. Crisogono Imperiale, Francesco del titolo dei santi Quattro Coronati Albizzi, Flavio del titolo di S. Maria del Popolo Chigi, Paluzzo del titolo de' Ss. Dodici Apostoli Altieri, Cesare del titolo di S. Giovanni avanti Porta Latina Raspone, Giacomo del titolo dei Ss. Giovanni e Paolo Rospigliosi, Lodovico del titolo di S. Sabina Portocarrero, Giovanni del titolo di S. Bernardo Bona, Federico del titolo di S. Agnese fuor dello mura Borromeo, Gasparo del titolo di S. Pudenziana Carpegna, preti, Decio di S. Eustachio Azzolino diacono, per la misericordia di Dio e della S. R. C. cardinali, in tutta la republica cristiana contro l'e-

retica pravità generali inquisitori dalla santa Sede Apostolica specialmente deputati.

Evordium.

Essendo a noi per la continua esperienza manifesto, che molti per malizia, altri per inobedienza, ed altri per ignoranza non soddisfanno all'obbligo che hanno di denunziare al S. Offizio li delitti spettanti adesso, e che però succedono gravissimi inconvenienti ed errori, non solamente contro i buoni costumi, ma ancora contro la fede cattolica:

Obbligatio denunciandi delicta, spectantia a l. S. Inquisitionem, eidem S. Inquisitioni vel Ordinarius loc. cit.

§ 1. Noi per tanto, a' quali specialmente deve essere a cuore la gloria di Dio, la conservazione ed aumento della fede cattolica e salute delle anime, volendo provvedere a tanto disordine, con autorità apostolica a noi commessa, comandiamo in virtù di santa obediencia, e sotto pena di scomunica di lata sentenza, oltre le altre pene prescritte dai sagri canoni, decreti, costituzioni e Bolle dei sommi Pontefici, per tenore del presente editto, a tutte e ciascuna persona di qualunque stato e grado e condizione, o dignità, così ecclesiastica come secolare, che fra il termine di un mese, dieci de' quali per il primo, dieci per il secondo e dieci per il terzo termine perentorio, si debbano rivelare e giuridicamente notificare al Sant' Offizio, ovvero agl' Ordinari, tutti e ciascuno di quelli, de' quali sappiano o abbiano avuto o averanno notizia:

Enumerantur delicta, quae denunciari debent.

I. Che siano eretici, o sospetti, o diffamati d'eresia, o credenti, o fautori, o difensori loro, o abbiano aderito o aderiscano ai riti dei Giudei, o Maumetani, o dei Gentili, o abbiano apostatato dalla santa fede cristiana;

II. Che abbiano fatti o facciano atti, dai quali si possa argumentare patto espresso o tacito col demonio, esercitando incanti, magie, sortilegi, porgendoli suffumigi, incensi, per trovar tesori,

e altri intenti, chiedendo da lui risposte, e invocandolo, ed a quest' effetto promettergli obbedienza, e consagrargli pentacoli, libri, spade, specchi o altre cose, nelle quali intervenga il nome ed opera sua;

III. Che si siano ingeriti o ingeriscano in far esperimenti di negromanzia e di qualsisia sorte di magia, con entrare nei circoli, far l'esperimento della caraffa, del crivello, per trovare i medesimi tesori, cose nascoste, rubate o perdute, o fare altre simili e superstiziose azioni ad altri fini, massime con abuso dei sacramenti, o di cose sagre o benedette;

IV. Che senza licenza dovuta ritengano scritti, che contengano eresie o libri d'eretici, che trattino *ex professo* di religione, o che gli abbiano letti, o tenuti, o stampati, o fatti stampare, o li leggano, tengano, o stampino, facciano stampare, introducano, o difendano, sotto qualsivoglia pretesto o colore;

V. Che abbiano libri di negromanzia, magia, o contenenti incantesimi, sortilegi e simili superstizioni, massime con abuso di cose sagre;

VI. Che, contro il voto solenne fatto nella professione in qualsivoglia religione approvata, o dopo aver preso l'ordine sacro, abbia contratto o contragga matrimonio;

VII. Che, vivendo la prima moglie, pigli la seconda, o vivendo il primo marito, pigli il secondo;

VIII. Che contro i decreti e costituzioni apostoliche abbiano abusato o abusino il sacramento della penitenza, servendosi della confessione o confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i penitenti *ad turpia*, ed avendo con essi discorsi di cose illecite e non convenienti al fine per il quale è stato istituito;

ix. Che abbiano proferito o proferiscano bestemmie ereticali contro Dio e la beatissima Vergine e santi, o proceduto a qualche atto di offesa e disprezzo contro le immagini e figure rappresentanti il medesimo;

x. Che abbiano tenute o tengano occulte conventicole e radunanze in pregiudizio, o disprezzo, o contro la religione;

xi. Che abbia indotto qualche cristiano ad abbracciare il Giudaismo, o altra setta contraria alla fede cattolica, o impedito i Giudei o Turchi a battezzarsi;

xii. Che non essendo ordinati sacerdoti si abbiano con sacrilego ardore usurpato, o si usurpino di celebrare messa, ed abbiano presunto di ministrare il sacramento della penitenza ai fedeli di Cristo, ancorchè non si sia venuto all'atto dell'assoluzione.

§ 2. Inoltre si dichiara, che quelli, i quali non denuncieranno, come si ordina col presente editto, non possono essere da alcuno assoluti, se non dal Sant'Offizio, dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato i delinquenti, al che non possono soddisfare con bollettini o lettere senza nome e cognome dell'autore, o altri modi incerti, de' quali non si tiene conto alcuno nel santo tribunale.

§ 3. Si dichiara anche, che, con la suddetta espressione de' casi di sopra da noi specificati da rivelarsi, non si escludano gli altri casi spettanti al Sant'Offizio, che per altro sono compresi ne' sagri canoni, costituzioni e Bolle de' Sommi Pontefici; nemmeno col presente editto s'intenda derogato alle altre provvisioni canoniche, apostoliche, ed agli altri editti degl'Ordinari ed inquisitori.

§ 4. Ed a fine che del presente editto non si possa pretendere ignoranza,

comandiamo che sia affisso per i luoghi soliti di Roma, e si notifici ai vescovi delle città vicine a Roma, nelle quali non sono inquisitori, acciò lo pubblicino, ed ordinino che i parroci della loro diocesi lo leggano ogni anno la prima domenica dell'Avvento, e la prima domenica di Quaresima: il che parimente vogliamo, che si faccia dai parroci e regolari di Roma nelle loro chiese in tempo che si troverà in esse congregato maggior numero di popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro chiese o sacrestie di esse un esemplare del medesimo per osservare quanto in esso si ordina.

Dal palazzo del Sant'Offizio questo di XXI settembre MDCLXXII.

FRANCISCUS RICCARDUS

S. R. et universalis Inquisitionis not.

Loco † sigilli.

Dat. die 21 septembris 1672, pontif. anno III.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCLXXII, indictione x, die vero XXIV mensis septembris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Clementis divina providentia Papae X anno III, supradictum edictum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Principis Apostolorum, cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Ioannem Antonium Bertarellum sanctissimi D. N. Papae et sanctissimae Inquisitionis cursorem.

CXII.

Concessio et indultum eorum, quae pro totali stabilimento et recto gubernio custodiae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalcea-

Non denunciantes, absolvi non possunt.

Non excluduntur alii casus ad dictam sacram Inquisitionem spectantes hic non expressi.

Mandatur publicari in Urbe et ad notitiam

deduci vicinorum episcoporum.

torum Hispaniae Ordinis Minorum de Observantiâ nuncupatorum decernuntur.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

Exordium. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus saeculi in arctioris religionis portum confugerunt, curam gerentes, illorum statui et felici progressui, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Petito. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii custos et fratres custodiae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, eum eadem custodia per ternas apostolicas in simili formâ Brevis litteras erecta¹ et stabilita reperitur, ipsaque custodia, tanquam ex reformatione fratrum Discalceatorum Hispaniae, vigore concessionis et ordinationis apostolicae, iuxta constitutiones, statuta et particulares caeremonias et usus eiusdem reformationis gubernari debeat, ac omnibus gratiis et privilegiis dictae reformationi ab Apostolicâ Sede concessis et in futurum concedendis gaudeat, ipsi exponentes nonnulla, quae pro totali stabilimento ac conservatione et recto gubernio necessaria esse visa sunt, a nobis statui et ordinari plurimum desiderent.

**Concessio et
fulditur in
rubrica.** § 2. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat

1 Edit. Main. legit *electa* (R. T.).

consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati (audita venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Ostiensis S. R. E. cardinalis Barberini nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, ac dilecti filii Francisci Mariae Rhini de Politio ministri generalis eiusdem Ordinis, qui preces dictorum exponentium, utpote veritati ac rationi innixas, et in quibus nullum latet inconveniens, imo per quas exauditas multorum inconvenientium occasio mature praecidetur, exaudiri posse existimarunt, relatione), ut custodia praefata familiae ultramontanae dicti Ordinis unita et aggregata remaneat, et eas tantum constitutiones apostolicas et decreta congregationum S. R. E. praefatae cardinalium, quas et quae provinciae fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis praedicti observare tenentur et observant (non illas et illa, quae pro familiâ eismontanâ Italiae eiusdem Ordinis dumtaxat emanarunt, quippe peculiari eorumdem fratrum Discalceatorum vivendi modo et constitutionibus, quibus ex dictae Sedis ordinatione gubernantur, necnon privilegiis dictae reformationi per Sedem eandem concessis, quibus dicta custodia fruitur, contrarias et contraria, ad quarum et quorum observantiam praefatae provinciae fratrum Discalceatorum non tenentur, nec illas et illa proinde observant), et praesertim circa receptionem novitiorum, pariformiter observare teneatur;

§ 3. Et consequenter custodia ipsa de cetero non subiacet commissario generali Italiae, licet ita in litteris eius erectionis ordinatum fuerit; sed illius vice, quando minister generalis Ordinis praefati ex familiâ ultramontanâ electus fuerit, eadem custodia procuratori generali

Praedicta custodiae familiae ultramontanae unita maneat.

Eadem custodia non subiacet commissario generali Italiae.

eiusdem Ordinis Hispano immediate subiecta remaneat; et, dum minister generalis ex familiâ cismontanâ electus ac extra Italiam fuerit, commissario generali curiae Ordinis praefati itidem Hispano subiaceat;

At eam mitti
ne possunt visi-
tatores, etc., ex
fratribus de Ob-
servantia vel
Reformatis.

§ 4. Nec ad eandem custodiam mitti possunt¹ visitatores commissarii aut delegati causarum ex² fratribus de Observantiâ vel Reformatis, sed tantum ex fratribus supradictae Reformationis fratrum Discalceatorum Hispaniae, iuxta privilegia illi concessa; ac demum ut custos dictae custodiae pro tempore existens ad congregationem generalem intermediam dicti Ordinis, quando in Hispania, non autem quando in Italia celebrabunt, proficisci possit et debeat, in eâque voti sive suffragii praerogativam habeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium statuimus et ordinamus, ac concedimus et indulgemus.

Decretum ir-
citans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarium
derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque,

¹ Potius lege possint (R. T.).

² Praeposit. ex nos addimus (R. T.).

indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus proplene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiv septembris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 24 septembris 1672, pontif. anno III.

Registr. in Secret. in libro Brevium mensis septembris.

—
CXIII.

Decretum, quod in congregationibus S. Benedicti per Galliam et Hispaniam suffragium abbatis ubicumque fuerit praevaleat in paritate votorum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Dionysius Mantilla procurator generalis Congregationis Hispaniae, et per substitutionem etiam Galliae, Ordinis Cisterciensis, quod (licet ex regulâ sancti Benedicti, quam monachi dicti Ordinis profitentur, monachi ad consilium vocati non habeant etiam in gravioribus causis votum decisivum, sed tantum consultivum, ut constat ex capitulo de adhibendis ad consilium fratribus, ubi sic habetur. « Quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem, et dicat ipse unde agitur, et audiens consilium fratrum, tractet apud se, et, quod utilius iudicaverit, id faciat; sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subie-

Expositio.

cione, ut non praesumant procaeciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis in abbatis pendeat arbitrio, et quod salubrius esse iudicaverit, ei cuncti obediant»; et in explicatione huius tertii capituli sit praxis observata et stabilita per constitutiones auctoritate apostolicâ approbatas in congregationibus S. Benedicti tam Hispaniae quam Galliae, quod abbates dictarum congregationum suffragium qualificatum habeant tam in receptione et approbatione novitorum quam in aliis agendis, ita scilicet, ut in deliberationibus illa sententia praevaleat, eiusque conclusioni assentiantur omnes, cui fuerit suffragiorum pluralitas supra medietatem, aut, in aequalitate, a qua stet abbas; ac in plerisque aliis regulae praefatae capitulis concedatur abbatibus plena et absoluta facultas agendi, illiusque praeceptis omnes obedire, et agenda ab illius arbitrio pendere debere cautum reperiatur) nihilominus solent aliqui abbates dicti Ordinis Cisterciensis in receptionibus novitorum, tam ad habitum quam ad professionem, stare maiori parti suffragiorum, licet, habito consilio, decisio ab illis pendeat, ut ex regulâ patet.

Petitio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in congregationibus monachorum Ordinis sancti Benedicti tam Galliae quam Hispaniae abbates qualificatum sive duplex suffragium habeant, ita ut quando suffragia sunt paria, si sex in unâ, et sex in alterâ parte inveniantur, etiam numerato suffragio abbatis, illa pars praevaleat et censeatur maior, executionique proinde mandanda sit, pro qua stat abbas tamquam praeses; praefatus vero Dionysius procurator generalis simile qualificatum seu duplex suffragium abbatibus praefati Ordinis Cisterciensis a nobis concedi summopere desideret:

§ 3. Nos, ipsius Dionysii procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, quod in posterum, quandocumque declarationes capitulares in monasteriis Ordinis praefati Cisterciensis habendae sint, ea pars in paritate suffragiorum praevalere et praeferrî debeat, cui abbas monasterii consensus sui praerogativam superaddere voluerit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus atque decernimus.

Statut. et in rubrica.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis Cisterciensis, eiusque monasteriorum quorumcumque, etiam iuramento,

Derogatio contrarium.

confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur in iudicio et extra illud, quae adhiberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii septembris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 28 septembris 1672, pontif. anno III.

Registr. in Segret. in libro Brevium mensis septembris.

CXIV.

Praeceptum in Cappuccinos custodiae Navarrae, ne audeant conventum seu domum aedificare in loco Vianae Calaguritanae dioecesis, et perpetuum super hoc silentium eis impositum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Expositio causae.

§ 1. Aliâs felicis recordationis Alexandro VII praedecessori nostro, pro parte tunc existentium fratrum conventus oppidi civitatis nuncupati de Viana Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ

nuncupatorum Calaguritanae dioecesis, exposito, quod, cum antea tunc existentes fratres Cappuccini custodiae Navarrae, novum conventum eorum Ordinis in dicto oppido erigere praetendentes, hospitium ibidem de facto aperuissent, sed inde per duos episcopos successores semper reiecti fuissent, etenim¹, praeviâ sententiâ definitiva, Congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam causa huiusmodi devoluta reperiebatur, partibus auditis, et dilecto filio nostro Marcello eiusdem S. R. E. cardinali Santa-crucio nuncupato referente, re mature examinâtâ et discussâ, iniunxerat et praeceperat memoratis et fratribus Cappuccinis Custodiae Navarrae, eorumque superioribus ad quos spectabat, ne in praedicto loco Vianae conventum aut hospitium sive sub quovis titulo domum permanentem ullo modo fundare et retinere auderent, aut praesumerent, sed iuxta tenorem sententiae ab Ordinario Calaguritano datae sub die xxiv maii MDCLX, seu alio veriori tempore, ab hospicio iam ut dicebatur aperto et retento omnino discederent; ut autem huius decreti executioni tutius caveretur, eidem Ordinario commiserat, ut eosdem Cappuccinos, quatenus parere recusarent, sub censuris aliisque sibi benevisis poenis, cogeret et compelleret, in contrarium non obstantibus quibuscumque, et aliâs prout in ipsius Congregationis decreto desuper die xvii novembris MDCLXII emanato dicebatur contineri; et subinde, repositâ causâ die xix septembris MDCLXIV eadem Congregatio decretum praedictum confirmaverat, perpetuumque eisdem fratribus Cappuccinis silentium imponendum esse decreverat; et postmodum, concessâ rursus dictis fra-

¹ Videtur legend. etiam pro etenim (u. T.).

tribus Cappuccinis novâ audientia super articulo an esset locus praetensae fundationi novi conventus in dicto oppido Vianae, die xvi ianuarii MDCLXV resolutum fuerat, non esse locum fundationi, idque ad relationem praedicti Marcelli cardinalis; verum, illo absente, die xii martii subsequenter iidem fratres Cappuccini, insciis exponentibus supradictis, extorserant a praedictâ cardinalium Congregatione licentiam erigendi dictum novum conventum, accedente licentiâ Ordinarii; et in eadem expositione subiuncto, quod dicti exponentes successive, nempe die xxiv novembris eiusdem anni MDCLXV, recursum ad ipsum Alexandrum praedecessorem in eius signaturâ gratiae super praemissis habuerant, cupiebantque iuxta resolutionem, utraq̃ parte informante, in eadem signaturâ captam, causae huiusmodi finem imponi:

Decreto n. Alexandri VII.

§ 2. Idem Alexander praedecessor, supplicationibus eorumdem exponentium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, praedictos fratres Cappuccinos super praetensâ fundatione conventus seu hospitii in loco Vianae Calaguritanae dioecesis amplius non audiri, auctoritate apostolicâ mandavit ac decrevit, eisdemque perpetuum desuper silentium imposuit, et aliâs, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper die iii septembris MDCLXV¹ in simili formâ Brevis expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Introductio novae causae.

§ 3. Cum autem, sicut dilecti filii fratres Mineræ de Observantiâ nuncupati supradicti conventus oppidi Vianae nobis amper exponi fecerunt, praedicti fratres Cappuccini die xxx decembris proxime praeteriti, sub nomine dilectorum filiorum capituli ecclesiae et magistra-

¹ Supra legitur 1666 (R. T.).

tus saecularis dicti oppidi Vianae, nemine citato nec audito, obtinuerint a nobis rescribi Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. praedictae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, ut eius arbitrio, non obstantibus clausulis in dictis Alexandri praedecessoris litteris appositis, possit iterum huiusmodi negotium examinari et defini, et in executionem rescripti huiusmodi eadem Congregatio venerabili fratri moderno episcopo Calaguritano scribi mandaverit ut informationem super his ad ipsam Congregationem transmitteret; licet autem transmissa per eundem episcopum nova relatio memoratis fratribus Cappuccinis favorabilis praetendatur, nullo tamen modo attendenda videatur, quippe quae aliis duabus relationibus antecessorum episcoporum, eorumque sententiae definitivae, ac probationibus iudicialibus in processu causae et causarum huiusmodi contentis et insertis adversetur; et propterea exponentes praedicti perpetuum eisdem fratribus Cappuccinis silentium de novo imponi, tandemque huiusmodi dispendiosas et scandalosas lites finire summo opere desiderant:

§ 4. Nos, easdem lites penitus et omnino dirimere ac tollere, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas¹ fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis in-

Statuit ut in rubrica.

¹ Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

clinati, de memoratorum cardinalium, qui suprascriptum praetensae fundationis negotium iterum examinarunt atque discussissent ac desuper praedicti moderni episcopi Calagurritani relationem et partes informantis audiverunt, consilio, decreta ab eorundem cardinalium Congregatione aliàs ad favorem fratrum Minorum de Observantiâ dicti conventus de Viana emanata et in praedictis Alexandri praedecessoris litteris die III septembris MDCLXVI¹ expeditis relata, in quibus ipsa cardinalium Congregatio persistendum esse die XIX augusti proxime praeteriti decrevit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis observantiae et apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac perpetuum praedictis fratribus Cappuccinis silentium super praemissis imponimus, ipsosque fratres Cappuccinos circa huiusmodi fundationis petitionem non esse amplius audiendos, harum serie, eâdem auctoritate, decernimus et declaramus.

Secretum ir-
ritum.

§ 5. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et illis plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegates, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis
derogatur.

§ 6. Non obstantibus praemissis, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et

¹ Paulo ante lectum fuit 1665 (R. T.).

consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris¹ MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 30 septembris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretariâ in lib. Brevium mensis septembris.

CXV.

Constitutio abrogationis omnium indulgentiarum seu privilegiorum personalium fratribus Ordinis Minorum de Observantiâ et Reformatorem seu Strictionis Observantiae a quibusvis quoquomodo contra et praeter eiusdem Ordinis constitutiones concessorum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancti apostolatus officium, quod inserutabilis divinae sapientiae atque clementiae altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, committere dignata est, salubriter exequi iugi vigilantia satagentes, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut christifideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati, sublatis iis quae regulari eorum observantiae atque disciplinae detrimentum adferre noscuntur, iuxta regulas in

Exordium.

¹ Male, ut puto, edit. Main. legit *novembris* (R. T.).

eorum institutis prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, multiplicibus in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis.

Abusus intro-
ductus.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) in Ordine fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorem, seu Strictioris Observantiae nuncupatorum, introductus fuerit abusus ut passim fratribus indultum voti perpetui aliaque privilegia personalia concedantur, ex quo magnum relaxationi ostium aperitur¹ et gravissimum paupertati et humilitati, quas dictus Ordo profitetur, nocumentum inferitur:

Revocat om-
nia indulta per-
sonalia dictis
fratribus con-
cessa

§ 2. Nosque², regularem disciplinam ubique vigere et omnem illius relaxationis viam praecludi summopere cupientes, de opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac felicitis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri inhaerentes vestigiis, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque indulta seu privilegia personalia quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ordinis fratribus, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et conditionis existant (carissimorum in Christo filiorum nostrorum regis Romanorum in imperatorem electi aliorum regum concionatoribus et confessariis duntaxat exceptis), quocumque titulo, praetextu, causâ et occasione, ad cuiusvis instantiam et supplicationem, tam a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac quibusvis S. R. E. cardinalium congregationibus, quam etiam a venerabili fratre nostro Francisco episcopo Ostiensi eiusdem S. R. E. cardinali Babbeno nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectore,

¹ Edit. Main. legit *aperiatur* (R. T.).

² Simpliciter lege *Nos* (R. T.).

aliisque eiusdem Ordinis protectoribus, ac a quibuslibet Ordinis huiusmodi superioribus, haecenus quoquomodo contra et praeter regularia Ordinis praedicti instituta et apostolicas constitutiones concessa, harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus, illaque perpetuo revocata, cassata, abrogata et abolita, viribusque et effectu vacua fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cetero a quoquam concedi posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum camerae apostolicae auditores, ubique indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis privationisque suorum officiorum ac vocis activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis ministro ac vicario seu commissario generalibus et ministris provincialibus, aliisque dicti Ordinis superioribus, ut, quamprimum praesentes nostrae litterae pervenerint, omnes et singulos patres et fratres Ordinis huiusmodi, similia indulta seu privilegia habentes, illos eo ipso privatos et spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant vel permittant, inobedientes quoslibet et rebelles opportunis iuris et facti remediis, iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, compescendo.

Mandat super-
rioribus indul-
tarios declarare
dictis indultis
esse privatos.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis litteris apostolicis super concessione seu confirmatione concessionis privilegiorum huiusmodi emanatis, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam

Obstantia me-
morat.

iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, in genere vel in specie, seu aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis;

Generaliter derogat.

§ 5. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 7 octobris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretariâ in lib. Brev. mensis octobris, parte utrâq., fol. 137.

CXVI.

Confirmatio decretorum a generali Ordinis eremitarum sancti Augustini de suorum assistentium consilio editorum circa introductionem, observantiam et perpetuam conservationem vitae communis in Lyciensi et Terrae Soleani, aliisque dicti Ordinis conventibus, in quibus vita huiusmodi introducitur.

Clemens Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidemus, nos admonet, ut, ad ea, quae salutem christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo principatorum directionem concernunt, favorabiliter intendentes, quae a superioribus regularibus restituendae conservandaeque religionis studio provide facta esse noscuntur, apostolici muniminis nostri praesidio constabiliamus.

Exordium.

§ I. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, quod, cum quondam Ignatius Valente conventum civitatis Lyciensi dicti Ordinis haeredem instituerit¹, eâ lege ut observantia et exacta vita communis, quam dilectus pariter filius Augustinus de Soleano, frater expresse professus eiusdem Ordinis, in sacrâ theologiâ magister, dum provincialatus provinciae apostolicae dicti Ordinis munere fungebatur, in eodem Lyciensi et S. Mariae del Reposo nuncupatae terrae de Soleano Hydrontinae dioecesis conventibus introduxerat, in ipso conventu Lyciensi restitueretur, ac dictum Augustinum, cum onere procurandi restitutionem vitae

Series facti
exposita a pro-
curatore gene-
rali Ordinis fra-
tris Eremitarum
sancti Augusti-
ni.

¹ Edit. Maior. legit instituit (R. T.).

communis huiusmodi in eodem conventu Lyciensi, testamentariae suae dispositionis executorem deputaverit: dilectus etiam filius Hieronymus Valvasorius, prior generalis Ordinis praefati, de assentium suorum consilio, circa restitutionem, observantiam perpetuamque conservationem vitae communis, tam in praefatis Lyciensi, et terrae Soleani quam in quibusvis aliis eiusdem Ordinis conventibus vitam communem huiusmodi, ad praescriptum decretorum a Congregatione S. R. E. cardinalium super statu regularium deputatâ iussu felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri die XIII septembris MDCLIV emanatorum, benedicente Domino amplexuris, nonnulla decreta edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta prioris generalis referuntur.

I. « In conventu S. Angeli de Lycio restituatur, et quatenus opus est de novo instituat, et in conventu S. Mariae Reposi de Soleano continuetur observantia et exacta vita communis ad praescriptum regulae, etc., ut inferius.

II. Exacta vita communis in dictis et huiusmodi conventibus iam et in futurum observantibus fiat ab omnibus et singulis patribus et fratribus, superioribus et subditis de familiâ degentibus, iuxta decreta sacrae Congregationis super statu regularium de mandato felicis recordationis Alexandri Papae VII sub die XIII septembris MDCLV, ad praescriptum regulae et constitutionum Ordinis, non obstante quavis laxiori consuetudine, servatâque formâ sacrorum canonum Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, et praecipue decretorum sanctae memoriae Clementis Papae VIII, necnon statutorum predicti nostri Ordinis (quae, pro certiori et firmitiori observantiâ, ne allegari unquam possit ignorantia, unâ cum his decretis et aliis hactenus in Ordine factis, de consilio

etiam admodum RR. PP. qui nobis assistunt, excerpimus et declaravimus, et hac ipsâ die V septembris MDCLXXII nostrâ manu et sigillo munita, observanda illis et omnibus conventibus et fratribus, qui eandem vitam iam amplexi, et, Deo dante, in futurum amplexuri sunt, dedimus) ad litteram absque ullâ interpretatione aut glossâ, et indispensabiliter nisi cum infirmis et impotentibus, sub poenis in eisdem decretis, canonibus, et constitutionibus apostolicis contentis, necnon dictarum constitutionum Ordinis part. III, cap. VI, et part. VI, cap. IX, et statutorum supradictorum.

III. Postquam (restitutâ iam observantiâ) octo circiter novitii choristae recepti fuerint, et suam professionem emisserint in novitiatu Lycii, remaneant ibidem pro secundo novitiatu seu professorio clauso, quod eos¹ nunc pro tunc ad studium pro ipsis tantum observantibus deputamus, ad studendum, si fuerint habiles, et primus novitiatus, qui, de mandato sacrae Congregationis super statu regularium, erat Lycii, transferatur (de assensu eiusdem sacrae Congregationis) ad conventum Soleani.

IV. Conventus Lycii sit sub immediatâ iurisdictione nostrâ et priorum generalium pro tempore, conventus vero Soleani sub iurisdictione procuratoris generalis, prout sunt ceteri conventus provinciae, cum conditionibus tamen infradicendis.

V. Pro hac primâ vice, confisi plurimum de integritate, doctrinâ, prudentiâ, ut supra, vitae communis exactiorisque observantiae zelo eiusdem magistri fratris Augustini de Soleano, cum deputamus et declaramus, prout tenore praesentium et nostri muneris auctoritate deputatum et declaratum esse volumus,

¹ Potius lege *ex pro eos* (R. T.).

in priorem praedicti conventus nostri S. Angeli de Lycio ad triennium, et ultra ad aliud et plura, si vocales dicti conventus Lycii, elapso primo triennio, eum aliâ et aliâ vice et pluries proponere, nominare et praesentare voluerint, etiam solum, et non inter tres aut duos, ut in formâ inferius ponendâ. Pro conventu vero S. Mariae Reposi de Soleano confirmamus in priorem fratrem Lucam de Melpiniano electum a definitorio provinciae ad biennium a die dictae suae electionis.

vi. Deinceps priores eligantur ex ipsis solis Observantibus, et ab ipsis; ita ut primum in conventu Lycii sibi deligant duos vel tres, et ipsos sic delectos deinde nominent et praesentent patri generali pro tempore, et demum generalis ex duobus vel tribus ita praesentatis eligat unum, qui erit prior; et pariter in conventu Soleani primum sibi deligant duos vel tres, et deinde illos duos vel tres repraesentent definitorio provinciae, quod demum ex duobus vel tribus eligat unum, qui erit prior.

vii. Quod si prioratus ex morte, privatione, renunciatione, aut aliquâ ex aliâ causâ quandocumque vacaverit, tunc sit vicarius tam Lycii quam Soleani secundus qui cum priore electo fuit praesentatus, duraturus usque ad tempus novae electionis. Quod si illi etiam, aut alter ex illis, mortui fuerint, aut aliquâ ex causâ nolint et nequeant esse vicarii, tunc Lycii deligant tres vel duos ad prioratum, ex quibus generalis, ut supra, eligat unum, qui erit prior ad biennium et tot menses, quot defuerint usque ad consuetum tempus instituendi et ipsum adventum de novo instituti prioris; et Soleani deligant duos vel tres, ex quibus provincialis, ut supra, eligat unum, qui erit vicarius usque ad proximum capitulum seu congregationem, in quibus de-

finitorio praestabunt¹ duos vel tres, dictum vicarium, et alium vel alios ab ipsis et ex ipsis observantibus deligendos², ex quibus duobus vel tribus definitorium eliget unum, ut supra.

viii. Ita pariter ceteri quicumque eorum officiales eligantur ex ipsis et ab ipsis, proponente tamen ad electionem et post electionem eos confirmante eorum priore iam, ut supra, electo.

ix. In lectorem theologiae, seu regentem, et in lectorem philosophiae deputabitur a patre generali aliquis ex ipsis idoneus illis doctrinae sufficientiâ, exemplaris, et maxime exactae communis vitae studio, iuxta praedicta et praecipue Clementis PP. VIII decreta, probandus et approbandus. Quod si apud se non habuerint idoneum, aut pro lectore, aut pro regente, supplicabunt pro altero, aut pro utroque, eidem patri generali, qui providebit de idoneo a se probato, et qui sponte velit et debeat observantiam et exactam vitam communem eandem cum omnibus in omnibus et per omnia iuxta dicta et Clementis Papae VIII decreta sectari.

x. In actu visitationis in conventu Lycii per nos aut per a nobis deputandos, et in conventu Soleani per patrem provincialem, inquiratur super institutâ observantiâ, et transgressores ibidem corrigantur regulariter, non autem inde removeantur inconsultis priore et patribus consilii, et relinquuntur aut mittantur decreta; quod si aliqua iudicaverint observantiae conducere, fideliter referant priori generali, qui, si ei videbitur, decernat.

xi. Nulli, volenti venire zelo observantiae, licentia denegetur, dummodo eius praecedat acceptatio a priore cum patribus consilii. Non eligantur ipsi obser-

¹ Videtur legendum *praesentabunt* (R. T.).

² Edît. Main. legit *deligendis* (R. T.).

vantes in priores locales, nec in officiales conventuum, ubi dicta observantia non viget. Non amoveantur, aut transeant de familiâ in dietis conventibus, ubi dicta observantia non viget; sed tantum (donec, Deo invante, alii conventus observantes, iuxta pariter decreta sacrae Congregationis super statu regularium et haec nostra decreta et statuta, quae, ut supra, pro dietis et pro omnibus conventibus et fratribus, qui eandem vitam iam amplexi et in futurum amplexuri sunt, fecimus, fuerint) mutari possint ab uno in alium ex conventibus observantibus, tam si eam vitam post decretum sacrae Congregationis super statu regularium professi fuerint, quam si professi ante dictum decretum, aut ex dietis conventibus Lycii et Soleani pro hac primâ vice remanserint, aut ex aliis conventibus quaecumque advenerint, et elapso anno (quo tempore iis erit liberum abire) a patribus vocalibus acceptati fuerint, nisi forte in poenam, utpote sitam¹, sanctae ordinationi de observantia et exactâ vitâ communi in dietis conventibus et aliis observantibus contradicere aut modo aliquo se opponere ausi sint vel fuerint, quapropter iuxta dictum decretum sacrae Congregationis super statu regularium amovendi sint, aut si emendatoriam ferre recusaverint, et iuxta regulam et constitutiones, a priore de consensu patrum consilii a societate, ne contagione pestiferâ plurimos perdant, proiciendi.

xii. Pro quibus omnibus inviolabiliter observandis, praecipimus omnibus et singulis nostris inferioribus, ne quovis praetextu, occasione, aut quaesito colore, dicto, facto, directe vel indirecte, per se vel per alium, ullis unquam futuris temporibus dicta decreta violare,

¹ Intelligat qui potest; forsân legendum si tam (R. T.).

infringere, aut eis quoquo modo contraire, nec supradictos fratres a dictâ observatione turbare aut molestare, et ne a dietis et aliis in futurum simili modo observantibus conventibus dictam observantiam et exactam vitam communem auferre aut auferendam audeant quomodolibet attentare, sub poenis numero tertio⁴ memoratis, necnon privationis officiorum, graduum ac vocis activae et passivae in perpetuum, et excommunicationis latae sententiae, quam trinâ canonicâ monitione praemissâ in his scriptis licet inviti ferimus, ipso facto, absque aliâ declaratione, sed solâ protestatione et attestacione in scriptis, iuramento et subscriptione maioris partis conventus firmatâ, cum expressione causae propter quam, et expressione pariter huius nostri decreti decimi, virtute cuius declarantur incursi, incurrenda².

xiii. Haereditas Ignatii Valente de Lycio vigore eius testamenti sub die x octobris MDCLXXI, in quo reliquit praedictum nostrum conventum S. Angeli de Lycio suum haereditatem universalem, cum adiectâ conditione, quod in eo restituitur observantia et exacta vita communis, iuxta decreta sacrae Congregationis super statu regularium de mandato Alexandri PP. VII acceptatur ad seriem et tenorem eiusdem testamenti a nobis visi, discussi et considerati, prout tenore praesentium et nostri muneris auctoritate illam acceptamus et acceptandam esse volumus et mandamus.

xiv. Et ad perpetuam validitatem, firmitatem, subsistentiam, durationem, et ad cautelam ad tollendos defectus, supplicamus sanctae Sedi Apostolicae, eiusque sacris Congregationibus: 1^o quod

¹ Lege secundo, nam numerationem nos mutavimus (R. T.).

² Potius lege incurrendis nempe poenis, vel incurrendae nempe excommunicationis (R. T.).

(non obstantibus constitutionibus nostri Ordinis, in part., cap. iv, quod suppositio conventuum sub immediatâ curâ patris generalis fiat per capitulum generale) supradictus conventus S. Angeli de Lycio ponatur et sit in futurum et in perpetuum sub immediatâ curâ et iurisdictione procuratoris pro tempore, quem admodum alii conventus generales, eum dictâ tamen observantiâ et exactâ vitâ communi, et modo ac formâ ut supra: 2^o quod (non obstante Bullâ sanctae memoriae beati Pii V pro reformatione Ordinis Eremitarum S. Augustini, *Quoniam in reparandam*, MDLXX, de duratione officiorum ad biennium, et decreto patris generalis Fivisani, confirmato a sanctae memoriae Clemente PP. VIII, *Universalis*, MDXCVI, de non protrahendis officiis ultra sexennium) praedictus magister frater Augustinus de Soleano possit esse et sit prior ut supra; et aliis non obstantibus quibuscumque, et ad tollendos, si qui sunt, alios quoscumque defectus, et ut praedicta omnia et singula approbare, confirmare et apostolicâ auctoritate roborare dignetur ».

Confirmatio
apostolica decretorum
decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, procurator generalis et Augustinus praefati decreta huiusmodi, quo firmiter subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communi summopere desiderent: nos, specialem ipsis procuratori generali et Augustino gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore cen-

1 Cohaerentius lege *absolutas* (R. T.).

sentibus, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praecursoria, a memorato Hieronymo procuratore generali edita, sit praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor adiciamus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementus.

§ 3. Ceterum, tam praefatum Hieronymum modernum et pro tempore existentem procuratorem generalem, quam dilectos filios modernos et futuros vicarios generales congregationum et procuratores provinciales provinciarum et superiores locales conventuum Ordinis praefati, per praesentes serio monemus, ut, suae obligationis memores, exactam vitam communem in conventibus potissimum designatis pro novitiis et professoriis, ubi introducta non est, omnino introduci, quavis contrariâ consuetudine seu potius corruptelâ non obstante, et ubi introducta est, conservari maxime procurent, in districto Dei iudicio neglecti muneris rationem reddituri.

Monitio ad superiores dicti Ordinis ut vitam communem introducant et retineant.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras et decreta praecursoria semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinariorum et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 5. Quocirca dilectô filio nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis nun-

Executores designat.

cio, ac venerabilibus fratribus archiepiscopo Hydruntinensi, et Lyciensi ac Bisignanensi episcopis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel tres, aut duo, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, omnesque et singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt, praemissorum omnium et singulorum commodo et effectui pacifice frui et gaudere; non permittentibus illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio
contrarium.

§ 6. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de mñâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis eiusque congregationum, provinciarum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et

consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes¹, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam² in iudicio quam extra illud habeatur, ipsis quae praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 8 octobris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretariâ Brevium in libro mensis octobris, part. utrâque, fol. 161.

CXVII.

Declaratio circa ius conferendi habitum Tertii Ordinis sancti Francisci competens tantum fratribus eiusdem Tertii Ordinis nationis Gallicanae, et Cappuccinos eiusdem nationis excludens.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Tertii Ordinis sancti Francisci Congregationis Gallicanae, quod, licet Congregatio venerabilium fratrum no-

Expositio facti.

¹ Vocem habentes nos addimus (R. T.).

² Particulam tam nos addimus (R. T.).

strorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, in controversiâ inter ipsos exponentes ex unâ et dilectos pariter filios fratres Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum in regno Galliarum degentes ex alterâ partibus circa ius conferendi habitum Tertii Ordinis sancti Francisci utriusque sexus personis saecularibus, easque dirigendi, vertente, die xiii martii proxime praeteriti, partibus pluries auditis, decrevisset ut fratres Cappuccini praefati ab huiusmodi habitus collatione et directione penitus abstinere, nihilominus, dilecto etiam filio procuratore generali Ordinis fratrum Cappuccinorum conquerente se in iribus suis sufficienter auditum non fuisse, eadem cardinalium Congregatio die xx eiusdem mensis mandavit ab expeditione sui decreti huiusmodi supersederi, utque dictus procurator generalis quasdam provisionales in simili formâ Brevis litteras, quas¹ a recolendae memoriae Clemente Papa IX praedecessore nostro ad praefati Ordinis fratrum Minorum Cappuccinorum favorem emanasse asserebat, partibus communicaret.

Pellio.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus procurator generalis id non praestiterit, nihilque habeat, quod pluries, et in diversis contradictoriis, tam coram praefatâ, quam coram alterâ, nempe venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, Congregationibus non fuerit aliâs a dictis fratribus Cappuccinis productum; et propterea dicti exponentes, ut huiusmodi controversiae iam toties et tam solemniter decisae, et novissime coram dictâ cardinalium Congregatione ter expositae, finis tandem imponatur, ac alia

¹ Edit. Main. legit *quam pro quas* (R. T.).

quinque decreta a praefatis duabus cardinalium Congregationibus respective contra praefatos fratres Cappuccinos emanata necnon desuper expeditae pariter in formâ Brevis litterae apostolicae observentur, opportune sibi in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent:

§ 2. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui, partibus auditis, in decreto aliâs, videlicet dictâ die xiii maii proxime praeteriti, edito persistendum esse censuerunt, consilio, praefatis fratribus Minoribus Cappuccinis nuncupatis, ne in posterum in admittendis mulieribus ad habitum Tertii Ordinis sancti Francisci, sive in ipsis dirigendis se ingerant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus, ac praedictis fratribus Cappuccinis perpetuum super praemissis silentium imponimus.

Statuit ut in rubrica.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios ac delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si

Decretum irritum.

secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarium remolio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

Illorumque derogatio.

§ 5. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praesentium effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub anno Piscatoris, die x octobris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 10 octobris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis octobris.

CXVIII.

Statutum perpetuum collegii Germanici et Ungarici, quod convictores quicumque in dictum collegium recepti, et quandocumque recipiendi, iuramentum de discedendo ab Urbe, ac in Germaniam revertendo statim atque studiorum tempus fuerit absolutum, praestare teneantur.

Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Alumni collegii Germanici et Ungarici in ingressu vel paulo post iurant in

Cum (sicut accepimus) dilecti filii alumni collegii Germanici et Ungarici de Urbe in ipsius collegii ingressum,

sive paulo post, inter alia iuramentum praestare soleant, quod, absoluto ibidem studiorum tempore, quando inde dimittentur, ab Urbe statim discessuri, et in Germaniam reversuri sint; in dictum vero collegium, praeter alumnos, etiam recipiuntur¹ nonnulli convictores, qui iuramentum huiusmodi non praestant, sed, peracto studiorum curriculo, in Urbe praefatâ quandoque moram trahunt, et excusso disciplinae, quam in eodem collegio praefato servaverant, iugo, eam morum innocentiam, quam ex patriâ attulerant, et in collegio praefato colueant, non satis studiose tuentur, in animarum suarum perniciem, ipsiusque collegii existimationis detrimentum:

§ 1. Nos, ex commissae nobis caelitus apostolicae sollicitudinis munere, opportunum huic malo remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut convictores quicumque in collegium praefatum recepti, et quandocumque recipiendi, iuramentum pariter de discedendo ab Urbe supradictâ, ac in Germaniam revertendo statim atque studiorum cursum ibidem absolverint, seu aliâs ex ipso collegio dimittentur, ad instar memoratorum alumnorum, praestare omnino teneantur, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore et quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E.

¹ Potius lege recipiantur (R. T.).

Germaniam reversuros.

Statuit ut in rubrica.

Decretum irritans.

cardinales, collegii praefati protectores, aliosve quoslibet quacumque praecminentia et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio con-
trariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

J. G. SLUSIUS.

Dat. die 16 octobris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis octobris, parte utraque, fol. 133.

CXIX.

Confirmatio decreti Clementis IX super unionis dissolutione Congregationum eremitarum Camaldulensium Montis Coronae et aliarum nationum, cum commemoratione poenae et censurarum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per

ineffabilis divinae bonitatis divitias eventi, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, stabilis inter religiosos viros a saeculi turbis segregatos et Altissimi obsequiis sub laudabili strictioris observantiae instituto ad dictos tranquillitatis studio, sapienter disposita esse noscuntur, ut firmiora sint et servantur exactius, apostolici praesidii nostri patrocinio libenter corroboramus, illisque, ne temerario cuiusquam ausu violentur, novas sanctiones adiungimus, sicut conspiciamus in Domino rationi esse consentaneum.

§ 1. Aliâs siquidem, cum inter eremitas Camaldulenses nationis Etruriae sub nomine *Congregationis Eremitae Sacrae*, ex unâ, ac nostrorum Status nostri Ecclesiastici, domini Veneti, regni Neapolis, Poloniae et Germaniae sub nomine *Congregationis Montis Coronae* respective militantes, ex alterâ, necnon illos nationis Pedemontanae ex aliâ partibus, variae controversiae exortae et suscitatae fuissent, felicitis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem, amunionem et incorporationem eremi Camaldulensium Etruriae, sive provinciae Aretinae, ac Congregationis Montis Coronae, earumque respective eremorum, monasteriorum, membrorum et aliorum locorum regularium invicem, uniusque Congregationis ex illis sic unitis, annexis et incorporatis erectionem et institutionem dudum a recolendae memoriae Urbano Papa VIII praedecessore pariter nostro factas, necnon aliam unionem sive incorporationem eremi Camaldulensium prope Taurinum sitae, unâ cum aliis eremis, domibus et locis ab eâ dependentibus,

Clemens
per suas litteras
unionem ab
Urbano VIII factam
dissolvit.

1 Videtur legendum *nationum* pro *nostrorum* (R. T.).

sive quoquomodo ad illam pertinentibus, ad praefatam Congregationem Camaldulensium Montis Coronae pridem factam, et ab eodem Urbano praedecessore confirmatam, revocavit, dissolvit, irritavit et annullavit, ac nationes praefatas ab invicem separavit, easque ad formam regiminis, quo ante uniones respective gubernabantur, reduxit, et alias, prout uberius continetur in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor litterarum Clementis IX.

§ 2. *Clemens Papa IX, ad perpetuam rei memoriam.* Illius, qui charitas est et Deus pacis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ad ea peculiare vigilantiae nostrae curas libenter convertimus, per quae religiosae christifidelium, qui, abnegantes semetipsos, divinis obsequiis se se sub snavi arctioris atque severioris disciplinae iugo devoverunt, quieti consulatur, prout maturâ deliberatione adhibitâ salubriter expedire in Domino arbitramur. Dudum siquidem felicitis recordationis Urbanus VIII praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, eremum Camaldulensium Etruriae, sive provinciae Aretinae, ac Congregationis Montis Coronae Ordinis Camaldulensium, earumque respective eremos, monasteria, membra et alia loca regularia ab eis dependentia, invicem perpetuo univit, annexit et incorporavit, ac ex eis omnibus sic unitis, annexis et incorporatis unicam dumtaxat Congregationem, non amplius Montis Coronae, sed Eremitarum Camaldulensium de cetero nuncupandam, cuius caput esset praefata eremus Camaldulensium Etruriae, similiter perpetuo crexit et instituit, ac insuper idem Urbanus praedecessor unionem et incorporationem eremi Camaldulensis in montibus prope civitatem Taurinensem sitae, unâ cum aliis eremis

et domibus et locis ab eâ dependentibus, sive quoquomodo ad illam pertinentibus, praefatae Congregationi Camaldulensi Montis Coronae, sub certis tunc expressis conditionibus factas, auctoritate apostolicâ approbavit et confirmavit, et alias, prout in binis ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die viii octobris MDCXXXIV et die viii augusti MDCXXXV respective expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Cum autem (sicut accepimus) subinde inter dilectos filios eremitas Camaldulenses, illos nimirum nationis Etruriae qui militant sub nomine Congregationis eremi sacrae, ex unâ, et illos nationum Status nostri Ecclesiastici, domini Veneti, regni Neapolis, Poloniae et Germaniae, qui olim militabant sub nomine Congregationis Montis Coronae, ex alterâ, ac illos nationis Pedemontanae, ex aliâ respective partibus, variae differentiae ac controversiae exortae et suscitatae fuerint: nos, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ opportunum huiusmodi dissidiis remedium adhibere, et fraternae charitatis amoenitatem inter eremitas praefatos, quantum cum Domino possumus, restituere atque firmiter solidare cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui controversias et differentias praefatas, ex commissione recolendae memoriae Alexandri PP. VII praedecessoris pariter nostri, mature ac diligenter examinerunt et perpenderunt, consilio, motuproprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem, annexionem et incorporationem eremi

Camaldulensium Etruriae, sive provinciae Aretinae, ac Congregationis Montis Coronae, earumque respective eremorum, monasteriorum, membrorum et aliorum locorum regularium praefatorum invicem, uniusque Congregationis, ex illis sic unitis, annexis et incorporatis, erectionem et institutionem, a memorato Urbano praedecessore factas, necnon alteram unionem sive incorporationem eremi Camaldulensium in montibus prope Taurinum sitae, unâ cum aliis eremis, domibus et locis ab eâ dependentibus, sive quoquomodo ad illam pertinentibus, ad praefatam Congregationem Camaldulensium Montis Coronae factam, et ab eodem Urbano praedecessore confirmatam, ut praefertur, et, prout illas respective concernunt, emanatas desuper ipsius Urbani praedecessoris litteras praefatas, ex nunc tenore praesentium revocamus, dissolvimus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuumus, ac ex nunc revocatas, dissolutas, irritas et annullatas, viribusque et effectu vacuas esse et fore decernimus et declaramus, necnon nationes praefatas ab invicem separamus, easque ad formam regiminis, quomodo ante uniones huiusmodi respective gubernabantur, reducimus.

Praeterea dilecto filio nostro Petro eiusdem S. R. E. cardinali Vidono nuncupato, Ordinis huiusmodi apud nos et Sedem Apostolicam protectori, per easdem praesentes motu pari committimus, ut cuilibet ex dictis nationibus leges et consuetudines antiquas ex laudabili earum instituto auctoritate nostrâ apostolicâ statuatur, exacteque observari faciat, ius unicuique tribuat, causas et lites decidat et terminet, ceteraque faciat, quae ad maiorem Dei cultum et gloriam, ac dietarum nationum tranquillitatem conducere arbitratur: nos enim

ipsi Petro cardinali et protectori quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem, harum serie, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tribuimus et impartimur.

Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod eremita praefati et alii quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiamsi cuiusvis status, ordinis, conditionis, praecminentiae et dignitatis, aut aliâ speciali et individuâ mentione digni existant, illis non consenserint, seu ad ea citati, vocati et auditi, aut causae, propter quas ipsae praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus¹, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari, vel impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessa vel emanata, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis

¹ Male edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, dictae Sedis nuncios, et alios quoslibet quacumque praeeminentiam et potestate fungentes et functuros, sublatam eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus praefatis Urbani praedecessoris litteris, ac, quatenus opus sit, nostram et cancellariae apostolicae regulam de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum eremorum et congregationum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliam roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eisdem eremis et congregationibus, earumque personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum

nihil penitus omissis, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 24 octobris 1667, pontificatus nostri anno 1.

§ 3. Cum autem (sicut pariter accepimus) nonnulli eremitae nationum praedictarum novas uniones ipsarum nationum procurare, ac ad eum effectum subscriptiones quorundam simplicium eremitarum dictae Congregationis Montis Coronae emendicare moliantur, non sine notabili observantiae regularis detrimento, ac recidivarum inquietudinum atque perturbationum periculo: nos, eiusmodi malis ansam mature praecidere ac religiosae eremitarum praefatorum tranquillitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, motu, scientiam, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, praesertim Clementis praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus.

§ 4. Ac in omnibus et singulis memoratarum Congregationum seu trium

† Edit. Main. legit *praefatarum* (R. T.).

Dictarum litterarum confirmatio.

Inblbet Camaldulensibus ne audeant de nova

dictarum Congregationum unione tractare.

nationum eremis, tam subditis quam superioribus, etiam maioris officio fungentibus, seu aliis quocumque gradu, dignitate, officio vel praeceminentiâ praeditis¹, nunc et pro tempore existentibus, ne de cetero de novâ Congregationum seu nationum praefatarum unione, seu incorporatione, sive novâ unius Congregationis ex illis erectione et institutione, per se, vel alium, seu alios, verbo vel scripto, seu aliis quomodocumque et qualitercumque, sive directe sive indirecte, sub quocumque etiam charitatis praetextu, colore vel ingenio, tractare, ullosve tractatus forsan inceptos continuare, aut novos inire, seu quovis modo tractantibus consentire, audeant quomodolibet seu praesumant, sub excommunicationis, ac privationis vocis activae et passivae necnon officiorum quorumcumque per eos obtentorum, perpetuaeque ad illa et alia quaelibet in posterum obtinenda inhabilitatis poenis per contrafacientes ipso facto absque ullâ aliâ declaratione incurrendis, a quibus absolutionem, seu adversus illas rehabilitationem, nemo praeter nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem (nisi in mortis articulo constitutus, quoad excommunicationem huiusmodi dumtaxat) concedere valeat, tenore praesentium, districte prohibemus et interdicens; laicos vero seu conversos eremitas dictarum nationum respective, qui praesenti prohibitioni contravenerint, praeter et ultra excommunicationem praefatam, etiam poenâ reclusionis in carcere ad decennium puniri et castigari volumus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes et praesertim litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros

¹ Male edit. Main. legit *praedictis pro praedictis* (R. T.).

effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus¹, aliove quolibet etiam quantumvis formali ac individuum expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concessò vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac cardinales et legatos, necnon nuncios, et alios praefatos, nunc et pro tempore existentes, sublata pariter eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praesertim Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Ceterum volumus pariter ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ

Derogatio contrariis.

Transumptorum fides.

¹ Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII octobris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 17 octobris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis octobris.

CXX.

Iubilaeum universale ad implorandam divinam opem contra Turcas,

Clemens Papa X,

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Inter gravissimas multiplicisque curas, quibus, ex sacrosancti apostolatus humilitati atque infirmitati nostrae divinitus crediti munere, assidue urgemur, illa animum nostrum acrius vehementiusque angit et lancinat sollicitudo, quam de florentissimi olim Poloniae regni rebus formidabili Turcarum potentia atque immanitate summum in discrimen adductis corde ingiter versamus. Quis enim, aliquo honoris Dei zelo atque pietatis sensu praeditus, in luctuosam tam potentis tantaeque rerum pro christiana religione fortiter gestarum gloria longe lateque fulgentis regni faciem mentis oculos absque lacrymis conicere possit? Quis, ad gravissima quae universae christianae reipublicae imminent pericula, non expavescat? Expugnata siquidem nuper Cameneia, quae infensissimorum christiani nominis hostium impetus non semel cohibuerat atque fregerat, immitis Turcarum tyrannus, eo successu in-

flatus, pro inexplebili, qua flagarat, dominandi imperii sui pomoceria proferendi libidine, victricia arma quaqua-versum circumferre, arces, oppida, civitates et provincias debellare, populos servitute opprimere, et miserandam in captivitatem adducere, ac Mahumetanae perfidiae abominationem, vi, terrore, dolo, omnique conatu in agro Dei viventis plantare non cessat, totamque rempublicam christianam clade involvere molitur. Verum exclamare licet cum Propheta: *Quis det in direptionem Iacob et Israel vastantibus? nonne Dominus cui peccavimus?* Ita est plane; longanimum Dei patientiam proritant hominum flagitia, eiusque vindictam accersunt: nam, ut subiungit idem Propheta: *Noluerunt in viis suis ambulare, nec audiverunt legem eius, et effudit super eum indignationem favoris sui, et forte bellum.* Sed, qui pius est, misericors et clemens, patiens et multae miserationis, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, effundet in nos divitias misericordiae suae, si, iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes, illasque dignis poenitentiae fructibus expiare satagentes, offeramus ei cordis contriti holocausta, et orationes nostras, ieiuniorum atque eleemosynarum viribus roboratas, tamquam incensum super altare eius adoleamus in odorem suavitatis.

§ 1. Hoc itaque unanimi charitatis fervore agamus omnes, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis concorditer invocemus, ut dominator exercituum, qui conterit bella ab initio, erigat brachium suum sicut ab initio, et allidat virtutem inimicorum nostrorum in virtute sua; et, qui facit pacem in sublimibus, ille fideles suos fortiter vinciat concordiae nexu, et induat fortitudine quae de caelo est, ut hostes no-

Decernit nostris orationibus caelestem thesaurum indulgentiarum accipere.

stros, qui in multitudine contumaci et superbiâ venientes haereditatem Dei nostri delere satagunt, protegente Domino, in cuius manu est salvare in multis et in paucis, dissipent et disperdant, atque a christianorum cervicibus longe repellant. Quae ut fructuosius maiorque spiritus ardore peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, caelestium gratiarum thesauros, quorum dispensationem nobis commisit Deus, in praesentibus necessitatibus aperire et liberali manu erogare decrevimus.

Monet fideles
ad orandum
prout in rubrica.

§ 2. Igitur, ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam extra eam ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus et hortamur ad infrascripta devote peragendum, ac Deum salvatorem nostrum toto corde orandum, ut per viscera misericordiae suae religionem christianam fidemque catholicam tueri et protegere, nefariorumque illius hostium Turcarum impetus reprimere, vires conterere, et consilia dissipare, Polonorum animos dissidiis distractos reconciliare, ac pristinae charitatis atque unionis compagem restituere, principibus christianis pacem et veram concordiam donare et firmiter solidare, eorumque vires et consilia, ad tutelam christiani nominis, et sanctae matris Ecclesiae exaltationem, unire, augere, firmisque praesidiis munire, ac piis omnium nostrorum laboribus atque conatibus felices successus largiri dignetur.

Plenissimam
concedit indulgentiam sicut
in apocribilaei.

§ 3. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi et solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit,

1 Edit. Main. legi^t et pro *ex* (R. T.).

universis et singulis utriusque sexus christidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemnî processioni, quam aliquâ die proximae venturae hebdomadae ab ecclesiâ S. Mariae supra Minervam ad ecclesiam S. Stanislai nationis Polonorum de eâdem Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, quos in Romanâ Curia adesse contigerit, ac christianorum regum et principum oratoribus apud nos existentibus, praelatis quoque et officialibus eiusdem Curiae, universoque clero et populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris ecclesiam seu basilicas, vel earum aliquam, intra spatium eiusdem vel proxime subsequentis hebdomadae, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote ut supra Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praefatis hebdomadis ieiunaverint, et, peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti vel aliâ die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam litterae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios seu officiales, vel alios ut praefertur faciendae decursarum¹, saltem semel visitaverint,

1 Potius lege *decursurarum* (R. T.).

ibique ut supra oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicæ immediate sequentis, vel aliâ die intra eandem hebdomadam, sanctissimâ communionem refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilæi visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et largimur.

Item navigantibus et iter agentibus.

§ 4. Navigantes vero et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant,

Etiam regnibus in claustris degentibus.

§ 5. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbata a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogari possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterint, pariter concedimus et indulgemus.

Facultas eligendi confessarium qui possit absolvere ab omnibus peccatis et censuris.

§ 6. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe praedictâ quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et

facultatem ut ipsi ad hunc effectum eligere possint¹ quemcumque presbyterum confessarium tam saecularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Coenæ Domini legi solitis contentis, et aliis per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant;

§ 7. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiam salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Item commutare vota.

§ 8. Quapropter tenore praesentium, in virtute sanctae obediendiae districtè praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, his deficientibus, iis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta, aut exemplata, etiam impressa, acceperint, illa statim, absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et

Praecipit Ordinariis praesentium litterarum publicationem.

¹ Edit. Main. legit *possent* (R. T.).

dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Reservatio
quoad irregulari-
tatem, etc.

§ 9. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate vel inhabilitate, quoquomodo contractâ, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliâs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, nullo modo suffragari posse aut debere.

Obstantia me-
morat.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur¹, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessionibus, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, et quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegii quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus et congregationibus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis;

Eis omnibus

§ 11. Quibus omnibus et singulis,

¹ Mate edit. Main. legit *reservatis* (R. T.).

etiâsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice dumtaxat, specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praemissorum derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 12. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earundem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 5 novembris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretariâ in lib. III Brevium diversorum fol. 304.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCLXXII, indictione x, die vero v mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris, D. N. D. Clementis, divinâ providentiâ Papae X, anno eius III, supradictum Breve affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Lateranensis, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris de Urbe, et in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Gregorium Stag-

quam sanctissimi domini nostri Papae
cursorem.

CAROLUS FRANCISCHINUS
magister cursorum.

CXXI.

Confirmatio et innovatio Brevis Urbani VIII contra violatores libertatis et immunitatis ecclesiasticae ac iurisdictionis apostolicae in Portugallia, etc.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus sacrosancti apostolatus munere, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro tuitione et defensione immunitatis et libertatis ecclesiasticae ac iurisdictionis Apostolicae Sedis eiusque ministrorum contra temerarios illarum violatores atque perturbatores provida¹ censita esse dignoscuntur, ut firma semper atque inviolabilia persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter corroboramus.

Urbanus VIII motu proprio irritat et annullat, quae a iudicibus saecularibus etiam supremis Portugalliae et Algarbiorum acta vel ordinationes fuerunt adversus collectorem generalem spoliatorum et iurum eiusque ministros.

§ 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Urbanus Papa VIII, praedecessor noster, motu proprio, ac certâ scientiâ et merâ deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, nonnulla, quae contra tunc existentem iniuriam et expoliorum Camerae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectorem generalem, eiusque auditorem seu delegatum, officiales, ministros, res et bona, ex regnorum praefatorum iudicibus saecularibus, etiam supremis, quocumque nomine, titulo et praerogativa et gradu insignibus², in certis tunc expressis causis, et earum occasione, quocumque praetextu vel quae-

sito colore quomodolibet decreta, mandata, acta, facta, ordinata, et sive scriptis sive verbis quomodolibet attentata fuerant, quae omnia et singula pro expressis haberi voluit, nulla, invalida, irrita et inania, ac nulliter, invalide, inaniter et de facto contra sacros canones, conciliorum decreta et apostolicas constitutiones attentata et praesumpta esse decrevit et declaravit.

§ 2. Et, ne imposterum similia praesententur⁴, omnibus et singulis iudicibus saecularibus, etiam supremis, dictorum regnorum, quocumque nomine nuncuparentur, cuiuscumque gradus, conditionis et praerogativae existerent, ne talia aut similia adversus immunitatem et libertatem ecclesiasticam etiam quocumque praetextu contra ecclesias, praefatos, iudices et personas, res et bona, ac eorum iurisdictionem et auctoritatem, eiusque liberum exercitium, quomodolibet committere aut attentare praesumerent, sub excommunicationis maioris, cuius absolutio Sedi Apostolicae reservata esset, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et privationis quorumcumque beneficiorum, pensionum, officiorum et dignitatum ecclesiasticarum ac militarium et ordinum quorumcumque, perpetuaeque inhabilitatis, tam quoad ipsos delinquentes seu contumaces, quam quoad eorum descendentes usque ad eorum quartam generationem, ad illa impostorum quomodolibet obtinenda, necnon amissionis quorumcumque iniurimpatronatus, privilegiorum, gratiarum, concessionum et investiturarum, tam emphiteuticarum quam feudalium, eisdem delinquentibus seu contumacibus, suisque ut praefertur usque ad quartum gradum descendentibus, quocumque titulo apostolico, aut alio ecclesiastico, quomodo-

Prohibuit eisdem iudicibus ne talia vel similia attentarent adversus immunitatem ecclesiasticam sub poena excommunicationis maioris, cuius absolutio sit reservata S. Sedi, et alius.

¹ Potius lege *provide* (R. T.).

² Potius, ut infra, lege *insignitis* (R. T.).

⁴ Ex loco parallelis, infr. § 5, potius lege *praesumerentur* (R. T.).

libet tunc pro tempore competentium et acquirendorum, poenis ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, interdixit et prohibuit, et aliâs, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis uberius continetur, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor dictarum litterarum Urbani VIII.

§ 3. *Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.* Ad audientiam apostolatus nostri non sine iusto et gravi cordis dolore pervenit, quod, procedente nuper in diversis causis ecclesiasticis in civitate Ulyssiponensi, sui muneris auctoritate, dilecto filio magistro Ioanne Baptista Pallotto in utraq̃ue signaturâ referendario, iurium et spoliolorum Camerae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectore generali, seu eius auditore uti¹ iudice delegato, cum pars altera ad indices saeculares temere recursum habuisset, indices huiusmodi, et postmodum alii pariter saeculares, non solum contra auditorem praedictum, sed etiam contra eundem Ioannem Baptistam collectorem, occasione dictarum causarum (suis iniustis et invalidis decretis ac mandatis contra immunitatem et libertatem ecclesiasticam attentatis, iurisdictionem pariter ecclesiasticam et sanctae Sedis Apostolicae officialium violando, impediendo et perturbando), procedere praesumpserunt, et ad quaedam eidem ecclesiasticae libertati et immunitati ac ipsius Ioannis Baptistae collectoris auctoritati maxime adversantia devenerunt, per quae, inter alia, decreverunt ut dictus auditor caperetur, e regnis praedictis expelleretur, ipsiusque bona et temporalitates sequestrarentur, unde, in eorundem decretorum seu alicuius eorum executionem, satellites domum ipsius

Ioannis Baptistae collectoris (ipsius salutaribus monitis temere contemptis) ingressi sunt, sententias excommunicationis et alias ecclesiasticas censuras et poenas, gravi cum scandalo totius civitatis ac divinae maiestatis offensâ graviter, incurrendo.

Quamobrem nos, qui in Sede B. Petri, quamquam immeriti, a Domino positi sumus, ne excessus huiusmodi, ac ecclesiasticae libertatis et immunitatis tam enormis violatio dissimuletur, ac transeat in exemplum, pro nostro pastoralis officii debito providere, et malorum graviorum segetem et radicem, quantum a Deo permittitur, nostrâ auctoritate apostolicâ evellere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula praemissa a praedictis dictorum regnorum iudicibus saecularibus etiam supremis, quocumque nomine, titulo et praerogativâ ac gradu insignitis, in causis praedictis et earum occasione, contra dictum Ioannem Baptistam collectorem, eiusque auditorem seu delegatum, officiales, ministros, familiares, res, bona, quocumque praetextu vel quaesito colore quomodolibet decreta, acta, facta, ordinata, et sive scriptis sive verbis quomodolibet attentata, quae omnia et singula praesentibus haberi volumus pro expressis, nulla, invalida, irrita et inania, ac nulliter, invalide, inaniter et de facto contra sacros canones, conciliorum decreta, et constitutiones apostolicas attentata et praesumpta, praesentesque litteras, et in eis contenta quaecumque, de intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, in ius vel controversiam vocari nullatenus posse, sed semper valida, firma

¹ In loc. parallelo tom. xiii, pag. 334 a legitur et pro uti (R. T.).

et efficacia fore et esse, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, tenere praesentium decernimus et declaramus.

Et nihilominus, ne imposterum similia praesumantur, omnibus et singulis iudicibus saecularibus etiam supremis dictorum regnorum quocumque nomine nuncupentur, cuiuscumque gradus, conditionis et praerogativae existant, ne talia huiusmodi, aut similia, adversus immunitatem et libertatem ecclesiasticam, etiam quocumque praetextu, contra ecclesiasticos praelatos, iudices et personas, res et bona, ac eorum iurisdictionem et auctoritatem, eiusque liberum exercitium, quomodolibet committere aut attentare praesumant, sub excommunicationis maioris, a qua non nisi a nobis aut a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, ac privationis quorumcumque beneficiorum, pensionum, officiorum ac dignitatum ecclesiasticarum, militariumque¹ et ordinum quorumcumque, perpetuaeque inhabilitatis, tam quoad ipsos delinquentes seu contumaces, quam quoad eorum descendentes usque ad eorum quartam generationem, ad illa imposterum quomodo-

¹ Ex loc. parallelo, ut supra, legendum potius *militiarumque* (R. T.).

libet obtinendum, necnon amissionis quorumcumque iurium patronatus, privilegiorum, indulgentiarum, gratiarum, concessionum, investiturarum, tam emphyteuticarum quam feudaliarum, eisdem delinquentibus seu contumacibus, suisque ut praefertur usque ad quartum gradum descendentibus, quocumque titulo apostolico aut alio ecclesiastico quomodolibet nunc et pro tempore competentium et acquirendorum, poenis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis, interdiciamus et prohibemus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque (quorum omnium et singulorum tenores¹, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis haberi volumus); aut si praedictis vel quibusvis aliis personis ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem quod praesentes litterae, seu illarum exempla, manu alicuius notarii publici subscripta, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticae constitutae munita, et ad valvas ecclesiae Ulyssiponensis affixa, ita omnes avertent et afficiant ac si unicuique intimata fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iunii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

V. Theat.

§ 4. Nunc autem nos, praemissa omnia et singula a memorato Urbano praef-

Pontifex directas Urbani VIII litteras et om-

¹ Edit. Main. legit *tenorem* (R. T.).

nia in eis contenta confirmat et innovat.

decessore decreta et ordinata perpetuo atque inviolabiliter observari cupientes, motu simili, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praecinsertas Urbani praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et innovamus ac approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus.

Mandat praesentes litteras ex nullo capite nulloque praetextu posse impugnari.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praecminentiae et dignitatis existant, aliive quilibet, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque, etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus¹ aliive quolibet etiam quantumvis magno et substantiali aut individuum expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris vel facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine pari-

¹ Edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

bus concessio vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes et praecinsertas litteras semper et perpetuo firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse in omnibus et per omnia observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quaecumque praecminentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in praecinsertis Urbani praedecessoris litteris decreta sunt non ob stare, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac eum quibusvis¹ etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum, in genere vel in specie, aut aliâ quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et

¹ Ed. Main. legit *quibus pro quibusvis* (R. T.).

Decretum Ir-
ritans.

Omnia obstantia praeter expressa in dictis litteris Urbani VIII commemorat.

individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissio et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae; utque pariter ipsae praesentes litterae, seu earum transumpta vel exempla huiusmodi, ad valvas dietae ecclesiae Ulyssiponensis affixae seu affixa, ita omnes arcent et afficiant, ac si unienique personaliter intimatae seu intimata fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 12 novembris 1672, pont. anno III.

Registrata in Secretariâ Brevium lib. III, fol. 160.

CXXII.

Declaratio incursus in excommunicationem et anathema aliasque poenas canonicas, ac excommunicatio et anathema eorum qui nefarie vulnerarunt

R. P. D. Iacobum patriarcham Antiochenum, eorumque complicum, etc.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut non sine gravissimâ animi nostri perturbatione accepimus, venerabilis frater Iacobus patriarcha Antiochenus die ultimâ novembris proxime praeteriti circa primam noctis horam, dum per viam Iuliam nuncupatam huius almae Urbis nostrae rhedâ suâ domum revertebatur, a nonnullis iniquitatis filiis, qui ad praesens ignorantur, uno seu pluribus archibusii iaculatibus nefarie petitus et gravissime lethaliterque vulneratus fuerit: nos, crimen adeo horrendum atque execrandum, et quod nos sui atrocitate confudit, et¹ poenis per sacros canones, conciliorum generalium decreta, et constitutiones apostolicas inflicti et promulgati pro officii nostri debito vindicare et punire volentes, ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, omnes et singulos, qui nefarium facinus praefatum in personam dicti Iacobi patriarchae commiserunt, aut illud fieri mandaverunt, seu factum ab aliis ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium vel favorem illis dederint², seu illos scienter defensaverunt vel receptaverunt, aut in futurum defensaverint vel receptaverint, et generaliter quoscumque tam detestandi sceleris quomodolibet complices et culpabiles, cuiuscumque status, grades, conditionis, qualitatis, ordinis, praecminentiae et dignitatis, sive ecclesiasticae sive saecularis, etiam specialem et individua expressionem requi-

Iacobus patriarcha Antiochenus domum revertens a nonnullis uno seu pluribus archibusii iaculatibus lethaliter vulneratus fuit.

Declaratio excommunicationis ut in rubrica.

¹ Vel aliquid deest, vel coniunct. *et delenda* (R. T.).

² Potius lege *dederunt* (R. T.).

rentis, existant, anathematis et excommunicationis maioris aliasque poenas quascumque a sacris canonibus, conciliorum generalium decretis et constitutionibus apostolicis, et speciatim illà quotannis in die Coenae Domini legi¹ solità inflictas, eo ipso damnabiliter incurrisse, tenore praesentium declaramus, ipsosque, et eorum quemlibet, et quoscumque scientiam de praedictis delinquentibus habentes et non revelantes, anathematizamus et excommunicamus, ac anathematizatos et excommunicatos publicamus et nunciamus.

Ab huiusmodi excommunicatione nemo possit absolvere nisi Papa.

§ 2. Ab excommunicationis autem et anathematis huiusmodi sententiis nemo praedictorum per alium, etiam maiorem Sedis Apostolicae poenitentiarium, quam nes et Romanum Pontificem pro tempore existentem (praeterquam in mortis articulo constitutis, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestità, atque cum reincidentia eo ipso quo convaluerint), etiam vigore seu praetextu iubilaei anni sancti, cruciatae sanctae, aliorumque iubilaeorum, indulgentiarum, indultorum, facultatum et privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac militiarum² regularibus, etiam episcopali vel alià maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, et locis piis, nec non laicis, etiam regali, ducali et alià mundanà praecellentia fulgentibus, per nos et Sedem Apostolicam, ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut alià quacumque scripturà, in genere vel in

specie, concessorum et etiam pluries innovatorum, ac concedendorum et innovandorum, absolvi possit¹.

§ 3. Et quia eo maior erit ipsorum confusio, quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem praestiterint, et absolutionis beneficium, ut supra, se obtinuisse docuerint, omnium et singulorum Urbis praedictae, eiusque districtus basilicarum ac collegiatarum, parochialium, ceterarumque tam saecularium quam regularium, virorum tamen, ecclesiarum respective capitulis, rectoribus, conventibus, collegiis, superioribus et aliis quibusvis administratoribus, seu aliis quomodolibet earum curam gerentibus, necnon omnibus et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis, ubilibet constitutis, per easdem praesentes committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut capitula quidem, rectores, conventus, collegia, superiores, administratores et ecclesiarum curam gerentes praefati in eisdem basilicis et ecclesiis Urbis, dicti vero patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi et locorum Ordinarii, per se, vel alium, seu alios, per omnes civitatum et dioecesium suarum ecclesias respective, quibuslibet diebus dominicis et festivis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis et candelis accensis, praedictos sic excommunicatos et anathematizatos solemniter publicent, seu publicari eurent et faciant.

§ 4. Quod si forte aliqui, contra tenorem praesentium, talibus excommunicatione et anathemate illaqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententià innodamus,

Rectores et superiores omnium ecclesiarum Urbis eiusque districtus, per se vel alios, diebus dominicis et festivis per suas ecclesias, pulsatis campanis et candelis accensis, dictos excommunicatos publicent vel faciant publicare.

Excommunicatio et aliae poenae contra praesentes absolventes dictos excommunicatos.

¹ Vocem *legi* nos addimus (R. T.).

² Aptius forsàn legendo *militarium* (R. T.).

¹ Edit. Main legit *possint* (R. T.).

gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod praedicti et quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quopiam quantumvis substantiali defectu, vel ex quacumque aliâ causâ, occasione, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari impugnari, invalidari, redargui, seu rescindi, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio concessio quempiam in iudicio vel extra illud uti seu invare nullo unquam tempore posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de letere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Specialiter et
auplissima con-
trariis derogat.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibuscumque, etiam inramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu quibusvis aliis, cuius-

cumque ordinis, status, gradus, conditionis, dignitatis et praeminentiae fuerint, etiamsi ut praemittitur pontificali, regali, ducali, seu quavis aliâ ecclesiasticâ et mundanâ praefulgeant dignitate, a Sede praedictâ, ex quacumque causâ, etiam per viam contractus et remunerationis, etiam intuitu et contemplatione regum, ducum, rerumpublicarum et aliorum quorumcumque, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, et aliâ in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari et anathematizari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis et indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficiente illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus et volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v

decembris MDCLXXII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 5 decembris 1672, pontif. anno III.

Registrata in Secretariâ Brevium, in lib. III diversorum, fol. 166.

CXXIII.

Variae provisiones Pauli V, Gregorii XV, et Urbani VIII, ad consulendum indemnitati notariorum auditoris Camerae, cum erectione centum et undecim officiorum vacabilium militum piorum, quas hic Pontifex refert et innovat, cum erectione aliorum quinquagintaquatuor similium officiorum.

Clemens Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex¹, in supremo dignitatis apostolicae culmine divinâ disponente clementiâ constitutus, illud in primis paternis et in nullo intermissis studiis curare et excogitare consuevit, ut nimirum suis et futuris temporibus non solum Camerae et Sedis Apostolicae officialium, potissime pro tempore existentis auditoris eiusdem Camerae notariorum, quantum potest,² obvietur, immo vero illorum utilitati et commodis prospere consulatur, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§ 1. Aliâs, per felicis recordationis Paulum PP. V praedecessorem nostrum accepto, quod collegium notariorum causarum curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris, seu saltem maior pars eorumdem notariorum, officia seu eo-

rumdem titulum alienis pecuniis emerant et acquisiverant, et exinde notarii ipsi gravibus interusuriis gravati erant, et, licet ipsi, ratione officiorum suorum huiusmodi, plura et diversa emolumenta ab ipsis officiis dependentia, et praecipue ex massâ communi (quae, iuxta eiusdem collegii constitutiones, ex collectione seu contributione certae portionis emolumentorum ex universis expeditionibus, quae in singulis eiusdem collegii officiis ac tribunali dicti auditoris expediri consueverunt, provenientium¹, et² quotannis ad summam septem millium et octingentorum scutorum monetae ascendentium, componebatur, et ex qua, deductis quibusdam oneribus tunc expressis, eidem collegio quotannis summa quatuor millium et quadringentorum et sexagintatium scutorum similium inter singulos eiusdem collegii notarios aequis portionibus repartienda et distribuenda remanere solita erat) haberent, ac propterea³ ex residuis aliorum officiorum suorum emolumentorum, quae in ipsâ communi massâ minime conferebantur, sed penes eorum singulos remanebant, aliam duodecim millium scutorum parium summam, vel circa, aliunde ex quibusdam aliis expeditionibus in eorum singulorum officiis expedire solitis perciperent; ipsi nihilominus, ex interusuriis et aliis oneribus quae dictis⁴ ratione suorum officiorum huiusmodi tribui tenebantur, ab aere alieno per eorum singulos contracto eximi et liberari non poterant, immo potius, eo crescente, officia praefata in grave eorum familiarumque suarum detrimentum dimittere cogebantur:

§ 2. Idem praedecessor, hisce rationi-

Ad consulendum indenat-

¹ Constitutionem istam, plurimis in ed. Rom. foedatam erroribus, pro viribus emendare conabimur (R. T.).

² Aliquid deest, ex. g. *lamnis* (R. T.).

¹ Male ed. Main. legit *provenientiam* (R. T.).

² Pessime eadem ed. habet *ex pro et* (R. T.).

³ Videtur legendum *praeterea* (R. T.).

⁴ An recta lectio, iudicet lector sciens (R. T.).

Paulo V refertur collegium notariorum auditoris Camerae, seu maiorem eorum partem, esse aere alieno gravatum.

tati dictorum
notariorum ere-
git centum offi-
cia militum pio-
rum.

bus adductus, ac eorundem notariorum indemnitati consulere volens, motu suo proprio, centum officia militum piorum vendibilia atque resignabilia, ac, ad instar aliorum officiorum collegii militum piorum huiusmodi antea erectorum et institutorum, ad beneficium, utilitatem et commodum praefatae Camerae perpetuo vacabilia, eiusdem naturae, speciei, essentiae et qualitatis, quorum antiqua militum piorum officia existebant, eorum emolumentis et massâ eis ex emolumentis et redditibus collegii praefati proportionabiliter assignandâ, perpetuo erexit et instituit; illaque sic erecta et instituta antiquo militum piorum praefatorum collegio, sub certis modo et formâ tunc expressis, perpetuo aggregavit et incorporavit;

Eis dotem as-
signat.

§ 3. Ac illis sic erectis et institutis, pro eorum dote, seu massâ, emolumentis ac iuribus, summam annuam quinque millium et quadringentorum scutorum monetae, certis ex tunc expressis modo et formâ, ut infra, liberam, immunes et exemptas¹, ex emolumentis expeditionum inter ipsos notarios ratione massae eorum collegii repartiendorum et dividendorum² et quae in cumulo dictae massae, aliis antiquis oneribus superius expressis detractis, supererant, et aliis emolumentis de novo conferri solitis, sed³ eisdem notariis, ut praefertur, et aliâs quomodocumque remanentibus (praevia perpetuâ dictae summae ab aliis eiusdem collegii notariorum emolumentis dismembratione atque separatione), etiam perpetuo, sub quoque tunc expressis modo et formâ, assignavit;

Obligat nota-
rios eorumque

§ 4. Voluitque idem praedecessor, pro

¹ Videretur legendum *liberam, immunitem, et exemptam* (R. T.).

² Potius lege *repartiendis et dividendis* (R. T.).

³ Videtur legendum *seu pro sed*; vel paulo ante *non* aut *minime pro de novo* legend. (R. T.).

potiori militum piorum eorumque collegii huiusmodi cautelâ, quod singulim tunc existentes dicti collegii notarii, tam suis¹, quam suorum in eorum officiis successorum nominibus, praemissis omnibus et singulis expresse non² consentire, nec non tam illi quam successores praefati, ex massâ ac aliis redditibus, proventibus, emolumentis ac iuribus praefatis, singulis mensibus, et in fine cuiuslibet mensis, praefato militum piorum collegio, aut eorum depositario, menstruatim summam quadringentorum et quinquaginta scutorum monetae, pro ratâ dictorum centum officiorum, tunc erectorum, assignatorum, realiter et cum effectu persolvere seu contribuere,

§ 5. Ac, pro illorum faciliiori solutione praefato piorum militum collegio et illius depositario faciendâ, cautionem seu cedula bancariam alicuius mercatoris, fide et facultatibus idonei, ad quinquennium duraturam, et de quinquennio in quinquennium perpetuo renovandam, praestare, ac seipsos et quemlibet eorum in solidum (ita quod unus pro alio etiam in solidum obligati essent), eorumque collegium, ipsiusque collegii et eorum officiorum praefatorum emolumenta, ac iura omnia et singula tunc expressa, ac reliqua omnia tunc existentia et futura, tam coniunctim quam divisim, principaliter, et quilibet eorum in solidum, de summâ huiusmodi praescriptis temporibus persolvendâ et cum effectu depositario collegii militum piorum huiusmodi consignandâ, in amplissimâ et strictissimâ Camerae Apostolicae et aliâ quacumque validâ iuris formâ, obligare et respective hypothecare tenerentur; ita etiam, quod, tempore solutionis transacto, manu regiâ, unicâ citatione, et domi dimissâ copiâ factâ, vel per

successores dicto collegio militum piorum summam scutorum quadringentorum quinquaginta menstruatim solvere.

Varias cautelas assignat pro faciliiori illorum solutione.

¹ Vocem *suis* nos addimus (R. T.).

² Particula *non* defendenda videtur (R. T.).

affixionem in acie Campi Florae affixâ, executione, realiter et personaliter pro omnibus et singulis in litteris desuper expeditis contentis cum effectu adimplendis¹, cogi et² compelli possent et deberent, obligationesque et hypothecas, quae ipsos notarios, donec viverent et officia notariatus huiusmodi obtinerent, eorumque in dictis officiis notariatus successores pari modo et formâ obligarent et afficerent, conficere tenerentur;

Notarii in actu eorum admissionis, seu receptionis, ad quod se obligare et promittere teneantur.

§ 6. Quodque de cetero omnes et singuli de huiusmodi notariatum officiis (per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem seu privationem illos pro tempore obtinentium seu aliâs quomodolibet vacaturis) providendi, antequam ad officia huiusmodi admitterentur et reciperentur, seu in actu illorum receptionis et admissionis, modo et formâ superius expressis, praemissa omnia promittere, et ad illa observanda se se obligare, simulque obligationes conficere, ipsique et notarii tunc existentes se ipsos et unumquemque eorum ex massâ et emolumentis praefatis percipiendis et exigendis pecuniarias summas eorum mensario pro tempore existenti, sub excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendae poenâ, rationem³ reddere omnino deberent et tenerentur; prout idem praedecessor eosdem notarios, eorumque singulos, ac etiam ipsorum in praefatis officiis successores, ac praefatum eorum collegium, dietique collegii emolumenta, redditus, proventus et iura, pro omnibus et singulis praemissis, in simili formâ camerae, in solidum obligare et respective hypothecare teneri decrevit (obligatione huiusmodi, donec dicti notarii tunc et pro

tempore existentes viverent, et officia praefata obtinerent, et non ultra, respective duraturâ, praeterquam quod ad¹ summas decursas et alias obligationes purificatas tempore quo officia notariatus huiusmodi obtinerent, pro quibus idem praedecessor eos ut praefertur obligatos semper remanere²), praefatosque notarios nonaginta ex dictis centum officiis inter decem eosdem notarios tum praesentes dividere, ita quod cuilibet ipsorum novem officia tangerent, quae in illâ primâ vacatione tantum ad eorum liberam dispositionem, quoad pretia dumtaxat, pertinerent;

§ 7. Quodque integrum pretium, ex venditione et resignatione nonaginta officiorum antedictorum militum piorum, ut supra erectorum, ad instar aliorum per Datariam Apostolicam expediendorum, proventurum, tantum de primâ vice penes personas fide et facultatibus idoneas per eosdem notarios eligendas, vel in banco archihospitalis S. Spiritus in Saxia, prout eisdem notariis videretur (ad effectum illud tam iis qui praefata notariorum officia cum alienis pecuniis ut praemittitur emerant, ad hoc ut ipsi notarii pretio et interusuriis, quibus gravabantur, pro praefatâ summâ subleventur, quam iis qui eorum officia libera haberent, pro ratâ eorum pretii, consignandi), deponi debere³.

Pretium dictorum officiorum apud quem sit deponendum et quomodo erogandum.

§ 8. Ceterum idem praedecessor voluit, quod, si quondam Dominicus Amadeus, unus ex praefatis notariis, tunc superstes, nollet pro suâ ratâ uti huiusmodi gratiâ, sicque officia militum piorum sibi obtingentia recipere recusaret, tunc et eo casu reliqui novem notarii deberent ea inter se repartiiri, cum simili tamen obligatione in solidum faciendâ, quod

Quid in casu quo unus ex dictis notariis ratam sibi obtingentem dictorum officiorum militum recipere recusasset.

¹ Male edit. Main. legit *adimplendi* (R. T.).

² Coniunct. *et nos addimus* (R. T.).

³ Syntaxim corrigat vel emendet qui potest (R. T.).

¹ Potius lege *quoad pro quod ad* (R. T.).

² Subintellige *voluit* (R. T.).

³ Potius lege *deberet, nempe pretium* (R. T.).

illi eidem Dominico, vel cuicumque successori, intra tempus duorum mensium a die qua Dominicus et illius in suo officio successores requisivissent ut sibi illa consignarentur inchoandorum, tradere, vacante vero ipsius Dominici notariatus officio per eiusdem Dominici cessum vel decessum, privationem, dimissionem vel amissionem, tunc et eius successor se obligare, et partes officiorum militum piorum huiusmodi, prout reliqui tunc existentes notarii fecerunt, recipere, tenerentur.

Dominicus notarius huic gratiam renunciat.

§ 9. Et subinde, cum piae memoriae Gregorius Papa XV, etiam praedecessor noster, similiter accepisset, quod dictus Dominicus gratiâ ut praefertur ei factâ uti nolle declaraverat, immo etiam illi cesserat et renunciaverat, ac pro se suisque in dicto notariatus officio successoribus praefatis officia militum piorum ipsum tangentia acceptare recusaverat, et¹ ut illa inter reliquos notarios praefatos denuo libere repartiiri possent coram notario et testibus consenserat:

Gregorius XV hanc renunciationem admittit, de nullo novem officia militum indulget a ceteris notariis auditoris Camerae inter se dividi posse.

§ 10. Ipse Gregorius praedecessor, cessionem et renunciationem huiusmodi admittendo, necnon quaecumque obligationem, per alios notarios praefatos de officii militum piorum huiusmodi Dominicum ac successores suos praefatos tangentibus ipsi vel successoribus suis praefatis factam seu faciendam uti ab illis requisiti fuissent, cassando et penitus abolendo, motu suo proprio, reliquis eiusdem collegii notariis, et ut praefata officia (circumscriptâ obligatione per eos ad favorem Dominici et successorum praefatorum iuxta litterarum Pauli praedecessoris huiusmodi formam factâ seu faciendâ, superiore eorum obligatione quoad reliqua in dictis litteris contenta firmâ remanente)² repartiiri, et de eis, ad

¹ Particulam *et nos* addimus (R. T.).

² Ad *e inter se* (R. T.).

instar aliorum inter eos prius repartiitorum seu repartiendorum, non secus quam si decretum posterioris obligationis praefatae ad favorem Dominici et eius successorum praefatorum in praefatis litteris appositum non fuisset, libere disponere possent et valerent¹, apostolicâ auctoritate concessit et indulgit, eisque plenam et absolutam auctoritatem et facultatem desuper impertitus est, declarans etiam quod dominus Dominicus et eius successores praefati se obligare et officia ipsos tangentia recipere non tenerentur, quodque emolumenta, ac redditus et proventus, necnon iura officii Dominici et eius successorum praefatorum pro praefatis centum officiis militum piorum obligata et hypothecata² remanerent.

§ 11. Postmodum vero, per recolendae memoriae Urbanum Papam VIII, etiam praedecessorem nostrum, pariter accepto, reliquos novem notarios praefatos, vigore eiusdem Gregorii praedecessoris facultatis sibi concessae, centum officia praefata inter se divisisse, praefataque onera supportasse, ac omnia et singula in Pauli et Gregorii praedecessorum praefatorum litteris contenta adimplevisse, eundemque Dominicum ab humanis decessisse: idem Urbanus praedecessor officium praefatum, per obitum Dominici praedicti vacans, quondam Adriano Gallo, tunc in humanis agenti, apostolicâ auctoritate concessit.

Urbanus VIII notariatum vacantem confert.

§ 12. Sed, cum eiusdem notariatus officii pretium summam undecim millium septingentorum scutorum monetæ longe excederet, praefatusque Adrianus, praeter traditionem undecim millium septingentorum scutorum huiusmodi Datariae Apostolicae in pecuniâ numeratâ solutorum, ad eiusdem pretii

Idem Pontifex erigit alta undecim officia militum piorum.

¹ Ed. Main. legit *valeant pro valerent* (R. T.).

² Videtur deesse particula *non* (R. T.).

complementum per acta Ruffini Plebani, Camerae praefatae tunc notarii, pro solutione fructuum undecim officiorum militum piorum modo et formâ superius expressis faciendâ, se ac suos in eodem suo notariatus officio successores in ampliori formâ Camerae Apostolicae obligasset: undecim officia militum piorum vendibilia et resignanda, ad instar aliorum centum officiorum militum piorum huiusmodi per Paulum praedecessorem erectorum, motu pari, perpetuo erexit et instituit; ac illis sic erectis et institutis, pro eorum dote, seu massâ, emolumentis ac iuribus, eandem pecuniariam summam seu quantitatem, per unumquemque ex notariis praefatis ratione partis aliorum similium officiorum solvi, et ex eisdem emolumentis, ex quibus fructus aliorum centum officiorum praefatorum persolvuntur, et praefato Dominico, dum in humanis ageret ac praefatum notariatus officium obtineret, praestari solitam (praeviâ perpetuâ praefatae summae a praefati collegii notariorum massâ divisione, separatione, dismembratione ac segregatione), eidem collegio militum piorum et eius massae¹ communi assignavit et applicavit; illaque sic erecta et instituta praefato collegio militum piorum huiusmodi iunxit et incorporavit; praefatumque Adrianum ad solutionem fructuum centum et undecim officiorum militum piorum, unâ cum aliis novem officiis² notariis, ut supra, faciendam, se et suos in dicto suo officio successores, modo et formâ supradictis, obligari et teneri voluit et mandavit: prout in Pauli et Gregorii litteris desuper expeditis ac Urbani, praedecessorum praefatorum, motus proprii cedulâ manu suâ signatâ plenius continetur.

1 Male edit. Main. legit *massa* (R. T.).

2 Vox *officiis* delenda essa videtur, vel postea legendum *notariorum* pro *notariis* (R. T.).

§ 13. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii Thomas Palutius, Hieronymus Simoncellus, Ioannes Baptista Angelucius, Marcus Attilius Monaldus, Antonius Felix Petrochius, Iosephi Fecchius, Laurentius Belcus, Nicolaus Fiorellus et Nicolaus Mazzeschius causarum curiae Camerae Apostolicae praefati¹ notarii, seu saltem maior eorum pars, onerosis interusuriis officia praefata obtineant; quamobrem nos, ut eorundem notariorum indemnitati consulere, eisque, ut² ab ipsis et maioribus interusuriis eximi et liberari possint, in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur³:

§ 14. Nos igitur, eosdem amplioris gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, et non ad alicuius instantiam, sed ex nostrâ merâ liberalitate, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, quinquaginta quatuor officia militum piorum vendibilia et resignabilia, ad instar dictorum centum et undecim, per Paulum et Urbanum praefatos, et aliorum officiorum militum piorum huiusmodi, antea per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et forsitan etiam per nos, erectorum et institutorum, ad beneficium, utilitatem et commodum Datariae seu Camerae nostrae perpetuo vacabilia, eiusdem naturae, speciei, essentiae et qualitatis, quorum antiqua officia huiusmodi, aliâs etiam ab initio erectionis collegii militum piorum huiusmodi erecta,

Novae praesentium notariorum auctoritate Camerae ut a praevitis interusuriis suorum officiorum liberentur.

Pontifex alia quinquaginta quatuor officia militum piorum ad instar aliorum tertio erexit.

1 Forsan legendum *praefatae* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *et pro ut* (R. T.).

3 Deest aliquid, ex. g. *deprecati sunt* (R. T.).

fuissent, ac ita et taliter quod, qui illa pro tempore obtinebunt, omnibus et singulis ac quibuscumque privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, praerogativis, antefationibus, honoribus, favoribus, praeceminentiis, indultis, concessionibus, aliisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus hi, qui cetera antiqua officia huiusmodi obtinent et pro tempore obtinebunt, de iure, usu, stilo, consuetudine, aut aliis quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, aut uti, frui et gaudere possunt et poterunt¹ quomodolibet in futurum, non solum ad instar dictorum officiorum iam ut praefertur erectorum, sed pariformiter et aequè principaliter ac absque ullâ prorsus differentiâ in omnibus et per omnia gaudeant, utantur et fruuntur, ac gaudere, uti et frui possint² et valeant (ita tamen quod huiusmodi quinquaginta quatuor officia, de novo erigenda, cum aliis antiquis officiis, et eorum emolumentis, officiis ac massâ, ut infra, confundantur, et etiam, ut infra, de redditibus, proventibus, emolumentis, ac iuribus collegii militum piorum participant) perpetuo erigimus et institui- mus; illaque sic erecta et instituta praefato collegio militum piorum (etiâ si illorum numerus a primaevâ collegii praefati erectione seu aliâ forsâ quomodolibet praescriptus³ existat, ac in ipsâ erectione vel aliâ forsâ expresse caveatur quod amplius augeri non possit) etiam perpetuo aggregamus, unimus, annectimus et incorporamus, itaut quinquaginta quatuor officia praefata cum aliis antea erectis faciant unicum corpus in confuso, et inter ipsa et quinquaginta quatuor officia huiusmodi nulla adsit dif-

ferentia, perinde ac si omnia simul erecta fuissent;

§ 15. Dictisque quinquaginta quatuor officiis sic novissime erectis et institutis, pro eorum congruâ dote, seu massâ, emolumentis, ac iuribus, annuam summam duorum millium noningentorum sexdecim scutorum monetæ ab omni et quocumque onere ordinario ac extraordinario, praesenti et futuro prorsus liberam, immunem et exemptam, ex emolumentis expeditionum inter ipsos notarios ratione massae eorum collegii distribuendis, necnon portionibus dictam massam non ingredientibus, sed penes eosdem notarios, ut supra, et aliâs quomodolibet remanentibus, regalibus, instrumentis publicis, exterisque processibus, registris, extractis, aliisque scripturis in¹ actis percipi solitis provenientes, singulis annis assignamus, atque assignatam² esse volumus;

§ 16. Dictamque duorum millium noningentorum sexdecim scutorum huiusmodi summam, sic assignatam, ab huiusmodi et quacumque aliâ massâ, redditibus, regalibus, instrumentis, processibus, registris, extractis, aliisque scripturis praefatis dividimus, separamus, dismembramus et segregamus, ac divisam, separatam, dismembratam et segregatam esse volumus et decernimus; eamque, sic separatam et dismembratam, eidem collegio militum piorum et eius massae communi, motu simili, perpetuo applicamus, et pariter annectimus et incorporamus; adeo quod praefati milites pii, et pro eis modernus et pro tempore existens eorum depositarius, ratam partem, praefatique³ summae per nos sic assignatae quolibet mense, sicut alii notarii

Dotem annuam assignatam a massa notariorum.

Dictam summam annuam a qualibet aha massâ dismembrat et applicat massae dicti collegii militum piorum.

¹ Perperam ed. Main. legit *possent et potuerunt* (R. T.).

² Ed. Main. legit *possent pro possint* (R. T.).

³ Perperam ed. Main. legit *praescriptis* (R. T.).

¹ Forsan legendum *vel pro in* (R. T.).

² Edid. Main. legit *assignata* (R. T.).

³ Intelligat et emendet qui potest; fors. *ratam partem praefatae*; sed seq. non cohaerent (R. T.)

praefati, eidem depositario in fine cuiuslibet mensis, prout de reliquis redditibus collegii quolibet mense fieri solet, solvendam exigere, percipere et levare, ac inter se ipsos dividere, necnon in eorum usu et utilitate convertere libere et licite possint et valeant, itidem decernimus et mandamus.

Mandat notarius praemissis omnibus consentire et ad ea se obligare.

§ 17. Volentes etiam (pro potiori militum piorum eorumque collegii huiusmodi cautela et securitate, et ut ipsis amplius consulatur) quod dicti notarii, etiam nomine suorum in dictis suis notariorum officii successorum, dismembratione et incorporatione¹ aliisque praemissis omnibus et singulis expresse consentire, ac summam, ipsos et quemlibet ipsorum tangentem, realiter et cum effectu persolvere et exbursare, ac alia, ad quae notarii praefati ex serie litterarum Pauli et Gregorii necnon Urbani praedecessorum praefatorum cedulae motus proprii vel aliàs quomodolibet tenentur, et quoad praestationem cedulae bancariae ad quinquennium et illius renovationem, facere, praestare atque adimplere, sicque² in solidum, ita quod unus pro³ alio etiam in solidum obligatus remaneat, obligare teneantur, prout nos ex nunc pro tunc in solidum in ampliore forma Camerae Apostolicae pariter obligamus (obligatione huiusmodi, donec dicti notarii tam praesentes quam futuri vixerint et officia notariatuum praefatorum obtinuerint, et non ultra, respective duraturâ, praeterquam ad⁴ summas decursas et alias obligationes purificatas tempore quo officia notariatuum huiusmodi obtinebunt, pro⁵ quibus volumus

eos, ut praemittitur, obligatos semper remanere); ita quod, tempore solutionis transacto, manu regiâ, unicâ tantum citatione, etiam domi dimissâ copiâ, vel per affixionem in acie Campi Florae intimatâ vel affixâ, executionem⁴, realiter et personaliter, pro omnibus et singulis in litteris Pauli et Gregorii necnon Urbani praedecessorum huiusmodi cedula² motus proprii contentis cum effectu adimplendis, per opportuna iuris et facti remedia cogi et compelli possint et valeant.

§ 18. Ceterum, cum Franciscus Serantonius, unus ex notariis praefati collegii, qui³ in huiusmodi nostrâ gratiâ non est comprehensus, ut indemnitati dictorum notariorum etiam cautum et consultum existat, volumus, statuimus et mandamus, ut quinquaginta quatuor officia militum piorum per nos sic erecta huiusmodi inter novem notarios praefatos dividantur, ita quod cuilibet ipsorum sex officia tangerent, quae in hac primâ vacatione tantum ad eorum liberam dispositionem, quoad pretium ex quinquagintaquatuor officiorum praefatorum venditione retrahendum, et deinde ad Datariam nostram pertineat⁴.

Unus notarius gratiae reponatur.

§ 19. Praefatique novem notarii debeant pretium praefatum, ex quinquagintaquatuor officiorum sic erectorum venditione percipiendum, in Monte Pietatis almae Urbis nostrae, seu in banco archihospitalis S. Spiritus in Saxiâ in eâdem Urbe erecto, prout⁵ eisdem notariis videbitur, reponere, ad effectum illud in extinctionem aeris alieni, per ipsos et eorum singulos super eorum notariorum

Pretium dictorum quinquagintaquatuor officiorum militum pro quo modo reponendum et erogandum.

1 Potius lege *dismembrationi et incorporationi* (R. T.).

2 Lege *seque pro sicque* (R. T.).

3 Pessime ed. Main. legit *suo pro pro* (R. T.).

4 Potius lege *quoad pro ad* (R. T.).

5 Pessime ed. Main. legit *immo pro pro* (R. T.).

1 Aptius forsâ supra legitur *executione* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *cedulae* (R. T.).

3 Vox *qui* delenda videtur, et postea legendum *non sit pro non est* (R. T.).

4 Potius lege *pertineant* (R. T.).

5 Pessime ed. Main. legit *pro pro prout* (R. T.).

officiis reservatione de communi¹, seu debitorum respective contractorum erogandi.

Elapso quadriennio mandati notarios deponere praetium unius ex dictis quinquagintaquatuor officibus ad creditum Datariae singulis annis.

§ 20. Volumus autem quod notarii praefati, quadriennio transacto, singulis annis in fine cuiuslibet anni etiam teneantur et debeant deponere in praefato Monte aut banco S. Spiritus, ad creditum Datariae nostrae, pretium unius ex quinquagintaquatuor officiis per eos in eorundem officiorum venditione perceptum, quo temporis processu neque minui neque augeri possit, factoque deposito pretii, primum officii militum pii² totius corporis eorundem militum quod vacare contigerit, ad favorem Datariae Apostolicae suppressum censeatur eo ipso, et ubi suppressum, prout ex nunc suppressimus, per officiales componendarum suppressio huiusmodi in officiorum³ nostrae Datariae adnotari mandamus, ut⁴ idem singulis annis observetur, donec quinquaginta quatuor ex praefatis officiis primo vacatura totaliter suppressa remaneant⁵, ac officia notariatuum praefata in solutione fructuum pro officiis ut praemittitur suppressis proportionaliter liberata existant.

Decretum irritans.

§ 21. Decernentes easdem praesentes, etiam quod forsitan praefati notarii, vel aliqui eorum, ac alii quicumque, de quorum interesse quomodolibet agitur, praemissis non consenserint, seu consentire recusaverint, et recusent, et seu alio quovis defectu notari vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari, seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, vel in ius et controversiam vocari, aut adversus eas aperi-

tionem oris, et beneficium restitutionis in integrum seu reductionis ad viam iuris, ex quocumque capite et defectu, etiam enormissimae laesionis, ac evidentis utilitatis, aut quocumque alio titulo, ratione et causa, seu aliud quodcumque iuris et facti vel iustitiae ac gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus unquam posse; sed eas ab omnibus et singulis, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, firmiter et inviolabiliter modis et formis praefatis observari debere; sic et non alias per quoscumque indices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum curiae Camerae Apostolicae generalem auditorem, necnon causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedisque Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere; et irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 22. Non obstantibus praemissis, necnon collegii praefatorum notariorum a felicis recordationis Pii Papae IV aliisque constitutionibus, necnon cancellariae nostrae regulis, etiam de iure quaesito non tollendo et de gratis ad instar non concedendis, dictorumque collegiorum militum piorum et notariorum ac auditoris praefati respective, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, notariorum et militum piorum collegiis aliisque superioribus et personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importan-

1 Quid mutandum iudicet lector sciens (R. T.).

2 Videtur legendum *primum officium militum piorum* (R. T.).

3 Videtur legendum *officio* (R. T.).

4 Videtur legendum *et pro ut* (R. T.).

5 Edit. Main. legit *remaneat* (R. T.).

tes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac specialiter et expresse, harum serie, motu pari, derogamus, et derogatum esse volumus; contrariis quibuscumque.

Sanctio poe-
nalis.

§ 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutio- nis, erectionis, institutionis, aggregatio- nis, unionis, annexionis, incorporationis, assignationis, divisionis, reparationis, dismembrationis, segregacionis, applica- tionis, decreti, mandati, statuti, voluntatis et derogacionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incur- surum.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma- iorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXII, x kalendas ianuarii, pontifi- catus nostri anno III.

Dat. die 23 decembris 1672, pontif. an. III.

CXXIV.

Confirmatio decreti camerale et illius ampliationis in favorem inquilinorum respectu anni sancti.

Palutius tituli Ss. XII Apostolorum presby- ter cardinalis de Alteriis, S. R. E. came- rarius.

Exordium.

§ 1. Ad favorem inquilinorum et subin- quilinorum huius almae Urbis respectu anni sancti, seu iubilaei, quancumque huiusmodi annus venisset, de mandato felicis recordationis Pauli Papae III de-

cretum camerale, et subinde de pari mandato etiam felicis recordationis Gre- gorii Papae XIII decreti confirmatio et ampliatio emanarunt, huiusmodi sub te- nore, videlicet:

« Aloysius tituli S. Marci presbyter cardinalis Cornelius, S. R. E. camerarius. Decretum ca-
merale mandato
Gregorio XIII.

Invenimus aliâs decretum in Camerâ Apostolicâ in favorem inquilinorum fa- ctum tenoris sequentis, videlicet:

« Guido Ascanius Sfortia S. Eustachii diaconus cardinalis de S. Flora, S. R. E. Decretum ca-
merale mandato
Pauli III.

camerarius. Nuper nobis in Camerâ Apo- stolicâ, non sine animi nostri displicentiâ, pro parte inquilinorum et subinquinorum Urbis querelantium expositum fuit, quod ipsi a dominis domorum, per eos ad pensionem annuam conductarum, respectu anni sancti sive iubilaei, tam sub augmento pensionis fictos oblatores maiorem pensionem offerentes inducentibus, quam etiam super eorum evacuacione, etiam locatione durante, asserentibus domos praedictas pro eorum usu habere velle, quotidie molestantur, et ex domibus per eos conductis contra formam iuris expelluntur; nihilominus expulsis inquilinis seu subinquinis, domos praedictas pro maiori pretio, in grave damnum inquilinorum sive subinquinorum, contra formam decreti camerale, eorum promissionis, obligationis et iuramenti, alteri locant. Nos, ut tenemur ex debito nostri camerariatus officii tranquillitati curialium inquilinorum et subinquinorum, ac malitiis, calumniis, litibus et controversiis, quae inter dominos domorum ex unâ ac inquilinos et subinquininos partibus ex alterâ quotidie exinde oriuntur, quantum possumus providere cupientes, ne decretum aliâs per antecessores nostros et Cameram Apostolicam in favorem inquilinorum factum in damnum et praeiudicium ipsorum retorqueatur: idcirco, de mandato sanctis-

simi domini nostri Papae vivae vocis oraculo nobis desuper¹, ac ex decreto in Camerâ Apostolicâ maturâ consideratione facto, statuimus et ordinamus quod in futurum, respectu anni sancti vel iubilaei, quaecumque huiusmodi annus venerit, per annum antea et pro dicto anno sancto vel iubilaei inquilinis pensio domus per eos conductae a dominis ipsius augeri nec modus solvendi pensionem alterari possit. Insuper, pro maiori curialium inquilinorum et subinquilinorum quiete, et ad lites et controversias evitandas, ut praefertur, oraculo et decreto similibus declarando decretum in favorem inquilinorum per antecessores nostros et per Cameram Apostolicam aliâs factum, in perpetuum statuimus et ordinamus quod ex nunc in posterum, durante locatione inquilini, tam ipse inquilinus, quam subinquilinus eiusdem, ex domo ab eisdem conductâ, sive subconductâ, a domino ipsius, asserente domum suam pro usu suo habere velle, expelli non posse, nisi iuxta formam iuris communis; finitâ vero locatione, quocumque modo finiatur, si dominus pro usu suo domum habere intendit, tunc utroque casu inquilinus expelli non possit, nisi prius iuraverit, ac, sub poenâ amissionis pensionis duorum annorum domus de qua agetur, de non locando alteri domum praedictam vel partem ipsius, sed eam totam per se ipsam per annum inhabitando, in ampliori formâ Camerae Apostolicae cum censuris et mandatis executivis se obligaverit. Et si dominus contravenerit, statim in poenam praedictam incidat, quae poena, si non intervenerit accusator, pro medietate fisco pro poenâ perituri, pro aliâ vero inquilino vel subinquilino respective in casu suo applicanda sit; sed si in dictis casibus in-

tervenerit accusator, tertia pars poenae praedictae unicuique ipsorum applicetur. Declarantes, quod subinquilinus, finitâ locatione sui auctoris, quocumque modo finiatur, etiam de consensu domini et inquilini huiusmodi, inquilinorum privilegio non gaudeat¹, sed, domino volente, teneatur eam liberam et expeditam relaxare, nisi ab ipso domino reductam habeat. Et si notarius obligationem et promissionem per dominos domorum faciendam contra formam praesentis nostri et Camerae Apostolicae decreti rogare praesumpserit, ad poenam supradictam teneatur; et statim, docto summarie per duos testes de contraventione domini domorum, vel notarii, tam contra eosdem dominos quam contra notarium, censurae² sive mandatum executivum, tam ad instantiam fisci, quam inquilini, subinquilini et accusatoris, parte citatâ, per reverendum praesidentem viarum, per Camerae Apostolicae deputatum et pro tempore deputandum relaxetur. Inhibentes omnibus et singulis almae Urbis iudicibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, ne, viso praesenti nostro et Camerae Apostolicae decreto, sub maioris excommunicationis, suspensionis a divinis respective, ac sub aliis arbitrii nostri et successorum nostrorum poenis, contra illius formam iudicare vel sententiare audeant sive praesumant, nec quilibet ipsorum audeat seu praesumat, sed omnia in praesenti decreto contenta, toties quoties opus fuerit, futuris temporibus perpetuo inviolabiliter observare ac observari facere teneantur et debeant, et quilibet ipsorum teneatur et debeat, quocumque alio decreto in contrarium forsâ desuper facto ceterisque in contrariis³ facientibus non obstan-

¹ Decret facta, ut infra § 4 (R. T.).

¹ Male edit. Main. legit *gaudent* (R. T.).

² Potius legendum videntur *censura* (R. T.).

³ Potius lege *in contrarium* (R. T.).

tibus quibuscumque, si secus, etc., irritum, etc., sublatâ, etc.; et, ut praefati domini iudices, fiseus, notarii, inquilini, subinquilini, accusatores et alii curiales de omnibus contentis praesente nostro et Camerae Apostolicae decreto plenam notitiam habeant, decretum huiusmodi in libris Camerae Apostolicae registrari, imprimi, in locis publicis solitis et consuetis affigi, ac publice vendi, transumptoque eiusdem impresso, manu unius ex notariis Camerae Apostolicae subscripto, tam in iudicio quam extra, indubitam fidem adhiberi volumus et mandamus. Datum Romae in Camera Apostolicâ anno a Nativitate Domini MDXLIX, indictione VII, die vero XXIX aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pauli, divinâ providentiâ Papae III. GUIDO ASCANIUS cardinalis camerarius; *Visâ*, HIERONIMUS BARENSIS Camerae Apostolicae decanus; *Visâ*, IULIUS GONZAGA Camerae Apostolicae clericus; *Visâ*, HIERONIMUS TORCELLANUS Camerae Apostolicae clericus; *Visâ*, F. SODERIXUS Camerae Apostolicae clericus et viarum praesidens; *Visâ*, A. FLOREN Camerae Apostolicae clericus; A. PEREGRINUS ».

Prosequitur decretum camerale primum de mandato Gregorii XIII.

« Cum vero ad sanctissimum dominum nostrum magnis inquilinorum querelis perlatum esset dominos domorum, suppositis fictis oblationibus, hoc anno pensiones ita augere coepisse, ut non modica inde eorum perturbatio et praedudicium sequatur: idcirco idem sanctissimus dominus vivae vocis oraculo nobis iniunxit, ut, pro commissso nobis camerariatus officio, super eâ re mature provideremus. Nos itaque, volentes apostolicis, ut par est, obedire mandatis, simulque considerantes quod anni sancti appropinquantis lactitia atque devotio ab omnibus eum benedictione suscipi, non in occasionem lueri cum alienâ calamitate fieri debeat, eodem vivae vocis oraculo, et auctoritate

nostri camerariatus officii, supradictum decretum confirmantes et innovantes, illudque insuper ampliantes, statuimus et ordinamus quod in futurum, respectu anni sancti sive iubilaei, quodcumque is annus venerit, per duos annos antea et ipso anno sancto, inquilinis pensio domus sive apothecae per eos conductae a dominis ipsius nec augeri nec modus solvendi pensionem alterari possit, sive veteres inquilini in conductâ domo vel apothecâ manere velint, sive novi conducant, sub poenâ in supradicto decreto contentâ. Et, ut praemissa omnia ad quorumcumque notitiam deducantur, volumus, et eadem auctoritate decernimus, praesens nostrum decretum et statutum in libris eiusdem Urbis affigi et publicari, illiusque transumpto impresso, et manu unius ex dictae Camerae notariis subscripte, tantam fidem in iudicio et extra adhiberi, qualis et quanta eisdem praesentibus originalibus litteris adhiberetur si in medium exhiberentur.

Datum Romae, in Camera Apostolicâ, die XXIX mensis februarii MDLXXIII, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Gregorii divinâ providentiâ Papae XIII, anno I.

ALOYSIUS CORNELIUS card. camerarius.

ANTONIUS GUIDO auditor.

ANDREAS MARTINI ».

§ 2. Quod quidem decretum et illius ampliatio postea per similis memoriae Clementem VIII, Gregorium XV et Innocentium X denuo confirmari et servari mandatum fuit per publica edicta diversorum cardinalium S. R. E. camerariorum praedecessorum nostrorum in aetis Brunoni, olim praedictae Camerae notarii, sub diebus XXII maii MDXCVIII, IX maii MDCXXIII, et XXIV ianuarii MDCXLVIII respective expedita.

Praedicta decreta confirmavit Clemens VIII, Gregorius XV et Innocentius X.

§ 3. Et volens sanctissimus dominus noster dominus Clemens divinâ providentiâ

Iste nunc Pontifex mandat cardinali came-

ratio dictum de-
cretum cum pro
ampliationem
dictorum confir-
mate.

Papa X, suorum praedecessorum vesti-
gia insequendo, pro tranquillitate curia-
lium ac dieterum inquilinorum et sub-
inquinorum, ut decretum et eius ampli-
atio huiusmodi omnino serventur, nobis
ut decretum et ampliationem ipsas
confirmaremus et observari mandaremus
specialiter iniunxit.

Cardinalis ca-
merarius in exe-
cutionem di-
cti mandati om-
nia praedicta
confirmat.

§ 4. Nos itaque, mandata apostolica,
ut par est, exequi volentes, et, ut proxi-
mus futurus annus sanctus, sive iubilaei,
in remissionem peccatorum et christifi-
delium animarum salutem institutus, eâ,
qua decet, pietate et devotione atque lac-
titiâ, non autem in occasionem lucri,
suscipiatur, et nemini ex causâ habita-
tionum et usus domorum et apothecarum
eiusdem Urbis litigandi materiam vel
aliquod aliud afferat incommodum, op-
portune providere, ac praedecessorum
nostrorum vestigia in his insequi volentes,
de expresso ordine et mandato eiusdem
sanctissimi domini nostri Papae vivae
vocis oraculo nobis desuper facto, et au-
toritate nostri camerariatus officii, prae-
insertum decretum camerale, necnon il-
lius confirmationis, innovationis et ampli-
ationis litteras, omniaque et singula
in eis contenta et expressa quaecumque,
tenere praesentium confirmamus, appro-
bamus et innovamus, illisque perpetuae
firmitatis robur adiciamus, ac praedictis
inquinis et subinquinis decretum et
litteras huiusmodi et omnia et singula
in eis contenta quaecumque suffragari,
et¹ a domorum et apothecarum domi-
nis, ac aliis ad quos spectat, perpetuo,
plenarie, inviolabiliter et ad unguem,
etiam sub poenis in illis contentis, ob-
servari et adimpleri, sicque per quos-
cumque iudices ordinarios et subdele-
gatos, iudicari et definiiri debere, de
mandato et auctoritate similibus, earum-

¹ Voces suffragari, et eos addimus (R. T.).

dem tenore praesentium, decernimus
et mandamus; irritum nihilominus de-
cernentes et inane quidquid secus fiet;
contrariis non obstantibus quibuscumque.

§ 9. Volumus insuper, pariterque de-
cernimus, quod praesentium transumptis,
etiam impressis, unius ex quatuor dictae
Cameræ secretariis manu subscriptis,
eadem prorsus fides in iudicio et extra
adhibeatur quae originalibus ipsis adhi-
beretur si in medium exhiberentur. In
quorum fidem, etc.

Transumptio-
rum fides.

Datum Romae, in Camerâ Apostolicâ,
anno a Nativitate Domini nostri Iesu Chri-
sti millesimo sexcentesimo septuagesimo
tertio, indictione XI, die vero I mensis
ianuarii, pontificatus sanctissimi in Chri-
sto patris et domini nostri domini Cle-
mentis divinâ providentiâ Papae X an-
no III.

P. Card. DE ALTERIIS camerarius.
FRANCISCUS M. ANSALDUS auditor.
MATTHAEUS DE ANGELIS C. A. secr.
et Cancell.

Dat. die 1 ianuarii 1673, pontif. anno III.

*Die, mense, anno, indictione ac ponti-
ficatu, quibus supra, praesens confirma-
tio affixa et publicata fuit ad valvas cu-
riarum illustrissimi A. C. eminentissimi
vicarii, ac illustrissimi gubernatoris, et
Capitolinae, in acie Campi Florae, ut
moris est, ac aliis locis solitis et consue-
tis Urbis, per me Ioannem Graecum apo-
stolicam cursorem.*

GREGORIUS STAGGIUS mag. cursor.

CXXV.

*Indulgentia centum dierum pro confrat-
ribus et consororibus archiconfrater-
nitatis sanctissimi Corporis Christi in
ecclesiâ S. Mariae supra Minervam de
Urbe, et pro quibuscumque confrat-*

ternitatibus sub eodem titulo erectis et erigendis, toties quoties fideles defunctos ad sepulturam comitati fuerint.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia
centum dierum
confratribus et
conсорoribus
sanctissimi Cor-
poris Christi co-
militantibus de-
functos ad se-
pulturam

§ 1. Ex commissae nobis caelitus dispensationis munere, christifideles ad christianae charitatis atque pietatis opera specialium gratiarum donis incitare cupientes, ac supplicationibus dilectorum filiorum officialium et confratrum archiconfraternitatis sanctissimi Corporis Christi in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe canonice erectae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis confratribus et consororibus, tam praefatae archiconfraternitatis, quam quarumvis confraternitatum sub eodem titulo seu denominatione sanctissimi Corporis Christi ubicumque locorum canonice haecenus erectarum et institutarum, ac in futurum quandocumque, ex vi decreti Congregationis indulgentiis praepositae de mandato felicitis recordationis Pauli PP. V praedecessoris nostri die xv februarii mdcviii emanati, itidem canonice erigendarum et instituendarum, qui et quae cadavera christifidelium defunctorum, dum ad sepulturam deferuntur devote comitati fuerint, quoties id egerint, toties centum dies de iniunctis eis seu aliis quomodolibet debitis poenitentis in formam Ecclesiae consuetam relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumpto-
rum fides.

§ 2. Volumus autem ut earundem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis prae-

sentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiv ianuarii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 14 ianuarii 1673, pontif. anno III.

Registr. in Secret. in libro III Brevium diversorum, fol. 457.

CXXVI.

Confirmantur indulgentiae a Paulo V concessae archiconfraternitatibus sub invocatione SS. Trinitatis redemptionis captivorum, irritantur nonnullae, et adduntur aliae et quae sint.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis caelitus dispensationis munere, spiritualium gratiarum largitiones ad excitandam fovendamque christifidelium pietatem a Romanis Pontificibus pia prudentique liberalitate factas, ut firmius subsistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter roboramus, easque etiam pari pontificiae charitatis benignitate interdum ampliamus, et alia desuper ordinamus, sicut, omnibus maturam consideratione perpensis, ad christiani populi aedificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Paulus PP. V praedecessor noster, qui certas unicuique archiconfraternitati et confraternitati indulgentias et gratias spirituales, quibus de cetero fruerebantur, duxerat praescribendas, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, confraternitatibus sub invocatione SS. Trinitatis redemptionis captivorum erectis

Paulus V concessit indulgentiam plenariam confratribus SS. Trinitatis redemptionis captivorum casibus hinc explicitis.

et erigendis ac¹ illarum confratribus et consororibus eatenus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos concessas, revocans et nullius roboris et momenti fore declarans, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui confraternitates sub invocatione eiusdem SS. Trinitatis redemptionis captivorum ubivis locorum tam eatenus canonice institutas, quam deinceps instituendas in posterum ingrederentur, et habitum sive scapularium religionis benedictum de manu alicuius superioris Ordinis eiusdem SS. Trinitatis redemptionis captivorum, sine alicuius voti emissionem, suscepissent, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, plenariam; ac tam ipsis tunc et pro tempore describendis quam iam descriptis in dictis confraternitatibus confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere poenitentes et confessi, sacrâque communione refecti, et scapularium dicti Ordinis deferentes, nomen Iesu ore, si possent, sin minus, corde devote invocarent, etiam plenariam; necnon eisdem confratribus et consororibus, qui similiter vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, die festo Sanctissimae Trinitatis ecclesias vel cappellas seu oratoria dicti Ordinis vel confraternitatum huiusmodi devote visitavissent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione oravissent, plenariam similiter; eisdem etiam confratribus et consororibus, qui pro captivorum redemptione faciendâ ad partes infidelium proficiscuntur, si ante discessum vere poenitentes et confessi idem sanctissimum Eucharistiae sacramentum susceperint, salutationem angelicam, et in fine semel

1 Coniunct. ac nos addimus (R. T.).

plenariam pariter; necnon ipsismet captivis redemptis, si idem post reditum intra mensem egissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit.

§ 2. Insuper iisdem confratribus et consororibus, qui dictum scapularium seu habitum benedictum cum signo redemptionis nostrae pro cordis affectu gestarent, et semel in die sexies orationem dominicam, cum versiculo *Gloria Patri*, etc., et totidem vicibus salutationem angelicam, cum eodem versiculo, pro pace christianorum principum, sanctae matris Ecclesiae exaltatione, et haeresum extirpatione recitarent, septem annos et totidem quadragenas: qui vero in festis Nativitatis et Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ac Assumptionis beatae Mariae Virginis, et sanctae Agnetis secundo, in quo die dictus Ordo nutu divino fuit institutus, Ordinis vel confraternitatum praedictarum ecclesias vel cappellas seu oratoria visitassent, et ibi ut praefertur oravissent, septem annos et totidem quadragenas; necnon etiam ipsis confratribus et consororibus, qui uno cuiuslibet mensis dominico die a superioribus dicti Ordinis praescribendo, in quo de Ordinarii licentiâ processio fieret, quam appellant *scapularii*, eidem processioni vere poenitentes et confessi interfuissent, septem annos et totidem quadragenas; ipsis similiter confratribus et consororibus pia opera exercentibus tam spiritualia quam temporalia in peccatorum suorum remissionem pro redemptione captivorum a Turcarum et aliorum infidelium servitute, septem annos et totidem quadragenas; illis vero utriusque sexus confratribus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui quotidie per annum recitavissent ter Orationem dominicam, et totidem vicibus

Et indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum aliis pariter casibus hic expressis.

versiculum *Gloria Patri*, etc. cum versiculis et responsoriis ac oratione a praedictis superioribus praescribendis, et oravissent pro iis qui captivi apud Turcas detinentur, ne nomen Salvatoris nostri abnegent, sed fortes in fide Christi persistent et quanto citius a servitute liberentur, semel quotannis, et anni die quomallent, septem annos; ac eisdem confratribus et consororibus, qui dictos redemptos processionaliter recepissent, et ad ecclesiam vel cappellam seu oratorium dicti Ordinis vel confraternitatis associassent, si confessi essent, vel saltem confitendi propositum haberent dicto tempore, septem annos et totidem quadragenas; ipsis¹ quoque etiam utriusque sexus confratribus, qui cum lumine, si possent, vel sine eo sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuissent, et pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effudissent, quinque annos et totidem quadragenas; necnon qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum quam aliorum ad sepulturam ecclesiasticam sociavissent, et pro eorum animabus oravissent, centum dies; quoties vero missis et aliis divinis officiis in ecclesia vel cappellâ seu oratorio dictarum confraternitatum pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis earundem confraternitatum interfuissent, aut pauperes hospitio suscepissent, vel quodcumque aliud pietatis et charitatis opus exercuissent, toties pro quolibet praefatorum operum centum dies de iniunctis seu aliâs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxavit.

§ 5. Praeterea tunc et pro tempore existenti ministro generali dicti Ordinis, seu eius generali etiam procuratori in Romanâ Curia commoranti, ut huius-

modi confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis redemptionis captivorum ubivis locorum erigere et instituere, illisque omnes praedictas indulgentias, servatâ tamen formâ Constitutionis recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri super confraternitatum erectionibus et aggregationibus editae, communicare libere et licite posset et valeret, auctoritate apostolicâ facultatem concessit et impartitus est.

§ 6. Ac postmodum idem Paulus praedecessor, volens confraternitates sub eiusdem SS. Trinitatis ac B. M. Virginis *De remedio* nuncupatae invocationibus in ecclesiis domorum regularium fratrum dicti Ordinis praefati per universum orbem (ut asserebatur) canonicè institutas, illarumque confratres et consorores, qui (sicut dictus Paulus praedecessor acceperat) in unâ dominicâ cuiuslibet mensis solemnem processionem magnâ cum populi frequentia peragere solebant, speciali dono decorare, omnibus et singulis dictarum confraternitatum confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communiione reffectis, qui processioni per easdem confraternitates in unâ dominicâ cuiuslibet mensis in ecclesiis praedictis fieri solitae devote interfuissent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quoties id egissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et aliâs, prout in binis litteris ipsius Pauli praedecessoris, unis die vi augusti mdcviii, et alteris die vi novembris mdcxx respective in simili formâ Brevis desuper expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, et quarum tenores prae-

Per idem Paulus V indulgentiam plenariam concessit intervenientibus processioni quolibet mense.

Minister, seu procurator generalis dicti Ordinis potest erigere confraternitates, et quomodo libet indulgentias relaxare.

¹ Ed. Main. legit *ipsi* (R. T.).

sentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum inseritis haberi volumus, uberius continetur.

Petitur confirmatio.

§ 7. Cum autem, sicut dilecti filii Petrus Mercier, minister generalis, et Dominicus Tafuri, in Romanâ Curia procurator generalis dicti Ordinis fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum, nobis nuper exponi fecerunt, super indulgentiis et peccatorum remissionibus, quae confraternitatibus praefatis auctoritate apostolicâ concessae seu communicatae esse asserebantur, variae in diversis mundi partibus exortae sint controversiae, quae et christifideles magno perturbatione et gravibus scandalis causam dederunt, ut vero huiusmodi controversiis atque scandalis ansa praecidatur, omnisque dubietatis tollatur occasio, eidem Petrus minister generalis et Dominicus procurator generalis plurimum cupiant opportune in praemissis a nobis provideri:

Item Pontifex omnes dictas indulgentias a Paulo V concessas confirmat.

§ 8. Nos, ipsorum Petri ministri generalis ac Dominici procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes, quas memoratus Paulus praedecessor confraternitatibus tam erectis quam erigendis praefatis, earumque confratribus et consororibus, aliisque personis supradictis, per binas suas litteras praefatas, sicut

praemittitur, concessit, ipsasque litteras cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus ac innovamus, illasque eisdem confraternitatibus tam erectis quam in futurum quaecumque erigendis, earumque confratribus et consororibus, de novo concedimus.

§ 9. Praeterea eosdem confratres et consorores ad pietatis et christianae charitatis erga christifideles, qui durâ Turcarum aliorumque infidelium servitute opprimuntur, exercendae¹ opera uberiorum gratiarum spiritualium, quarum dispensationem nobis commisit Deus, largitione incitare cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis dictarum confraternitatum canonice hactenus erectarum et in futurum quaecumque erigendarum confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis, vel suarum respective confraternitatum ecclesias vel oratoria, in Nativitatis et Purificationis B. M. Virginis Immaculatae, ac S. Michaëlis archangeli, S. Clementis Papae et martyris, Inventionis S. Crucis, et Nativitatis S. Joannis Baptistae festis diebus devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon captivorum praefatorum liberatione, eorumque perpetuâ perseverantiâ in christianae religionis catholicae fidei professione, piâ ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper plenariam concedit visitantibus ecclesias dicti Ordinis vel cappellas confraternitatum in certis festis, et orantibus prout in rubrica.

¹ Aplus legerem *exercenda* (R. T.).

Visitantibus, ut supra in diebus stationum in missali romano descriptis easdem indulgentias concedit.

§ 10. Illis vero, qui aliquam eiusdem Ordinis ecclesiam, aut suarum respective confraternitatum ecclesias seu oratoria huiusmodi, in diebus stationum ecclesiarum almae Urbis nostrae, prout in missali romano exprimentur, pariter devote visitaverint, et ibidem, sicut iam dictum est, oraverint, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si easdem ecclesias Urbis in diebus stationum huiusmodi personaliter et devote visitarent, dictâ auctoritate, harum serie, concedimus et indulgemus.

Alias omnes indulgentias hie non descriptas revocat.

§ 11. Ceterum alias omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, si quae, praeter eas quas, ut praefertur, confirmavimus et de novo respective concessimus, confraternitatibus praefatis quovis modo generaliter concessae et nondum revocatae sint, aut quomodolibet praetendantur, auctoritate et tenore praefatis perpetuo revocamus, irritamus et annullamus, nulliusque roboris et momenti esse et fore decernimus et declaramus.

Item ministri generali et procuratori generali dicti Ordinis erigendi huiusmodi confraternitates, etque communicandi omnibus supradictas indulgentias et non alias.

§ 12. Ac etiam tam¹ praefatis Petro et Dominico modernis, quam pro tempore existentibus ministro generali et in Romanâ Curiâ procuratori generali Ordinis praefati, ut huiusmodi confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis redemptionis captivorum ubivis locorum erigere et instituere, illisque omnes et singulas supradictas a nobis confirmatas et de novo respective concessas, non autem ullas alias indulgentias et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes, communicare libere et licite possint et valeant, et eorum quilibet possit et valeat, servatâ tamen ceteroquin praefatae Constitutionis Clementis praedecessoris formâ et dispositione, facultatem dictâ auctoritate earundem tenore praesentium concedimus et impertimur.

¹ Vocem *tam* nos addimus (n. r.).

§ 13. Porro in functione quadam, quam *communicationem indulgentiarum* vocant, quaeque a fratribus Ordinis praefati certis anni diebus in eorum ecclesiis fieri solet, abrogatâ veteri formulâ, quae dudum a tunc existente Romani Pontificis in Urbe praefatâ vicario in spiritualibus generali composita et per quoddam decretum Congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum in aliquâ sui parte correctâ fuit, post antiphonas, versiculos, orationes ibidem expressas, de cetero servari volumus formulam infrascriptam, videlicet:

In functione communicationis indulgentiarum nova formula orandi praescribitur.

« Dominum Iesum Christum humiliter deprecamur ut gratiae suae lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benigne concedat omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequi, quas felicis recordationis Paulus V et eius successores Summi Pontifices Ordini nostro cum specificâ facultate eas confraternitatibus nostris communicandi concesserunt, iuxta privilegiorum apostolicorum tenorem ac sanctae Sedis Apostolicae decretorum dispositionem. Misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet in omni opere bono, et perducat vos ad vitam aeternam; qui in Trinitate perfectâ vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. ».

§ 14. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas et validas existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quancumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis

Decretum irritans.

respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarius derogat.

§ 15. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et confraternitatum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscunque.

Transumptorum fides.

§ 16. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI februarii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 11 februarii 1673, pontif. anno III.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis februarii part. utraq. fol. 628.

CXXVII.

Decretum recitationis officii S. Caietani Thienaci, Theatinorum fundatoris, ab omnibus utriusque sexus ad recitationem obligatis in die VII augusti de communi Confessoris non Pontificis.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Ad pastoralis dignitatis fastigium nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem divinae clementiae abundantiam evecti, sanctorum in caelis cum Christo Iesu Domino nostro regnantium, illorum praesertim, qui in diebus peregrinationis suae salubrium fuerunt auctores institutorum, quibus Ecclesia Dei cum ingenti animarum fructu multipliciter decoratur, cultum et venerationem in terris promovere studemus, sicut ad omnipotentis Dei, qui in sanctis suis honoratur, gloriam, fideliumque aedificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Itaque eximia S. Caietani Thienaci, Congregationis clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum fundatoris, quem nos Sanctorum catalogo solenni ritu adscripsimus, in Ecclesia Dei merita pio peculiarique devotionis affectu recolentes, sinceramque nostram in eum pietatem aliquo honorum incremento magis testatam esse cupientes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus, ut de eodem S. Caietano quotannis die VII augusti celebretur festum cum officio de communi Confessorum non Pontificum sub ritu semiduplici de praecepto ab omnibus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, et sub eodem ritu in calendario breviarii romani apponatur.

S. Caietani catalogo Sanctorum adscripto.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus

Derogatio contrariorum.

apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii martii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 martii 1673, pontif. anno III.

CXXXVIII.

Prohibitio ne quisquam, etiam regularis, et individuâ mentione dignus, sine licentiâ in scriptis Congregationis de Propagandâ Fide, quam in operis initio imprimere teneatur, edat libros et scripta, per se vel alium, in quibus agatur de missionibus vel de rebus ad ipsas pertinentibus, sub poenis excommunicationis latae sententiae Romano Pontifici reservatae, privationis officii, ac vocis activae et passivae, et operum suppressionis, ipso facto incurrendis.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Credita nobis caelitus apostolicae servitutis ratio postulat, ut, si quos in Ecclesiâ Dei abusus pullulare atque invalescere noscamus, eos opportuna sanctionis sarculo recidere atque e medio tollere studeamus.

Statuit ut in rubricâ.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, licet aliâs Congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium iustis de causis vetuisset, ne quis sine

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

50

ipsius licentiâ typis evulgaret libros et scripta, in quibus aliquo pacto de missionibus ageretur; nihilominus multi, vel ignari quid eadem Congregatio decreverit, vel temere decretum eius transgredientes, scripta edant et libros, saepe falsa et inepta continentes, non sine piorum et doctorum hominum offensione: nos, his aliisque gravibus causis adducti, de memoratorum cardinalium consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iterum prohibemus, ne quis, cuiuscumque status, gradus et conditionis etiam regularis cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, licet is esset, de quo specifica et individua mentio facienda foret, sine licentiâ in scriptis Congregationis eorundem cardinalium, quam in operis initio imprimere teneatur, libros et scripta, in quibus de missionibus vel de rebus ad missiones pertinentibus agatur, per se vel per alium edat, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo a quoquam praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, ac privationis officii et vocis activae et passivae, necnon operum suppressionis poenis ipso facto incurrendis.

§ 2. Hoc autem denunciari volumus omnibus et singulis superioribus generalibus cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti et societatis, etiam Iesu, qui, sub eisdem poenis, et ipsi praesentes litteras servent, et a subditis suis curent omnino servari; ac praecipimus, sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ut quolibet anno teneantur superiores praefati easdem praesentes litteras, sive earum tenorem, in capitulis legere seu legi curare, ne aliquis sub praetextu ignorantiae se excusare possit.

Mandat regularibus, ut hoc decretum quolibet anno in capitulis legant.

1 Ed. 1. Man. legit ut pro et (R. T.)

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium vel habere praetendentium consensus¹, aliave quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali ac individua expressionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci ullo modo posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quoruncumque Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis Ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Iesu, illorumque superioribus et personis, aliisque quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus

¹ Edit. Mein. legit *consensu* (n. t.).

et fornicis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, seu aliis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis ac etiam pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua seu quacvis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, vel sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SŁUSIUS.

Dat. die 6 aprilis 1673, pontif. an. III.

Registrata in Secretariâ Brevium. in lib. mensis aprilis, part. I, fol. 59.

CXXIX.

Commissio episcopo Maioricensi super erectione studii dictae civitatis in publicam universitatem, cum indulto lauream doctoratus conferendi, necnon eum omnibus aliis honoribus, privilegiis et praerogativis, quibus universi-

tas Hardensis ex dispensatione apostolica potitur et gaudet.

Venerabili fratri episcopo Maioricensi,
Clemens Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio facta.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii consules et iurati istius civitatis Maioricensis, quod, licet dicta civitas ex praecipuis regnorum Hispaniarum existat, in eaque studium generale, in quo sacra theologia, sacri canones, et leges civiles, philosophia, aliaeque scientiae et artes liberales a praceptoribus regularibus et saecularibus docentur, iamdiu institutum, amplissimisque privilegiis a regibus Hispaniarum catholicis pro tempore existentibus decoratum reperitur; nihilominus illi, qui litterarum studiis ibidem operam navant, pro consequendis baccalaureatus ac licentiatu-
rae et doctoratus gradibus, in regiones longinquas se conferre coguntur, cum universitas vicinior inde ducentorum circiter milliarum intervallo distet, et, quod gravius est, suscipiendae sint navigationes periculosae, maximaque dispendia subeunda: unde studium praefatum parum frequentatur, et incolae regni Maioricae studiorum suorum praemiis destituti remanent.

Proces Hispaniarum reginae, consulum, etc.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes, ac dilecti pariter filii rectores et scholares dicti studii, ipsis rectoribus et lectoribus collegialibus eiusdem studii pro tempore existentibus lauream baccalaureatus ac licentiatu-
rae et doctoratus in sacra theologia, sacris canonibus, legibus civilibus, medicina et philosophia illis scholaribus, qui studiorum earundem scientiarum cursum ibidem absolverint, prae-
vio rigoroso examine, conferendi facultatem a nobis concedi, ipsosque rectores,

lectores et scholares praerogativis, praec-
minentis, indultis et favoribus, quibus universitates studiorum generalium gaud-
dent, decorari plurimum desiderant: nobis propterea, etiam carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae Hispaniarum reginae catholicae viduae nomine, humiliter supplicatum fuit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur, eiusdem Mariannae reginae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac exponentium rectorum et scholarium praefatorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae¹ existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas² fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, fraternitati tuae per presentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, praefatum studium, quod in ipsa civitate Maioricensi iam institutum reperitur, in publicam universitatem, cum indulto lauream doctoratus ac baccalaureatus et licentiatu-
rae gradum conferendi, necnon cum omnibus aliis honoribus, privilegiis et praerogativis, quibus universitas Hardensis ex dispensatione apostolica potitur et gaudet, auctoritate nostra apostolica, pro tuo arbitrio et prudentia, erigas; ita tamen ut certas determinatas condiciones tibi benevisas, sacris canonibus, Concilio Tridentino et

Committit episcopo Maioricensi ut in Urbica.

¹ Edit. Main. legit *innodati* (R. T.).

² Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

apostolicis constitutionibus non adversantes, statuere ac praefinire debeas, ab iis, qui huiusmodi laureae gradum consequi voluerint, religiose et fideliter observandas: nos enim tibi facultates desuper necessarias et opportunas eadem auctoritate harum serie tribuimus et impartimur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praefatorum cardinalium.

Contrarius
derogat.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, iudicatis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii aprilis MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 17 aprilis 1673, pontif. anno III.

Registrata in Secret. Brevium, lib. mensis aprilis, part. 1, fol. 416.

CXXX.

Approbatio seu confirmatio decreti sacrae Congregationis episcoporum et regularium contra erectionem domus seu conventus Cappuccinorum in civitate et insulâ Maioricensi, et perpetuum super re impositum silentium.

Clemens Papa X.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in insulâ Maioricae degentium, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod fratres Minores Ordinis eiusdem sancti Francisci Cappuccini nuncupati iam inde ab anno MDCXLIX promovere coeperant fundationem novi conventus in insulâ et civitate Maioricensi, sed, propter angustiam regionis et nimiam quantitatem conventuum et monasteriorum aliorum Mendicantium ac monialium, usque ad nimirum quadraginta trium, in insulâ (quorum viginti septem sunt Mendicantium, et ex eis octo fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, alia duo monachorum, et reliqua monialium) fuerant semper reiecti, et nihilominus, cum de facto ibidem hospitium aperuissent, dicta Congregatio ad supplicationem eorundem fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ die xxviii ianuarii MDCL iniunxerat tunc existenti Ordinario Maioricensi, ut, attentâ contradictione dictorum Mendicantium, nihil innovaret, nec permitteret ut fratres Cappuccini hospitium nec aliam domum permanentem in dictâ civitate aperirent nec retinerent;

§ 2. Verum, dictis fratribus Cappuccinis obedire recusantibus, opus fuerat ut eadem Congregatio die xv iunii eiusdem anni MDCL praecise committeret episcopo ut illos cogeret ad discedendum ab insulâ; sed, illis obstinatissime obedire recusantibus, praevio eorum confugio ad praetensas exemptas domos hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, iterum ipsa Congregatio mandaverat expresse eidem episcopo ut ordinationes

Expositio facti.

Alia sacrae congregationis decreta.

circa eorundem fratrum Cappuccinorum expulsionem huiusmodi (aliàs, prout in terminis dietae Congregationis litteris super praemissis respective emanatis plenius dicitur¹ contineri)²; et successive, nempe die vii septembris MDCLVII, eadem cardinalium Congregatio per sum decretum iniunxerat Ordinario Maioricensi ut non permitteret, contradicentibus aliis Mendicantibus, absque Sedis Apostolicae expressâ facultate in eâ civitate per fratres Cappuccinos conventum erigi, seu per eiusdem loci cives, ministros, seu quoscumque alios, super praemissis quidquam quomodolibet attentari, sed servari circa ea quicquid in ipsis Congregationis litteris ad eundem Ordinarium aliàs datis continebatur mandaret et praeciperet, in contrarium non obstantibus quibuscumque; dictumque decretum etiam per quasdam felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessoris nostri litteras in simili formâ die xxviii ianuarii MDCLVIII expeditas confirmatum fuerat;

§ 3. His tamen non obstantibus dicti fratres Cappuccini die v septembris MDCLXXI, nullâ factâ mentione predictum decretum³ Congregationis praedictae, subreptitiae a nobis per quasdam nostras pariter in formâ Brevis litteras obtinuerant facultatem et licentiam erigendi dictum novum conventum in dictâ civitate Maioricensi de consensu Ordinarii, cum clausulâ tamen *servatis aliàs ex praescripto constitutionum apostolicarum servandis*, prout in eisdem litteris uberius continetur; illarumque vigore die ii augusti proxime praeteriti (non citatis nec auditis memoratis fratribus Minoribus

de Observantiâ nuncupatis, in dictâ insulâ octo conventus, ex quibus duo sunt antiquissimi in ipsâ civitate, habentibus) extorserant consensum a venerabili fratre episcopo Maioricensi, et successive etiam et de nocte in certis domibus hospitium aperuerunt⁴ eum oratorio et cappellâ publicâ, etiam cum campanâ, celebrantes quotidie missas in eâ, prout ex processu publico in dictâ Congregatione exhibito constare dicebatur; unde die xxvii ianuarii proximi praeteriti, propositâ causâ super subreptione dictarum nostrarum litterarum et revocatione attentatorum earum vigore commissorum, Congregatio praedicta, utrâque parte informante, rescripserat seu decreverat easdem litteras nostras tamquam subreptitias non esse exequendas, et quidquid vigore illarum gestum erat, tamquam attentatum esse revocandum, ac servandas esse ordinationes et decreta aliàs data et facta: et in eadem expositione subiuncto, quod, cum eisdem fratribus Cappuccinis contra huiusmodi decretum nova audientia concessa fuisset, praedicti exponentes ex iisdem rationibus supra relatis et aliis deductis in scripturis antea exhibitis cupiebant confirmari dictum decretum, cum impositione etiam perpetui silentii, et praeepto seu specificâ commissione eidem Ordinario Maioricensi, ut per censuras aliaque remedia necessaria omnino compelleret dictos fratres Cappuccinos discedere a praedicta insulâ Maioricensi, iuxta supra relatas ordinationes:

§ 4. Emanavit ab eadem Congregatione novum decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus informantibus, re iterum mature ac diligenter

Novum decretum.

¹ Inepte ed. Main. h. *dicitur* pro *dicitur* (R. T.)

² Patet aliquid deesse, nempe ex. g. *exequetur*, aut simile (R. T.)

³ Patet vel *praedicti decreti* legendum esse vel *praedictorum decretorum* (R. T.)

⁴ Aptius legerem *aperuerant* (n. T.).

Fratres Cappuccini subreptitiae obtinent a Pontificae facultatem erigendi dictum novum conventum de consensu Ordinarii.

discussâ, referente eminentissimo Sanctaerucio, censuit persistendum esse in decreto aliâs die xxvii ianuarii MDCLIII edito, quo praedictis fratribus Cappucinis impositum fuit super praedictâ controversâ fundatione perpetuum silentium, necnon iniungendum esse, prout praesenti decreto iniungit, Ordinario Maioricensi, ut omnia gesta in executionem supradictarum litterarum apostolicarum subreptitiarum, utpote attentata, revocare omnino faciat, ad quem effectum praedicto Ordinario facultatem necessariam et opportunam eadem Congregatio impertita est; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae XXI aprilis MDCLXXIII.

F. M. cardinalis BRANCATIUS.

Loco † sigilli.

N. CASANATA, secretarius n.

Confirmatur a Pontifice.

§ 5. Cum autem, sicut pro parte praedictorum fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmiter subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communi plurimum desiderant: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praesentium, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciimus; salvâ ta-

men semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi maii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 maii 1673, pontif. anno III.

Registrata in Secret. Brevium in lib. mensis maii.

CXXXI.

Præceptum in Carmelitas Discalceos Congregationis Hispaniae, ne audeant

conventum aedificare in oppido de Bilbao Calaguritanae dioecesis.

**Clemens Papa X.
ad futuram rei memoriam.**

Expositio facti.

§ I. Nuper, pro parte dilectorum filiorum magistratus et populi ac capituli et beneficiarum, necnon fratrum conventuum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, et eremitarum sancti Augustini in oppido de Bilbao Calaguritanae dioecesis, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod dilecti pariter filii fratres Carmelitae Discalceati Congregationis Hispaniae, occasione legati cuiusdam domus, horti et furni in dicto oppido existentium sibi a quondam Maria Diaz de Aguirre anno MDCXXVIII¹, ad effectum erigendi ibidem novum conventum eorum religionis, facti, tentaverant diversis vicibus, nempe annis MDCXIX et MDCXXIX ac MDCLXV habere desuper necessarium consensum civium et incolarum ac ecclesiarum parochialium dicti loci, eisque semper fuerat denegatus ex eo quod in eodem loco eiusque suburbiis respective duae aderant parochiales ecclesiae cum viginti quatuor beneficiatis participantibus, et totidem expectantibus, quinque conventus regularium et Mendicantium, quorum duo erant fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, septem monasteria monialium, et sexdecim confraternitates laicales et hospitalia pauperum, et horum ratione praetensa fundatio huiusmodi expresse prohibita fuerat; et quia dicti fratres Carmelitae aperuerant de facto oratorium in quo missam celebrabant, mandatum fuerat illud claudi, prout clausum fuerat;

¹ Ex iis quae sequuntur, videtur potius legendum 1618 (R. T.)

Sed, his non obstantibus, iidem Carmelitae, nullâ factâ mentione praemissorum, imo ex falsâ narratione, quod a civibus et incolis dicti loci de Bilbao desideraretur dicta nova fundatio, et quod redditus ex dicto legato seu haereditate Mariae de Aguirre provenientes et civium pietas ad alendos duodecim fratres sufficere possent, extorserant a felicis recordationis Clemente Papa IX praedecessore nostro specialem commissionem directam Ordinario Calaguritano, ut, constituto sibi de veritate expositorum, petitam licentiam fundandi concedere¹, prout in litteris ipsius Clementis praedecessoris in simili formâ Brevis die XXIV septembris MDCLXVIII expeditis continetur; et successive narrato quod in multis locis regnorum Hispaniae novas domos et monasteria dictae religionis fundari desideraretur, obtinuerant ab eodem Clemente praedecessore sibi confirmari antiqua privilegia apostolica, a recolendae memoriae Paulo V et Gregorio XV Romanis Pontificibus pariter nostris concessa, fundandi ubique locorum de solâ licentiâ Ordinarii, nullâ factâ revocationis amplissimae omnium privilegiorum huiusmodi a pia memoriae Urbano VIII etiam praedecessore nostro mentione, prout in aliis ipsius Clementis praedecessoris pariter in formâ Brevis die VIII octobris eiusdem anni MDCLXVIII emanatis etiam continetur; harumque litterarum vigore extorserant sub die II novembris MDCLXIX a tunc existente vicario generali episcopi Calaguritani licentiam fundandi; sed, recusante populo et clero saeculari et regulari eos recipere, fuerat, de mandato et cum assistentiâ tunc existentis gubernatoris Cantabriae et officialium eiusdem loci de Bilbao, mense ianuario MDCLXX convoca-

¹ Potius lege *concederet* (R. T.).

tum generale consilium ipsius loci, ad effectum videndi an et quanta pars populi ipsos Carmelitas desideraret, ac posset eos suis eleemosynis sustentare; et pariter compertum fuerat omnes dictam novam fundationem recusare ex eisdem causis supra narratis;

Unde, devoluta causâ ad praedictam Congregationem cardinalium, fuerat ab eadem scriptum venerabili fratri moderno episcopo Calaguritano pro informatione, qui, licet retulisset sibi constare per instructiones secretas habitas a viris ab omni suspitione alienis dictique oppidi rerum optime peritis, dictam fundationem nulli in temporalibus damnosam, et omnibus in spiritualibus fore proficuum, ideoque maiorem populi partem illam desiderare; tamen, cum relatio huiusmodi appareret erronea et minus vera ex supra relatis consiliis publicis et contradictionibus semper factis a populo, ecclesiis parochialibus et conventibus S. Francisci et S. Augustini, causâ huiusmodi in praedictâ cardinalium Congregatione die xxv novembris proxime praeteriti propositâ, eadem Congregatio, partibus utrisque informantibus, re mature ac diligenter discussâ, declaraverat non esse locum praetensae fundationi conventus Carmelitarum Discalceatorum in supradicto oppido de Bilbao Calaguritanæ diœcesis, non obstante eorum assertis privilegiis ac indultis apostolicis, quae in casu, de quo agebatur, censuerat eis minime suffragari; ac proinde praedictos fratres Carmelitas non esse amplius super huiusmodi fundatione audiendos: et in eadem expositione subiunxerat quod, cum, non obstante decreto Congregationis huiusmodi, nova audientia dictis fratribus Carmelitis ex speciali rescripto nostro concessa fuisset, praedicti exponentes cupiebant ex eisdem rationibus supra

relatis et antea deductis confirmari dictum decretum, ac, ad obviandum novis scandalis et litibus, declarari quod non liceret eisdem fratribus Carmelitis retinere in dicto loco de Bilbao hospitium nec aliam permanentem habitationem, eum novâ impositione perpetui silentii:

§ 2. Emanavit ab eadem Congregatione decretum tenoris sequentis, qui sequitur, videlicet: « Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et¹ consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus hinc inde informantibus, negotio diligenter et accurate examinato, referente eminentissimo Nino, censuit persistendum esse in decreto aliâs ut supra die xxix novembris MDCLXXII edito, ac propterea non esse locum praenarratae fundationi.

Romae XXI aprilis MDCLXXIII.

F. M. cardinalis BRANCATIUS.

Loco † sigilli

N. CASANATA, secretarius ».

§ 3. Cum autem, sicut iidem exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmiter subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communitari summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis² excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praecursorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesen-

Sacra Congregatio resolvit standum esse priori decreto.

Confirmatio Pontificis.

¹ Particulam et nos addimus (R. T.).

² Edit. Main. legit quibus (R. T.).

tium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI maii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 maii 1673, pontif. anno III.

Registrata in Secretaria in lib. mensis maii.

CXXXII.

Confirmatio et approbatio indulgentiarum Ordini Carmelitarum et confraternitatibus S. Scapularis luclenus concessarum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Commissa nobis divinitus dispensationis ratio exigit ut spiritualium gratiarum concessionibus, quae ex piâ prudentique huius sanctae Sedis liberalitate ad piorum operum incrementum et animarum salutem processerunt, quo firmiter subsistant, apostolici muniminis praesidio constabiliamus, illasque etiam apostolicae benignitatis charitate ampliemus, et alia desuper statuamus, sicuti spirituali christifidelium aedificationi cognoscimus in Domino profuturum.

Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matthaeus Orlandi, prior generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod, cum a diversis Romanis¹ Pontificibus praedecessoribus nostris, ac etiam a nobis, nonnullae indulgentiae ac peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes tam christifidelibus ecclesiis dicti Ordinis visitantibus et alia praescripta pia opera peragentibus, quam confratribus et consororibus confraternitatum S. Scapularis eiusdem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo (quas ubivis locorum extra hanc almam Urbem erigendi et instituendi, illisque certas indulgentias et gratias spirituales, servatâ formâ constitutionis felicitis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri super confraternitatum aggregationibus et institutionibus editae, communicandi, facultas procuratori generalis dicti Ordinis, vel, illo absente, eius

Expositio.

¹ Edit. Main. legit *Romanibus* (R. T.).

vicario generali a recolendae memoriae Paulo PP. V praedecessore pariter nostro attributa fuit) concessae fuerint, ut omnis, quae circa illas oriri posset, dubietas recideretur, ex litteris apostolicis desuper emanatis fideliter excerptum fuit illarum summarium, a dilecto filio nostro Ioanne tituli S. Bernardi in Thermis S. R. E. cardinalis Bona nuncupato revivum, tenoris qui sequitur, videlicet:

Summarium indulgentiarum a diversis Summis Pontificibus concessarum christifidelibus visitantibus ecclesias Ordinis Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo.

Tenor sum-
marii.

Felicis recordationis Sixtus IV in Bullâ *Dum attenda*, datâ kalendis aprilis MCDLXXVII, ad instantiam fratris Christophori Martisoni, prioris generalis Ordinis fratrum Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo, omnes indulgentias et peccatorum remissiones, a diversis Romanis Pontificibus concessas visitantibus ecclesias dicti Ordinis et in dictâ Bullâ recensitas, confirmavit, approbavit et innovavit. Verum, quia plures illarum elargitae et a dicto Sixto IV confirmatae erant sub onere porrigendi manus adiutrices fratribus, monialibus, ecclesiis vel domibus praefati Ordinis, et beatus Pius V per suam Constitutionem *Etsi dominici gregis*, datam vi idus februarii MDLXVII, revocaverat omnes indulgentias, pro quibus consequendis manus adiutrices porrigendae erant; felicis recordationis Gregorius XIII in litteris apostolicis *Ut laudes*, datis xviii septembris MDLXXVII, dictas indulgentias in pristinum et eum, in quo erant ante dictam revocationem, statum restituit et revalidavit, demptâ clausulâ porrigendi manus adiutrices et elargiendi eleemosynas; ita tamen, quod hi christifideles, qui illas consequi voluerint, ecclesias

visitando, sint contriti et confessi, ac loco eleemosynae praedictae septies orationem dominicam, itidemque salutationem angelicam recitent, vel habitum dicti Ordinis gestent, vel vesperas pro defunctis recitent, aut ante sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Corpus terram osculentur, ac pro haeresum extirpatione, sanctaeque Matris Ecclesiae tranquillitate, christianorumque principum pace et unione pias ad Deum preces effundant, et aliâs iuxta praedecessorum suorum litterarum seriem orent, aliaque peragant.

Summarium autem indulgentiarum concessarum est huiusmodi in dictis litteris:

i. Leo PP. IV omnibus christifidelibus, qui ecclesias B. Mariae de Monte Carmelo huiusmodi in festis Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis Dei Genitricis Mariae, S. Michaëlis Arcan-geli, Omnium Sanctorum, in duobus festis S. Crucis, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Ss. martyrum Fabiani et Sebastiani, et in die Parasceves, et per octavas praefatarum festivitatum et vocabulis¹ omnium ecclesiarum dicti Ordinis devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas.

ii. Et Adrianus II, Stephanus V, Sergius III, Ioannes XI, Sergius IV et Innocentius IV omnibus christifidelibus vere poenitentibus, contritis et confessis, qui praefatas ecclesias pie visitaverint in praefatis festivitibus et earum octavis, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.

iii. Item Clemens III, Alexander II, Gregorius V et VII in praefatis festis, et

¹ Potius leg. *vocabulorum*, ut inf. num. viii (R. T.).

in quolibet eorumdem, similem gratiam largiti sunt.

iv. Item Clemens IV iisdem christifidelibus, qui praefatas ecclesias quater in anno visitaverint, videlicet in quatuor festivitibus eiusdem Dei Genitricis Mariae, triginta annos et totidem quadragenas pie concessit.

v. Item in privilegio generali Lucii III remittuntur ab eodem peccata levia, offensae parentum, negligentiae votorum factorum, dum tamen fractor ad vota rediret, et male acquisita, si nescitur cui restitui debeant, praefatis locis seu illorum domibus assignentur.

vi. Demum Innocentius IV et Gregorius VIII concesserunt qualibet die cuiuslibet dicenti *Pater noster et Ave Maria* in dictis ecclesiis semel pro vivis et defunctis, quadraginta dies indulgentiarum.

vii. Rursus Honorius III et Nicolaus IV vere poenitentibus, omnium suorum peccatorum veniam polliciti sunt.

viii. Insuper Honorius IV omnibus vere poenitentibus et confessis dicti Ordinis ecclesias visitantibus, quadraginta annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentibus, videlicet in festo¹ vocabulorum ipsarum ecclesiarum, et in die S. Parasceves, necnon in die S. Crucis, ac in festivitibus Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis Dei Genitricis Mariae, misericorditer in Domino relaxavit et concessit.

ix. Ulterius Benedictus XI omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ter in hebdomada, videlicet, quadragesimali tempore, secunda, quarta et sexta feriis, atque etiam in festis vocabulorum ecclesiarum dicti Ordinis, necnon in diebus sabbatinis ob Beatae Dei Genitricis reverentiam, et in diebus dominicis, easdem ecclesias pie visitaverint, quadra-

ginta annos et totidem quadragenas, et omnium peccatorum septimae partis remissionem in Domino relaxavit, omnesque indulgentias et peccatorum remissiones, a suis praedecessoribus Romanis Pontificibus dicto Ordini concessas, in diebus praedictis duplicando.

x. Item Ioannes XXII omnes indulgentias et peccatorum remissiones a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis dicto Ordini concessas confirmavit, ac quadraginta annos et totidem quadragenas de iniunctis poenitentibus universis christifidelibus, dicti Ordinis ecclesias in qualibet solemnitate quatuor festivitatum Beatae Dei Genitricis Mariae, videlicet Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis, visitantibus, contritis et confessis, in Domino pie concessit. Idemque Ioannes XXII, pro animabus, quae in purgatorio existunt, et habitum huius religionis gestarunt, vel eorum confraternitatem ingressi fuerint, vel confratrum numero adscripti in honorem eiusdem B. Mariae Matris Dei, die sabbati post earum transitum, intercessionibus eiusdem continuis ipsius suffragiis et meritis, ac speciali protectione adiuvandis, privilegium publicavit, corroboravit et confirmavit.

xi. Item Urbanus VI perpetuo concessit iis, qui Ordinem Carmelitarum et fratres eiusdem Ordinis seu fratres gloriosissimae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo vocaverint, nominaverint et appellaverint, si in gratia extiterint, tres annos et totidem quadragenas indulgentiarum.

xii. Nicolaus V omnes indulgentias et peccatorum remissiones, ac omnia privilegia dicto Ordini concessa a praedictis Romanis Pontificibus praedecessoribus suis, in praefatis diebus et festis, motu proprio ampliando confirmavit, at-

¹ Aptius forsán legendum *festis* (R. T.).

que annos septem et totidem quadrage-
nas in Domino relaxavit.

XIII. Sixtus IV omnes indulgentias Or-
dini praedicto, illius domibus, ecclesiis
et personis utriusque sexus, in genere
vel in specie, quomodolibet concessas,
in suo robore in suâque firmitate con-
firmavit, approbavit et de novo conces-
sit, et in Conceptionis, Nativitatis, Prae-
sentationis, Annunciationis, Visitationis,
Purificationis et Assumptionis beatæ Dei
Genitricis Mariæ festivitibus, et per
septem dies sequentes, et in diebus vo-
cabulorum ecclesiarum, visitantibus ec-
clesias, triginta annos et totidem quadra-
genas de iniunctis poenitentis misericor-
diter in Domino relaxavit.

XIV. Denique Clemens VII post Ioan-
nem XXII et Alexandrum V, eorum lit-
teras approbando, habitum gloriosissi-
mæ et beatissimæ Virginis Mariæ ma-
tris Dei gestantibus, seu confraternita-
tem ingredientibus, et alia servantibus
ut in eidem litteris continetur, indul-
gentias, peccatorum remissiones et gra-
tias singulis¹ utriusque sexus concessas
perpetuæ firmitatis robur addidit² et in-
novavit, ipsisque et aliis participationem
omnium bonorum spiritualium totius
Ordinis Carmelitarum et universalis Ec-
clesiæ concessit.

*Aliae indulgentiæ, concessæ visitanti-
bus ecclesias fratrum et monialium
Discalceatorum, extensæ ad visitantes
quaslibet ecclesias Ordinis a sanctis-
simo domino nostro Clemente X per
Breve datum xxx octobris MDCLXIX.*

Sixtus V, per litteras datas xi iulii
MDLXXXVII, concessit christifidelibus, qui
in illorum ecclesiis feriis quintis missæ,
centum, qui vero prædicationi aut le-

¹ Legendum videtur omnibus et singulis
christifidelibus (R. T.).

² Rectam syntaxim ne requiras (R. T.).

ctioni verbi Dei interfuerint, alios cen-
tum, necnon qui ad orandum accesse-
rint interim, quinquaginta dies; qui de-
nique confessi eo die ibi communicave-
rint, tres annos et totidem quadragenas
de iniunctis seu aliis debitis poeniten-
tiis misericorditer in Domino relaxavit.

Gregorius XV, per litteras datas xix
septembris MDCXXII, indulgentiam plena-
riam iis, qui confessi et sanctâ commu-
nione refecti visitaverint illorum eccle-
sias in festo sanctæ Teresiae, et orave-
rint pro christianorum principum con-
cordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctâ
matris Ecclesiæ exaltatione.

Urbanus VIII, per litteras datas x maii
MDCXXIV, similem indulgentiam plenariam
illis, qui orationi quadraginta horarum,
de licentiâ Ordinariorum in ecclesiis dic-
torum fratrum tantum semel in anno
instituendæ, per aliquod spatium devote
interfuerint, et ut præfertur oraverint,

Denique sanctissimus dominus noster
Clemens X, per litteras datas die xi au-
gusti MDCLXX et xvi maii MDCLXXII, ple-
nariam indulgentiam, in festis beatissi-
mæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo,
sanctorum Andreae Corsini episcopi, An-
geli martyris, Alberti confessoris, et san-
ctæ Mariæ Magdalænæ de Pazzis, iis
qui aliquam ex ecclesiis dictis Ordinis
visitaverint et oraverint ut supra.

*Aliae indulgentiæ concessæ omnibus
christifidelibus a præfato Sixto V in
supradictis litteris.*

Illis, qui hoc modo salutaverint alios,
nempe suo vulgari seu latino sermone:
Laudetur Iesus Christus, et his qui sic
responderint: *In saecula*, vel *Amen*, vel
Semper, utrisque tam salutantibus quam
respondentibus, quinquaginta dies, ubi-
cumque id factum fuerit.

Qui nomen Iesu ore nominaverint re-
verenter, vel nomen Mariæ, quinquæ-

ginta dies; qui vero in articulo mortis ore, vel corde si ore non potuerint, idem nomen, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi vel nominandi idem nomen Iesu, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam.

Qui litanias eiusdem SS. Nominis approbatas recitaverint, tercentos, qui litanias eiusdem beatissimae Virginis Mariae, ducentos. Neenon praedicatoribus verbi Dei, qui, inter praedicandum, ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen Iesu et Mariae, auditores monuerint, et quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias concessit.

Summarium indulgentiarum a felicis memoriae Paulo V, per litteras in forma Brevis datas XXX octobris MDCVI, XXXI augusti MDCIX, et XIX iulii MDCXIV, concessarum confraternitati sacri Scapularis, seu beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo.

I. Concessit omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui confraternitatem sacri Scapularis ubivis locorum, tam haecenus canonice institutam, quam deinceps instituendam, de cetero ingreduntur, et habitum acceperint, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam.

II. Descriptis et describendis in dicta confraternitate vere poenitentibus et confessis, qui in festo principali Commemorationis eiusdem beatae Virginis Mariae die XVI mensis iulii, aut, iuxta ritum nonnullorum locorum, die dominicâ immediate sequenti celebrari solito, sanctissimae Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac san-

ctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam.

III. Qui in articulo mortis, poenitentes et confessi, ac sanctissimâ communionem refecti, nomen Iesu, ore, si potuerint, sin autem, corde, devote invocaverint, plenariam.

IV. Qui poenitentes et confessi, ac sacramentum communionem refecti, processioni, in unâ dominicâ cuiuslibet mensis per dictam confraternitatem de Ordinarii loci licentiâ faciendae, devote interfuerint, et ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam.

V. Qui ab esu carnum iis diebus, quibus confratres dictae confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies.

VI. Qui qualibet die septies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam ad honorem septem gaudiorum eiusdem Virginis Mariae recitaverint, quadraginta dies.

VII. Qui, cum habitu eiusdem confraternitatis, poenitentes et confessi, semel in mense sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et ut praefertur oraverint, quinque annos et totidem quadragenas.

VIII. Qui, poenitentes et confessi, in qualibet ex festivitibus eiusdem beatae Virginis Mariae sanctissimum Eucharistiae sacramentum in ecclesiâ vel cappellâ dictae confraternitatis devote sumpserint, et, ut supradictum est, oraverint, tres annos et totidem quadragenas.

IX. Qui cum lumine sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, et pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos et totidem quadragenas.

X. Qui corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, et pro eorum animabus ad Deum oraverint, centum dies.

XI. Qui officium B. Mariae Virginis devote recitaverint, centum dies.

XII. Qui missis et aliis divinis officiis in ecclesiâ seu cappellâ aut oratorio confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis sive congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis ubique faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus vel in pericula¹ peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint, aut devium aliquem ad viam salutis reducerint, et ignorant² Dei praecepta et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, tolies pro quolibet praedictorum piorum operum, centum dies de iniunctis eis seu aliâs quomodolibet debitis poenitentis in formâ Ecclesiae consuetâ concessit et relaxavit.

XIII. Insuper concessit priori generali Ordinis, vel, illo absente, eius vicario generali, ut huiusmodi confraternitatem beatissimae Virginis Mariae de Morte Carmelo ubivis locorum extra Urbem erigere et instituere, illisque supradictas indulgentias et gratias in spiritualibus, servatâ formâ praescriptâ in Constitutione felicis recordationis Clementis VIII super confraternitatum aggregationibus et institutionibus editae, communicare possit.

XIV. Denique sanctissimus dominus noster Clemens X per litteras suas in formâ Brevis datas die II ianuarii MDCLXXII indulisit ut omnes supradictae indulgentiae, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, per felicis memoriae Paulum V concessae, animabus

¹ Potius lege *periculo* (R. T.).

² Perperam ed. Main. legit *ignoranter* (R. T.).

christifidelium per modum suffragii applicari possint.

Hoc summarium fideliter excerptum est ex Bullis et Brevibus citatis.

IOANNES BONA cardinalis.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Matthaeus prior generalis summarium huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, nonnullaque dubia praemissorum occasione emergentia dissolvi plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 4. Nos igitur, ipsius Mathaei prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, summarium praesentium, omniaque et singula in eo contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 5. Praeterea, ut confratres et consorores dictarum confraternitatum S. Scapularis, tam hactenus erectarum quam in futurum erigendarum, qui processionem in unâ dominicâ cuiuslibet mensis ab illis fieri solitae commode interesse non potuerint, si vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, cappellas suarum respective confraternitatum devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris

Petito.

Confirmatio
ut in rubrica.

Novas indulgentias* addit
Pontifex.

Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, quam Paulus V praedecessor illis qui processioni huiusmodi intersunt concessit, pariformiter consequantur; et similiter infirmi, captivi et peregrinantes, qui cappellas huiusmodi dictâ dominicâ visitare nequiverint, si officium parvum B. Mariae Virginis, aut quinquages orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverint, et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi et sacram communionem recipiendi quamprimum potuerint, quod adimplere omnino teneantur; fratres quoque et moniales Ordinis praefati commorantes in conventibus, in quibus non est erecta confraternitas S. Scapularis, vel non sit processio huiusmodi, si litanias Omnium Sanctorum in choro, vel privatim si legitime impediti non potuerint interesse choro, devote recitaverint, ceteraque in litteris praefati Pauli praedecessoris praescripta adimpleverint, praefatam plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem etiam consequantur, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et indulgemus.

Facultas transferendi festum principale dictae confraternitatis.

§ 6. Porro festum principale confraternitatum S. Scapularis huiusmodi, iuxta indultum ab eodem Paulo praedecessore concessum, die xvi mensis iulii vel dominicâ immediate sequenti quotannis celebrari solitum, ob maiorem devotionem vel commoditatem christifidelium, aut quando eâdem die occurret alias solemnitas, in aliam dominicam eiusdem mensis transferri permittimus.

Soli superiores generales private quo ad alios in quibusque ecclesiis instituire dictam confraternitatem possunt, prout in rubricâ.

§ 7. Soli autem superiores generales dicti Ordinis possint extra Urbem praefatam in singulis ecclesiis eiusdem Ordinis, et in quibuscumque aliis accedente consensu Ordinariorum, confraternitates praefatas, servatâ ceteroqui praefatarum

Pauli praedecessoris litterarum formâ et dispositione, instituere, et nullus alius sub poenâ nullitatis.

§ 8. Insuper ad augendam fidelium ^{Alia indulgentiae.} religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem reffectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis, in Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem beatæ Mariae Virginis Immaculatae festis diebus, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Illis autem, qui ad antiphonam *Salve Regina*, quae quotidie post completorium in eiusdem ecclesiis solemniter decantatur, convenient, et ut praefertur orabunt, centum dies de iniunctis eis, seu aliâs quomodolibet debitis poenitentibus in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Postremo illis, qui aliquam ex ecclesiis eiusdem Ordinis in diebus stationum ecclesiarum Urbis praefatae, prout in missali romano exprimuntur, devote pariter visitaverint, et ibidem prout praenittitur oraverint, ut eas omnes et singulas indulgentius et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si eiusdem Urbis ecclesias¹ in diebus stationum huiusmodi personaliter et devote visitarent, dictâ auctoritate, harum serie, concedimus similiter et indulgemus.

¹ Male ed. Main. legit *eisdem Urbis ecclesiis* (R. T.).

Decretum irritans.

§ 9. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definitum debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 11. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno III^o.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 8 maii 1673, pontif. anno IV.

Registrata in Secretariâ in libro mensis maii, part. II, fol. 193.

CXXXIII.

Extensio et declaratio Brevis, circa confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ere-

1 Ab electione legendum est IV (N. T.).

ctas et erigendas et alia nuper emanata, ad confraternitates a ministro generali et procuratore generali Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis erectas et erigendas, cum omnibus clausulis, concessionibus et decretis expressis in dicto Brevis.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Aliàs nos, supplicationibus dilectorum filiorum Petri Mercier ministri generalis et Dominici Tafuri in Romanâ Curiâ procuratoris generalis Ordinis fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, certas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, confraternitatibus sub invocatione eiusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis et erigendis dudum a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro concessas, ac desuper emanatas ipsius Pauli praedecessoris litteras, auctoritate apostolicâ confirmavimus et approbavimus, necnon earundem confraternitatum, tam erectarum quam erigendarum, confratribus et consorioribus, certa tunc praescripta pietatis opera peragentibus, nonnullas alias indulgentias et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes dictâ auctoritate concessimus.

Pontifex confirmavit certas indulgentias, quas Paulus V concessit confraternitatibus SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Alias vero indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, si quae praeter sic confirmatas et de novo concessas confraternitatibus praefatis quovis modo generaliter concessae, et nondum revocatae essent, aut quomodolibet praetenderunt¹, eadem auctoritate perpetuo revocavimus et annullavimus. Praeterea praefatis Pe-

Aliasque praeter sic confirmatas revocavit.

1 Potius lege praetenderentur (R. T.).

tro et Dominico, ac pro tempore existentibus ministro generali et procuratori generali dicti Ordinis, eiusmodi confraternitates ubivis locorum erigendi et instituendi, illisque praefatas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, servatâ tamen ceteroqui constitutione recolendae memoriae Clementis Papa VIII praedecessoris pariter nostri super confraternitatum erectionibus et aggregationibus editae formâ, communicandi facultatem impertiti sumus; ac novam formulam in functione quadam, quam *communicacionem indulgentiarum* vocant, quaeque, certis anni diebus, a¹ fratribus dicti Ordinis in eorum ecclesiis fieri solet, de cetero servandam praescripsimus, et aliâs, prout uberius continetur in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor litterarum ipsius Pontificis.

§ 2. *Clemens Papa X, ad perpetuam rei memoriam.* Ex inunctae² nobis caelitus dispensationis munere³, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XI februarii MDCCLXXIII, pontificatus nostri anno III.

Postio.

§ 3. Cum autem, sicut dilecti pariter filii Antonius a Conceptione, minister generalis, et Philippus a Iesu, in eadem Romanâ Curia procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum nuncupatorum dicti Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, nobis nuper exponi fecerunt, Congregatio praefata eiusque superiores et fratres quicumque a iurisdictione et superioritate ministri generalis aliorumve quorumvis superiorum Ordinis praefati apostolicâ auctoritate perpetuo exempti

¹ Praeposit. a nos addimus (R. T.).

² Supra pag. 387 b lectum fuit *inuncto* (R. T.).

³ Reliqua, prorsus inutiliter repetita, omittimus, quia Constitutio integra habetur paulo ante, pag. 387 et seq. (R. T.).

reperiantur, ac ipsius Congregationis minister generalis et in Romanâ Curia procurator generalis, eiusmodi confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erigendi, illisque certas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes communicandi, parem habeant ex indulto Sedis Apostolicae facultatem, et functio praedicta, quam *communicacionem indulgentiarum* vocant, a fratribus dictae Congregationis Hispaniae in eorum ecclesiis pariformiter fieri soleat; ipsi vero Antonius minister generalis et Philippus procurator generalis difficultates et dubietates, super indulgentiis et gratiis spiritualibus, quae confraternitatibus huiusmodi ab eadem Sede concessae sunt seu praetenduntur, exortas, pariter recidi plurimum desiderant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praenissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignemur.

§ 4. Nos igitur, ipsorum Antonii ministri generalis et Philippi procuratoris generalis desiderio hac in re, quantum nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quas per litteras praesertim confirmavimus, ac de novo concessimus respective, omnibus et singulis confraternitatibus sub invocatione eiusdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum per ministros generales et in

Declaratio ut in rubrica.

Romanâ Curiâ procuratores generales¹ dictae Congregationis fratrum Discalceatorum Hispaniae haecenus, ceteroqui canonice, erectis et in futurum quodcumque erigendis, illarumque confratribus et consorioribus, servatâ tamen praesertarum litterarum formâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus, ac perpetuo concessas esse et fore decernimus et declaramus.

Alias indulgentias revocat.

§ 5. Alias vero omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, si quae praeter sic a nobis confirmatas et de novo concessas his confraternitatibus quovis modo generaliter concessae et nondum revocatae sint aut praetendantur, dictâ auctoritate, harum serie, itidem perpetuo revocamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectui penitus et omnino vaenamus.

Eisdem ministro generali et procuratori generali Congregationis fratrum Discalceatorum Hispaniae facultatem dictas confraternitates et singulas dictas indulgentias communicandi.

§ 6. Porro tam praefatis Antonio et Philippo modernis, quam pro tempore existentibus ministro generali et in Romanâ Curiâ procuratori generali dictae Congregationis fratrum Discalceatorum Hispaniae, ut² huiusmodi confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum pariter erigere et instituere, illisque omnes supradictas a nobis confirmatas et de novo respective concessas, non autem alias illas, indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes communicare libere similiter et licite possint et valeant, et eorum quilibet possit et valeat, servatâ pariter supradictae Constitutionis Clementis praedecessoris formâ et dispositione, facultatem, auctoritate et tenore praefatis, tribuimus et impartimur.

Manus scripti formam

§ 7. Ceterum in functione praefatâ,

¹ Male edit. Main. legit *generalis* (R. T.).

² Vale edit. Main. legit *et pro ut* (R. T.).

quam *communicationem indulgentiarum* praescriptam in communicatione indulgentiarum. vocant, per fratres Discalceatos dictae Congregationis Hispaniae posthaec obendumâ formulam, in praesertis nostris litteris sicut praemittitur praescriptam, de cetero similiter servari volumus.

§ 8. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et oblinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ed definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, nec non omnibus et singulis illis quae in litteris praesertis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 10. Volumus autem ut ipsarum quoque litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III Iunii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

L. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 Iunii 1673, pontif. anno IV.

Registr. in Secret. in libro Brevium mensis Iunii, part. utraque, fol. 592.

CXXXIV.

Indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis tam canonicorum regularium quam monialium Ordinis Praemonstratensium in festiuitatibus Assumptionis B. M. V. et sancti Augustini, ac festo sancti Norberti, vel dominicâ infra illius octavam, et die XIII novembris qua fit commemoratio sanctorum dicti Ordinis.

Clemens Papa X.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad augendam fidelium religionem, fovendamque et incitandam erga beatos patriae caelestis incolas pietatem, arbitramur in Domino profuturum.

Indulgentia ut in rubrica.

§ 1. Volentes itaque ecclesias tam canonicorum regularium quam monialium Ordinis Praemonstratensium a sancto Norberto, qui tamquam lucerna ardens supra candelabrum in domo Domini positus apostolicis charismatibus aliisque eximiis divinae gratiae donis longe lateque refulsit, sub speciali beatissimae Virginis Dei Genitricis Mariae protectione ac sancti Augustini regulâ salubriter instituti, ut condignis frequententur honoribus, et fidelium ad eas confluentium devotio augeatur, aliquo gratiarum spiritualium munere decorare, supplicationibus dilecti filii Francisci Buyrette, canonici regularis expresse professi et procuratoris generalis eiusdem Ordinis, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem refectis,

qui aliquam ex ecclesiis quoruncumque monasteriorum tam canonicorum regularium quam monialium dicti Ordinis Praemonstratensium hactenus erectis et in posterum quodcumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in Assumptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae et sancti Augustini festiuitatibus, ac die festo sancti Norberti praedicti, vel dominicâ infra illius octavam, et die XIII novembris, qua omnium sanctorum Ordinis praefati commemoratio ibidem fieri solet, necnon quacumque ecclesiam eiusdem Ordinis die festo specialis patroni seu titularis ipsius ecclesiae, cuius nomen in martyrologio romano annotatum reperiatur, a primis vespers usque ad occasum solis dierum huiusmodi, annis singulis, devote visiterint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praedictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII Iulii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 5 Iulii 1673, pontif. anno IX.

Registr. in Secret. in lib. IV Brevium diversorum, fol. 184.

CXXXV.

Confirmatio et innovatio Brevis Pauli V quo conceditur ministro et commissario generalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia facultas erigendi confraternitates Chordigerorum sancti Francisci in ecclesiis eorum Ordinis, ubi non adsint ecclesiae vel conventus Minorum Conventualium, cum declaratione quod eis licuerit et liceat eiusmodi confraternitates etiam in Indiis erigere, illisque indulgentius communicare.

**Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.**

Paulus V confraternitatibus ut in rubrica indulgentias concessit.

§ 1. Dndum felicitis recordationis Paulus PP. V praedecessor noster (qui certas unicuique archiconfraternitati indulgentias et gratias spirituales, quibus in posterum frueretur, duxerat praescribendas), omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, archiconfraternitati Chordigerorum in ecclesia domus fratrum sancti Francisci Assisiensis Ordinis Minorum Conventualium canonice erectae, et illius confratribus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos concessas, revocans et annullans, ac nullius roboris et momenti exinde fore declarans, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui, in memoriam eiusdem sancti Francisci, chordam benedictam ab eiusdem Ordinis superioribus suscipientes, praedictam archiconfraternitatem de caetero ingrederentur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, plenariam; ac tam ipsis pro tempore describendis, quam iam descriptis in dicta archiconfraternitate con-

fratribus et consororibus, etiam vere poenitentibus et confessis ac sacra communione relectis, qui praedictae archiconfraternitatis ecclesiam seu oratorium in festo principali eiusdem archiconfraternitatis a primis vespers usque ad occasum solis eiusdem festi singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effluisent, etiam plenariam; in mortis quoque articulo eisdem confratribus et consororibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione relecti, vel, quatenus id facere nequirent, saltem vere poenitentes, nomen Iesu ore, si possent, sin minus, corde devote invocarent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit. Nec non ipsis confratribus et consororibus, qui praedictae archiconfraternitatis processioni singulis mensibus fieri solitae interfuissent, tres annos et totidem quadragenas; qui vero officio beatae Mariae Virginis, ab eiusdem archiconfraternitatis confratribus pro tempore celebrando et recitando, aut cuius alteri officio pariter interfuissent, centum dies; insuper eisdem qui SS. Sacramentum, quando ad infirmos deferretur, comitati fuissent, quinque annos et totidem quadragenas; qui vero pariter vere poenitentes et confessi ac sacra communione relecti aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci, in eiusdem sancti Francisci ac sancti Antonii de Padua, sancti Bonaventurae, sancti Ludovici episcopi, sancti Bernardini et sanctae Clarae festivitibus, similiter a primis vespers usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi, singulis annis visitavissent et oravissent ut praefertur, quo die festivitatum huiusmodi id egis-

sent, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam comitati fuissent, aut alicui pauperi personae in eius necessitatibus subvenissent, aut pacem inter inimicos composuissent, toties, pro quolibet praedictorum operum, centum dies de iniunctis eis seu aliis quomodolibet debitis poenitentis in formam Ecclesiae consuetam relaxavit. Insuper eisdem confratribus et consororibus, ut supradictas indulgentias et gratias spirituales consequi et illas animabus defunctorum per modum suffragii applicare possent, concessit et indulxit.

Facultatem
dedit ministro
generali Minorum
Conventualium
erigendi
huiusmodi con-
fraternitates in
qualibet eccle-
sia sui Ordinis.

§ 2. Praeterea tunc et pro tempore existenti praedicti Ordinis Minorum Conventualium ministro generali, ut confraternitates laicorum utriusque sexus sub dicta invocatione Chordigerorum sancti Francisci in qualibet ecclesia fratrum sui Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci erigere et instituere, servatam tamen formam praescriptam in constitutionibus recolendae memoriae Sixti PP. V sub datum XIII kalendas decembris, pontificatus sui anno I, et Clementis PP. VIII, praedecessorum suorum, super hoc editis, posset et valeret, facultatem impertitus est; quae quidem confraternitates, sic et postquam erectae et institutae fuissent, eidem archiconfraternitati sancti Francisci Assisiensis iuxta praedictam Sixti V constitutionem essent et esse intelligerentur aggregatae; et alias, prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper in simili formam Brevis die II martii MDCVII expeditis, quas perpetuis futuris temporibus durare voluit, continetur.

Sixtus V fa-
cultatem con-
cessit ministro
et commissario
generali Ordinis
fratrum Mi-
norum sancti

§ 3. Et subinde (cum, ex concessione praefati Sixti praedecessoris, ministro generali et commissario generali Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Fran-

cisci de Observantia nuncupatorum, in ecclesiis eorum Ordinis, in locis videlicet in quibus ecclesiae vel conventus fratrum Conventualium non existerent, huiusmodi confraternitates Chordigerorum erigendi et instituendi facultas attributa fuisset) memoratus Paulus praedecessor eisdem ministro generali et commissario generali, et eorum cuilibet, ut in ecclesiis eorum Ordinis tantum in locis in quibus non extarent conventus vel ecclesiae Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci confraternitates Chordigerorum sancti Francisci utriusque sexus erigere et instituere, illisque, sic erectis et institutis, indulgentias et gratias spirituales supradictas communicare libere et licite possent et valeret, servatam tamen formam in praedictis constitutionibus Sixti et Clementis praedecessorum traditam, quemadmodum in supradictis Pauli praedecessoris litteris expressum reperitur, facultatem perpetuo duraturam auctoritate apostolica concessit et impertitus est; et alias, prout in alteris ipsius Pauli praedecessoris litteris pariter in formam Brevis die XXV septembris eiusdem anni MDCVII emanatis, quarum et priorum eius litterarum praefatarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius etiam continetur.

Francisci de
Observantia n-
rigendi dictas
confraternitates
in ecclesiis eo-
rum Ordinis ubi
non existerent
fratres Conven-
tuales.

§ 4. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus Maria a Bononia, prior generalis dicti Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, quo firmiora sint ea, quae iterato Apostolicae Sedis patrocinio muniuntur, et¹ aliquod dubium exortum decidatur, an dilectis pariter filiis ministro generali et commissario generali eiusdem Ordinis hu-

Petito.

¹ Legerem ut pro et (R. T.).

iusmodi Chordigerorum confraternitates in Indiis tam orientalibus quam occidentalibus erigendi, illisque indulgentias et gratias spirituales supradictas communicandi facultas per posteriores Pauli praedecessoris litteras praefatas attributa reperitur: nobis propterea dictus Franciscus Maria procurator generalis, etiam eorundem ministri generalis ac commissarii generalis nomine, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio
ut in rubrica.

§ 5. Nos igitur, ipsos Franciscum Mariam procuratorem generalem ac ministrum et commissarium generales spiritualibus favoribus et gratiis annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatae¹ existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas² fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, facultatem erigendi et instituendi confraternitates Chordigerorum sancti Francisci utriusque sexus in ecclesiis Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ tantum, nempe in locis in quibus non extent conventus vel ecclesiae dicti Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium, illisque sic erectis et institutis indulgentias et gratias spirituales supradictas, sicut praemittitur, communicandi, pro tempore existentibus ministro generali et commissario generali eiusdem Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ a memorato Paulo praedecessore concessam, ut praefertur, expeditasque desuper ipsius Pauli praede-

¹ Edit. Main. legit *innotati* (v. T.).

² Edit. Main. legit *absolvas* (v. T.).

cessoris litteras praefatas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus.

§ 5. Sic ac eisdem ministro et commissario generalibus, eorumve cuilibet, eiusmodi confraternitates Chordigerorum sancti Francisci, in ecclesiis eorum Ordinis tantum, ubicumque etiam in Indiis tam orientalibus quam occidentalibus consistentibus, in locis tamen ubi non sint ecclesiae vel conventus praefati Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium, erigere et instituere, illisque omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes aliasque gratias spirituales praefatas, servatâ tamen dictarum constitutionum Sixti et Clementis ac litterarum Pauli praedecessorum praefatorum formâ et dispositione, communicare licuisse, et deinceps perpetuis futuris temporibus licere, auctoritate et tenore praedictis declaramus.

Declarat eis
hanc facultatem
competere ubi-
cumque etiam
in Indiis tam
orientalibus,
quam occiden-
talibus.

§ 6. Praeterea, confratres et consorores confraternitatum huiusmodi, ubicumque locorum, etiam in Indiis orientalibus et occidentalibus, per ministrum generalem et commissarium generalem dicti Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ pro tempore existentes, seu eorum alterum, hactenus sicut praemittitur erectarum, et deinceps quandocumque erigendarum, ad christianaе pietatis opera peramplius incitare cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis eorundem confraternitatum confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis fratrum Minorum

Indulgentias
confratribus su-
peraddit.

sancti Francisci de Observantiâ in eiusdem sancti Francisci sacrorum stigmatum, sancti Didaci, sancti Petri de Alcantara, sanctorum martyrum eiusdem Ordinis, sancti Ludovici regis Francorum, et sanctae Elisabethae reginae Hungariae festivitibus, a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die festivitatum huiusmodi id egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliâs quomodolibet debitis poenitentis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus.

Decretum irritans.

§ 7. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogatio.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praefatis Pauli praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicu-

ius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiii iulii MDCLXXIII, pontificatus nostri anno iv.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 13 iulii 1673 pontif. anno iv.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis iulii, part. utraque, fol., 594.

CXXXVI.

Indultum ut in omnibus Hispaniarum regnis festum B. Ferdinandi III regis Castellae et Legionis de praecepto servari et celebrari possit, ac officium de illo sub ritu duplici, cum lectionibus propriis a S. Congregatione Rituum approbandis, recitari valeat.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exigit apostolicae servitutis ministerium, quod imbecillitati nostrae committere voluit divina dignatio, ut pia sublimium principum, orthodoxae fidei tuendae et propagandae zelo aliisque multiplicibus in Ecclesiam Dei meritis conspicuorum, vota, quibus beatorum caelestis Hierusalem civium immarcescibili gloriae coronâ redimitorum veneratio in terris promovetur, ad exauditionis gratiam paternâ charitate admittamus.

Exordium.

§ 1. Aliâs siquidem nos, piis enixisque charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici et charissimae in Christo filiae nostrae Mariannae eandem Hispaniarum reginae catholicae viduae, eius genitricis, precibus nobis humiliter porrectis inclinati, ut in om-

Indultum aliis datum.

nibus regnis Hispaniarum et ditionibus eidem Carolo regi subiectis, et in ecclesia Ss. Iacobi et Idelphonsi de Urbe nationis Hispanorum, de servo Dei Ferdinando III rege Castellae et Legionis, cognomento *Sancto*, missa et officium de communi Confessorum non Pontificum sub ritu duplici iuxta rubricas breviarii et missalis romani quotannis in perpetuum die xxx maii, qua idem servus Dei obdormivit in Domino, celebrari, et ab omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari libere et licite possent et valent respective, auctoritate apostolicâ concessimus; et aliâs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die vii februarii MDCLXXI expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Extendit in-
dultum in ru-
brica.

§ 2. Nunc autem, ampliolem memoratis Carolo regi et Mariae reginae gratiam facere, piisque et devotis eorum supplicationibus, nobis per dilectum filium nostrum Joannem Everardum S.R.E. presbyterum cardinalem Nidhardum nuncupatum, dicti Caroli regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, super hoc humiliter porrectis, favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut in omnibus Hispaniarum regnis praedictis festum praedicti beati Ferdinandi regis de praecepto servari et celebrari possit, ac officium de illo sub ritu duplici, cum lectionibus propriis a Congregatione eorundem cardinalium approbandis, recitari valeat, auctoritate praedictâ, harum serie, concedimus pariter et indulgemus.

Derogat con-
trariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus
1 Coniunct. et nos addimus (R. T.).

et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptum
fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvi augusti MDCLXXIII, pontificatus nostri anno iv.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 26 augusti 1673, pontif. an. iv.

Registrata in lib. iv Brevium diversorum fol. 121.

CXXXVII.

Declaratio, quod religiosi Congregationis fratrum Excalceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum expresse professi nequeant e dictâ religione ad aliam quamcumque, etiam Carthusianorum, absque speciali Sedis Apostolicae indulto, se transferre.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancti apostolatus officium, humilitati nostrae, meritis licet imparibus, ab Altissimo commissum, salubriter exequi adiuvante Domino iugiter satagentes, peculiarem christifidelium divinis obsequiis sub suavi arctioris religionis iugomancipatorum curam gerimus, et, ut in eâ vocatione, qua vocati sunt, constanter perseverent, providere studemus, sicut ad felicem religionis progressum salubriter expedire in Domino abiteramur.

Exordium.

Polo.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Franciscus de S. Marco, procurator generalis Congregationis fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, nobis nuper exponi fecit, per quasdam felicis recordationis Callisti Papæ III prædecessoris nostri litteras, anno Incarnationis Dominicæ MDCLVII kalendis novembris sub plumbo expeditas, cautum fuerit, ne præfati Ordinis religiosi ad aliam religionem transire possent; et ¹ subinde recolendæ memoriæ Urbanus Papa VIII, etiam prædecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XIX ianuarii MDCXXVIII emanatas litteras, fratribus Excalceatis dicti Ordinis transitum ad religiosos Calceatos eiusdem Ordinis, absque expressâ Sedis Apostolicæ licentiâ, interdixerit; et aliâs, prout in dictis litteris uberius dicitur contineri: in capitulo autem generali præfatorum fratrum Excalceatorum, quod anno proxime præterito MDCCLXXII a die IV usque ad XIV mensis iunii celebratum fuit, omnium calculo decretum fuerit, nobis esse supplicandum, ut litteras præfatas confirmare ac dictis fratribus Excalceatis transitum etiam ad Ordinem Carthusianorum prohibere de benignitate apostolica dignaremur:

Declaratio ut in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, præfati Francisci procuratoris generalis votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum

¹ Male edit. Main. legit *ut pro et* (R. T.).

fore censes, supplicationibus totius Congregationis præfatae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium præpositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, religiosos, Ordinem fratrum Excalceatorum S. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum expresse professos, non posse e suâ religione ad aliam quamcumque, etiam Carthusianorum, absque speciali Sedis Apostolicæ indulto, se transferre, auctoritate apostolicâ, tenore præsentium, declaramus; salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

§ 3. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sique in præmissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus¹, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis

Contrariis derogat.

¹ Deest vox *apostolicis* (R. T.).

et insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio-
num fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die xxvi augusti MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 26 augusti 1673, pontif. an. IV.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis septembris part. 1, fol. 119.

CXXXVIII.

Diversae ordinationes pro felici statu, regimine et manutentione custodiae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, iuxta resolutionem sacrae Congregationis episcoporum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Exigit iniunctae nobis caelitus apostolicae servitutis ratio, ut religiosorum virorum coetus sub suavi severioris disciplinae iugo Christo militantes, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris aurâ proferre iugiter satagentes, in eorum laudabilibus institutis confovere, illorumque tranquillitati ac felici regimini et incremento,

quantum nobis ex alto conceditur, prospicere studeamus.

§ 1. Cum itaque custodia S. Petri de Alcantara, in regno Neapolitano, fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, aliis in executionem quarundam nostrarum in simili formâ Brevis litterarum auctoritate apostolicâ erecta et instituta, variisque gratiis et ordinationibus pro felici eius gubernio emanatis per alias nostras pariter in formâ Brevis litteras decorata atque stabilita, multis tamen in sui primordio tam Romae quam subinde in Hispania contradictionibus vexata, et per illas tamquam aurum in fornace probata et purificata, ac ab illis, quippe insubsistentibus, et ex animositate provenientibus, tum iudicio Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, tum carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, qui pro eximiâ suâ erga nos et Sedem Apostolicam reverentiâ rem omnem ad supremum nostrum et dictae Sedis iudicium remisit, aequitate atque pietate liberata fuerit:

§ 2. Hinc est quod nos, felici prospereque eiusdem custodiae statui, regimini et incremento, quantum cum Domino possumus, providere, ac eiusmodi perturbationibus ansam in futurum praecidere cupientes (de memoratorum cardinalium qui relationem venerabilis etiam fratris nostri²), necnon dilectorum filiorum custodis et defnitorum ac fratrum dictae custodiae sigulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ec-

Custodia S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ initium et progressus.

Statuit ne quisquam contra statum perpetuamque conservationem dictae custodiae aliquid audeat attentare.

¹ Perperam edit. Main. legit *iudicia* (R. T.).

² Pericopes ista, infra parentthesin clausa, praeter rem est, et infra trasponenda post verbum *censentes* (R. T.).

clesiasticis sententiis, censuris et poen-
nis, a iure vel ab homine, si quibus
quomodolibet inmodatae¹ existunt, ad ef-
fectum praesentium dumtaxat consequen-
dum, harum serie absolventes et abso-
lutas² fore censentes, de memoratorum
cardinalium, qui relationem venerabilis
etiam fratris nostri³ Francisci episcopi
Ostiensis eiusdem S. R. E. cardinalis
Barberini nuncupati, dicti Ordinis apud
nos et Sedem Apostolicam protectoris
perpenderunt, consilio, ac motu proprio,
et ex certâ scientiâ et maturâ delibera-
tione nostris, deque apostolicae potes-
tatis plenitudine, ne de cetero quisquam,
etiam quavis praeceminentiâ, potestate,
officio vel superioritate fungens seu
quandocumque functurus, quidquam con-
tra statum, perpetuamque conservatio-
nem custodiae praefatae, quae, maturâ
consideratione praeviâ, auctoritate nostrâ
erecta fuit, et in qua sancti Francisci
regula stricte ac debito rigore servatur,
aut contra litterarum praefatarum dispo-
sitionem, quovis quaesito colore, prae-
textu vel ingenio, attentare audeat seu
praesumat, tenore praesentium districte
et perpetuo prohibemus et interdici-
mus. Nos enim, eandem custodiam Dei
servitio ac animarum saluti fideliumque
aedificationi promovendae perutilem esse,
nec ullum praepiudicium aut incommo-
dum, sed potius decorem Ordini prae-
fato adferre, harum serie declaramus.

Quomodo ca-
pitulum cele-
bratum et eli-
cimus factu
dae.

§ 3. Ac praefato Franciseo cardinali
protectori, ut, audito dilecto filio com-
missario generali curiae dicti Ordinis, qui,
durante absentia ministri generalis, su-
perior dictae custodiae existit, capitulum
ipsius custodiae celebrari facere, et pro
hac vice tantum commissarium visitato-

¹ Edit. Main. legit *innodati* (R. T.).

² Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

³ Pericopem *de memoratum . . . nostri* huc
trastulimus (R. T.).

rem illuc mittere, seu etiam, pro singu-
lari, quam habet fratrum eiusdem custo-
diae meritis magis conspicuorum, notitiâ,
electiones seu deputationes custodis,
definitorum, guardianorum et aliorum
officialium ipsius custodiae facere, et,
quatenus aliquis ex sic electis seu de-
putatis renunciare vellet, eiusmodi re-
nunciationis acceptationem committere¹,
et officium renunciatum alteri religioso
idoneo conferre seu demandare libere,
licite et valide possit et valeat, quam-
cumque necessariam et opportunam fa-
cultatem tribuimus et impartimur.

§ 4. Et quia ex quinque conventibus
quibus dicta custodia constat, duo, vi-
delicet S. Iacobi civitatis Liciensis et
S. Mariae Gratiarum Terrae de Squin-
zano, conventus tanto locorum intervallo
a reliquis tribus distant, ut opportune
gubernari nequeant, nec visitari, neque
illis de religiosis provideri, nisi cum
magnâ difficultate, possit, quod etiam
agnovit dilectus filius minister generalis
dicti Ordinis, qui in visitatione eiusdem
custodiae duos conventus huiusmodi ad-
mittendos² fore censuit: ideo custodi et
definitorio dictae custodiae, ut eosdem
duos conventus S. Iacobi civitatis Li-
ciensis et S. Mariae Gratiarum Terrae
de Squinzano dimittere, et ab ipsâ cus-
todiâ dismembrare, itaut sic dismem-
brati, quantum ad Ordinem praedictum
spectat, in praefati ministri generalis dis-
positione remaneant, et subinde in vi-
cinitate reliquorum trium conventuum ip-
sius custodiae alios duos conventus a
piis et devotis christifidelibus, qui pro
eorum pietate illos aedificare voluerint,
in locis tamen in quibus nullus conven-
tus fratrum de Observantiâ vel Reformatorum
Ordinis praedicti existat, de
Ordinariorum dumtaxat consensu (prou

Dat facultatem custodi et definitorio dictae custodiae, ut duos conventus valeant dismembrare, et alios duos a pietate fidelium de novo erigendos sibi unire prout in rubrica.

¹ Videtur legendum *admittere* (R. T.).

² Videtur legendum *dimittendos* (R. T.).

dudum felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas in formâ Brevis litteras die xxv iunii mdcxxxix expeditas, quarum initium est *Cum ea, etc.*, fratribus Minoribus Discalceatis Hispaniae, quorum privilegiis dicta custodia ex concessione nostrâ gaudet, concessisse reperitur), ac servatâ in reliquis sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum dispositione, recipere et acceptare libere et licite possint et valeant, eandem tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

In eadem custodia nulla sit praecedentia inter illius religiosos.

§ 5. Ut autem custodia praefata in humilitatis spiritu et morum simplicitate, quibus virtutibus sanctus Franciscus Ordinem suum resplendere voluit, conservetur, et ambitionis vitio, quod religiosi congregationibus atque communitatibus etiam maxime reformatis inquietudinem et perniciem adferre solet, aditus praeccludatur, statuimus et ordinamus ut in eadem custodia nulla sit inter illius religiosos alia praecedentia praeter eam quae ex antiquitate susceptionis habitus resultat, quam sacerdotes clerici et laici inter se respective servant, nec ullam aliam habeant, etiam illi qui officiis actu funguntur; cum praerogativae et exemptiones officiorum huiusmodi illa ambitiose praetendendi ansam praebere soleant; exceptis tamen custode et guardianis actualibus, qui, durantibus eorum officiis tantum, alios praecedere, illis vero finitis, ad locum, qui eis iuxta antiquitatem susceptionis habitus competierit, reverti debent.

Officia vacantia per electionem conferenda.

§ 6. Et quando ex quacunque causâ vacaverit aliquod officium ex illis, ac in iis casibus in quibus per viam substitutionis et subrogationis subintrari solet, semper in officium vacans subintrari debeat per electionem a custode et definitioribus actualibus, et, aliquo il-

lorum deficiente, vel satis cito venire non valente, a guardiano conventus S. Luciae faciendam. In ipsâ vero custodia strictè observetur constitutio dicti Urbani praedecessoris, quae incipit *Admonemur, etc.*, contra fratres dicti Ordinis, qui per favores saecularium officia consequi praetendunt, edita.

§ 7. Porro nullus in dictâ custodia, nisi transitus occasione, recipi possit religiosus, de quo notitia habeatur eum suâ provinciâ apostatando fuisse egressum, tametsi litteras obedientiales ab alio superiore quam suo ministro provinciali emanatas adferat; nec in eadem custodia incorporari valeat ullus religiosus, qui sine obedientiâ sui ministri provincialis illuc advenerit, licet litteris obedientialibus cuiusvis alterius superioris munitus sit. Quod si aliquis novitius custodiae huiusmodi in aliquo ex tribus scrutiniis intra annum probationis fieri solitis suffragia sufficientia non reportaverit, habitu illico spoliatur; prout etiam superior conventus novitatus vel custos, si in eo resederit, ac magister novitiorum, si aliquem novitium religioni ineptum esse nec sine incommodo in novitiatu detineri posse cognoverint, illum, non expectato tempore emissionis votorum, habitu spoliari et dimittere possint.

Nullus in dictâ custodia recipiatur qui a sua provinciâ apostataverit.

§ 8. Quia vero intra breve tempus, quo capitulum dictae custodiae durare solet, confici non poterunt statuta et ordinationes necessariae quibus custodia ipsa perpetuo gubernetur, volumus et ordinamus ut capitulum ipsum compromittat in personas quatuor religiosorum, zelo, prudentiâ et virtute praeditorum, qui a memorato Francisco cardinali et protectore approbati seu aliâs ab ipso nominati sint; ipsique compromissarii statuta et ordinationes huiusmodi, quibus

Capitulum dictae custodiae compromittat in quatuor religiosos qui statuta et ordinationes eiusdem custodiae conficiant.

1 Potius lege *eum* pro *cum* (R. T.).

eadem custodia in perpetuum regi et gubernari debeat, secundum datam sibi a Domino prudentiam conficiant et componant; ita tamen ut ea sacris canonibus Concilii Tridentini praefati decretis vel constitutionibus et ordinationibus apostolicis aut regularibus Ordinis praefati institutis non adversentur.

Dat facultatem eidem cardinali protectori aliquid aliud statuendi, pro regimine et mantentione dictae custodiae.

§ 9. Ceterum, si dictus Franciscus episcopus cardinalis et protector temporis progressu cognoverit aliquid aliud pro felici regimine ac perfectione et mantentione custodiae praefatae statui oportere, eidem Francisco cardinali et protectori, prout expedire in Domino censuerit, illud, servatâ tamen constitutionum apostolicarum ac decretorum Congregationis praefatae dispositione, statuendi et ordinandi facimus potestatem.

Decretum irritans.

§ 10. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praeceminentiae et dignitatis, seu aliâs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, ac dictae specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis legitimâ, irridicâ et privilegiatâ causâ, colore praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, aut in controversiam

1 Coniunct. *ut nos addimus (R. T.).*

vocari, seu adversus illas apercitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut intentato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato quempian in iudicio vel extra illud uti seu iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, aliosque quoslibet quaecumque praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 11. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, neenon dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam eidem Ordini, illiusque superioribus, fratribus et personis, aliisque quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, seu aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis;

Contraria morat.

Eis latissime
derogat.

§ 12. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, formas, occasiones et causas, etiam quantumvis praegnantibus, piis et privilegiatis, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formam in illis traditam observatam exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis et exactissime adductis respective habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, plenissime et sufficienter, hac vice dumtaxat, derogamus et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLESIUS.

Dat. die 28 augusti 1673, pontif. anno IV.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. mensis septembris, part. 1, fol. 115.

CXXXIX.

Indultum ut de B. Bernardo Ptolomaeo, fundatore Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti, missa et officium de communi Confessoris non Pontificis, sub ritu duplici, quotannis in perpetuum, die XX augusti qua idem Beatus obdormivit in Domino, ab universa Congregatione praefata et monialibus seu oblatis monas-

terii Turris Speculorum de Urbe, celebrari et recitari respective possint.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici muneris, quod ineffabilis Dei bonitas humilitati atque infirmitati nostrae committere dignata est, ratio exigit, ut servorum Dei, eorum praesertim, qui in diebus peregrinationis suae, multiplicibus divinae gratiae donis decorati, religionem salubribus institutis propagarunt, et feliciter decurso mortalis vitae studio¹, perennem in caelis iustitiae coronam accipere meruerunt, cultum et venerationem in terris, ad omnipotentis Dei gloriam fideliumque aedificationem, promovere studeamus.

Exordium.

§ 1. Cum itaque, ex deductis in processu aliis a tunc existente archiepiscopo Senarum confecto super casu excepto et cultu immemorabili exhibitio B. Bernardo Ptolomaeo fundatori Congregationis Montis Oliveti monachorum Ordinis sancti Benedicti, die XXIV novembris MDCLXIV Congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium sacris ritibus praeposita declaraverit ex² illo constare de³ cultu exhibitio praedicto B. Bernardo per immemorabilem temporis cursum cum scientia et tolerantia Ordinariorum; et, sicut dilectus filius Franciscus Maria Sarubbius de Neapoli abbas dictae Congregationis Montis Oliveti nobis nuper exponi fecit, ipse missam et officium de eodem B. Bernardo celebrari et recitari posse plurimum desideret:

Congregatio
sacrorum
rituum declaravit
constare de cul-
tu immemora-
bili huius beati
Ptolomaei.

§ 2. Nos, piis eiusdem Francisci Mariae abbatis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et inter-

Indulget ut
in rubrica.1 Potius lege *stadio* (R. T.).2 Edit. Main. legit *de* (R. T.).3 Edit. Main. legit *ex* (R. T.).

dicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet immodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus huiusmodi praepositorum consilio, ut de memorato B. Bernardo Ptolomaeo missa et officium de communi Confessoris non Pontificis sub ritu duplici iuxta rubricas breviarii et missalis romani quotannis in perpetuum die xx augusti, qua idem B. Bernardus obdormivit in Domino, ab universâ Congregatione praedictâ Montis Oliveti, ac a dilectis in Christo filiabus monialibus seu oblati monasterii Turris Speculorum de Urbe, celebrari et recitari libere et licite possint et valeant respective, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus decretis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx augusti MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 30 augusti 1673, pontif. anno IV.

Registrata in Secretaria in lib. Brevium mensis septembris, part. II, fol. 61.

CXL.

Prohibitio transitus clericorum regularium Matris Dei et de Somascha de unâ in alteram Congregationem huiusmodi respective, ex quacumque etiam iustissimâ causâ, ac etiam rigore cuiusvis licentiae a superioribus sive etiam in capitulis generalibus earundem Congregationum concessae.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Ex commissi nobis divinitus pastoralis muneris debito, quieti virorum religiosorum, quos, seclusis discordiis, in spiritu tranquillo et pacis amoenitate famulatum Altissimo praestare decet, libenter providemus, sicut conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus), occasione transitus quem¹ quidem clerici regulares expresse professi Congregationis Matris Dei ad Congregationem regularium de Somascha nuncupatam fecerunt seu faciendi licentiam obtinuerunt, nonnullae inter eos sint exortae controversiae, quae dissidiis et perturbationibus animorum causam praebere possent: nos, religiosae clericorum regularium utriusque Congregationis huiusmodi tranquillitati, quantum cum Domino possumus, consulere, ac memoratis controversiis et dissensionibus ansam in futurum praecidere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne de cetero ullus clericus regularis expresse professus dictae Congregationis de Somascha ad praefatam Congregationem Matris Dei, nec ullus huius Congregationis clericus regularis expresse pariter professus ad eandem Congregationem de Somascha, ex quacumque etiam iustissimâ causâ, ac

Statuit ut in rubrica.

¹ Male edit. Main. legit quam (R. T.).

etiam vigore cuiusvis licentiae a suis superioribus obtentae, sive etiam in publicis capitulis generalibus Congregationum praefatarum respective concessae, transire ullo modo possit, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac individuum mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Amplissima derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatarum Congregationum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ ro-

boratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Congregationibus, illarumque respective superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac etiam quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, ac eum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, hae vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, plenissime et amplissime motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi septembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 septembris 1674, pontif. anno IV.

Registrata in Secretaria Brevium in lib. mensis augusti¹ part. 1, fol. 100.

¹ Videtur legendum *septembris*, vel ista nota pertinet ad aliquam Const. praeced. (R. T.).

CXLI.

Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo resolvitur, praecedentia Brevia Summi Pontificis, edita die XVIII Ianuarii MDCLXXII et III Augusti eiusdem anni, confirmatoria nonnullarum declarationum dictae Congregationis super associatione cadaverum et ingressu ad ecclesias regularium, non esse observanda a clero saeculari in regnis Castellae et Legionis.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Quaestio et
decretum sacrae
Congregationis.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« In causâ Hispaniarum iuris parochialis deferendi cadavera ad ecclesias regularium. Cum, ad supplicationem patres procuratoris generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ et postmodum patris Alphonsi de Alarcos procuratoris generalis provinciarum Hispaniarum Societatis Iesu, sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita concesserit nonnullas declarationes aliâs editas circa associationem cadaverum et ingressum in ecclesias regularium, quae quidem declarationes per litteras apostolicas in formâ Brevis die XVIII Ianuarii MDCLXXII respective a SS. D. N. fuerunt confirmatae: clerus saecularis provinciarum Castellae et Legionis, praesentens¹ se gravatum, et dictas declarationes fuisse obreptitiae obtentas, ex eo quod praefati patres procuratores generales silentio involverint, quod ad favorem dicti cleri saecularis adessent nonnulla alia ante-

¹ Forsan aptius *persentiens* (R. T.).

riora decreta Congregationis sacrorum rituum per litteras itidem in formâ Brevis die VII maii MDCLV et VI iulii MDCLVI a sanctae memoriae Alexandro VII confirmatae; ideo ipsemet clerus simplex petivit, ut, examinatis utriusque partis rationibus, huiusmodi controversia, prout iuris fuerit, definiretur. Et sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus informantibus, reque mature discussâ, referente eminentissimo Imperiali, censuit ac decrevit: Brevia sanctissimi domini nostri, confirmatoria decretorum eiusdem sacrae Congregationis negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae contra clerum saecularem regnorum Castellae et Legionis, et contra ea quae disponuntur in supra-narratis Brevibus sanctae memoriae Alexandri VII, non esse observanda; contrariis quibuscumque circa supradicta omnia minime obstantibus, etc.

Romae, 1 septembris MDCLXXIII.

F. M. cardinalis BRANCATIUS.

Loco † sigilli ».

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus de Villegas, procurator generalis ecclesiarum et status ecclesiastici regnorum Castellae et Legionis, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summo opere desideret: nos, ipsius Francisci votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes,

Pontifex de-
cretum praesen-
sertim confir-
mat

supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praesertim, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clansula irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrarius derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus, sit cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis et instituti, ac provinciae, monasterii, conventus et collegii, aliisque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscunque.

Transumptum iudex.

§ 5. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius

notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae nunitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi septembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno iv.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 septembris 1673, pontif. anno iv.

Registrat. in Secretar. Brevium

CXLII.

Innovatio Brevis Gregorii XV super prohibitione ambitus pro Congregatione clericorum regularium Theatinorum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam nemo debet assumere sibi honorem nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est ut religiosi viri (quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosi virtutibus potius promereri quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet) mendicantis saecularium praesertim personarum studiis ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesia Dei scandala et damna exoriri solent:

Exordium.

§ 1. Nos, qui pro numeris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus ut ecclesiastica regularisque disciplina pristinae observantiae restituatur, hoc malum a Congregatione clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum, cuius prosperum regimen et incrementum ad Ecclesiae sanctae utili-

Pontifex ambitum a Congregatione clericorum regularium Theatinorum propellere intendit.

tatem sinceris desideramus affectibus, propellere, ac felicitatis recordationis Gregorii PP. XV praedecessoris nostri vestigiis inhaerere, eiusque Constitutionem die xxvi februarii mdcxxii editam innovare et ampliare cupientes:

Prohibet clericis dictae Congregationis, ne habito recursum ad principes et praelatos, seu cardinales officia vel gubernia dictae Congregationis assequi procurent.

§ 2. Motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis eiusdem Congregationis clericis et personis, cuiuscumque aetatis, status, gradus et conditionis existentibus, praesentibus et futuris, ne de cetero, habito ad principum et praelatorum ac aliarum quarumcumque personarum tam saecularium quam ecclesiarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore fulgentium, favores recursu, sive aliis quibuscumque modis et viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, mediate vel immediate, ac tam pro se quam pro aliis, quaecumque ipsius Congregationis officia vel gubernia, ac praesertim generalem aliasque praeposituras, consultas, visitationes, procuratorias generales, superioritates monasteriorum monialium dictae Congregationis curae et gubernio subiectorum, aut vicariatus domorum particularium ipsius Congregationis, sive etiam vocalatum, aut facultatem audiendi sacramentales mulierum confessiones, sub quovis quaesito colore vel praetextu, etiam in genere, assequi et obtinere procurent, sub excommunicationis latae sententiae, a qua non nisi per nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes praeterquam in mortis articulo absolvi, necnon privationis vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad officia vel gubernia huiusmodi aliaque praedicta in posterum obtinenda, ad quae similiter non nisi per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, vel capitulum generale ipsius Congregationis rehabilitari

possint, poenis, tam per ipsos quam eorum complices et fautores ac non revelantes eo ipso incurrendis, tenore praesentium interdiciamus et prohibemus.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis etiam latae sententiae poena, eidem praeposito generali et aliis superioribus dictae Congregationis, quocumque titulo nuncupatis, praesentibus et futuris, ne quempiam ullo tempore, precibus, litteris vel favoribus adducti, vel aliis ad instantiam seu requisitionem aut contemplationem principum vel praelatorum, aut aliarum quarumcumque personarum, tam saecularium quam ecclesiarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore fulgentium, praedictorum ad officia vel gubernia, generalem aliasve praeposituras, consultas, visitationes, procuratorias generales, superioritates monasteriorum monialium, aut vicariatus vel vocalatum huiusmodi promovere, vel cuicumque facultatem audiendi confessiones mulierum concedere audeant seu praesumant; sed, circa admissionem clericorum regularium dictae Congregationis ad ius suffragii, ac facultatem audiendi confessiones mulierum eis concedendam, ea quae per constitutiones et decreta eiusdem Congregationis ordinata sunt, ac in praemissis formam secretorum suffragiorum per eadem constitutiones stabilitam, abrogata alia quacumque forma, exacte et accurate ac inviolabiliter observent et observari curent.

§ 4. Et nihilominus quascumque electiones et promotiones ac facultatum audiendi confessiones, mulierum huiusmodi concessionem, contra praesentium dispositionem (quod absit) faciendas, nullas prorsus et invalidas esse et fore, ac omnes et singulos in praemissis de-

Mandat praeposito generali, aliisque superioribus, pro tempore, ne aliquem ad instantiam, vel requisitionem principum, vel praelatorum aut cardinalium ad officia dictae Congregationis admittat sub poena, prout in rubrica.

Omnes electiones et promotiones contra hanc dispositionem factas irritat et delinquentes in praedictas poenas ipso facto incurrere declarat.

linquentes sententias et poenas praedictas irremissibiliter eo ipso incurrere, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis amplissimo derogat.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; etiamsi praedictis clericis et personis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Publicatio huius constitutionis quomodo sit faciendâ.

§ 6. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes ipsius Congregationis clericos facilius deveniat, volumus illas pro hac primâ vice in singulis eiusdem Congregationis domibus regularibus, et deinde in singulo quoque capitulo generali seu dietâ dictae Congregationis publice legi, illasque, sicut praefertur lectas, omnes aretare, perinde ac si unicuique intimatae fuissent, illarumque

exemplis, etiam impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Congregationis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem fidem adhiberi, quae eisdem praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv septembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 15 septembris 1673, pontif. anno IV.

Registr. in Secret. in libr. Brev. mensis septembris, p. 1, fol. 173.

CXLIII.

Relaxatio suspensionis facultatis conferendi beneficia in civitate, patriâ et diocesi Leodiensi, cum diversis ordinationibus, etc.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae servitutis munere in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut studiorum generalium universitates ad fidei catholicae praesidium, christianaeque reipublicae deus et utilitatem a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris sapienti salubrique consilio institutae, ac multis privilegiis, gratiis et indultis ex eorum liberalitate et magnificentia decoratae, sublatis abusibus, stabilitaque aequitatis atque iustitiae normâ, recte atque ordine dirigantur, debitamque nobis et huic sanctae Sedi fidem devotionem et obedientiam illibate servantem, apostolicae nostrae charitatis sentiant benignitatem, et felicioribus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Exordium.

§ 1. Aliâs siquidem, cum ad notitiam

Querolae ad

Clementem IX
de latae adver-
sus universita-
tem studii ge-
neralis Leva-
niensis.

felicitatis recordationis Clementis Papae IX
praedecessoris nostri pervenisset² quod
rectores ac magistri, doctores et scho-
lares, necnon decani seu vicedecani fa-
cultatis artium, ac conservatores privi-
legiorum universitatis studii generalis
oppidi Lovaniensis, olim Leodiensis, nunc
Mechliniensis dioecesis, a recolendae me-
moriae Martino Papa V praedecessore pa-
riter nostro erectae et institutae, pluri-
mis ab inde annis privilegiis, facultati-
bus, gratiis et indultis eidem universi-
tati tam a dicto Martino praedecessore,
quam a pia memoriae Paulo II, Sixto
IV, Leone X, Adriano VI, Clemente VII,
Paulo III, Pio IV, Gregorio XIII ac Pau-
lo V, et forsitan aliis Romanis Pontifici-
bus, etiam praedecessoribus nostris, re-
spective concessis et confirmatis abute-
bantur circa nominationes ad beneficia
ecclesiastica in Belgicis ditionibus con-
sistentia, ac collationes et provisiones
eiusmodi beneficiorum in civitate, patriâ
et dioecesi Leodiensi sitorum, necnon
exercitum iurisdictionis praefatis con-
servatoribus per privilegia huiusmodi
attributae (quippe qui ad beneficia ec-
clesiastica valorem annum centum ducato-
rum auri de camerâ excedentia nomi-
nare, ac nominationes huiusmodi sedi-
bus episcopalibus et archiepiscopalibus
ac praelaturis collatorum Ordinariorum
vacantibus facere, et plura beneficia in-
compatibilia eisdem personis conferre,
seu eas ad illa nominare, quinimo be-
neficia ecclesiastica, de quibus per co-
adiutorias cum futurâ successione ab hac
sanctâ Sede provisum fuerat, conferre
pariter seu ad illa nominare, aliosque
similes excessus privilegiorum, facultat-
um, gratiarum et indultorum praedictor-
um dispositioni plane contrarios com-

mittere, et conservatores praedicti de
causis, non solum in quibus ageretur an
beneficia in mensibus apostolicis vel Or-
dinariorum an vero in illis qui dietae
universitati concessi sunt vacavissent,
sed etiam ubi tractaretur utrum benefi-
cia huiusmodi eiusdem Apostolicae Se-
dis dispositioni aliter quam ratione va-
cationis in mense apostolico reservata
seu affecta essent, nec ne, cognoscere
praesumpsissent, tametsi nihil horum
eis ex privilegiorum, facultatum, gratia-
rum et indultorum huiusmodi tenore
permissum, sed haec omnia nulla peni-
tus ac invalida et attentata existerent;
et, quod Sedis Apostolicae dignitatem
auctoritatemque magis laedebat, cita-
tiones, inhibitiones, monitiones, man-
data, sententias et decreta, ac incursus
excommunicationis, aliarumque censu-
rarum declarationes, etiam aggravatorias
et reaggravatorias, in eos, propter exces-
sus huiusmodi, ac ab ipsis respective
provisos a sacri palatii auditorio legiti-
me emanatas et emanata, nulliter et de
facto cassare et annullare, ac tam pro-
visos a Sede praedictâ, quam capitula
ecclesiarum, aliasque personas ecclesia-
sticas huic sanctae Sedi devotas, et
ipsius Sedis, eiusque delegatorum audi-
torii praedicti mandatis, ut par est, ob-
sequentes, arrestis, sequestrationibus et
detentionibus fructuum et reddituum
ecclesiasticorum, aliisque modis huius-
modi perturbare et inquietare ausi fu-
issent, et tunc auderent; super quibus
frequentes ad ipsum Clementem IX prae-
decessorem et Sedem praedictam vario-
rum ab eadem Sede de beneficiis eccle-
siasticis, praesertim in civitate, patriâ
et dioecesi Leodiensi consistentibus,
provisorum querelae pervenerant, eidem
Clementi praedecessori supplicantium,
ut in praemissis de opportuno remedio
providere, gravibusque scandalis inde

¹ Edit. Main. legit *Papa* (R. T.).

² Cf. Constit. Clementis IX in tom. xvii, pa-
gina 810 (R. T.).

nascentibus occurrere de benignitate apostolicâ dignaretur);

Ad tollendos aliosus Clemens IX. omnium dicta universitate omnes suaviores, benignioresque vias tentavit.

§ 2. Et ipse quidem Clemens praedecessor (cum ex debito pastoralis muneris sibi divinitus impositi, quo populorum quieti, quantum sibi ex alto concedebatur, consulere, suaeque et dictae Sedis iura tueri adstringebatur, preces tam iustas negligere excessusque praedictos dissimulare non valeret), pro singulari paternae suae erga universitatem praedictam, quam memorati Romani Pontifices eius praedecessores, ut illam eiusque scholares et personas ad sacrarum aliarumque bonarum litterarum studiâ excitarent, illorumque devotionem et reverentiam erga hanc sanctam Sedem foverent, tot tantisque et tam luculentis privilegiis atque praerogativis decoraverant, charitatis affectu, omnes suaviores benignioresque vias tentaverat, operamque sedulo dederat¹, tum paternis admonitionibus, tum personarum doctrinâ et morum gravitate spectabilium, dictaeque universitati benevolarum insinuationibus, iniectâ quoque aliquâ spe novarum gratiarum, ac etiam iustae eius indignationis timore suaviter suggesto, ut res omnes coram dilecto filio Carolo Antonio Airoldo abbate ecclesiae sancti Abundii dictae Sedis in Belgicis dilionibus internuncio in id quod aequum esset redigeretur, verum haec omnia incassum ceciderant²:

Dein motu proprio suspendit eadem universitati ius et facultatem conferendi, ac nominandi ad beneficia prout in rubrica.

§ 3. Hinc, licet ex sacrorum canonum praescripto privilegia amittere meruissent, eo quod concessâ sibi facultate fuerant abusi, ipse tamen Clemens praedecessor, paternae suae benignitatis memens, et poenitentiae locum relinquere volens, ac mitius agendo, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione suis, deque apostolicae potesta-

¹ Legerem tentaverit . . . dedit (R. T.).

² Legerem ceciderint (R. T.).

tis plenitudine, ius et facultatem ac indultum conferendi beneficia, cum curâ et sine curâ saecularia, in titulum clericis saecularibus conferri et per clericos saeculares regi et gubernari solita, in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi consistentia, et pro tempore per obitum dumtaxat in certis tunc expressis mensibus vacantia, etiamsi canonicatus et praebendae, personatus, administrationes et dignitates cuiuscumque qualitatis et valoris essent (exceptis certis itidem tunc expressis beneficiis) a praedicto Paulo V praedecessore, per suas sub plumbo kalendis decembris anno Incarnationis dominicae MDCXVI¹ desuper expeditas litteras, decano seu vicedecano praedictae facultatis artium, sub certis modo et formâ tunc expressis, loco iuris seu facultatis nominandi quod seu quam idem Paulus praedecessor per dictas litteras perpetuo abrogavit, itidem perpetuo concessum seu concessam, ad summ et Sedis Apostolicae beneplacitum suspendit, ac suspensum et suspensam esse et fore decrevit et declaravit.

§ 4. Decernens pariter quascumque collationes et provisiones canonicatum et praebendarum, personatum, administrationum et dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi consistentium praedictorum pro tempore vacantium, et de illis provisorum in illorum possessionem immisiones, ac etiam nominationes ad eadem beneficia praetextu abrogati ut praefertur iuris nominandi (si quas suspensione huiusmodi durante forsan a pro tempore existente decano seu vicedecano dictae facultatis artium, etiam de consensu receptoris et procuratorum quatuor nationum eiusdem facultatis, seu

Durante hac suspensione decrevit irritas et nullas omnes huiusmodi nominationes et provisiones beneficiorum prout in rubrica.

¹ Male in tom. XVII, pag. 812 a legimus ex Main. 1614; vid. tom. XII, p. g. 362 (R. T.).

maioris partis eorum, aut aliàs quomodolibet, seu ab aliis quibusvis personis dictae universitatis tam coniunctim quam divisim et aliàs quomodoenique et qualitercumque fieri contingeret), nullas prorsus ac irritas, inanes et invalidas, nulliusque roboris et momenti, ac viribus et effectu penitus et omnino vacuas fore, nec cuiquam titulum, etiam coloratum, aut possidendi vel detinendi causam ulatam tribuere;

Omnia acta iudicialia ad hunc effectum a conservatoribus dictae universitatis facta pariter declaravit irrita et nulla, prout in rubrica.

§ 5. Citationes quoque, monitiones, mandata, decreta, processus, sententias, censurarum fulminationes, auxilii brachii saecularis invocationes, et acta iudicialia et extraiudicialia quaecumque, si quae a conservatoribus praedictis, vel aliis iudicibus quibuscumque, seu eorum aliquo, ad instantiam eorum, quibus beneficia huiusmodi, suspensione praedicta durante, de facto collata essent, seu aliàs quomodolibet pro tuendis seu ad effectum deducendis huiusmodi collationibus seu provisionibus fieri, mandari, decerni, relaxari, ferri vel pronunciari contingeret, cum omnibus et singulis inde forsàn quomodolibet secuturis, nulla pariter ac invalida, irrita, inania de facto praesumpta ac prorsus attentata et vitiosa fore, neminemque prorsus arctare vel afficere, sed nullatenus attendenda fore et esse;

Collationem omnium beneficiorum in mensibus dictae universitatis concessis durante hac suspensione vacantium sanctae Sedi reservavit.

§ 6. Collationem vero omnium et singulorum beneficiorum in civitate, patria et dioecesi Leodiensi praedictis consistentium huiusmodi, quae in mensibus memoratae universitati seu facultati artium ut praefertur concessis, durante suspensione huiusmodi, vacarent, ad se et hanc sanctam Sedem spectare et pertinere, nec quemquam, etiam vigore euiseumque indulti ab ipso Clemente praedecessore et Sede praedicta concessi, desuper quidquam praetendere, aut se intromittere posse; cum diversis aliis

decretis, clausulis et derogationibus amplissimis, et aliàs, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formà Brevis die XIII septembris MDCLXIX expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 7. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum rectoris ac magistrorum, doctorum et scholarium, necnon decani seu vicedecani, aliarumque personarum praedictarum respective universitatis et facultatis artium nobis expositum fuit, ipsi, praedicti Clementis praedecessoris litteris humiliter acquiescendo, a collatione beneficiorum praedictorum, quae, suspensione pendente huiusmodi durante, in mensibus dictae facultati artium sicut praemittitur assignatis vacaverunt, et a nobis collata fuerunt, abstinnerint, et a praedictis aliisve quibusvis abusibus omnino recedere, ac nostris et Apostolicae Sedis mandatis, sicut devotos Ecclesiae filios sincerosque Sedis eiusdem cultores decet, in omnibus et per omnia prompto obsequio morem gerere parati sint, nec quidquam ardentioribus votis desiderent quam dictae Sedis gratiam religiosam observantiam demereri, ac palam omnibus facere se a prisea dictae universitatis (ex qua tot egregii catholicae fidei propugnatores ac divinorum eloquiorum tractatores aliique insignes in omni scientiarum genere viri prodire) in eandem Sedem Apostolicam fide, devotione et reverentiam minime descivisse; quo vero certa congruensque in praemissis norma a supremam aequitate nostram celeriori posset maturitate statui, quo de plerisque non ita notis facti circumstantiis maior notitia haberetur, ipsi exponentes multa nobis tam¹ per scriptu-

Dicta universitas durante hac suspensione se abstulit a collatione beneficiorum, et paratam se exhibet a dictis et aliis quibusvis abusibus recedere.

¹ Aptius lege *tum* ut paulo post (R. T.).

ras eorum nomine ad hanc sanctam Sedem per memoratum Carolum Antonium internuncium transmissas, tum per eorum deputatos sive negotiorum gestores insinuari curaverint, enixe humiliterque nobis supplicantes ut suspensionem praedictam relaxare de benignitate apostolicâ dignaremur:

Pontifex rem totam discussionem committit S. R. E. nonnullis cardinalibus et praelatis, qui e dem referant quid desuper statuendum sit.

§ 8. Nos rem omnem nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus ac dilectis filiis Romanae Curiae praelatis viris sapientiâ, prudentiâ, aequitate, ac sacrorum canonum peritiâ eximie praestantibus mature diligenterque discutiendam ac nobis referendam commisimus, qui, mandatum nostrum fideliter exequentes, habitis inter se multis congressibus, negotium totum, et quidquid eo pertinere videbatur, omni studio atque industriâ discussissent, et quid desuper statuendum videretur nobis retulerunt.

Formulae praeliminares.

§ 9. Auditâ igitur et approbatâ per nos eorum relatione, pro peculiari nostro erga universitatem praedictam affectu, felici prosperoque illius regimini et progressui consulere, ac supradictos abusus e medio tollere, illisque ansam in futurum praecidere, necnon praedictos exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ac praedictorum aliorumve quorumlibet privilegiorum, facultatum, gratiarum et indultorum eisdem universitati et facultati artium, earum-

que personis quibuslibet, a praefatis aliisve quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessorum, litterarumque apostolicarum tam sub plumbo quam in formâ Brevis desuper emanatarum, et aliarum quarumlibet scripturarum tam publicarum quam privatarum tenores et datas etiam veriores, et alia quaecumque etiam specificam et individuum mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis et specificatis habentes,

§ 10. Auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, declaramus, praecipimus, mandamus, statuimus et ordinamus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus in litteris citatorialibus et monitorialibus a conservatoribus privilegiorum dictae universitatis relaxandis non apponatur clausula *per abusum* antea apponi solita prout in rubrica.

§ 10. Auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, declaramus, praecipimus, mandamus, statuimus et ordinamus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus in litteris citatorialibus et monitorialibus a conservatoribus privilegiorum dictae universitatis, seu eorum aliquo, contra extraneos, eos scilicet qui de ipsâ universitate, illiusque rectori subiecti non sunt, in quacumque materiâ, tam ecclesiasticâ quam temporali, ac contra ipsius universitatis personas rectoris praedicti iurisdictioni suppositas, in quacumque beneficiâ aliâque ecclesiasticâ materiâ respective decernendis et relaxandis, non apponatur ea clausula *per abusum* antehac apponi solita, qua citato vel monito mandabatur, ut, si quod ius vel actionem ad beneficium vel aliam rem controversam crederet se habere, illud vel illam eorum ipso conservatore vel rectore praedicto proponeret sub poenâ perpetui silentii, sed mandatum huiusmodi ad solum conservatorem restringatur; nec in praedictis aliisve litteris iudicialibus quibuscumque per eosdem conservatores eorumve quemlibet decernendis et relaxandis quidquam addatur vel exprimatur, quo iurisdictionis ecclesiasticæ cursus, appellationumque in causis

ad forum ecclesiasticum quomodolibet spectantibus ad Sedem Apostolicam eiusque delegatos, prout iuris fuerit, interponendarum et terminandarum, aliorumve quorumvis iuris remediorum effectus quovis modo impediri valeat aut differri vel perturbari; uniuersique autem liceat quemlibet ex conservatoribus praedictis, qui plures per memoratorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteras deputati reperiuntur, ad sui libitum adire.

Citatus coram aliquo ex dictis conservatoribus ex iusta causa potest illum recusare et alium adire prout in rubrica.

§ 11. Quod si quis coram aliquo ex eisdem conservatoribus citatus aliquam contra eum habuerit exceptionem seu causam, propter quam ab illo non speret obtinere posse iustitiae complementum, liceat sic citato ad alium ex iisdem conservatoribus recurrere, qui causam in statu et terminis, in quibus reperitur, assumere, illamque cum omnibus et singulis suis incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, audire, cognoscere et fine debito, prout iuris fuerit, terminare possit et debeat. Si autem actori, seu illi ad cuius instantiam decreta fuerit prima citatio seu primum monitorium relaxatum, aliqua, contra conservatorem a reo seu citato ut praefertur aditum, competierit legitima exceptio, poterit et ipse illum pariter recusare, ac ad alium ex dictis conservatoribus recursum habere, salvis tamen reo seu citato contra hunc quoque conservatorem suis exceptionibus; ac eâ lege reus, seu primo loco in iudicium vocatus, coram suspecto iudice litigare nullo modo cogetur.

Conservatorum iura, et lib-
mites.

§ 12. Porro conservatores ipsi assessores, notarios, actuarios, apparitores, aliosve quoscumque iustitiae ministros sibi ex officio eligant ac deputent, seu assumant; nec universitas praedicta in illorum electione vel deputatione ullo modo se ingerere de cetero valeat,

Bull. Rom. — Vol. XVIII. 55

prout antehac per errorem fecisse memoratur; ipsi vero conservatores omnia et singula, quae in supradictis Pauli V praedecessoris litteris circa eorum iurisdictionem illiusque exercitium constituta et ordinata sunt, exacte et accurate servant, nec illa quomodolibet excedere audeant; neque de causis beneficiorum, quibus per coadiutorias cum futura successione ab hac S. Sede provisum est haecenus, et in futurum quandocumque providebitur (tametsi beneficia ipsa per obitum in aliquo ex mensibus praedictae facultati artium per easdem Pauli V praedecessoris litteras assignatis vacare contigerit, aut ad eadem beneficia nominatio dictae universitati seu facultati artium, si illis per coadiutorias huiusmodi provisum non esset, ex dispositione supradictorum privilegiorum competeret), ullo modo cognoscere ullumve desuper actum iurisdictionalem facere vel attentare praesumant; nec quisquam ullum ex provisum apostolicis per coadiutorias cum futura successione huiusmodi ad iudicium coram conservatoribus praedictis trahere, nec quominus mandata de immittendo, et alia quaecumque etiam executiva, per executores et iudices apostolicos ad eorundem provisorum apostolicorum favorem decernenda et relaxanda, executioni mandentur quoquo modo impedire, nec ipsi conservatores, eorumve quilibet, in eis aliquo modo nec cognoscendo nec impediendo se ingerere possint, sub nullitatis omnium actorum, ac censurarum et amissionis officiorum ac privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum poenâ ipso facto, etiam absque aliâ sententia declaratoriâ, incurrendâ.

§ 13. Et quia aliâs canonicatu et

1 Cf. quoad haec litteras Pauli V, § 20, in tom. XII, pag. 372 huius nostrae edit. (R. T.).

Declarat nulli, irrita et atten-

tata nonnulla
ad a. a. decano
seu vicedecano
dic. de universi-
tatis.

praebendâ¹ saecularis et collegiatae ecclesiae S. Mariae oppidi Tongrensis, Leodiensis dioecesis, per obitum quondam Lamberti Lens, ultimi illorum possessoris, mense Ianuario MDCLII vacantibus, de quibus prius per coadiutoriam cum futurâ successione ad favorem tunc in humanis agentis Francisci Fresart a similis recordationis Innocentio Papa X, praedecessore pariter nostro, canonice provisum fuerat, tunc existens decanus seu vicedecanus dictae facultatis artium canonicatum et praebendam huiusmodi, tamquam in mense eidem facultati assignato vacantes, cuidam Petro per notarium² et ab hac Sanctâ Sede illico reprobatum abusum conferre, ipseque Petrus, ut collationem huiusmodi sibi sic nulliter et invalide factam tueretur, et ad effectum deduceret, non solum dictum Franciscum, ad cuius favorem coadiutoria praefata emanaverat, eiusque in canonicatu et praebendâ huiusmodi successorem apostolicâ pariter auctoritate provisum, sed etiam capitulum eiusdem collegiatae ecclesiae S. Mariae Tongrensis coram conservatore privilegiorum dictae universitatis citare et ad iudicium vocare, ipseque conservator ad diversos actus, sententias et decreta, illorumque executionem nulliter et de facto procedere, ac ipsos provisos apostolicos et capitulum, spretis inhibitionibus a iudicibus apostolicis et praesertim a praedicto causarum palatii apostolici auditorio emanatis, multipliciter vexare multisque detrimentis et dispendiis afflicere praesumpserunt; ideo collationem huiusmodi eidem Petro a dictis decano seu vicedecano factam, omniaque et singula pra-

¹ Male edit. Maim. legit *canonicatus et praebenda* (R. T.).

² Forsan legendum *notorium pro notorium* (R. T.).

missa, et alia quaelibet inde quomodocumque secuta, ab ipso initio penitus et omnino nulla, invalida et de facto praesumpta et attentata fuisse, esse et fore, nullumque ius in eisdem canonicatu et praebendâ, seu ad illos, dicto Petro competiisse, aut competere, sed etiam praedictum capitulum ecclesiae S. Mariae Tongrensis contra dictum Petrum iura sua ad consequendam refectionem et restitutionem omnium et singulorum damnorum et detrimentorum, quae praemissorum occasione accepit et passum est, experiri posse, ad abundantiore cautelam, dictâ auctoritate, harum serie, declaramus.

§ 14. Ut autem beneficia ecclesiastica, ad quae nominare, et quae conferre universitati et facultati artium praedictis respective per privilegia supradicta concessum fuit, aequâ lance pro uniuersisque meritis distribuuntur, et abusus quidam, quo plures quam antiquitus consuetum erat ad concilium dictae facultatis, ut maioris taxae beneficalis capaces fierent, admittebantur, e medio tollatur, volumus servari numerum ab antiquo statutum, nempe quadraginta octo personarum, quae sint de concilio eiusdem facultatis artium; ad quod si contingat assumi aliquem seu aliquos ex rectoribus parochialium ecclesiarum oppidi Lovaniensis, caveatur efficaciter ne per assumptionem huiusmodi impediatur exercitium curae animarum, nec quisquam acceptare possit beneficium, cuius vacatio contigerit antequam nominationi foret locus, uti nec beneficium non curatum quod ante factam nominationem vacaverit.

§ 15. Et quoad beneficia curata, ut melius animarum saluti prospiciatur, illorum provisionem a quibusvis eorum Ordinariis collatoribus ad mensem a die eorum vacationis computandum differri

Abusus in beneficiis, ad quae dictae universitatis ex privilegiis apostolicis nominare et conferre solebat refertur. Statuitur numerus personarum concilii dictae universitatis et quomodo rectores parochialium ad illud sint assumendi.

Provisio quoad beneficia curata differri debet per mensem a die vacationis.

debere statuimus et ordinamus; ac privilegia universitatis et facultatis praedictarum benigne ampliando, harum serie concedimus et indulgemus, ut, mense huiusmodi durante, per easdem universitatem et facultatem artium nominationes ad illa respective, servatâ ceteroquin eorundem privilegiorum formâ et dispositione, fieri, ipsaque beneficia curata a nominatis acceptari possint, etiamsi ante nominationem, cui iam locus sit, eorum vacatio evenisset; ita scilicet ut si aliquis etiam senior magister facultatis artium, vel aliquis existens de concilio universitatis, ad tale beneficium curatum ante illius vacationem nominatus fuerit, illud non prius acceptare permittatur, quam iudicio facultatis vel universitatis respective fuerit iudicatus bene idoneus; salvo nihilominus examine per Ordinarium faciendâ, prout per praedictas Gregorii XIII et Pauli V praedecessoris litteras expresse cautum reperitur.

Abusus quoad pluralitatem beneficiorum reciditur.

§ 16. Praeterea abusum illum circa beneficiorum praesertim incompatibilium pluralitatem antehac introductum omnino recidere cupientes, statuimus ut nemo possit deinceps, simul vel successive, vigore privilegiorum sive facultati artium sive universitati huiusmodi concessorum, plures canonicatus et praebendas, aut plura beneficia curata, vel canonicatum et praebendam, ac aliud beneficium curatum pacifice obtinere.

Exceptio eminentiae ob duâ circumstantiis.

§ 17. Si tamen aliquis, post parochialem ecclesiam vel canonicatum et praebendam tenuis redditus annui vigore privilegiorum huiusmodi pacifice obtentam vel obtentos, ob eminentiam doctrinae assumptus fuerit ad legendum aut regendum in aliquo paedagogio seu collegio dictae universitatis, aut ad aliam publicam academicam functionem, ex speciali gratiâ indulgemus, ut possit talis

adhuc vigore privilegiorum praedictorum canonicatum et praebendam vel beneficium curatum obtinere, priori beneficio prius libere in manibus nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis dimisso, nisi dispensationem super illius retentione ab hac S. Sede obtinuerit.

§ 18. Nemo quoque possit eodem anno, vigore privilegiorum huiusmodi, duo beneficia simplicia non requirentia residentiam pacifice cum fructu acceptare, nisi secundum petat pro finali provisione; et, qui praetendat unum et unam ex canonicatibus et praebendis cathedralium, ac Insolensis B. Mariae Aquisgranensis, Tongrensium, Harlebacensis, S. Servatii Traiectensis oppidorum, vel S. Dionysii aut S. Ioannis vel S. Pauli civitatis Leodiensium collegiarum ecclesiarum respective, non possit obtinere plusquam unum beneficium simplex; qui vero unum ex canonicatibus et praebendis inferioribus, vel parochialem ecclesiam, non possit obtinuisse plusquam duo; nemo denique unquam ultra tria beneficia, etiam residentiam non requirentia, obtinere valeat, etiam ex parte diversi privilegii universitati et facultati artium huiusmodi respective concessi.

De duobus et tribus beneficiis.

§ 19. Ceterum non intendimus per praemissa taxam beneficiorum, ad quae nominationes vigore privilegiorum praedictorum fieri possunt, ullo modo ampliare, sed circa taxam huiusmodi ipsorum privilegiorum dispositionem, etiam quoad canonicatus et praebendas, aliave beneficia supra expressa, quatenus illorum fructus, redditus et proventus eandem taxam excedant, omnino servari volumus.

Taxam beneficiorum servari mandat.

§ 20. Ut autem beneficiorum univernique collatorum, seu ad quae unusquisque iam nominatus fuerit, notitia fa-

In libris universitatis notentur nominationes et etiam provisiones.

cilius habeatur, teneatur unusquisque intra terminum unius mensis beneficia iam obtenta annotari curare in libris dictarum universitatis et facultatis artium respective in quibus nominationes ad beneficia ac collationes beneficiorum per easdem universitatem et facultatem artium respective pro tempore factae annotantur seu registrantur, ac de iam obtento seu obtentis beneficiis in secundâ vel tertiâ provisione seu nominatione mentionem facere; pensiones quoque ex causâ resignationis beneficii vigore privilegiorum praedictorum obtenti resignanti reservatae, in eisdem libris pariter annotari et de illis in posterioribus nominationibus seu provisionibus mentio fieri debeat.

In libris notentur etiam compositiones.

§ 21. Et quatenus aliquis compositionem sive concordiam super beneficio sic obtento cum adversario iam invenir, aut quodcumque in futurum ineat, per quam aliquid sibi in compensationem beneficii dimissi praestitum fuerit aut praestetur, id in libris praedictis pariformiter annotetur, habeaturque pro unâ provisione ei iam factâ, itaut eo pauciores nominationes sive collationes beneficiorum ab universitate seu facultate artium praefatis respective praetendere seu petere valeat.

Nemo privilegii gaudeat nisi per annum saltem in eadem universitate residerit.

§ 22. Quia vero privilegia praedicta in favorem illorum, qui litterarum studiis in dictâ universitate operam navant, ab hac Sanctâ Sede emanasse noscuntur, volumus insuper et ordinamus, ut nemo sive ab universitate sive a facultate artium huiusmodi ad beneficium quodcumque nominari, nec beneficii cuiusvis collatio ei fieri possit, qui saltem per annum integrum in eadem universitate non resederit, ibique scholas frequentaverit, et studia huiusmodi diligenter prosecutus fuerit.

Quid in casu § 23. Porro, licet ex privilegiorum

supradictorum tenore minime liceat facultati artium et universitati praedictis ad beneficia, quae, sedibus archiepiscopalibus sive episcopalibus aut praelaturis collatorum ordinariis vacantibus, vacare contingit, nominare, et quidquid secus antehac factum fuit, id nulliter et invalide factum fuerit, prout memoratus Clemens IX praedecessor per litteras suas praedictas declaravit; quia tamen ecclesiarum seu praelaturarum huiusmodi provisiones interdum diu differuntur, ex speciali gratiâ concedimus et indulgemus, ut in posterum nominationes ad beneficia, quae post elapsam semestre a die quo sedium archiepiscopalium seu episcopalium aut praelaturarum huiusmodi vacatio secuta fuerit, vacare contigerit, per easdem universitatem et facultatem artium respective, servatâ ceteroquin tam praedictorum privilegiorum quam praesentium litterarum formâ et dispositione, fieri libere et licite valeant; ita tamen ut nominationes huiusmodi connumerentur inter illas, quas vitâ, praelaturâ et administratione praelati successoris durante facere possent, ipseque praelatus successor non amplius gravetur, quam gravaretur, si beneficia huiusmodi, ad quae sede vel praelaturâ vacante facta fuerit nominatio, eo iam sedem seu praelaturam obtinente vacare coepissent.

§ 24. A nominationibus vero ad beneficia huiusmodi, quae intra semestre praedictum a die secutae vacationis sedis vel praelaturae vacare contigerit, tam universitatem quam facultatem artium huiusmodi omnino abstinere volumus, ipsorumque beneficiorum collationem, promissionem et omnimodam dispositionem ad nos et Sedem Apostolicam praedictam pleno iure spectare et pertinere declaramus.

Provisio beneficiorum vacantium intra semestre a die sequitae vacationis sedis archiepiscopalis vel episcopalis vel praelaturae reservatur Sanctae Sedi.

Probatio super non excessu taxae personalis fieri possit per duos testes iuratos, cum iuramento nominatum.

§ 25. Et quia probationes super non excessu taxae personalis per privilegia praedicta praescriptae, quas ad beneficia eorundem privilegiorum vigore nominati facere debent, ab iis concludenter fieri plerumque vix possunt; eisdem pro tempore nominatis, harum serie, indulgemus, ut taxam personalem huiusmodi per duos testes iuratos, etiam iam domesticos, de publicâ voce et famâ deponentes cum iuramento ipsorum nominatorum, probare possint, ita tamen ut haec probatio contrariam probationem non excludat.

Dat internuncio facultatem quolibet decennio a duobus benemeritis dictae universitatis licet redditus annuos, ultra taxam personalem possidentibus possit aliud beneficium pro singulis conferri.

§ 26. Ceterum, quamvis privilegia praefata praecipue ad illos, qui studiorum labores in universitate praedictâ sustinuerunt in iisque iuventutis annos consumpserunt, inopiae aerumnis praesertim in senectâ aetate eximendos concessa fuerint; nihilominus etiam aliis opulentioris fortunae, qui docendo aut regendo benemeriti fuerint, praemia non deesse cupientes, praefato Carolo Antonio, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis praedictae in Belgicis ditionibus internuncio, seu nuncio, cuiuslibet decennii spatio, duobus ex parte facultatis¹ praedictarum respective, qui docendo seu regendo benemeriti fuerint, bonumque pietatis et doctrinae ac peculiaris erga hanc Sanctam Sedem observantiae specimen dederint, ut, licet redditus annuos supra taxam personalem per privilegia praedicta praescriptam possideant, nihilominus eorum singuli ad unum tantum beneficium ecclesiasticum, in quo condigne valeant residere, nominari², et vigore nominationum huiusmodi beneficia, ad quae nominati fuerint, acceptare ac consequi et obtinere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia

¹ Lege universitatis et facultatis artium (R. T.).

² Male edit. Main. hic legit *nominati* (R. T.).

perinde ac si redditus annuos supra taxam personalem huiusmodi minime possiderent auctoritate nostrâ apostolicâ concedendi et indulgendi, plenam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, harum serie, tribuimus et impertimur.

§ 27. Praemissa autem omnia et singula a nobis statuta, decreta, mandata et ordinata, ab illis ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse servari volumus; ac (sub expressâ lege et conditione illa et alia quaecumque per hanc Sanctam Sedem in posterum statuenda et ordinanda ac universitati et facultati artium praedictis praescribenda et iniungenda exacte et accurate servandi) suspensionem iuris et facultatis ac indulti conferendi beneficia in civitate, patriâ et dioecesi Loediensi consistentia, in mensibus dictae facultatis artium per supradictas Pauli V praedecessoris litteras concessis vacatura, a praedicto Clemente IX praedecessore ad suum et Sedis Apostolicae beneplacitum factam ut praefertur, dictâ auctoritate, earundem tenore praesentium, relaxamus et revocamus; ac ex nunc revocatam fore,

Mandat observantiam omnium supra dictorum statutorum et decretorum.

§ 28. Praesentes vero litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam eo quod rector, magistri, doctores, aliique graduati et scholares ac conservatores privilegiorum universitatis praedictae, et praesertim decanus seu vicedecanus facultatis artium huiusmodi, ac receptor et procuratores quatuor nationum eiusdem facultatis, et alii quilibet quaecumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate vel potestate praediti et fungentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praesentiae, conditionis et qualitatis existant, aut aliâs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praeten-

Supplet omnes defectus.

dentis, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter deductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacunque quantumvis legitimâ et iuridicâ ac piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium seu habere praetendentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, formali, substantiali. ac inexcogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad viam seu terminos iuris aut privilegiorum dictae universitati eiusque facultati artium quomodolibet concessorum reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus ipsas praesentes litteras aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, vel etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos quovis modo spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari;

Clausula sub-
tali.

§ 29. Sicque et non aliter in praemissis per quoscunque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictaeque universitatis privilegiorum conservatores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis praedictae nuncios et internuncios, aliosque quoslibet quacum-

que praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quacunque causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his, quacunque auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 30. Non obstantibus praedictis Clementis IX praedecessoris litteris, ac de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, ceterisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, universitatis Lovaniensis et facultatis artium huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac Romanae Curiae aliisque quibuslibet styliis et nsibus etiam quantumvis antiquis et inveteratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis universitati Lovaniensi eiusque facultati artium huiusmodi, ac earum respective rectoribus, magistris, doctoribus graduatis, scholaribus, decanis, vicedecanis, receptoribus, procuratoribus nationum, facultatibus, conservatoribus privilegiorum, ac suppositis et personis quibuslibet, aliisque quibusvis quomodolibet numeratis et qualificatis, per memoratos Martinum V, Eugenium IV, Paulum II, Sixtum IV, Alexandrum VI, Leonem X, Adrianum VI, Clementem VII, Paulum III, Pium IV, Gregorium XIII, et Paulum V, aliosve forsitan Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, seu etiam ad imperatoris, regum, reginarum, archiducum, ducum et

Amplissima
quibuscumque
contrariis derogat.

aliorum principum, necnon S. R. E. cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum, aliorumque quorumlibet quavis ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate, praecellentiâ et potestate fulgentium instantiam, seu eorum intercessione vel contemplatione, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, mentis attestationis restitutivis, posteriorem datam eligendi facultatem, quam nemini contra praesentes litteras suffragari volumus, continentibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis ac decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, seu aliâs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis et innovatis; etiamsi in iisdem litteris inter alia caveatur expresse, quod illis per quas-cumque apostolicas etiam in formâ Brevis et sub nomine Camerae Apostolicae pro tempore expeditas, seu dictae Sedis, eiusque legatorum aut nunciatorum litteras, etiam quaslibet¹ generales vel speciales, etiam derogatoriis derogatorias, aliasque efficaciores et insolitas clausulas, necnon irritantia et alia decreta in se continentibus, et sub quibusvis verborum formis et expressionibus conceptas derogari nullatenus possit, nec derogatum censeatur, nisi earundem litterarum tenor de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, ac urgens et sufficiens causa expressa, et per tri-nas distinctas litteras, illarum tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, cum trium mensium intervallo, praedictae universitati legitime intimata et insinua-ta, ac derogationes ipsae, motu et scientiâ similibus, factae fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse, et aliter pro tempore

¹ Edit. Main. legit *quoslibet* (R. T.).

factae derogationes nullius roboris vel momenti sint, et nemini suffragentur, ac pro infectis et non concessis haberi debeant; quodque rector, doctores, magistri, scholares, ceterique legentes dictae universitatis, seu aliae illius personae quaecumque, vigore quarumcumque litterarum, a Sede praedictâ, seu illius legatis, delegatis et subdelegatis, aut aliâs quomodolibet emanatarum et concessarum, in quibusvis eorum causis civilibus, criminalibus et mixtis extra muros dicti oppidi Lovaniensis in primâ instantiâ trahi, citari vel conveniri, aut aliâs ad iudicium evocari non possint, dummodo coram aliquo ex conservatoribus praedictis in dicto oppido parati sint quibuscumque poscentibus de iustitiâ respondere, sed ipsi rector, doctores, magistri et scholares adversarios suos, dummodo Sedis praedictae officiales aut in Romanâ Curiâ praesentes non sint, coram aliquo ex iisdem conservatoribus trahere, convenire, et ad iudicium evocari facere in primâ instantiâ, ut praefertur, libere et licite valeant: quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis alia quaecumque etiam de necessitate specificè exprimenda contineantur, et pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, occasiones et causas, etiam quantumvis praegnantibus, piis et privilegiatis, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis et expressis ac exactissime adductis et accuratissime servatis et specificatis respective habentes, illis aliâs in suo robore

permanens, ad praemissorum effectum derogamus, nosque ex urgente et sufficienti causâ derogare et derogatum velle declaramus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio-
num fides.

§ 31. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si originaliter exhibitae forent et ostensae; utque eadem praesentes litterae, sive earum transumpta sive exempla huiusmodi, ad valvas cathedralis Leodiensis ac S. Mariae Tongrensis et S. Petri Lovaniensis oppidorum collegiatarum ecclesiarum publicentur et affigantur, sique publicatae et affixae rectorem, magistrum, doctores, scholares, decanum, vicedecanum, conservatores et alios praefatos, ceterosque, quos quomodolibet concernunt et concernent in futurum, perinde afficiant et arceant, ac si illorum cuilibet personaliter notificatae et intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

Placet E.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 10 octobris 1673, pontif. anno IV.

Registrata in Secretariâ Brevium, lib. IV diversorum, fol. 107.

CXLIV.

Suppressio perpetua quarumcumque confraternitatum seu congregationum sub invocatione SS. Sacramenti, B. Mariae Virginis Immaculatae, et S. Io-

sephi, sub titulo Gregis Boni Pastoris ubicumque erectarum, cum prohibitione libellorum, foliorum, constitutionum, regularum, imaginum, et usus quarumdam catenularum, aliorumque ad illarum institutum spectantium, iuxta decretum Congregationis S. Officii.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum assidue sollicitat, ut, quaecumque, pie licet primitus instituta, irrepentibus subinde abusibus, non solum a pietate recessisse, sed etiam gravibus scandalis causam praebere cognoscuntur, e medio tollere atque abolere studeamus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam ac fidelium aedificationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) nonnullae congregationes seu confraternitates sub invocatione SS. Sacramenti, B. Mariae Virginis Immaculatae, et S. Iosephi, sub titulo Gregis Boni Pastoris, variis in locis ordinariâ seu etiam apostolicâ auctoritate erectae et institutae existant, in quarum constitutionibus et regulis usus quarumdam catenularum, aliave quaecumque a doctrinâ et praxi Ecclesiae dissentanea reperiuntur, et de quarum instituto libella, folia et imagines in vulgus edita sunt, ex quibus scandala et offensiones in dies oriri possunt:

Nonnullae confraternitates sub titulo Gregis Boni Pastoris earumque constitutiones et regulae, in quibus usus catenularum et alia quaedam a doctrina et praxi Ecclesiae aliena reperiuntur.

§ 2. Nos, huiusmodi mala atque incommoda, ne latius serpent, apostolicae nostrae sollicitudinis sarculo recidere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haeticam pravitatem generalium inquisitorum ab hac Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter

Has confraternitates Pontifex perpetuo suppressit et extinguit.

deputatorum consilio, congregationes seu confraternitates quascumque sub invocazione SS. Sacramenti, B. Mariae Virginis Immaculatae, et S. Iosephi, sub titulo Gregis Boni Pastoris, ubicumque terrarum, sicut praemittitur, erectas et institutas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo supprimimus, extinguimus et abolemus, perpetuoque suppressas, extinctas et abolitas esse et fore decernimus et declaramus.

Lectionem et retentionem dietarum constitutionum, imaginum, ac usum calcularum perpetuo prohibet et interdicat.

§ 3. Praeterea libellos omnes, folia et constitutiones, regulas, imagines et usum catenularum huiusmodi, aliave quaecumque ad institutum earundem confraternitatum seu congregationum spectantia, eorumque respective lectionem, retentionem et usum quibuscumque christifidelibus, auctoritate et tenore praedictis, itidem perpetuo prohibemus et interdici-

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dietarum confraternitatum, necnon quarumcumque ecclesiarum, tam saecularium quam

regularium, in quibus confraternitates ipsae erectae sunt, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, seu aliâs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Ut autem eadem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas basilicae Principis apostolorum, ac cancellariae apostolicae, et in aede Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde efficere, ac si unicuique illorum personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Publicatio praesentium litterarum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv decembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno iv.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 15 decembris 1673, pontif. anno iv.

Registrata in Secretariâ Brevium, in libro mensis decembris, part. I, fol. 1.

CXIV.

Exemptio vicariorum apostolicorum eorumque missionariorum in Indiis orientalibus¹ et partibus Sinarum a iurisdictione Goanae Inquisitionis, in eâ parte, in qua non dominatur temporaliter rex Portugalliae, scilicet in China, Cocincina, Tunkino, Siam, Camboggia et aliis locis dictis vicariis apostolicis commissis, et principibus infidelibus subiectis.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut ea, quae catholicae fidei propagationi impedimentum adferre possunt, e medio tollere, et operarios in vineâ Domini strenue utiliterque laborantes ab indebitis gravaminibus atque molestiis, quantum cum Domino possumus, tueri studeamus.

Episcopi vicarii apostolici in Indiis orientalibus et Sinarum partibus, eorumque missionarii, variis vexationibus a ministris inquisitionis Goanae receperunt.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri dolore accepimus, venerabiles fratres episcopi vicarii apostolici in Indiis orientalibus et partibus Sinarum ab hac sanctâ Sede Apostolicâ deputati, eorumque missionarii, varias vexationes a dilectis filiis commissariis aliisque officialibus seu ministris Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem in civitate Goanâ auctoritate apostolicâ instituti acceperint et passi sint, ac eorum aliqui a missionum locis amoti et in carcere detenti fuerint, in grave sancti operis conversionis infidelium ac propagationis catholicae fidei, cui dictae Sedis auctoritate destinati sunt, praedictum et detrimentum:

Dictos vicarios apostolicos, eorumque

§ 2. Nos, eiusmodi malis ansam et occasionem in futurum praecidere cupien-

tes, eosdem¹ vicarios apostolicos, eorumque missionarios, tam missos quam mittendos, et eorum quemlibet, a quacunque iurisdictione inquisitionum, commissariorum, iudicum, aliorumque quorumlibet officialium et ministrorum dicti Officii Inquisitionis haereticae pravitatis, in eâ parte tantum in qua carissimus in Christo filius noster Portugalliae et Algarbiorum rex illustris temporaliter non dominatur, scilicet in China, Cocincina, Tunkino, Siam, Camboggia, et aliis locis, quae memoratis vicariis apostolicis commissis et principibus infidelibus subiecta sunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, eximimus et plenarie liberamus, ac exemptos et liberatos, dictaeque iurisdictioni minime obnoxios esse et fore, decernimus et declaramus. Districte prohibentes inquisitoribus praefatis, et per ipsos omnibus eorum commissariis ac ministris et officialibus, ne in posterum ullum iurisdictionis actum in dictos vicarios apostolicos et eorum missionarios exercere audeant quovis modo seu praesumant;

§ 3. Ac decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac vicariis apostolicis et² missionariis praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcussè observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatos inquisitores, aliosve quoslibet quacunque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et au-

Decretum irritans.

¹ Ed. Main. legit *eiusdem pro eosdem* (R. T.).

² Coniunct *et nos addimus* (R. T.).

¹ Ed. Main. legit *occidentalibus* (R. T.).

etoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis
der. gat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in conciliis etiam universalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Inquisitionis Officii, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque inquisitoribus, commissariis, officialibus et ministris, aliisque personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu ad quarumcumque personarum, etiam regiâ aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ potestate fulgentium, instantiam, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum in genere vel in specie concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis aliâ expressio habenda atque aliâ exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice

dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxii decembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 22 decembris 1673, pontif. anno IV.

Registrata in lib. *Brevium mensis ianuarii*, parte 1, fol. 99.

CXLVI.

Confirmatio et innovatio Brevium Alexandri VII et Clementis IX, ac decretorum Congregationis de Propagandâ Fide, ad favorem episcoporum vicariorum apostolicorum apud Sinas emanatorum, eorumque missionariorum, etc.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, quem Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini cum potestatis plenitudine praeposuit Altissimus, ac aequibonique supremum assertorem in terris constituit, ea, quae a praedecessoribus suis et hac sanctâ Sede Apostolicâ ad christianae religionis et orthodoxae fidei praesertim in remotissimis ab hac sanctâ Sede locis propagationem, animarumque pretioso Unigeniti Dei Filii Domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salutem, felicemque fidelium in viâ man-

Exordium.

datorum Domini directionem, prudenti salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, pontificiae charitatis zelo emanarunt, ut firma atque illibata persistant, nec temerariis quorundam, qui quaerunt quae sua sunt non quae lesu Christi, ausibus violentur, apostolici muniminis praesidio corroborare, ac a perversis quorumcumque calumniantium conatibus tueri, ne messis, quam fideles operarii ab eadem Sanctâ Sede missi plantarunt et rigarunt, inimico superseminante zizania, detrimentum accipiat, sed, benedicente atque incrementum largiente Domino, ad perfectae finem perveniat maturitatis, et horrea dominica uberrimo fructu locupletet.

Alexander VII designatis episcopis commisit administrationem nonnullarum provinciarum, prout in rubrica, donec aliter a Congregatione de Propaganda Fide fuisset demandatum.

§ 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Alexander Papa VII, praedecessor noster, de tunc existentium S.R.E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, per ternas suas in simili formâ Brevis litteras, binas quidem die IX septembris MDCLIX, reliquas vero die XX septembris MDCLX respective expeditas, venerabiles fratres Franciscum Pallu, episcopum Heliopolitanum, in regno Tunchini, cum administratione infrascriptarum provinciarum, videlicet Lunam¹, Queriteu, Huqiang, Suceuen, Quangsii et Luos, ac Petrum, episcopum Berytensem, Cocincinae, cum administratione harum provinciarum, nempe Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamsii, insulae Hainaum, aliarumque insularum, necnon tunc in humanis agentem bonae memoriae Ignatium Cotolendi, episcopum Metellopolitanum, Nanchini in Sina, cum administratione provinciarum infra expressarum, videlicet, Pechuin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Cortae et Tartariae, vicarios apostolicos respective, donec et quousque a praefatorum

¹ Quoad nomina propria exscribimus ed. Main. (R. T.).

cardinalium Congregatione fuisset aliter mandatum aut dispositum, auctoritate apostolicâ fecit, constituit et deputavit, ac ipsis Francisco, Petro et Ignatio episcopis dedit facultatem, ut, si contingeret aliquem ex ipsis in itinere, vel postquam illuc pervenissent, morte vel alio eveniente defectu deficere¹, deficienti proximior posset etiam ad eas provincias, quae eidem deficienti episcopo suberant, administrationem extendere, vel cum alio episcopo novam divisionem inire, quae ratione illorum christifidelium necessitatibus aptius consultum videretur ne prorsus pastore destituti remanerent, donec per memoratam cardinalium Congregationem, quae statim de praedictis certior reddi deberet, aliter fuisset dispositum.

§ 2. Ut autem in partibus praedictis sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita fides catholica ibidem firmiter, benedicente Domino, radicari valeret, eisdem Francisco et Petro et Ignatio episcopis cum christifidelibus earundem partium indigenis sibi uti vicariis apostolicis respective vigore praefatarum litterarum pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere nossent, eisque canon missae ac formulae sacramentorum Ecclesiae declararentur, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, servatis aliis servandis, promoveri, et promoti in illis etiam altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, dispensandi, necnon recitationem officii divini, horarum videlicet canonicarum, eisdem christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua, ipsorum episcoporum arbitrio, commutandi, facultatem ad septennium duntaxat pariter concessit et imperitus

Eis indulget ut ad septennium suos subditos latinum non scientes ad presbyteratum promoveri possint, eis commutando recitationem divini officii in alias precas.

¹ Vocem *deficere* nos addimus (R. T.).

est, salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum cardinalium.

Facultas data novum episcopum consecrandi, si unus e duobus superstitibus deficiat.

§ 3. Et subinde, cum eidem Alexandro praedecessori relatum fuisset, quod praefatus Ignatius episcopus viam universae carnis ingressus fuerat, si vero, utriusque vel alterius ex dictis Francisco et Petro episcopis obitu quoque eveniente, episcopi hinc denuo ad partes praefatas mittendi essent, non solum maximae difficultates superandae, gravissimique labores exantlandi forent, sed etiam grave periculum immineret ne, inter longas temporis moras quas intervenire necesse foret, grande illud opus directionis christifidelium infidelium propagandaeque christianae religionis ab iisdem Francisco et Petro episcopis laudabiliter inceptum omnino deperiret, ipse Alexander praedecessor, de praefatorum cardinalium consilio, per alias suas pariter in formâ Brevis litteras die iv februaryi MDCLXIV emanatas, illi⁴ ex praefatis Francisco et Petro episcopis, qui alteri, quem praemori contingeret, superstes foret, ut unum ex presbyteris hinc cum ipsis ad easdem partes profectis, quem in Domino magis idoneum et tanto muneri exequendo aptiorem iudicavisset, ecclesiae in partibus infidelium consistenti, quae per obitum praedefuncturi ex ipsis pastoris fuisset destituta solatio, in episcopum et pastorem auctoritate apostolicâ praeficere, eique sic praefecto munus consecrationis cum assistentiâ aliorum duorum presbyterorum, etiamsi non essent episcopi nec in ecclesiasticâ dignitate constituti, si adessent, sin minus, etiam sine illorum assistentiâ, servatis tamen, quantum locus et tempus permitterent, caeremoniis in consecratione episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius

1 Male ed. Main. legit *illis* (R. T.).

ab illo, eiusdem Alexandri praedecessoris et Romanae Ecclesiae nomine, fidelitatis debitae solito iuramento, impendere libere et licite posset et valeret, facultatem dictâ auctoritate tribuit et impertitus est. Ac eundem episcopum sic ordinandum ex tunc, prout postquam ordinatus et consecratus fuisset ut praefertur, vicarium apostolicum in partibus supradictis loco illius ex praefatis Francisco et Petro episcopis, qui prior decessisset, cum omnibus et singulis facultatibus ei per litteras praedictas attributis, donec tamen et quousque a praefatâ cardinalium Congregatione aliter mandatum aut dispositum fuisset, eadem auctoritate deputavit, substituit et subrogavit; salvâ tamen pariter in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium, quam de eisdem praemissis ab alterutro eorumdem Francisci et Petri episcoporum superstite, quanto citius fieri posset, voluit fieri certiozem. Ceterum praefato episcopo, ut ipse ad ecclesiam, cui vigore harum litterarum praefectus fuisset, quamdiu illa ab infidelibus detineretur, accedere, et apud illam personaliter residere minime teneretur, dictâ auctoritate indulsit.

§ 4. Ac postmodum, cum praefati Franciscus et Petrus episcopi per presbyterum, quem illuc miserant, dicto Alexandro praedecessori exponi fecissent, quod ipsi e re dominici gregis magnopere futurum existimabant, si, supradicto Ignatio episcopo defuncto, successor in vicariatu apostolico, ei sicut praefertur demandato, constitueretur; idem Alexander praedecessor, de consilio Congregationis tunc existentium eiusdem S.R.E. cardinalium super negotiis spiritualibus regni Sinarum ab eo deputatae, per alias suas similiter in formâ Brevis die xxvii februaryi MDCLXV expeditas litteras, memoratis Francisco et Petro episcopis,

Facultas etiam consecrandi tertium episcopum in locum defuncti.

ut unum ex praefatis presbyteris cum ipsis unâ ad partes supradictas profectis, quem obeundo vicariatus apostolici huiusmodi numeri magis idoneum in conscientiâ iudicavissent, ecclesiae Metellopolitanae, per obitum dicti Ignatii episcopi solatio pastoris tunc destitutae, in episcopum et pastorem auctoritate apostolicâ praeferre¹, illique sic praefecto munus consecrationis cum assistentiâ unius vel duorum aliorum presbyterorum, etiamsi non essent episcopi nec in ecclesiasticâ dignitate constituti, si adessent, sin minus, etiam absque eiusmodi assistentiâ, servatis tamen pariter, quantum locus et tempus permetterent, caeremoniis in consecratione episcoporum adhiberi solitis, receptoque prius ab illo fidelitatis debitaie iuramento praefato, pariter impendere libere et licite valerent, facultatem auctoritate praefatâ tribuit similiter et impertitus est, eâ tamen lege ut hac facultate non uterentur, nisi quando eis permissum fuisset ingredi ea loca, in quibus vicariatum apostolicum praefato Ignatio episcopo, sicut supradictum est, demandaverat.

Si insimul convenire nequirent tota facultas alium episcopum consecrandi resideat in uno pro ut in rubrica.

§ 5. Quod si dicti Franciscus et Petrus episcopi, propter locorum distantiam vel aliud impedimentum, pro huiusmodi episcopi in locum praefati Ignatii defuncti ordinatione, insimul convenire nequirent, totam hanc facultatem remanere voluit penes praefatum Petrum episcopum Berytensem, qui si tempore adventus ultimo datarum litterarum ad illas partes de hoc saeculo migravisset, eadem facultas penes memoratum Franciscum episcopum Helioopolitanam resideret. Ambobus autem ab hac luce subtractis, hanc eandem facultatem ordinandi episcopum dictae ecclesiae Metellopolitanae in locum su-

¹ Aptius lege *praeficere* (R. T.).

pradicti Ignatii defuncti haberet ille episcopus, quem alter superstes ex eisdem Francisco et Petro episcopis in vim praefatarum litterarum die iv februarii MDCLXIV emanatarum consecrasset. Ac episcopum vigore ultimarum Alexandri praedecessoris litterarum huiusmodi sicut praemittitur ordinandum, ex tunc prout postquam ordinatus fuisset, vicarium apostolicum in partibus supradictis loco memorati Ignatii episcopi, cum omnibus et singulis facultatibus, quae eidem Ignatio episcopo per praefatas litteras quomodolibet attributae fuerant, donec tamen et quousque a memoratâ Congregatione cardinalium aliter mandatum vel dispositum fuisset, auctoritate praefatâ deputavit pariter, ac substituit et subrogavit; salvâ similiter in praemissis auctoritate eiusdem Congregationis cardinalium, quam de iis omnibus, quae earumdem ultimarum litterarum vigore gesta fuissent, quantocitius etiam voluit reddi certiore.

§ 6. Demum novo episcopo Metellopolitano, sicut praefertur ordinando, indultum non accedendi ad ecclesiam Metellopolitanae huiusmodi, quamdiu illa ab infidelibus detineretur, nec apud illam personaliter residendi pariformiter concessit; et aliâs, prout in praefati Alexandri praedecessoris litteris, quarum omnium et singularum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Episcopus consecrandus ad ecclesiam Metellopolitanae accedere non teneatur.

§ 7. Et successive accepto per recordandae memoriae Clementem Papam IX, praedecessorem pariter nostrum, quod civitas Iuthia, vulgo Siam, praecipuum¹ esset emporium totius regni Siani et ad illam continuus esset concursus diversarum nationum tam vicinarum quam longinquarum, quibus rex dicti regni,

Novo episcopo consecrando subiicitur civitas Iuthia.

¹ Male edit. Main. legit *praecipuam* (R. T.).

ut ad illam libentius confluerent et ibidem securius commorarentur, liberum religionis et sectarum quarumlibet exercitium concesserat; ac nomine praefatorum episcoporum vicariorum apostolicorum ad regna Sinarum, Tunchini et Cocineinae destinatorum dicto Clementi praedecessori exposito, quod ipsi, ob arduas difficultates ingrediendi fines suorum vicariatuum, sedem in dicta civitate interea fecerant, ecclesiam seu cappellam ibidem erexerant, et in conversionem infidelium tam suorum vicariatuum quam aliarum nationum incubuerant, seminarium quoque instituerant, cupiebantque propterea episcopo Metellopolitano vicario apostolico ad Sinas consecrato, seu mox consecrando, extensionem administrationis seu vicariatus ad dictum regnum Siani et civitatem luthiensem benigne concedi: idem Clemens praedecessor, supplicationibus eorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, de memoratorum cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio, praefato episcopo Metellopolitano administrationem sui vicariatus ad regnum Siani et civitatem luthiensem huiusmodi auctoritate apostolica extendit quousque ingredi in Sinas idem episcopus Metellopolitano posset, cum obligatione tamen dictum ingressum diligenter procurandi, et eo casu, facultatem quoque eidem concessit provicarium ibidem constituendi, donec aliter per Sedem Apostolicam provisum fuisset.

§ 8. Ut autem praefati episcopi vicarii apostolici, apud Sinas, ac Tunchino et Cocineina respective auctoritate apostolica deputati, iuncta sibi munera ad christifidelium illarum partium utilitatem, adiuvante Domino, facilius exequi valerent, dictus Clemens praedecessor ex commisso sibi caelitus sacrosancti apostolatus officio providere volens, eisdem

episcopis vicariis apostolicis cum neophytis suorum respective vicariatuum, quoque seu quibusvis (non tamen primo) consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel aliis coniunctis seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valerent, dicta auctoritate, gratis tamen, dispensandi, et eos qui in gradibus prohibitis huiusmodi matrimonium etiam scienter contraxissent, ab excessibus et excommunicationibus, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis ea de causa incursis, in utroque foro, gratis pariter, absolvendi, ac prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam decernendi, facultatem, ad viginti annos tantum duraturam, quam ipsi episcopi vicarii apostolici suis respective provicariis, secundum datam sibi a Domino prudentiam, communicare possent, eadem auctoritate concessit et imperitus est; et alias, prout in binis ipsius Clementis praedecessoris pariter in formam Brevis litteris, die IV et die XI iulii MDCLXIX respective expeditis, plenius etiam continetur.

§ 9. Ac demum idem Clemens praedecessor alias in simili formam Brevis litteras concessit tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens Papa IX, ad futuram rei memoriam. Speculatores domus Israel¹, quae est sancta Dei Ecclesia, in terris a Domino constituti, ad illa praecipue charitatis atque vigilantiae nostrae pastoralis studia convertimus, quae christianae religionis catholicaeque fidei propagationem concernunt, ut illis certam atque prudentem, ex solita huius sanctae Sedis providentia et rectitudine,

¹ Bulla Clementis IX iam legitur in tom. xvii, pag. 816: attamen eam iterum damus ut diversa maxime nominum propriorum lectio altera cum altera conferri possit (R. T.).

Referatur bulla
Clementis IX.

Eisdem vicariis apostolicis in Tunchino et Cocineina indulgetur ut per viginti annos cum suis subditis possint dispensare super quibusvis consanguinitatis vel affinitatis gradibus, non tamen in primo gradu, prout in rubrica.

normam tradamus, et, sublatis dubiis atque controversiis, quae inter operarios in vineam Domini missos, in eaque sedulo laborantes enasci, illorumque labores et laborum fructum turbare vel impedire possent, omnia pie sancteque (quantum Dominus donare dignatur) disponere satagamus, quo optati surgant benedicente Domino fructus, ac ad maturitatem perducantur, sanctaque Mater Ecclesia uberius atque lactioribus in dies gaudeat incrementis.

Exponitur
Clementi IX du-
bua ex parte vi-
cariorum apo-
stolicorum.

§ 10. Cum itaque (sicut venerabilis frater Franciscus episcopus Heliopolitanus, vicarius apostolicus in regno Tunchini cum administratione provinciarum Sinae huic regno adiacentium, videlicet Iunam, Querikeu, Huoquang, Succuen, Quangsii et Laos, a felicis recordationis Alexandro PP. VII praedecessore nostro constitutus et deputatus, tam suo quam venerabilis pariter fratris Petri episcopi Berytensis, vicarii apostolici Cochinchinae cum administratione infrascriptarum provinciarum Sinae, videlicet Cechiang, Fochien, Quantumg, Chiamsi, insulae Haynan, et aliarum insularum, atque etiam episcopi Metellopolitani consecrati aut mox consecrandi, vicarii apostolici Nanchin in Sina cum administratione provinciarum Pechin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Coreae et Tartariae, ab eodem Alexandro praedecessore pariter constitutorum, cum extensione administrationis dicti episcopi Metellopolitani ad civitatem Juthiae totumque Siani regnum a nobis nuper facta, nominibus, nobis exponi fecit) ¹ in dictis regnis et provinciis reperiantur diversorum Ordinum religiosi, tam a suis respective superioribus generalibus, quam a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei

¹ Particulam quod hinc abiicimus (R. T.).

praepositorum destinati, qui missionibus ibidem sub directione suorum respective praepositorum aut praefectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut necessarios operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus neophytis catechistas effecerint, illosque¹ sibi suaeque directioni quibusdam votis adstrinxerint; praedicti vero episcopi vicarii apostolici humiliter a nobis postulaverint, ut auctoritate nobis a Domino tradita decernere atque declarare dignarumur:

1° An aliqua sit inter vicarios apostolicos et regulares praedictos subordinatio, et in quibus hi ab illis dependere debeant:

2° An catechistae per vota regularibus facta eximantur a iurisdictione eorumdem vicariorum apostolicorum:

§ 11. Nos, attendentes eo potissimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Sianum et alia vicina regna missos ibique constitutos esse episcopos vicarios apostolicos, ut ex christianis indigenis seu incolis illarum partium instituerentur clerici et sacerdotes, ac, crescente fide fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur; considerantesque ex independentia plurimorum operariorum in iisdem locis, praecipue cum a Sancta Sede sint remota, oriri facile posse dissensiones, rixas, divisiones et schismata in christianae religionis detrimentum atque perniciem eruptura, nisi illis mature occurratur; de memoratorum cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod praedicti episcopi vicarii apostolici ab omnibus et singulis religionis cuiuslibet Ordinis, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu, in

Regularium
subiectio vica-
riis apostolicis.

¹ Male in loco parallelo legimus cum Main. illaque (R. T.).

praediata regna et provincias¹ sive a nobis aut a Congregatione eorundem cardinalium specialiter deputati, exigere possint et debeant ut suas patentes seu alias quascumque eorum missionis, destinationis, constitutionis et deputationis litteras exhibeant, iisque qui illas exhibere recusaverint, tanquam Sedis Apostolicae delegati, prohibere ne facultates sibi per litteras huiusmodi concessas exerceant, ipsique regulares licentiam exercendi suas facultates petere teneantur ab iisdem episcopis vicariis apostolicis, quam ipsi denegare non debeant, nisi in casu gravis causae dictae Congregationi cardinalium communicandae. Porro dicti regulares, in defectu sacerdotum saecularium, non solum titulo charitatis, sed etiam iustitiae, curam animarum teneantur exercere, et, quatenus id facere recusent, a vicariis apostolicis ad tale munus obeundum cogi possint. Quotiescumque vero regulares sub titulo missionariorum curam animarum exercebunt, subditi sint, quoad functiones parochiales, visitationi et correctioni² vicariorum apostolicorum aut provicariorum eorundem, iuxta constitutionem recolendae memoriae Gregorii PP. XV, praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Inscrutabili Dei providentiâ*, etc., anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, nonis februarii, editam; nec sine licentiâ eorundem vicariorum apostolicorum, et multo minus contra eorum voluntatem, liceat regularibus aedificare et aperire ecclesias in locis ubi ipsi vel alii missionarii alterius Ordinis seu presbyteri saeculares similiter missionarii ecclesias habent; ubi vero apertae non sunt, possint ad formam privilegiorum et facultatum ipsis concessarum.

¹ Hic ex loco parall. supplenda verba *sive a suis superioribus nisi sint* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *collectioni* (R. T.).

§ 12. Cum autem, prae multitudine neophytorum in unâ provinciâ aut civitate, vel prae nimîâ earum¹ amplitudine, unus aut alter, qui eis praesunt, missionarii non sufficiunt, aliique suppetunt sacerdotes saeculares aut religiosi, licet alterius Ordinis, quorum tamen subsidium nec illi quaerunt, nec oblatum recipiunt; tunc, habito dumtaxat respectu ad christianorum necessitatem, possint et debeant vicarii apostolici praedicti operarios multiplicare, parochias dividere, aliaque eiusmodi facere, iuxta praescripta a sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis. Possint quoque iidem vicarii apostolici exigere a regularibus rationem executionis piarum voluntatum, quatenus ad illas exequendas deputentur. Praeterea, iuxta constitutionem recolendae memoriae Urbani PP. VIII, praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Ex debito pastoralis officii*, etc., si forte aliquae controversiae inter religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati vicarii apostolici tanquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidere et determinare possint et debeant. Si vero graviora quaedam negotia occurrerent², ea ad nos et Romanos Pontifices successores nostros quanto citius ab iisdem vicariis apostolicis referantur, ut, quod in illis statendum fuerit, maturâ consultatione adhibita, decernatur.

§ 13. Ad haec, quoad vota catechistarum statuimus pariter et ordinamus votum obedientiae, quo nonnulli regulares eos obstringunt, eisdem non impedire sui officii exercitium sub directione dictorum vicariorum apostolicorum eorumque provicariorum, nec illud impe-

Vicarii apostolici operarios multiplicare possunt, parochias dividere, etc.

Votum obedientiae, quod catechistae emittunt favore regularium, eos non eximit a directione dictorum vicariorum in exercitio officii.

¹ In loco parallelo ex coniecturâ legimus *vel provinciarum pro vel prae nimîâ earum* (R. T.).

² Aptius in loco parallelo legit *occurrerint* (R. T.).

diri posse a regularibus, tamquam eis, vigore dicti voti, catechistae omnimode subditi sint; quinimo votum huiusmodi in hac circumstantiâ nullum esse declaramus. Volentes ab iisdem vicariis apostolicis posse dictos catechistas compelli ut sub eorum directione et dependentiâ sua munia exercent. Et, quatenus regulares de facto adstringerent catechistas ad similia vota et alias obligationes quibus a vicariis apostolicis independentes remanent, posse eosdem vicarios apostolicos publicâ significatione manifestare regularibus, atque his intimare, ut abstineant ab usu, seu verius abusu, catechistas voto obedientiae erga se ipsos privative quoad vicarios a Sede Apostolicâ deputatos obstringendi.

Facultates dictorum vicariorum apostolicorum referuntur.

§ 14. Insuper volumus ut ad vicarios apostolicos intra fines suorum vicariatuum praecipue spectet, maxime in cursu visitationis, ea inspicere quae spectant ad fidem, bonos mores, et administrationem sacramentorum baptismi, matrimonii et aliorum. Competat quoque dictis vicariis apostolicis facultas super novis miraculis et martyribus processum instituendi, et ad memoratam cardinalium Congregationem transmittendi, necnon circa observationem festorum rituumque ecclesiasticorum statuendi quaecumque opportuniore videbuntur, secundum decreta Romanorum Pontificum, locorumque circumstantias. Ac ad eosdem vicarios apostolicos etiam spectet verificare et publicare quascumque litteras apostolicas, constitutiones et rescripta Romanorum Pontificum, quae locorum Ordinariis dirigi solent, iubilaea quoque, indulgentias, sacrarumque Congregationum ordinationes. Porro unicuique memoratorum episcoporum vicariorum apostolicorum sex notarios apostolicos cre-

1 Male ex Main. in loco parallelo legit *con-*
cussa pro cursu (R. T.).

andi et instituendi facultatem, dictâ auctoritate, harum serie, tribuimus et impartimur.

§ 15. Ceterum has omnes facultates dictis vicariis apostolicis ita elargimur et concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus et prohibemus; salvâ semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum.

Has facultates dicti vicarii apostolici extra eorum limites extendere non valent.

§ 16. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque nostro seu dictae cardinalium Congregationis arbitrio imponendis poenis, omnibus et singulis regularibus praedictis, aliisque quibuslibet, ad quos spectat et pro tempore quovis modo spectabit, ut omnia et singula praemissa exacte et inviolabiliter et inconcusse observent et adimpleant. Ac decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac memoratis vicariis apostolicis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Demanda regularibus et aliis praemissorum observantiam.

§ 17. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, congregationum, societatum, etiam Iesu, et institutorum, ac ecclesiarum, monasteriorum, provinciarum, conventuum, domorum, collegiorum et locorum regularium quorum-

Obstantia et contraria refert.

cumque, etiam inramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus, congregationibus, societatibus, etiam Iesu, et institutis, ac ecclesiis, monasteriis, provinciis, conventibus, domibus, collegiis et locis regularibus, illorumque superioribus et personis quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et de apostolica potestate plenitudine, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis;

Eis et aliis omnibus amplissimè derogat.

§ 18. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus¹.

Transumptio- rum fides.

§ 19. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in

¹ Adde ex loco parall. ceterisque contrariis quibuscumque (B. T.).

iudicio et extra ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub ambulo Piscatoris, die XIII septembris MDCLXIX, pontificatus nostri anno III.

§ 20. Praeterea ad favorem supradyctorum episcoporum vicariorum apostolicorum emanarunt a praefatâ Congregatione cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum diversis respective temporibus varia decreta, quibus inter alia eisdem tribus vicariis apostolicis data fuit facultas communicandi eorum facultates pro Iaponia alicui ex propriis missionariis, postquam tamen idioma illius regni calluissent, vel etiam aliis sacerdotibus probis, etiamsi ex sociis eorum non essent; ac collocandi eorum missionem alibi quam in locis sibi assignatis, postquam tamen omni spe cecidissent prosequendi propriam; necnon clericali characterè insigniendi et ad omnes etiam sacros ordines promovendi christianos episcopatum ab haereticis, mahumetanis et gentilibus occupatorum, praesertim S. Thomae, Malacae et Iaponiae, absque dimissiois Ordinariorum, attentâ difficultate ad eos recurrenti; et praefato Petro episcopo Berytensi concessa fuit administratio regnorum Camboiae et Ciampae; aliaque ipsis vicariis apostolicis respective concessa et indulta fuerunt, prout in ipsis decretis, quorum ac binarum priorum dicti Clementis praedecessoris litterarum praefatarum tenores etiam veriores et datas praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac itidem de verbo ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

Referuntur varia decreta a Congregatione de Propaganda Fidei diversis temporibus edita favore dictorum vicariorum apostolicorum.

§ 21. Cum autem, sicut non sine gravissimo animi nostri dolore ad nostri pervenit apostolatus auditum, nonnulli, variis aequivocationibus, tergiversationi-

Praesentitur a nonnullis de- tas litteras Alex- andri VII et Clementis IX circa missionem dictorum vica-

romum aposto-
licum et confictas,
aut subreptitias
vel obreptitias.

bus et subterfugis, variisque praetextibus et frivolis rationibus, mentem et intentionem huius sanctae Sedis Apostolicae circa missionem memoratorum vicariorum apostolicorum, vimque et effectum supradictarum litterarum eludere conati fuerint; quinimo eorum aliqui eo vesaniae atque temeritatis proruperint ut easdem litteras apostolicas falsas et confictas, aut subreptitias vel obreptitias esse, dictosque vicarios apostolicos se in loca suarum missionum et alia eis respective commissa intrusisse falso asserere, ac eiusmodi falsis imposturis christifideles illarum partium seducere, ac in falsam huiusmodi credulitatem inducere detestabili perniciosoque ausu praesumpserint, non sine gravissimâ divinae maiestatis offensâ, fidelium scandalo, ac salutis animarum et infidelium ad fidei catholicae veritatem conversionis, cui eadem sancta Sedes dictos vicarios apostolicos destinavit, detrimento;

Declarat Pontifex praedictas litteras Alexandri VII. et Clementis IX. summâ maturitate et zelo apostolico emanasse, nec alio quocumque vitio vel defectu laborare, easque confirmat.

§ 22. Hinc est quod nos, ex commissae nobis divinitus apostolicae servitutis munere, aequivocationes, tergiversationes, subterfugia et praetextus huiusmodi penitus et omnino e medio tollere, ac temerariorum audaciam compescere, atque reprimere, necnon animarum salutis et christifidelium quieti, fideique catholicae praefatae propagationi, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, habitâ super praemissis cum particulari Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum deliberatione maturâ, de illorum consilio et unanimi assensu, ac motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas dictorum Alexandri et Clementis praedecessorum litteras supra expressas ab

ipsis Alexandro et Clemente praedecessoribus respective vere et realiter ac summâ maturitate, prudentiâ et apostolico zelo emanasse, nec falsitatis, nullitatis, subreptionis, vel obreptionis, aliove quocumque vitio vel defectu ullo modo laborare, tenore praesentium declaramus et attestamus. Ac easdem litteras Alexandri et Clementis praedecessorum omnes et singulas, necnon praefata et alia quaecumque decreta dictae Congregationis cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ad favorem praefatorum episcoporum vicariorum apostolicorum eorumque missionariorum quomodolibet emanata, cum omnibus et singulis in eis respective contentis et expressis, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie, approbamus et confirmamus, ac innovamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiungimus.

§ 23. Ac omnes et singulos iuris et facti et solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis, et constitutionum apostolicarum, aut quorumcumque privilegiorum, et indulgiorum apostolicorum, sive statutorum, ordinationum, usuum et consuetudinum quarumlibet, etiam immemorabilium, praescripto, aut aliâs quomodolibet, in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet etiam quantumvis magnos ac formales et substantiales defectus, si qui in praemissis, principaliter vel accessorie, antecedenter vel consequenter, aut concomitanter, et aliâs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, intelligi vel praetendi possent, ad maiorem et abundantiore cautelam, ac quatenus opus sit, penitus et omnino supplemus et sanamus, et tollimus et abolemus.

In eis supplet omnes et quoscumque defectus quatenus opus sit.

Robur addit.

§ 24. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praecminentiae et dignitatis, seu aliàs speciali et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis instâ, iuridicâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali ac substantiali et incogitato inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes et praefatas Alexandri et Clementis praedecessorum litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac vicariis apostolicis praefatis eorumque missionariis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari,

Clausula sublatâ.

§ 25. Sicque et non aliter in praemis-

sis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praecminentia et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 26. Mandantes propterea venerabilibus fratribus, primatibus, archiepiscopis et episcopis et aliis Indiarum aliarumque partium orientalium Ordinariis, et eorum officialibus vel vicariis in spiritualibus generalibus, necnon quorumvis Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, generalibus aliisve superioribus regularibus, ut praesentes litteras, seu earum⁴ exempla, etiam impressa, in suis quisque provinciis, civitatibus, dioecesibus, capitulis, monasteriis, conventibus et collegiis, districtibus, iurisdictionibus respective, omni morâ ac dilatione omnique tergiversatione postpositis, solemniter publicari, ac a suis respective subditis inviolabiliter observari curent et faciant.

Mandat observari.

§ 27. Non obstantibus piæ memoriae Bonifacii PP. VIII, praedecessoris pariter nostri, de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ita ut vigore praesentium etiam ultra duas pluresque dietas quilibet in iudicium trahi possit, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque regno-

Omnis et singula in contrarium facientia mandata praedictis litteris non obstare.

⁴ Edit. Main. legit *eorum pro earum* (R. T.).

rum, provinciarum, Ordinum, congregationum, institutorum, societatum, etiam Iesu, domorum, conventuum, monasteriorum, collegiorum et locorum, aliisque quibusvis, etiam inramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam inmemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eisdem regnis, provinciis, Ordinibus, congregationibus, societatibus, etiam Iesu, institutis, domibus, conventibus, monasteriis, collegiis et locis, illorumque superioribus et personis, etiam particularibus, et aliis quibuscumque, etiam speciali nota dignis, et de necessitate iuris vel facti omnino exprimendis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis mentis attestativis, restitutionis¹, et posteriorem datam eligendi facultatem concedentibus, quam nemini contra praesentes litteras suffragari posse decernimus, ac derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia, potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, seu ad quorumvis regum et principum aut quavis alia mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentium instantiam, eorumve intuitu vel contemplatione, et aliis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, emanatis, ac etiam pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis et innovatis; necnon omnibus et singulis illis, quae in supradictis Alexandri et Clementis praedecessorum litteris concessa sunt non ob-

Eis omnibus
amplissime de-
rogat.

§ 28. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis,

¹ Forsan legendum *restitutivis* (v. t.).

specificae et individuae, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad praemissorum effectum, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, specialiter et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 29. Ceterum volumus ut eadem praesentes litterae, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur et intimentur singulis Ordinum, congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, superioribus generalibus, procuratoribus generalibus;isque harum serie districte praecipimus et mandamus ut ipsae praesentes litterae, tam suo quam suorum respective subditorum seu inferiorum nomine, acceptent, actumque acceptationis huiusmodi in scriptis reddant, et exempla huiusmodi pluribus viis quanto citius fieri poterit transmittant ad eosdem suos subditos seu inferiores, cum accuratissimis praecipis easdem praesentes litteras et in eis contenta plenarie et integre ac vere et realiter et cum effectu in omnibus et per omnia exequendi et observandi.

Mandat. praesentes publicari.

§ 30. Et quia difficile foret praesentes litteras originales ubique ostendi et publicari, volumus pariter et decernimus illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eandem prorsus fidem¹ in iudicio et

Transumptorum fides.

¹ Male ed. Main. legit *eadem... fides* (v. t.).

extra illud ubicumque locorū haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si foret exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLESIUS

Dat. die 23 decembris 1673, pontif. anno IV.

Registrata in Secretariā Brevium in lib. mensis ianuarii part. 1, fol. 85.

CXLVII.

Prohibitio sub poenā excommunicationis latae sententiae omnibus ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus, etiam Societatis Iesu, apud Sinas degentes, ne, sub quovis praetextu vel vigore cuiusvis privilegii apostolici, ab ullo primato, archiepiscopo, episcopo, capitulo, gubernatore, administratore, visitatore, vicario vel alio quocumque litteras deputationis in vicarium generalem vel foraneum, seu ut vocant de Vara, visitatorem, vel alterius cuiuscumque tituli, emendicare, nec etiam oblatas accipere audeant, pro exercendā quocumque modo iurisdictione in locis, quae episcopis vicariis apostolicis commissa sunt vel fuerint in futurum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Illius, qui charitas est et Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut ea, quae pacem christianam, sine qua non bene colitur pacis auctor, laedere ac dissidiorum et schismatum inter christifideles, praesertim in longinquis ab hac sanctā Sede partibus degentes, causam praebere no-

scuntur, opportuna provisionis ministerio recidere atque amovere satagemus.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestiā ad aures nostras pervenit, inter christianos Tunkinenses, Cochinchinenses et alios variae divisiones et schismata sint exorta, quibus Ecclesiae orientalis pax et concordia multis ab hinc annis plurimum labefactata reperitur: nos, ut pristina eidem Ecclesiae pax reddatur atque tranquillitas de salutari remedio providere cupientes, de particularis Congregationis venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, omnibus et singulis ecclesiis¹ saecularibus, cuiuscumque status, gradus et conditionis, necnon omnibus et singulis regularibus, cuiuslibet religionis, congregationis, Ordinis et instituti, etiam Societatis Iesu, ne, sub quovis praetextu, colore, causā vel occasione, aut vigore cuiuscumque privilegii vel indulti a Sede Apostolicā emanati, ab ullo primato, archiepiscopo, episcopo, capitulo, gubernatore, administratore, visitatore, vicario, vel alio quocumque, litteras deputationis in vicarium generalem vel foraneum, seu (ut aunt) de Vara, visitatorem, vel alterius cuiuscumque tituli et dignitatis, pro exercendā quocumque modo vel titulo iurisdictione in locis quae venerabilibus fratribus episcopis vicariis apostolicis in China, Tunkino, Cokinchina, Siam, Camboggia aliisque Sinarum et orientalibus partibus ab eadem Sanctā Sede deputatis commissa sunt, seu fuerint in futurum, emendicare, necnon etiam oblatas accipere, vel illis quovis modo uti audeant quomodolibet seu praesumant, sub excommunicationis latae sententiae poenā per eos ipso facto in-

Prohibet ut
in rubrica.

¹ Potius lege *ecclesiasticis pro ecclesiis* (R.T.).

currendâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, districtè prohibemus et interdiciamus.

Decretum ur-
ritianus.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tol-
lit.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, etiam metropolitanarum et primatialium, Ordinum, congregationum, religionum et institutorum, etiam Societatis Iesu, provinciarum, conventuum, collegiorum et aliorum locorum piorum quorumlibet, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, Ordinibus, congregationibus, religionibus et institutis, etiam Societatis Iesu, provinciis, conventibus, collegiis et locis piis, illorumque respective praesulibus, praelatis, superioribus et personis, aliisque quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, effi-

cacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, vel ad quarumcumque personarum, etiam regiâ aut archiepiscopali et primatiali aliâve qualibet ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate et potestate fulgentium, instantiam, seu eorum contemplatione, vel aliâs quomodolibet, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et quantiscumque vicibus confirmatis, iteratis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentis, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiii decembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno iv.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 23 decembris 1673, pontif. anno iv.

Registrata in Secr. Brevium, in lib. mensis ianuarii, part. 1, fol. 111.

CXLVIII.

Confirmatio et extensio Constitutionis Urbani VIII, qua permittitur quibuscumque regularibus, per suos superiores mittendis, accessus ad partes Orientales per alias vias quam per Lusitaniam, ac excommunicantur illi, qui eorum huiusmodi accessum impediverint; quae Constitutio per sanctissimum dominum nostrum extenditur ad episcopos et vicarios apostolicos in dictis partibus Orientalibus, necnon sacerdotes saeculares et laicos, tam missos quam in posterum mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam et alia loca Indiarum et aliarum partium Orientalium; eorumque accessum ad partes huiusmodi impediens reprimit sub poenâ excommunicationis latae sententiae¹.

Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro temporum conditione provide constituta fuerunt, si, mutatis rerum circumstantiis, fini per eos pie intento impedimentum adferre cognoscimus, immutare studeamus, sicut ad catholicae fidei propagationem et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Refert indultum Clementis VIII.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas litteras inter alia indulserat omnibus et singulis Mendicantium Ordinum magistris seu prioribus generalibus tunc et pro tempore existentibus, ut, cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos ad officia et ministeria praedicandi Evangelium

¹ Vide Constitutionem Urbani VIII, tom. XIV, pag. 320 (R. T.).

vel doctrinam christianam docendi ac sacramenta administrandi, aliaque munia ecclesiastica obeundi¹, idoneos et utiles fore in Domino iudicarent, per Lusitaniam duntaxat, et susceptâ inde navigatione, in Indias et civitatem Goam atque ad superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, et tam ipsi sic transmittendi, quam alii supradictorum Ordinum religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, et ad hoc munus obeundum a suis magistris, ministris vel prioribus generalibus seu aliis superioribus electi et approbati, tam ad Iaponicas, quam ad alias proximas et adiacentes, etiam Chinae et finitimorum regnorum et terrae firmae Indiae Orientalis, insulas, regiones et provincias accedere possent.

§ 2. Et recolendae memoriae Paulus PP. V, etiam praedecessor noster, accepto quod experientiâ compertum esset prohibitionem accedendi ad Indias et civitatem Goam aliâs quam per Lusitaniam, eum² qui sperabatur fructum minime protulisse, nec catholicae fidei propagationis negotio utilem fuisse, et propterea, ut tantum opus Dei, sublato omni impedimento, libere peragi posset, providere volens, itidem per quasdam suas litteras omnibus et singulis Mendicantium Ordinum magistris, ministris seu prioribus generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum capitibus, tunc et pro tempore existentibus, ut³, cum necessitas postularet, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia et munia idoneos et utiles fore in Domino iudicassent, ad superiores Ordinum in illis partibus existentes etiam per aliam viam quam per Lusitaniam, in fa-

Et Pauli V.

¹ Aptius lege obeundum vel obeunda (R. T.).

² Male edit. Main. legit *tum pro eum* (R. T.).

³ Male edit. Main. legit *et pro ut* (R. T.).

ponicas et alias illis proximas, adiacentes et finitimas insulas, provincias et regiones praedictas, servatâ in reliquis dictarum litterarum Clementis praedecessoris formâ in omnibus et per omnia, et non aliter, transmittere libere et licite valerent, pariter indulserat.

Litterarum con-
firmavit et au-
thenticavit Urbanus VIII.

§ 3. Piae memoriae Urbanus PP. VIII, similiter praedecessor noster, considerans experienciâ plurimum annorum compertum fuisse ordinationes in dictis litteris contentas non sufficere, easque aliquâ provisione indigere, ut in praedictis insulis et regionibus feliciter ac facilius sacrosanctum Christi Domini Evangelium praedicari et propagari posset, post habitam cum tunc existentibus S.R.E. cardinalibus negotio Propagandae Fidei per universum mundum praepositis maturam deliberationem, praefati Pauli praedecessoris litteris inhaerens, omnibus et singulis religionum cuiuscumque Ordinis aut instituti, etiam Societatis Iesu, magistris, ministris, seu procuratoribus generalibus, aut quocumque nomine nuncupatis Ordinum capitibus, tunc et pro tempore existentibus, auctoritate apostolicâ concessit et indulgit, ut, cum eis expedire visum foret, quoslibet suarum religionum, Ordinum et instituti religiosos, quos aetate, vitâ, moribus et scientiâ idoneos esse ad missiones indicavissent, ad praedictas insulas, provincias, regiones et regna Indiae Orientalis, etiam per alias vias quam per Lusitaniam, libere et licite mittere possent et valerent, servatâ tamen in reliquis praefatarum litterarum Clementis praedecessoris formâ in omnibus et per omnia; necnon quoscumque ecclesiasticos et religiosos cuiuscumque Ordinis et instituti, tam non Mendicantium quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, et saeculares, religiosorum, ut praefertur, mittendorum ad insulas, provincias, re-

giones et regna antedicta accessum huiusmodi impediens, excommunicationis latae sententiae vinculo innodavit, ac pleraque alia constituit, prout in ipsius Urbani praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XXII februarii MDCXXXIII, quarum ac praefatarum Clementis et Pauli praedecessorum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur¹.

§ 4. Cum autem, sicut venerabiles fratres episcopi et vicarii apostolici auctoritate apostolicâ deputati in partibus Orientalibus commorantes nobis nuper exponi fecerunt, non minus ipsis ac presbyteris saecularibus et laicis ad easdem partes missis et mittendis, quam religiosi supradictis difficile ac catholicae fidei propagationi inutile sit iter et navigationem ad Indias Orientales et partes Sinarum per Lusitaniam suscipere, eisque aliae viae longe faciliores ac expeditiores pateant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur.

§ 5. Nos igitur, specialem ipsis episcopis et vicariis apostolicis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae² existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas³ fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

Preces vicariorum apostolicorum in dictis partibus orientalibus existentium.

Pontifex dictas litteras Urbani VIII confirmat et extendit.

¹ Clementis VIII Bulla legitur in tom. x, pag. 631; Pauli V Constit. in tom. xi, p. 501; et Urbani VIII in loc. cit. in notâ ad rubricâ (R. T.).

² Edit. Main. legit *innodati* (R. T.).

³ Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

de particularis Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praefatas Urbani praedecessoris litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, ipsasque litteras ad eosdem episcopos et vicarios apostolicos, necnon sacerdotes saeculares et laicos, tam missos quam in posterum mittendos in Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam et alia loca, insulas, provincias, regiones et regna Indiarum et aliarum partium Orientalium (ita ut ipsi et eorum quilibet illuc per alias quascumque vias sibi benevisas, quam per Lusitaniam, proficisci libere pariter et licite possint et valeant, nec per Lusitaniam huiusmodi transire aut navigationem inde suscipere ullo modo teneantur), servatâ tamen ceteroquin praefatarum Clementis praedecessoris litterarum formâ, auctoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus.

Pœna excommunicationis latae sententiae adversus impedientes accessum ad dictas partes a memorialem personam.

§ 6. Ac quoscumque ecclesiasticos et religiosos cuiuscumque Ordinis et instituti, tam non Mendicantium quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, et saeculares, episcoporum et vicariorum apostolicorum, necnon sacerdotum saecularium et laicorum, tam missorum quam imposterum mittendorum, ut praefertur, ad Chinam, Cochinchinam, Tunkinum, Siam et alia loca, insulas, provincias, regiones et regna Indiarum et aliarum partium Orientalium huiusmodi accessum quomodolibet impediunt, excommunicationis latae sententiae vinculo pariformiter innodamus.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et

per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et alios quoslibet quacumque praecminentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

9. Mandantes propterea universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac ceteris ecclesiarum et locorum etiam regularium praelatis per universum orbem constitutis, ut praesentes litteras in suis quisque provinciis, civitatibus, dioecesibus, capitulis et iurisdictionibus ab omnibus inviolabiliter observari, et, quoties a praefatis episcopis et vicariis apostolicis, necnon sacerdotibus saecularibus et laicis, tam missis quam mittendis, ut praefertur, seu eorum aliquo, fuerint requisiti, solemniter publicari curent et faciant.

Mandat praesentium litterarum observantiam et publicationem.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae memoratus Urbanus praedecessor in suis litteris praefatis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 11. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiii

decembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLIUS.

Dal. die 23 decembris 1673, pontif. anno IV.

Registrata in Secretaria Brev., in lib. mensis ianuarii, parte 1, fol. 121.

CXLIX.

Pro episcopis vicariis apostolicis apud Sinas, etc., prorogatio facultatis ordinandi indigenas illarum partium, etiam absque titulo, cum indulto eis commutandi officium divinum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ I. Alias emanarunt a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

*Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.*

Iniuncti nobis caelitus¹ pastoralis officii ratio postulat ut nihil a nobis desiderari patiamur, quo christiana religio, praesertim in longinquis partibus, feliciter in dies, aspirante atque adiuvante Domino, valeat propagari.

Alias siquidem venerabiles fratres Franciscum Palla Heliopolitanum, ac Petrum Lambert Berytensem, necnon tunc in humanis agentem bonae memoriae Ignatium Cotolendi Metellopolitanum episcopos, vicarios apostolicos respective in partibus Sinarum, sub certis modo et formâ tunc expressis, deputavimus.

Ut autem in partibus praedictis sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita fides catholica ibidem firmiter, benedicente Domino, radicari valeret, memoratis Francisco ac Petro et Ignatio episcopis cum christi-

¹ Huiusmodi litterae in *Bullario* Alexandri VII non legebantur (R. T.).

fidelibus earundem partium indigenis, sibi respective uti vicariis apostolicis huiusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere nosset, eisque canon missae ac formulae sacramentorum Ecclesiae declararentur, ad omnes etiam sacros presbyteratus ordines, servatis aliis servandis, promoveri, et promoti in illis etiam altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valeret, dispensandi, necnon recitationem officii divini, horarum scilicet canonicarum, eisdem christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum linguâ arbitrio suo commutandi, facultatem, auctoritate apostolicâ, ad septennium dumtaxat, concessimus et impertiti sumus, et alias prout in tenore nostris in simili formâ Brevis litteris die x septembris MDCLIX et die xx septembris MDCLX respective desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Cum autem, sicut pro parte praefatorum Francisci et Petri vicariorum apostolicorum ut praefertur deputatorum nobis nuper expositum fuit, dictum septennium versus finem iam labatur, bona vero stabilia Sinensium ad possidentes absolute non spectent, sed illorum domini sunt¹ reges, qui dicta bona, quibus libitum est, vitâ durante concedunt; ac proinde super huiusmodi bonis perpetui patrimonii titulus pro ordinandis ad sacros ordines per eorum parentes seu alios in illis partibus assignari non possit: nos, propagandae firmiterque radicandae in eiusdem partibus catholicae fidei, quantum nobis ex alto conceditur, consultum esse cupientes, dictosque Franciscum et Petrum

¹ Aptius lege *sint* (R. T.).

Litterae Alexandri VII referuntur.

Facultas ordinandi indigenas absque titulo, ut in rubrica.

Facultas commutandi horas canonicas.

vicarios apostolicos amplioris favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super negotiis spiritualibus regni Sinarum a nobis specialiter deputatorum consilio, septennium a praefatum ad alios septem annos a fine eiusdem septennii computandos, dictâ auctoritate, tenore praesentium, prorogamus, extendimus et ampliamus; praeterea praefatis Francisco et Petro, necnon aliis duobus episcopis per eos, seu eorum alterum, aut primum ab eorum altero superstite ordinatum respective, vigore aliarum binarum nostrarum etiam in formâ Brevis litterarum die iv februarii MDCLXIV et die xxviii februarii proxime praeteriti respective expeditarum, quarum tenores ibidem¹ pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, consecrandis, quos pariter vicarios apostolicos in partibus praedictis per easdem litteras sub certis modis et formâ ibidem expressis deputavimus, ut ipsi, tam residuo primodicti septennii, quam aliis septem annis per praesentes prorogatis durantibus, clericos memoratarum partium indigenas etiam absque titulo, servatis tamen aliâs tam ex sacrorum canonum quam ex primodictarum nostrarum litterarum praescripto servandis, ad sacros et presbyteratus ordines promovere liceat et libere possint et valeant, facultatem elapsis septem annis per praesentes litteras prorogatis illico expira-

1 Potius lege *ibidem* pro *ibidem* (R. T.).

turam¹ auctoritate et tenore praefatis concedimus et impartimur; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum cardinalium.

Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiii martii MDCLXV, pontificatus nostri anno x.

§ 2. Et subinde felicis recordationis Clemens Papa IX praedecessor noster facultatem², eisdem episcopis vicariis apostolicis per praesertim litteras a memorato Alexandro praedecessore ad septennium prorogatas et de novo concessas respective, ad alios septem annos pariter³ auctoritate extendit et prorogavit, et aliâs prout in ipsius Clementis praedictis litteris pari⁴ in formâ Brevis die xiii octobris MDCLXIX desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 3. Nunc autem nos, ut christiana religio et catholica fides, Domino benedicente, in partibus praedictis firmitus stabiliusque solidari et latius propagari valeant, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ salubriter providere, ac supradictos episcopos vicarios apostolicos amplioris favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae

1 Male edit. Main. legit *expiratarum* pro *expiraturam* (R. T.).

2 Aptius lege *facultates* (R. T.).

3 Aptius lege *pari* pro *pariter* (R. T.).

4 Heic potius legend. *pariter* pro *pari* (R. T.).

Derogatio
contrariorum.

Clemens IX
facultates con-
cessas dictis vi-
cariis apostoli-
cis ab Alexan-
dro VII ad aliud
septennium pro-
rogavit.

Pontifex eas-
dem facultates
dictis vicariis
apostolicis pro-
rogat ad aliud
septennium.

existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de particularis Congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. cardinalium negotiis praedictae¹ fidei praepositorum consilio, easdem facultates, quae dictis episcopis vicariis apostolicis per praecursas litteras a praefato Alexandro praedecessore ad septennium prorogatae et de novo concessae, ac ad alios septem annos a dicto Clemente praedecessore per suas praefatas litteras prorogatae fuerunt respective ut praefertur, ad aliud septennium a fine eorundem septem annorum a Clemente praedecessore prorogatorum computandum, quo et residuo temporis ut praefertur prorogati durantibus ipsi episcopi vicarii apostolici illis, quos ad sacros ordines vigore facultatum huiusmodi promoverint, etiam recitationem officii divini, horarum videlicet canonicarum, in alias preces per eos diebus singulis recitandas, eorum arbitrio, auctoritate nostrâ apostolicâ, commutare libere pariter et licite possint et valeant, servatâ tamen et salvâ in reliquis remanente earundem Alexandri et Clementis praedecessorum litterarum formâ et dispositione, dictâ auctoritate, harum serie, prorogamus pariter et extendimus et ampliamus; salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem cardinalium.

§ 4. Non obstantibus constitutioni-
et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praedictis Alexandri et Clementis praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiii

¹ Potius lege de more solito *propagandae pro praedictae* (R. T.).

decembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 23 decembris 1673, pontif. anno IV.

Registrata in Secretariâ, in libro Brevium mensis ianuarii, part. 1, fol. 105.

CL.

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex ecclesiis fratrum et monialium Ordinis Excalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum tam erectis quam erigendis in sancti Petri Nolaschi, sancti Raymundi Nonnati, sancti Iosephi, et Apparitionis S. Michaëlis Archangeli, ac dominicâ proximiorie kalendis augusti, diebus.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum quae nobis reliquit exemplorum sectatores Ordinumque religiosorum institutores altis decoravit honoribus ac caelestis beatitudinis consortes efficit¹, vices, licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros dispensationi nostrae creditos² libenter erogamus, sicut ad fovendam incitandamque fidelium erga eosdem beatos caeli incolae devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Itaque, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, necnon dilecti filii Francisci de S. Marco procuratoris generalis fratrum Excalceatorum

¹ Aptius lege *effecit* (R. T.).

² Edit. Main. legit *creditis* (R. T.).

Exordium.

Concedit ut
in rubrica.

Herogal con-
uanti.

Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communionem relectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum et monialium dicti Ordinis tam hactenus erectis quam imposterum quandocumque erigendis, et ubique locorum existentibus, in sancti Petri Nolaschi dicti Ordinis fundatoris, sancti Raymundi Nonnati, sancti Iosephi et Apparitionis sancti Michaëlis Archangeli festis, necnon dominicâ proximiori kalendis mensis augusti, diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Transumptorum fides.

§ 2. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si originaliter exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxix decembris MDCLXXIII, pontificatus nostri anno iv.

Placet E.

Dat. die 23 decembris 1672, pontif. an. III.

Registrata in Secretariâ Brevium, in lib. IV diversorum, fol. 207.

CLL.

Declaratio beati Stanislai Kostka Poloni Societatis Iesu in patronum principalem regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae et adiunctarum provinciarum, cum praerogativis, quae principalioribus patronis competunt, et quibus ibidem gaudent sancti Adalbertus et Stanislaus, aliique principales patroni, cum indulto, ut annua dicti Beati memoria in posterum ad dominicam proximam post diem xiii novembris transferri possit, in dicto regno, ducatu et provinciis adiunctis dumtaxat.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex innumero nobis divinitus apostolicae servitutis munere in eam curam peculiari studio incumbimus, ut beatorum aeternae gloriae possessorum, quos divina bonitas coronâ iustitiae donavit in caelis, cultum et venerationem in terris promovere atque ampliare satagamus, prout pietati consentaneum et fidelium aedificationi conducibile fore in Domino arbitramur.

Exordium.

§ I. Aliâs siquidem piis enixisque clarae memoriae Michaëlis dum vixit Poloniae regis illustris ac dilectorum filiorum praepositi generalis et presbyterorum regularium Societatis Iesu precibus nobis humiliter porrectis favorabilem assensum praebere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de beato Stanislao Kostka Polono dictae Societatis quotannis die xiii novembris in universo regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae, necnon in ecclesiâ S. Andreae in Monte Quirinali huius almae Urbis nostrae, ubi eiusdem beati Stanislai corpus requiescit, ac omnibus et singulis aliis

Aliâs hic Pontifex officium et missam celebravit de S. Stanislao concessit.

ecclesiis dictae Societatis, missa, etiam a sacerdotibus eo die ad ecclesias huiusmodi confluentibus et a religiosis eiusdem Societatis ubique terrarum existentibus, celebrari, et officium recitari de communi Confessorum non Pontificum, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, libere et licite possent et valerent, auctoritate apostolica concessimus et indulimus, et aliis prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XVI augusti MDCLXX uberius continetur.

Pontifex dictum beatum Stanislaum principalem regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae patronum declarat, prout in rubricis

§ 2. Cum autem subinde enixae et reintegratae¹ preces nomine dicti Michaelis regis ac venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum necnon dilectorum filiorum nobilium virorum senatus regni et magni ducatus praedictorum nobis pari humilitate porrectae fuerint, ut eundem beatum Stanislaum dictorum regni et magni ducatus patronum principalem inter alios patronos principales, ut exempli gratiâ sunt sancti Adalbertus et alter Stanislaus, ob innumera beneficia et gratias quae intercessione dicti beati Stanislai ab omnipotenti Deo sibi collata fuisse pio affectu memorabant, declarare de benignitate apostolicâ dignemur: hinc est quod nos, etiam supplicationibus dilecti filii procuratoris in hac causâ specialiter deputati nomine nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quodlibet innodatus existit, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, quamvis constitutiones

apostolicae et decreta Congregationis praedictorum cardinalium, die XXIII martii MDCXXX super ordinatione servandâ pro patronis eligendis emanata, electionem Beatorum in patronos fieri vetent, eosque solum qui ab Ecclesiâ universali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificatos dumtaxat, in patronos eligi posse declarant¹, nihilominus, ad maiorem Dei laudem divinique cultus augmentum id tendere agnoscentes, de memoratorum cardinalium consilio, praedictum beatum Stanislaum Kostka patronum principalem regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae praedictorum eisque adiunctarum provinciarum, cum omnibus et singulis praerogativis quae principalibus patronis eorundem regni et magni ducatus competunt, et quibus praenominati sancti Adalbertus et Stanislaus aliique principales patroni regni et magni ducatus huiusmodi ibidem de praesenti gaudent seu coluntur, iuxta tamen ritum rubricarum breviarii et missalis praedictorum, dictâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

§ 3. Ac, ut omnium devotioni erga dictum beatum Stanislaum consuli valeat, annuam eiusdem Beati memoriam imposterum ad diem dominicam proximam post diem XIII novembris, in regno tamen Poloniae et magno ducatu Lithuaniae adiunctisque provinciis praedictis dumtaxat, transferri posse, auctoritate et tenore praedictis, concedimus pariter et indulgemus.

Transferri diem festum ad dominicam proximam.

§ 4. Non obstantibus praefatis decretis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrarium statutis quibuscumque.

Obstantia tollit.

§ 5. Volumus autem, ac mandamus, ut² praesentium litterarum transumptis,

Transumptorum fides.

¹ Forsan legendum *reintegratae* (R. T.).

¹ Aptius lege *declarent* (R. T.).

² Partic. *ut* nos addimus (R.T.).

seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ad omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLESIUS.

Dat. die 10 ianuarii 1674, pontif. an. IV.

Registrata in Secretar. Brev., in lib. mensis ianuarii, p. II, fol. 133.

CLII.

Confirmatio duorum decretorum sacrae Congregationis episcoporum et regularium, quibus declaratur quod fratres Excalceati Ordinis Eremitarum sancti Augustini sint veri filii dicti Sancti, et gaudeant omnibus privilegiis, quibus Calceati dicti Ordinis eorumque religio gaudet.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum (sicut accepimus) aliàs a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita ad favorem fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini emanaverint duo decreta, tenorum qui sequuntur videlicet:

Agostiniani Stalki. Al memoriale del seguente tenore:

« Fratres Discalceati sancti Augustini Congregationis Italiae et Galliarum (quibus aliquando per calumniam obicitur quod non sint veri filii eiusdem Sancti,

nec gaudeant privilegio erigendi de licentiâ vicarii generalis in eorum ecclesiis societates corrigiatorum ac corrigiatorum sancti Augustini et sanctae Monicae, cum iisdem privilegiis, gratiis et indulgentiis haecenus archiconfraternitati sub titulo Dominae Nostrae de Consolatione in ecclesiâ S. Iacobi Bononiae erectae concessis et concedendis, perinde ac Calceati eas erigunt in propriis ecclesiis de licentiâ Generalis iuxta Breve Gregorii XIII sub datum XII novembris MDLXXIX, quod incipit *Volentes, sicut conveniens esse videtur, quod patentes unionum etc.*¹, atque aliis quibus gaudent fratres Calceati), ad obviandum eidem calumniae, supplicant humiliter EE. VV. ut dignentur declarare oratores esse veros S. Augustini filios iuxta Breve felicitis memoriae Clementis VIII sub datum XII decembris MDXCV, quod incipit *Exponi nobis nuper fecit*², etc., et alterum Breve Urbani VIII sub datum XXI iulii MDCCVIII³ et aliud expeditum sub die XXIX augusti MDCLXI⁴, et gaudere dicto atque aliis omnibus privilegiis omnium Mendicantium, et quibus gaudent fratres Calceati, stante quod Discalceatorum Congregatio fuit instituta ab ipsomet Ordine in capitulo generali de anno MDCCII, et ut germana S. Augustini fuit habita a sanctae memoriae Clemente VIII in Brevi super receptione novitiorum, et similiter felici recordatione Pauli V in Brevi super confirmatione constitutionum, atque aliis, nec aequum est ut maior observantia in hac parte eis praeciudicet, etc. ».

¹ Huiusmodi Breve Gregorii XIII in *Bullario* non legitur (R. T.).

² Istud quoque Clementis VIII exulat a *Bullario* (R. T.)

³ Sub hoc dato legitur Urbani VIII Breve de Augustiniensibus in tom. XIII, pag. 669 (R. T.).

⁴ Istud quoque deest (R. T.).

Tenor supplicis libelli porrecti a fratribus Excalceatis Ordinis Eremitarum sancti Au-

gustini sacrae Congregationi episcoporum et regularium.

Unus primi
d. c. c. i. sacrae
Congregationis. Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, eminentissimo Carpineo referente, censuit oratores esse veros S. Augustini filios, et tam eos quam illorum Congregationem gaudere omnibus privilegiis, quibus Calceati eorumque religio gaudet.

Romae, 1 septembris MDCXLV.

Ita reperitur in registro autographo sacrae Congregationis negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae habita¹ ut supra. In quorum fidem, etc., hac die VII februarii, MDCLXIII.

C. de V. archiepiscopus Athen.

Ten. r. alterius
de lecti Sacra Congregatio S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad compescendam nimiam eorum licentiam, qui, contra declarationem alias ab hac sacra Congregatione latam sub die 1 septembris MDCXLV, ausi fuerint deinceps asserere fratres Discalceatos sancti Augustini non esse veros eiusdem sancti patris filios, nec eos, eorumque Congregationes gaudere omnibus privilegiis, quibus Calceati illorumque religio gaudet, eminentissimo Carpineo referente, supradictam declarationem, etiam quoad fratres Congregationis Hispaniae, renovans et confirmans, poenam excommunicationis maioris, sanctae Sedi Apostolicae reservatae, contraventoribus imposuit, et ad tollendas huiusmodi contentiones et iurgia, quae inter fratres supradicti Ordinis et Congregationum Discalceatorum, non absque religioso status dedecore ac saecularium scandalo, prodeunt, neve frater cum fratre contendat, eosdem serio monet ac hortatur in Domino, ut, proprii instituti

¹ Potius lege *habita*, quamvis emendatio non satis congrua videatur (R. T.).

memores, ac fraternae charitatis, per quam sub eodem instituto vocati sunt in societatem Christi in uno spiritu, contentiones huiusmodi, quae religiosam unitatem maxime labefactant, deponant omnino; quinimo enitantur potius, ut, ambulantes in domo Dei cum consensu, per mutuum in se ipsos charitatem, quod est vinculum perfectionis, verius quam per habitum et calceamenta, tanti patris filios se exhibeant.

Datum Romae XI augusti MDCLI,

M. GINETTUS. M. ADERICIUS secret. s.

§ 2. Nos, decreta huiusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari cupientes, dictosque fratres Discalceatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inmodatae¹ existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas² fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, duo decreta praecursoria cum omnibus et singulis in eis respective contentis et expressis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in praemissis decretis quomodolibet intervenierunt, aut intervenisse dici, censeri, vel praetendi quovis modo possent, plenissime et amplissime supplemus et sanamus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras et decreta praecursoria semper

¹ Edit. Main. legit *inmodati* (R. T.).

² Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

Pontifex motu proprio dicta duo decreta confirmat, ornesque defectus si qui in eis intervenissent supplet et sanat.

Decretum trinitatis.

firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno IV.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 martii 1674, pontif. anno IV.

Registrata in Secret. Brev. in lib. mensis martii, part. utraque, fol. 204.

CLIII.

Trium decimarum impositio super fructibus omnium ecclesiasticorum beneficiorum et pensionum in universa Italia et insulis Italiae adiacentibus.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Ubi primum divina clementia nos, nullis licet praecedentibus meritis, ad apostolicae dignitatis apicem evehit, pastorem et patris universalis muneri, quod gerimus, satisfacere cupientes, inter ceteras gravissimas curas, eo animum et intentionem direximus ut clerum Italiae et insularum illi adiacentium, tam saecularem quam regularem, a decima per felicis recordationis Alexandrum Papam VII praedecessorem nostrum ob urgentem temporis illius necessitatem imposita, cum illa necessitas iam cessasset liberaremus, maiora illi subinde pontificiae charitatis argumenta exhiberem, ubi per conditionem temporum licuisset. Verum aerarium apostolicum, variis christianaee reipublicae calamitatibus sublevandis in praesens valde exhaustum, non solum cursum inhibuit nostrae erga eundem clerum liberalitatis; sed, imminente nunc Poloniae regno ab effers perpetuisque christianaee pietatis hostibus maximo periculosissimoque bello, in quo totius Europae adeoque rei christi-

Exordium.

stianae salus et fortunae haud dubie¹ aguntur, eo nos redegit, ut ad ferendum tanto malo humanam opem, post divinam accuratis precibus imploratam, extraordinaria, quamquam praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus aliquando consueta, experiri remedia cogamur.

Egimus nos quidem per litteras et per nuncios, et quaecumque aliâ ratione potuimus, neque pro pastoralis officii nostri debito agere desinemus cum christianis principibus ut arma, quibus inter se confligunt, aut nullos, aut victoribus ipsis graves, funestos sane Ecclesiae triumphos habitura, reconciliatis tandem animis, et in sacri belli societatem consentientibus, vertant in capita immanium barbarorum, qui, maiorum suorum exemplo, a quibus amplissimae provinciae et clarissima imperia christianae genti erepta fuerunt, expugnato superioribus annis Varadino, mox Naihuisel, fortissimis Hungariae arcibus, deinde Cretae regno subacto, adeoque nostri² maris possessione depulsis, aliquando victi praelio, sed semper bello victores, ad angustiores quotidie terminos christianam rem adigunt. Nuper vero, versis in Poloniam armis, Cumenecio, munitissimâ Poloniae urbe, ac fere unico adversus barbaros amplissimi illius regni propugnaculo, in potestatem redactâ, iugum fortasse iam nunc et vastitatem Italiae magis ex propinquo intentarent, nisi invicta Polonorum virtus, Dei miserentis brachio excitata, eos memorabili clade ad flumen Tyram, caesis triginta amplius millibus, affecisset.

Sed quoniam pacis auctori Deo nondum placuit hoc nobis solatium impar-

¹ Male ut puto edit. Main. legit *haud dubiae* (R. T.).

² Videtur legendum esse *nostris pro nostris* (R. T.).

tiri, neque (etiânsi brevi, ut speramus, officia nostra exitum sortiantur) eorundem principum suppetiae in tempore sunt affuturæ, cum Turcae validissimo, si unquam antea, apparatu, ut quos, supra vetus erga nos odium, recens ultionis amor accendit, Poloniam primo quoque tempore aggredi parent, si eis detur spatium se colligendi, hoc est, si nos Polonis, prosequi victoriam et pro patriâ et pro religione emori paratis, destiterimus non suppeditatâ pecuniâ, qua summopere indigent, cleri etiam illius facultatibus, cui auctoritate apostolicâ tributum impositum fuit, plane exhaustis:

Nos, ut, quantum in nobis est, pro munere personae quam gerimus, salutis publicae consulamus, misso iam in Poloniam quidquid pecuniae ad manum erat, ad praefati cleri Italici et insularum adiacentium subsidia confugimus, sperantes eundem clerum pro christianae fidei defensione, pro qua, si opus esset, sanguinem ipsum libenter daturum non dubitamus, pecuniam a nobis tam iustis necessariisque de causis indicendam alacriter et fideliter collaturum.

§ 1. Maturâ igitur super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione habitâ, de eorundem consilio et assensu, indicimus et imponimus tres integras decimas, infra quinquennium ut infra persolvendas, omnium et quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum quotidianarum, et emolumentorum ordinariorum et extraordinariorum, omnium et quarumcumque patriarchalium, metropolitanarum, primatialium, cathedralium, collegiatarum ac parochialium aliarumque ecclesiarum, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, primatialium, archiepiscopalium,

Tres integras decimas infra quinquennium persolvendas imponit super omnibus beneficiis ac bonis ecclesiasticis tam saecularium quam regularium prout in rubrica.

episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratum quoque, praepositarum, canonicatum et praebendarum, dignitatum, personatum, administrationum et officiorum, cappellaniarum, ceterorumque beneficiorum et bonorum ecclesiasticorum, etiam iurispatronatus laicorum tam ex privilegio quam fundatione et dotatione vel alio quocumque titulo, cum curâ et sine curâ, saecularium (quoad parochiales ecclesias videlicet, etiam computatis incertis, triginta unius ducatorum auri de camerâ cum uno quarto alterius ducati huiusmodi, quo vero ad alia beneficia et bona aliaque praedicta, etiam computatis incertis et distributionibus quotidianis, septem ducatorum parium valorem annum excedentium, dummodo tamen parochialis seu beneficii huiusmodi titulares unâ cum illis alia beneficia ecclesiastica sive annuas pensiones valorem praedictum coniunctim excedentes non possideant seu percipiant), sancti quoque Benedicti, sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensium, Praemonstratensis, sancti Basilii, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio vel aliâ possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon Cassinensium, aliâ S. Iustinae de Padua, Carthusiensium, Lateranensium, Silvestrinorum, Montis Oliveti, Camaldulensium, S. Savatoris, Vallisumbrosae, Caelestinorum, Cisterciensium in Longobardiâ et clericorum regularium Societatis Iesu, aliarumque congregationum, societatum et institutorum regularium exemptorum, et insuper hospitalium etiam, pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates et alia pro quibus instituta sunt pia officia exercenda possidentium, necnon B. Mariae Theutoniarum, S. Lazari de Altopassu, Templi

Dominici, et aliarum militiarum in universâ Italia et insulis Italiae adiacentibus consistentium, secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, proventuum et aliorum praefatorum, nisi aliter cum Sede et Camerâ Apostolicâ, et pro eâ cum dilecto filio nostro Palutio tituli Ss. Duodecim Apostolorum S. R. E. presbytero cardinali de Alteriis nuncupato eiusdem S. R. E. camerario fuerit concordatum (et S. R. E. cardinalibus, ob assiduos magnosque labores, quos Ecclesiae universali impendunt, gravissimaeque tuendae dignitatis causâ sustinent onera, ac militiâ S. Iohannis Hierosolymitani, quae pro suâ et christiani orbis tutelâ adversus Turcas praefatos semper gerit bella, dumtaxat exceptâ¹);

§ 2. Ac etiam indicimus et imponimus tres similes decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et distributionibus supra dictis, sive, earum loco, fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum ac distributionum huiusmodi, in favorem quorumcumque (non tamen cardinalium praedictorum) reservatarum et assignatarum seu translatarum, aut reservatarum et assignatarum vel translatarum, ac reservandarum et assignandarum seu transferendarum, aut reservandorum et assignandorum vel transferendorum; percipiendas, exigendas ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac ceteris cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiâe et conditionis personis infrascripto quinquennio durante praefata quocumque iure et titulo obtinentibus et obtenturis, ac reservata et

Tres similes decimas imponimus omnium et quarumcumque pensionum prout in rubrica.

¹ Aptius lege *exceptis* (R. T.).

assignata seu translata habentibus seu habituris, necnon oconomis, administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis, ac fructus, seu pensiones, et alia huiusmodi iura ex quacumque causâ sibi apostolicâ auctoritate in toto vel in parte reservata seu translata habentibus et habituris, saecularibus et regularibus Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium (non tamen S. Ioannis Hierosolymitani) praefatorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, Ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis quocumque privilegio, exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis.

Designat tempus decimarum solvendi omnium decimarum

§ 3. Quas omnes decimas praedictas solvere obligatos, ut praefertur, easdem infra quinquennium proximum quinque aequalibus solutionibus, pro primâ videlicet intra proximum diem festum Dedicationis S. Michaëlis Archangeli mensis septembris proxime futuri, et successive, pro reliquis quatuor solutionibus, singulo quoque anno ratam partem intra festum huiusmodi cuiuslibet anni immediate usque ad totalem solutionem, Camerae praedictae, et illius depositario generali ad id constituendo, omnino volumus persolvisse.

Prohibet subcollectoribus extra Urbem deputandis, ne ultra salarium qui ipsam petere vel percipere vel praetendere audeant.

§ 4. Subcollectoribus autem decimarum huiusmodi extra Urbem nostram, ut infra deputandis, ne ultra taxam competentis salarii in eorum deputationum litteris patentibus designandam etiam petere vel praetendere aut percipere audeant, specialiter et expresse, ac sub poenae in contravenientes arbitrio eiusdem S. R. E. camerarii infligendis, prohibemus. Eiusdem vero depositarii munus erit sedulo curare, ut, quidquid pe-

1 Ed. Main. legit *fructus pensiones, eos et* (R. T.).

emiarum ex decimis obligetur¹, id diligenter ac fideliter asservetur, de mandato nostro speciali in praefatos usus dumtaxat, nec aliâs, erogandum.

§ 5. Quicumque vero decimas huiusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum, vel concordiam cum Sede et Camera praedictis ut praefertur in eundam, sive in terminis constituendis, non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint vel fraudem, si ecclesiarum antistites fuerint, suspendimus a divinis; capitula² vero, conventus, congregationes, societates et collegia ecclesiastico interdicto supponimus; ac singulares personas antistite inferiores excommunicationis sententiâ innodamus.

Poenae in non solventes statuto tempore praedictas decimas, aut non integre, prout in rubrica.

§ 6. Ceterum ad praedictas decimas consequendas praecipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis et locatoribus proprietatum, fructuum, rerum et iurium praedictorum, etiam huiusmodi oneratorum, ut memoratas decimas nomine dominorum ac pensionariorum ad computum suae quisque locationis; omnibus vero possessoribus et usufructuariis et aliis pensiones seu fructus aliaque³ praedicta solvere debentes, ut ipsi etiam decimas pensionum huiusmodi nomine pensionariorum Camerae et depositario praedictis integre persolvant.

Praecipit omnibus conductoribus, censuariis et locatoribus, ut nomine suorum praedictorum decimas solvant.

§ 7. Decernentes decimas fructuum, reddituum, proventuum et aliorum iurium praedictorum, secundum verum valorem annum, alias vero pensionum decimas ad eandem rationem trium decimarum durante dicto quinquennio praestari debere, et secundum eam praec-

Vult eos in solium cogi posse iuxta verum annum valorem proventuum et pensionum pro rata.

1 Videntur legendum *colligetur* (R. T.).

2 Edil. Main. legit *capituli* (R. T.).

3 Male ut puto ed. Main. legit *aliquae* (R. T.).

dictos omnes in solidum cogi posse, ipsarum decimarum procuratores a quibus libuerit integre exigendi optionem facultatemque habere, omnesque et singulos pensionarios, quacumque auctoritate, dignitate, praecellentia praefulgeant (cardinalibus ac militibus S. Iohannis Hierosolymitani praefatis tantum exceptis) ad ipsam decimarum solutionem, pro rata cuiuslibet pensionis, teneri et obligatos esse, neque ullum¹ eius et actionem (etiam in vim cuiuscumque pacti et conventionis, quantumvis ex causa onerosa, vel donationis, iuramenti, obligationis cameraris, augmenti pensionum et cuiusvis alterius quantumvis inexcogitatae cautela et pactionis, etiam a Sede Apostolica in genere vel in specie atque individualiter, cum illarum et illorum inserto tenore, approbatis et confirmatis, ac forsitan praefato quinquennio durante approbandis et confirmandis²) aliquid aliquando ab his titularibus repetendi competere, sed ipsos pensionarios ad decimarum huiusmodi solutionem pro rata suae cuiuslibet pensionis, praefato quinquennio durante, teneri; ac per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, cogi et compelli posse seu debere; omnes vero confessionis ac quietantias receptionis decimarum a procuratoribus et ministris Camerae praedictae, tam conductoribus, censuariis et locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis et aliis pensiones seu fructus solvere debentibus, nomine pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus et pensionariis praesentibus

¹ Deest vox *eis* (R. T.).

² Potius lege *approbatae et confirmatae... approbandae et confirmandae* (R. T.).

et solventibus factae et exhibitae fuissent.

§ 8. Conductores⁴ autem qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam huiusmodi, quoad hoc, prorogamus usque ad integram satisfactionem; et² ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. B. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuntios in quavis instantia, sublatam eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

§ 9. Ut autem omnia praedicta, sicut causa urgens postulat, diligenter et fideliter executioni demandentur, praefatum Palatium cardinale camerarium, cuius integritas, fides atque experientia iam pridem nobis prespecta est et nota devotio, generalem omnium decimarum praedictarum collectorem in Italia et insulis illi adiacentibus huiusmodi, cum omnibus et quibuscumque privilegiis, iurisdictionibus ac iuribus, quae omnes alii ante haec huiusmodi collectores habuerunt, auctoritate praedicta, tenore praesentium, constituimus et deputamus, eique plenam, liberam et absolutam facultatem et auctoritatem tribuimus omnes ipsas decimas Camerae praedictae nomine procurandi; praedictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad illarum integram solutionem, ut praedictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum³, monendi

Conductoribus, qui auctoritate solverint, locationem prorogant neque ad integram satisfactionem etiam adveniente successore.

Cardinalem camerarium deputat decimarum generalium collectorem cum omnibus fructibus et privilegiis sicut in rubrica.

⁴ Aptius lege *conductoribus* (R. T.).

² Coniunct. *et nos addimus* (R. T.).

³ Male edit. Main. legit *offigendi* (R. T.).

et requirendi; non parentes, fraudantes et ceteros contumaces in censuras et poenas praedictas incidisse, servata formâ Concilii Tridentini, declarandi; proprietates, res fructus et alia bona ipsorum etiam manu regiâ apprehendendi et usque ad condignam satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque inris et facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii saecularis quandocumque opus fuerit invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; super irregularitate forsân incursâ, dummodo tamen in contemptu clavium non celebraverint, dispensandi, et ad pristinum statum omnino restituendi;

Eidem cardinali dai facultatem alios ubique collectores et subcollectores deputandi, removeudi et alios subrogandi, prout in rubrica.

§ 10. Praeterea collectores et subcollectores viros ubique providos, ac fide et facultatibus locupletes, et solertes, in omnibus civitatibus, terris et provinciis Italis¹ et insularum illi adiacentium huiusmodi, quotquot viderit expediri, cum simili vel limitatâ, non tamen absolvendi, potestate, constituendi, cumque vel eos eius arbitrio revocandi, negligentes et morosos removeudi, ac alium seu alios subrogandi quotiescumque ei videbitur, ac ab eis eorumque haeredibus et successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes et suspe-

¹ Videtur legendum *Italiae* (R. T.).

ctos, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ iudicii inquirendi et meritis poenis puniendi, modos et formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forsân oritura declarandi, ac prorsus omnia et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi, etiamsi talia forent, quae mandatum exigent magis speciale quam praesentibus est expressum; eâ tamen conditione adiectâ, quod collectores et subcollectores deputandi seu substituendi huiusmodi, per deputationem seu substitutionem de eorum personis ut praefertur faciendam, nullo modo censeantur exempti a solutione trium decimarum praedictarum, quas ratione ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum seu pensionum per eos obtentorum solvere debebant¹.

§ 11. Non obstantibus piae memoriae praesertim Pauli III ac Gregorii XIII, quibus, inter alia, cavetur, quod clerici regulares Societatis Iesu a solutione decimarum huiusmodi exempti esse debeant, ac B. Pii V duodecim congregationibus praefatis ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, et Bonifacii VIII, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, Ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, necnon quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis,

Omnibus contrariis amplissime derogat.

¹ Potius lege *debeant* (R. T.).

immunitatibus, litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, militiis, monasteriis, conventibus, regularibus locis, capitulis, dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis, tam saecularibus quam regularibus, generaliter vel specialiter, sub quacumque formâ et verborum expressione ab eâdem Sede etiam ex causâ concordiae aut remunerationis laborum vel titulo oneroso, aut aliâ ex qualibet aliâ causâ etiam hic non expressâ et necessario exprimendâ, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem inimportantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servandâ foret, tenores huiusmodi pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus; contrariis quibuscumque;

Declarat ecclesias, locis, personis et praelatis nullum suffragari privilegium speciale exemptionis a dicta solutione decimarum, quibus praeferat.

§ 14. Quodque¹ si praelatis et personis praedictis eorumque ecclesiis et locis vel quibusvis aliis communiter aut divisim a praefatâ sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon personis, eorumque nominibus et cognominibus, ecclesiis, monasteriis et Ordinibus ac locis huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere vel in specie quandocumque concessis, confirmatis et innovatis, etiam solutionem decimarum aliâs quam secundum antiquam taxam et nisi in

¹ Potius lege *Aul* vel *Atque* pro *Quodque* (R. T.).

universali decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis (quibus per impositionem decimarum huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere similiter declaramus), aliisque indultis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus cuiuscumque tenoris existant, per quae, praesentibus non expressa aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis: quae omnia contra praemissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon aliis huiusmodi impositionibus et concessionibus ad tempus nondum elapsam, si quae sint, factis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 12. Ut vero subsidia huiusmodi magis prompta haberi possint, et decimas praedictas solvere debentes ad compositionem cum dictâ Camera Apostolicâ deveniendum peramplius invitentur, statuimus et decernimus, quod, si ante quinquennii praedicti terminationem decimarum solutio, ut infra, cessaverit, eadem Camera Apostolica ad restitutionem et refectionem pecuniarum ab eisdem decimis provenientium illis, qui, ut praefertur, cum eâ concordaverint, faciendam, pro ratâ tamen temporis ante dicti quinquennii lapsum decursi et summae per eos solutae, omnino teneatur.

Invitat debitores huiusmodi decimarum ad compositionem cum R. Camera.

§ 13. Et insuper volumus, quod, si, favente Deo, causae, propter quas decimarum praedictarum impositio emanavit, ante quinquennium huiusmodi cessaverint, etiam decimarum huiusmodi solutio cesset et cessasse censatur eo ipso.

Cessantibus causis ante quinquennium, cesset solutio.

Insuper in percipiendis decimis praedictis constitutionem recolendae memoriae Clementis PP. V similiter praedecessoris nostri in concilio Viennensi editam, quod decimae ad monetam currentem committere levari, nec calices, libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, percipi vel distrahi aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam praecipimus ne quisquam, etiam plura quantumque valoris beneficia ecclesiastica seu plures pensiones aut fructus seu talia mixtim obtinens, pro litterâ et sigillo quietantiae universalis, si illam habere voluerit, ultra munus carolenum, confidentem quadrenos triginta septem monetae romanae, scilicet teneatur, nec ad aliud omni etiam praetextu cambii uspiam compellatur.

Penae adversus subtrahentes aut fraudantes huiusmodi decimas.

§ 15. Ceterum volentes, illos, quos Dei timor a malo non revocat, saltem formidine poenae et publicâ disciplinâ compescere, omnes et singulos cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali dignitate potiantur, qui de huiusmodi exigendis decimis aliquid usurpare seu subtrahere aut sibi ratione ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum seu pensionum per eos obtentorum ut praefertur retinere, aut, illas exigendo, colligendo vel conservando, fraudem vel deceptionem aliquam committere malitiose praesumpserint, interdicimus a divinis, ac maioris excommunicationis et etiam privationis ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum quae obtinent, et pensionum quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, sententias, censuras et poenas incurrere volumus ipso facto; ita ut ab eadem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, aut in mortis

articulo, absolutiois beneficium nequeat obtinere.

§ 16. Quia vero difficile nimis esset praesentes litteras ad singula quaeque loca et quocumque illis opus fuerit perferre, volumus ut illarum¹ exemplis, etiam impressis, et notarii publici manu², Palatii cardinalis camerarii praefati, seu alterius ab eodem deputati collectoris, seu praelati ecclesiastici, eiusque curiae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, ac si essent exhibitae vel ostensae. Ut autem praesentes ad communem notitiam deducantur, eas valvis ecclesiae S. Iohannis Lateranensis, basilicarum Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris de Urbe, et cancellariae apostolicae affigi seu appendi faciemus, quae se suo quasi sonoro praeconio et patulo iudicio publicabunt, ut ii, quos praemissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere seu ignorantiam allegare: cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§ 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam indictionum, impositionum³, suspensionis, suppositionis, inodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, voluntatis et praecepti nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

¹ Edit. Main. legit *illorum* (R. T.).

² Videtur deesse *subscriptis* (R. T.).

³ Forsan legendum *indictionis, impositionis* (R. T.).

Sanctio poenalis.


Fides transumptorum.

iorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXIII, IV idus martii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 12 martii 1674, pontif. anno IV.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS



- | | |
|--|--|
| <p>†
† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius.</p> <p>† Ego F. M. episcopus Portuensis cardinalis Brancatius.</p> <p>† Ego Uldericus episcopus Tusculanus cardinalis Carpineus.</p> <p>†
† Ego Virginius episcopus Albanensis cardinalis Ursinus.</p> <p>†
†
†</p> <p>† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Transyberim presbyter cardinalis Ludovisius.</p> <p>† Ego Alderanus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Cybo.</p> <p>† Ego Fridericus tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Sfortia.</p> | <p>† Ego Benedictus tituli S. Nonuphrii presbyter cardinalis Odesealeus.</p> <p>†
†</p> <p>† Ego Aloysius tituli S. Alexii presbyter cardinalis Homodeus.</p> <p>† Ego Petrus tituli S. Marci de Urbe presbyter cardinalis Ottobonus.</p> <p>†
†</p> <p>† Ego Ioannes Baptista tituli S. Marcelli presbyter cardinalis Spada.</p> <p>† Ego Franciscus tituli Ss. Quatuor Coronatorum cardinalis Albitius.</p> <p>† Ego Octavius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis de Aquaviva et Aragonia.</p> <p>† Ego Carolus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Pius.</p> <p>† Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Chisius.</p> <p>†
†</p> <p>† Ego Iacobus tituli S. Mariae in Araeaei presbyter cardinalis Fransonus.</p> <p>† Ego Petrus tituli S. Calixti presbyter cardinalis Vidonus.</p> <p>†
†
†
†</p> <p>† Ego Carolus tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Bonellus.</p> <p>†
†</p> <p>† Ego Palutius Albertonius Ss. XII Apostolorum presbyter cardinalis de Alteriis, S. R. E. camerarius.</p> <p>† Ego Caesar tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Rasponus.</p> <p>†
†</p> <p>† Ego Iacobus S. Mariae de Pace presbyter cardinalis Ninus.</p> |
|--|--|

- †
 †
 †
 † Ego Iacobus tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Rospigliosius.
 † Ego Ludovicus tituli S. Sabinæ presbyter cardinalis Portocarrero.
 †
 †
 † Ego Ioannes tituli S. Bernardi presbyter cardinalis Bona.
 † Ego Camillus tituli S. Eusebii presbyter cardinalis Maximus.
 † Gaspar tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Carpineo.
 † Caesar tituli S. Mariæ in Viâ cardinalis Destraeus.
 †
 †
 †
 † Ego Ioannes Guerardus tituli S. Bartholomæi in Insulâ presbyter cardinalis Nitardus.
 † Fr. Vincentius Maria Ursinus presbyter cardinalis S. Sisti.
 † Ego Franciscus tituli S. Matthæi in Merula presbyter cardinalis Nerlius.
 † Ego Hieronymus tituli S. Pudencianæ presbyter cardinalis Castaldus.
 †
 † Ego Fridericus S. Agathæ diaconus cardinalis de Hassiæ.
 † Ego Carolus S. Caesarei diaconus cardinalis Barberinus.
 † Ego Decius S. Eustachii diaconus cardinalis Azolinus.
 † Ego Paulus S. Nicolai in Carcere Tullianâ diaconus cardinalis Sabelius.
 † Ego Nicolaus Ss. Cosmæ et Damiani diaconi cardinalis Acciaiolus.
 † Ego Felix S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Rospigliosius.
 † Ego Hieronymus S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis Casanata.

† Ego Petrus S. Mariæ in Domnica diaconus cardinalis Basadonna.

†
 †
 †

I. G. SLUSIUS.

Visâ de Curiâ S. de Pilastris.

D. CIAMPINUS.

Loco † plumbi.

Dat. die 12 martii 1674, pontif. anno iv.

Registrata in Secretaria Brevium.

Præsentæ litteræ apostolicæ die veneris xx aprilis MDCLXXIV præsentatæ et admissæ fuerunt in Camerâ Apostolicâ et registratæ in libro I signaturarum S. D. N. Papæ Clementis X, fol. 64.

Præsentatio et admissio præsentium litterarum in Camerâ die xx aprilis MDCLXXIV.

MATTHÆUS DE ANGELIS,

rev. Cam. Apost. secret. et cancellar.

Anno a Nativitate D. N. I. C. MDCLXXIV, indictione x, die vero XXI aprilis, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis divinâ providentiâ Papæ X, anno eius iv, præsentæ litteræ apostolicæ lectæ, affixæ et publicatæ fuerunt ad valvas basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, S. Mariæ Maioris et cancellariæ apostolicæ, per nos Ioannem Antonium Scaiolam et Ioannem Græcum prælibati sanctissimi domini nostri Papæ cursores.

Fides publicationis.

LAURENTIUS SIGNUS magister cursor.

CLIV.

Indictio universalis iubilæi anni sancti MDCLXXV.

**Clemens episcopus,
servus servorum Dei,**

Universis christifidelibus, præsentæ litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad apostolicæ vocis oraculum e militantis Ecclesiæ speculâ evangelizantis

Prooimium.

orbi christiano gaudium magnum, tempus nimirum acceptabile, dies salutis, in quibus e mysticâ fidei petrâ uberiore proventu decurrunt fluenta aquae salientis in vitam aeternam, laetamini populi, exultate gentes, et ad sanctam in terris civitatem Dei certatim accurrite ut videatis voluptatem Domini et visitetis templum eius. Appropinquat scilicet annus iubilaei, annus remissionis et gratiae, annus placabilis et sanctus, cuius solemnitatem ex veteri divinitus traditâ Hebraeorum disciplinâ, ut quinquagesimo quoque anno recolerent exitum domus Iacob de populo barbaro, sapienter derivatam, more praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum celebraturi sumus, mysterio tamen eo sublimiore, quo caelestia et aeterna, quae a lege gratiae conferuntur, terrestribus et caducis antecellunt, quae lex illa servitutis, figura et umbra Novi Testamenti, pollicebatur; pro mortali enim patriâ, pro fundis paternis, pro corporis libertate, quam Hebraei illo anno recuperabant, renovantur hac recurrente celebritate christifideles spiritu libertatis, per quem vocantur in adoptionem filiorum Dei, et roborantur spe beatæ illius patriæ et aeternæ hereditatis, a qua per praevaricationem primi parentis exciderant. Quamvis enim nullum sit tempus, in quo fidelibus poenitentiam agentibus non praestentur caelestis indulgentiae dona deprompta ex infinitis Christi passionis et mortis meritis omniumque sanctorum; hac tamen festivitate, quasi in quadam plenitudine temporis, largiore manu tribuuntur, dum spiritualis aerarii et ecclesiastici thesauri portae latissime reserantur.

§ 1. Agite ergo, filii dilectissimi, et Romanae Ecclesiae, plena de materno sinu ubera exerentis, atque omnes, qui laborant et onerati sunt, ad se, ut eos

reficiat, invitantis, vocem secuti, peregrinationem hanc sacram laeti suscipite. Si enim, ob incertam alicuius temporalis fluxique lucri spem, non dubitatis aliquando difficile et longinquum ad barbaras terras, vel iniquissimo anni tempore, iter ingredi, et vitam saevis per ignota maria tempestatibus ventisque committere, qua tandem alacritate proficisci par est ad amoenas atque hospitales Latii plagas, certâ spe, si per vos non steterit, consequendi thesauros non deficientes in caelo, quos neque aerugo absuntit neque linea? Ad sanctam hanc Hierusalem, matrem ecclesiarum, fontem religionis, magistram gentium, regiam sanctitatis, invitant vos tot egregia per eam sparsa priscae pietatis et sanctimoniae monumenta, invitant sanctissimorum Pontificum et Martyrum invictissimorum sepulchra, invitant toto orbe clarissima Apostolorum trophaea, cum quibus nulla veteris illius victricis gentium Romae trophaea sunt conferenda; ipsa denique sacrosanctae Passionis Dominicae instrumenta, quorum adorandorum causâ prisce illi fideles ex ultimis terris Palaestinam petebant, e Palaestina huc olim adducta, quasi amoris pignora quo diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, vos amanter invitant. Excitamina ad haec et venite alacriter, filii promissionis, in parentis gremium, oves dominici gregis, in pastoris amplexus. Atque utinam precibus, quas ex intimis paternae charitatis praecordiis continenter effundimus, exorata divina bonitas aliquando secundet spem, quae aliquot ab hinc lustris allulgere visa est, reducendi ad Christi ovile, extra quod non est salus, tot nobilissimas christiani orbis provincias, longe optimis artibus virisque florentes, quas, patrum nostrorum memoriâ, ab unitate Romanae Ec-

Monet ex pluribus christifideles ad accedendum ad Urbem.

clesiae infelix dissidium et malus error abduxit! Quam libenter omnes paterno sinu completeremur! Quantas Patri misericordiarum gratias ageremus, quod dies nostros ad tam grave senium protulisset, ut videremus salutare Dei, antequam in pace dimitteret servum suum!

Monet reges et principes ut praebent tuta et pacata itinera ac omnis generis commعات.

§ 2. Vos autem, carissimi in Christo filii, reges et principes, luminaria magna Ecclesiae Dei per quem regnatis, si conditio temporum non patitur vos, pia maiorum nostrorum¹ studia aemulantes, sacrum hoc iter institute², de³ subiectis vestris aliisque Romam petentibus parate viam Domini, praebete tuta et pacata itinera, et omnis generis commعات, ne alioqui lugeant viae Sion, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem. In primis vero, quod nos iampridem omni pastoralis sollicitudinis et paternae charitatis officio tum a vobis per litteras et nuncios nostros tum a pacis auctore Deo iugi prece efflagitamus, ponite aliquando iras, populis vestris graves, rei christianae publicae luctuosas. Congregamini cum Deo Abraham, et bella Domini praeliantes, vertite arma in immanes barbaros, inclito Poloniae regno aliisque christianis provinciis terramarique imminentes. Eos enim clades, quantumvis magna, memorabilisque, ad Tyram annem nuper accepta, irritavit potius quam fregit; nisi percussis instet victor exercitus et triumphis assuetus, nosque, post opem divinam diu ac suppliciter imploratam, quamprimum communem causam, commune periculum, communibus quoque studiis armisque tueamur.

Indicet sanctissimus Pontifex universale iubilaeum anni sancti.

§ 3 Nos igitur, per traditam nobis a Deo, qui infirma mundi eligit ut fortia quaeque confundat, unam cum sollicitu-

¹ Forsan legendum *vestrorum* (R. T.).

² Videtur legendum *instituere* (R. T.).

³ Praeposit. *de delenda* videtur (R. T.).

dine omnium ecclesiarum, ligandi atque solvendi potestatem, quae in indigno¹ haerede non deficit, sanctissimis praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, eorumque laudabile institutum tenentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assensu, universalis et maximi iubilaei celebrationem a primis vesperis vigiliae Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi proximae futurae inchoandam, et per totum annum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostram, maximo cum animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, sanctae Ecclesiae exaltationem, haeresum extirpationem, catholicorum principum concordiam, christianorumque omnium populorum solatium et sanctificationem, indicimus et promulgamus. Quo ipso iubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum necnon Lateranensem² et S. Mariae Maioris de Urbe basilicas semel saltem in die per triginta continuos aut interpolatos dies, si romani vel incolae Urbis, si vero peregrini aut alias externi fuerint, per quindecim saltem dies, devote visitaverint, et pro sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordiam, et christiani populi salute et tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus et impartimur. Et quoniam evenire potest ut ex eis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo vel alia legitimam causam impediti, aut morte praec-

¹ Edit. Main. legit *digno* (R. T.).

² Edit. Main. legit *Lateranensis* (R. T.).

venti, praefinito dierum numero non completo, ac nequidem fortasse inchoato, praemissa exequi, et dictas basilicas visitare nequeant; nos, pie promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus ac si dictas basilicas diebus a nobis praescriptis visitassent.

Cunctis ecclesiae praelatis anni sancti publicationem mandat.

§ 4. Vos autem, venerabiles fratres nostri, patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi in partem sollicitudinis nostrae vocati, duces et pastores populorum, lux mundi et sal terrae, capite tubas argenteas, quarum usus est in iubilaeo, idest adhibete praedicationem verbi Dei, et annunciate populis hoc gaudium, ut sanctificentur, et Dei invante gratiâ parati sint ad ea caelestia dona capienda, quae bonorum omnium largitor Deus filiis dilectionis per ministerium humilitatis nostrae praeparavit. Adducite verbo et exemplo parvulos ad huius carissimae matris ubera, quae eos per Evangelium in Christo genuit. Adducite filios ad patrem, oves ad pastorem summum, membra ad caput, fideles ad fidei petram, in qua omnis aedificatio catholicae Ecclesiae constructa consurgit. Ad sacras igitur indulgentias, earumque salutes fructus ipso iubilaei anno Romae percipiendos, vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, docete gentes fidei vestrae creditas, quia advenae et peregrini sumus in hac vitâ, et civitatem in terris permanentem non habemus, sed in caelis aeternam inquirimus; quia vero breves dies sunt huius nostrae calamitosae peregrinationis, et nescimus qua horâ paterfamilias venturus sit, ideoque vigilant, et lampadas ardescentes plenasque oleo charitatis et misericordiae portent

in manibus, et in beatam illam requiem ingredi festinent.

§ 5. Nam, si unquam aliâs, nunc potissimum irae, contentiones et odia dimittenda propter Christum, nunc maxime servos decet misereri conservorum suorum, ut dominus clementissimus omne debitum eis dimittat; nunc praecipua puritatis et innocentiae cura habenda, ut templum Dei mundum efficiatur, et unusquisque vas suum possideat in honore et sanctificatione, et portet Deum in corpore suo. Scelera insuper et peccata omnia, malasque cogitationes e cordibus eorum penitus exterminanda, ut caelestis ira placetur, et christiano nomini, in quo gloriantur, moribus factisque respondeant. Docete autem eos, quemadmodum ad salutes indulgentias consequendas in animo contrito, et in spiritu humilitatis, assiduis orationibus et ieiuniis, ceterisque pietatis operibus se ipsos praeparare atque exercere debeant; et, qui substantias huius mundi habent, aperiant viscera sua, et fratrum suorum pauperum inopiam sublevent; praecipue vero erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, et sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, et quam vetustissimi illi christiani, etiam inter persecutionum fluctus, diligentissime coluerunt, ipsi quoque multâ cum hilaritate spiritus renovent atque observent.

§ 6. Admonete etiam eos ut orent pro regibus et principibus christianis, ut quietam et tranquillam vitam agant, et pax inter eos et concordia coalescat et conservetur. Postremo docete eos, cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestiâ, qua devotione, qua fraternae pacis observantiâ praelucere eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco, et unusquisque ita componere se conetur, ut faciem plane praeseferat euntis in Hierusalem. Praebete

Hoc praecipua anno vitae sanctimoniam christifidelibus commendat.

Quanta devotione haec sancta peregrinatio suscipienda sit praescribit.

autem vos ipsos, venerabiles fratres, et omnem clerum exemplum in primis bonorum operum et formam gregis, ut vestrae virtutis et religionis veluti sale ceteri condiantur, atque ita omnes unanimis in uno spiritu christianae caritatis atque in omni sanctitate et iustitia Deo serviamus.

Hortatur peccatores, ut antistitum vigilantiam adjuvent.

§ 7. Hortamur quoque et rogamus in Domino carissimos in Christo filios nostros imperatorem electum, ac reges et principes omnes catholicos, ut, quo plura et magis illustria beneficia ab Eo, per quem reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pro zelo excitentur, praecipue vero venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, primatum, archiepiscoporum et episcoporum pastorem sedulitatem et vigilantiam adjuvent, et a suis magistratibus et ministris adjuvari mandent, ut improborum licentia coërceatur, et bonorum studia eorum regia ope et gratia foveantur; maxime autem erga peregrinos beneficentiam et liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant itineribus, et nullam hominum perditorum vexatione perturbentur, sed hospitalibus domibus et publicis hospitibus amanter excipi, ut, comineatu et rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussionem et iniuria institutum iter lacti peragant, et cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis reges potissimum et principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, et demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus erga quos misericordiam exeruerint, in quibus Christus pascitur et nutritur.

Transumptorum fides.

§ 8. Ut vero praesentes litterae ad omnium fidelium quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant,

1 Forsan *pivo* legendum, non *pro* (R. T.).

voluimus earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, eandem prorsus fidem haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

§ 9. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostrae indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Sanctio poenalis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXIV, XVI kalendas maii, pontificatus nostri anno IV.

G. Card. Prodat.

I. G. SLUSIUS.

Visa de Curia S. de Pilastris.

D. CIAMPINUS.

Dat. die 16 aprilis 1674, pontif. anno IV.

CLV.

Suspensio quarumcumque indulgentiarum durante anno universalis iubilaei MDCLXXV.

Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Cum nos nuper sancti iubilaei celebrationem, a vigilia Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi anni proximi venturi inchoandam et usque ad finem eiusdem anni duraturam, universo populo christiano, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assensu, indixerimus, ac omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui beatorum apostolorum Petri et Pauli basilicas, Lateranensem quo-

Exordium.

que et S. Mariae Maioris almae Urbis ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis litteris plenius continetur:

Causa huius
constitutionis.

§ 1. Cupientes ut christianae nationes, ex omnibus terrarum Orbis locis in almâ Urbe nostrâ in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas et ecclesias praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem iubilaeo, visitent et frequentent, multorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo adducti:

Suspendit sanctissimus Pontifex quascumque indulgentias durante anno universalis iubilaei MDCLXXV.

§ 2. Omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates et indulta absolventi etiam a casibus Sedi Apostolicae reservatis etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, domibus, militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam saecularibus quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum regularibus personis, coronisque, grauis, imaginibus et numismatibus, ex metallo seu quacumque aliâ materiâ confectis, tam singulariter quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, reginis, ducibus et principibus, vel aliis quacumque aliâ mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate etiam speciali notâ dignâ fulgentibus, etiam ad instar iubilaei, aut aliâs quomodocumque, et ex quibusvis causis et

occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac aliâs quomodolibet concessas (quorum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus), apostolicâ auctoritate, de eorundem fratrum consilio et assensu, ac apostolicae potestatis plenitudine, suspendimus, et suspensas esse declaramus; easque et ea, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere, irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Quocirca per praesentes auctoritate apostolicâ praecipimus et mandamus, ne interim aliae quam indicti a nobis praedicti iubilaei indulgentiae, sive publice sive privatim, quovis praetextu, ubivis locorum et gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque arbitrio Ordinariorum intelligendis poenis, publicentur vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Prohibet alias indulgentias publicari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum et locorum, aliorumque praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, aliisque quibuscumque, per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem eiusque legatos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus,

Contrarius quibuscumque derogat.

etiamsi in illis caveatur expresse quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissum¹, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fidas transumptorum.

§ 5. Et quia difficile nimis esset praesentes quocumque ubi illis opus fuerit perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu², et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eandem prorsus fidem in iudicio et extra, ubique locorum, adhiberi, quae adhiberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suspensionis, declarationis, decreti, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentari praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXIV, III nonas maii, pontificatus nostri anno IV³.

G. Cardinalis Prodatarius.

Visâ de Curia S. de Pilastris.

Dat. die 5 maii 1674, pontif. anno v.

Anno Domini MDCLXXIV, indictione XI, die vero XVII septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. B. Clementis divinâ providentiâ Papae X, anno v, superscriptae litterae apostolicae in atrio basilicae Principis Apostolorum de Urbe publicatae, et ad valvas eiusdem basilicae affixae

1 De more solito leg. *praemissorum* (R. T.).

2 Subintellige *subscriptis* (R. T.).

3 Ab electione legerem anno v.

fuerunt, ac caedem postea publicatae in basilicâ S. Pauli, et in ecclesiâ Lateranensi et S. Mariae Maioris de Urbe ad earumdem valvas pariter affixae fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, dimissis ibidem copiis, ut moris est, per nos Gregorium Stagium et Agapitum magistros praelibati sanctissimi domini nostri Papae cursores.

Pro magistro cursorum

LAURENTIUS BARBIGNUS decanus.

CLVI.

Praeceptum episcopis Indiarum aliarumque partium Orientalium ac regularibus etiam Societatis Iesu eorumque superioribus super strictâ observantiâ constitutionum apostolicarum et decretorum Congregationis de Propagandâ Fide, sub poenis arbitrio eiusdem Congregationis quoad omnes, et quoad regulares etiam privationis vocis activae et passivae.

Clemens Papa X.

ad futuram rei memoriam.

Quoniam ea, quae ex solità huius sanctae Sedis Apostolicae rectitudine atque aequitate provide sapienterque emanarunt, et in dies, prout iustitiae ratio exigit et propagandae solidandaeque catholicae fidei suadet utilitas, pie prudenterque emanant, ab omnibus christifidelibus, et praesertim a catholicis antistitibus in partem apostolicae sollicitudinis vocatis, ac ab illis, qui, votorum religiosorum nexu, Dei Ecclesiaeque obsequiis arctius devincti sunt, inviolabiliter observari oportet:

Exordium.

§ 1. Nos, quibus, licet immeritis et tanto oneri imparibus, Ecclesiae suae sanctae curam commisit Altissimus, debita apostolicorum decretorum obser-

Præcipit ut in rubrica.

vationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, de particularis Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio, venerabiles fratres episcopos Indiarum, aliarumque partium Orientalium, harum serie paterne monemus, eisque ac etiam regularium superioribus et eisdemmet regularibus, etiam Societatis Iesu, auctoritate apostolicâ, in virtute sanctae obedientiae, praecipimus et mandamus ut omnes constitutiones apostolicas et decreta Congregationis eorundem cardinalium, sub poenis arbitrio eiusdem Congregationis imponendis, quoad omnes, et, quoad regulares, etiam Societatis Iesu, eorumque superiores praefatos, etiam privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendae, stricte ac inconcusse et inviolabiliter observent.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiam et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictae Societatis Iesu, aliarumque congregationum, et Ordinum quorumcum-

que, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad effectum praesentium, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 7 iunii 1674, pontif. anno V.

Registrata in Secretariâ Brevium, in libro mensis iunii, part. 1, fol. 50.

CLVII.

Exemptio episcoporum et vicariorum apostolicorum apud Sinas ab omnimodâ iurisdictione omnium Ordinarium in provinciis ipsis assignatis.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

In apostolicae dignitatis fastigio cum potestatis plenitudine a Domino constituti, ad ea, per quae catholicae fidei christianaeque religionis propagatio, praesertim in remotissimis ab hac san-

Exordium.

etâ Sede partibus, fidelium operariorum in vineâ Domini strenne laborantium studiis per Dei gratiam ad optatum finem perducere valeat, propensis studiis intendimus, et pastoralis officii nostri partes paternâ charitate desuper interponimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Vicarios apostolicos in partibus Sinarum deputatos eximit ab omnimoda iurisdictione Ordinariorum in provinciis sibi assignatis.

§ 1. Itaque contentiones, quae inter venerabiles fratres episcopos, vicarios apostolicos apud Sinas ab hac sanctâ Sede Apostolicâ deputatos, et Ordinarios Indiarum aliarumque Orientalium partium oriri possent, e medio tollere cupientes, de particularis Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio, eosdem vicarios apostolicos ab omnimodâ iurisdictione omnium Ordinariorum in provinciis sibi assignatis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, eximimus et plenarie liberamus, ac exemptos et liberatos dictaeque iurisdictioni minime obnoxios esse et fore decernimus et declaramus; reservatâ tamen dictae Congregationis cardinalium facultate aliter decernendi.

Decretum irritans.

§ 2. Decerentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac vicariis apostolicis praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et alios quoslibet quacumque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et

interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 4. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII Iunii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 7 Iunii 1674, pontif. an. V.

Registrata in Secret. Brevium, in lib. mensis Iunii, part. 1, fol. 43.

CLVIII.

Extensio Constitutionis Urbani VIII contra impediens religiosorum mittent-

dorum ad partes Orientales accessum emanatae, ac impediens exercitum iurisdictionis episcoporum et vicariorum apostolicorum in dictis partibus Orientalibus commorantium, eorumque operariorum in provinciis ipsis a Sede Apostolicâ assignatis.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

Referuntur
litterae Urbani
VIII.

§ 1. Cum dudum felicitis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster per quasdam suas litteras die xxii februarii mdcxxxiii emanatas, quarum initium est *Ex debito, etc.*, in quibus super missionibus religiosorum ad Iaponiam et alia regna Indiarum Orientalium multa salubriter constituit, quoscumque ecclesiasticos et religiosos cuiuscumque Ordinis et instituti, tam non Mendicantium quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, et saeculares, religiosorum mittendorum ad insulas, provincias, regiones et alia regna earumdem Indiarum accessum impediens, excommunicationis latae sententiae vinculo innodaverit, et aliâs, prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur; et, sicut pro parte venerabilium fratrum episcoporum et vicariorum apostolicorum in partibus Orientalibus commorantium nobis nuper expositum fuit, nonnulli, propriae salutis immemores, ipsorum episcoporum et vicariorum apostolicorum iurisdictionem, seu illius exercitum impedire audeant seu praesumant:

Pontifex dictas litteras extendit ut in rubrica.

§ 2. Nos, eiusmodi temeritatem opportunâ sanctione cohibere, dictosque episcopos et vicarios apostolicos speciali favore prosequi, ac in piis salubribusque eorum studiis ad Dei gloriam et christianae religionis catholicaeque Fidei

incrementum paterno affectu confovere cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes ac absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de particularis Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio, praefatas Urbani praedecessoris litteras etiam contra impediens exercitum iurisdictionis dictorum vicariorum apostolicorum, eorumque operariorum in provinciis sibi a sanctâ Sede assignatis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum pakii apostolici auditores, aliosve quolibet quacumque praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum ur-
bitans.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae memora-

Contrariis de-
rogat.

tus Urbanus praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptum.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 8 iunii 1674, pontif. anno V.

Registrata in Secretariâ Brevium, in libro mensis iunii, parte I, fol. 24.

CLIX.

Declaratio quod episcopi Indiarum aliarumque partium Orientalium, eorumque officiales et ministri, non possint nec debeant exerceere actus iurisdictionales supra episcopos vicarios apostolicos apud Sinas tamquam delegatos Sedis Apostolicae, eorumque operarios in provinciis ipsis assignatis; sed eiusdem vicariis delegatis apostolicis in dictis provinciis iurisdictionem quoad omnes privative competere, donec aliter fuerit a Congregatione Propagandae Fidei declaratum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Declarat ut in rubrica.

§ 1. Christianae religionis catholicaeque fidei propagationis opus, quod venerabiles fratres episcopi vicarii apostolici apud Sinas ex huius sanctae Sedis Apostolicae mandato laudabiliter susceperunt et feliciter prosequuntur, quan-

tum nobis ex alto conceditur, promovere, ipsorumque vicariorum apostolicorum quieti consulere, et pia eorum studia confovere cupientes, de particularis Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super rebus Sinarum deputatae consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus venerabiles etiam fratres episcopos Indiarum aliarumque partium Orientalium, eorumque ministros et officiales, non posse nec debere exercere actus iurisdictionales super praefatos vicarios apostolicos tamquam delegatos Sanctae Sedis praedictae, eorumque operarios in provinciis sibi assignatis, sed eisdem vicariis delegatis apostolicis in praedictis provinciis iurisdictionem privative quoad omnes competere, donec aliter fuerit a Congregatione eorundem cardinalium declaratum.

§ 2. Porro contraventores eo ipso in poenas excommunicationis et indignationis nostrae incurrisse censi, ipsas vero praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosve quoslibet quacumque praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Poenâ adversus contravenientes et decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus

Derogat contrariis.

vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii iunii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 17 iunii 1674, pontif. anno v.

Registrata in Secret. Brevium in lib. mensis iunii, part. 1, fol. 49.

CLX.

Mandatum inquisitoribus S. Officii Portugalliae, in causâ Emmanuelis a Costa Susarte clerici Portalegrensis, ut commissionis avocationi dictae causae manu SS. signatae, et litteris citatorialibus a congregatione S. Officii Urbis obtentis, omnino pareant.

Venerabili fratri Petro archiepiscopo Sidensi, generali, ac dilectis filiis reliquis inquisitoribus adversus haereticam pravitatem

in Portugalliae et Algarbiorum regnis auctoritate apostolicâ deputatis,

Clemens Papa X.

Venerabilis frater ac dilecti filii¹, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliâs, pro parte dilecti filii Emmanuelis a Costa Susarte clerici Portalegrensis in regno Portugalliae nobis exposito quod ipse in Romanâ Curia a triennio et ultra praesens reperiebatur, et habuerat notitiam quod in dicto regno fuerant sequestrata et vendita eius bona de mandato iudicis fisci tribunalis S. Officii, unde suspicabatur se fuisse et esse inquisitum ab eodem tribunali de praetense crimine haeresis vel apostasiae, et ideo se praesentare et constituere intendebat in tribunali S. Officii Romanae Curiae praedictae ad se iustificandum et ostendendum se semper fuisse et esse optimum catholicum, et quod, si in dicto tribunali S. Officii Portugalliae cuiuscumque districtus contra illud praetenderetur, vel in eo adessent aliqua praetensa indicia vel processus, ad dictum tribunal Romanae Curiae transmitterentur, ad hoc ut idem Emmanuel se defendere posset, et in contrarium suas defensiones et exceptiones allegare ad ostendendam suam innocentiam, prout iuris foret: nos, supplicationibus ipsius Emmanuelis nomine nobis humiliter porrectis inclinati, causam et causas huiusmodi in statu et terminis in quibus tunc reperiebatur, et ipso Emmanuele in carceribus constituto, cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, et quam et quas idem Emmanuel movere intendebat, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ generalibus inquisitoribus adversus haere-

Causam in tribunali sanctae Inquisitionis pendente, de qua in rubrica, in statu et terminis, Pontifex commiserat sanctae Inquisitioni generali de Urbe, prout in rubrica.

¹ Edit. Main. legit *dilecte filii* (R. T.).

ticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatis audiendas, decidendas, sineque debito terminandas, cum facultate citandi et inhibendi quos, quibus, quoties, quando opus foret, etiam per edictum, constituto¹ de non tuto accesso, ac etiam sub censuris et poenis arbitrio eorundem cardinalium imponendis et moderandis, necnon censuras aggravandi, re-aggravandi, auxilium brachii saecularis invocandi, ac etiam compulsandi, faciendique transmitti et transportari omnia acta, iudicia sive processus existentia contra praedictum Emmanuelem in dicto tribunali S. Officii Portugalliae, seu alibi, quatenus adessent, dictamque causam avocandi, quatenus opus esset, et revocandi sequestrum, dictaque bona ipsi Emmanueli restituendi, ceteraque desuper necessaria et opportuna, prout iuris foret, gerendi, faciendi et exequenti, auctoritate apostolicâ commisimus et mandavimus, cum opportunis clausulis et derogationibus, prout in commissione desuper manu nostrâ signatâ plenius continetur.

Litterae generalis Inquisitionis dictae sanctae Inquisitionis Ulyssiponensi ad comparandum coram ea.

§ 2. Et subinde (cum dicta commissio memoratis cardinalibus praesentata fuisset, dictusque Emmanuel, ad maiorem cautelam, inhaerendo cuicumque appellationi forsan a praefatis gravaminibus ad eius instantiam in partibus interpositae, ad nos et Sedem Apostolicam ac ad praedictos cardinales tamquam iudices deputatos et competentes iterum et denuo reclamasset et recursum habuisset) iidem cardinales (recursu huiusmodi admissio in statu et terminis in quibus causâ reperiebatur, et ipso Emmanuele in carceribus huius supremæ Inquisitionis die xi martii MDCLXXIII constituto, ac recursum huiusmodi prosecqui volente et intendente, sibi que citationem cum

inhibitione vigore eiusdem recursus extra Romanam Curiam et ad partes in formâ decerni et concedi supplicante) per eorum citatorias inhibitiones et compulsorias litteras, dictâ die xi eiusdem mensis martii emanatas, venerabili fratri Marcello archiepiscopo Chalcedonensi, nostro et dictae Sedis in Portugalliae et Algarbiorum regnis nuncio, et cui seu quibus litterae huiusmodi pervenirent, commiserunt, et in virtute sanctae obedientiae strictè praecipiendo mandarunt, quatenus, visis eisdem litteris ex ipsorum cardinalium parte, ino verius apostolicâ auctoritate, dilectos filios procuratores fiscales S. Officii Ulyssiponensis et Elborensis, omnesque alios et singulos in executione ipsarum litterarum nominandos et cognominandos, citarent et citari curarent, facerent et mandarent, prout ipsi cardinales citabant et citari mandabant, quatenus sexagesimâ die post earundem litterarum executionem comparerent Romae coram eisdem cardinalibus in Congregatione praedictâ cum omnibus et singulis eorum actis, actitatis, iuribus, scripturis et processibus quibuscumque contra dictum Emmanuelem eatenus fabricatis et ad causam huiusmodi facientibus, per se, vel procuratores suos idoneos sufficienter instructos; alioquin, illis non comparentibus, vel comparere minime curantibus, cardinales iudices praedicti devenirent ad revocationem omnium contra dictum Emmanuelem gestorum et attentatorum, et respective ad absolutionem eiusdem et alia iuris et facti remedia, eorum contumaciâ vel absentia minime obstante; et insuper inhiberent et inhibendo expresse praeciperent et mandarent, prout ipsi cardinales inhibebant, praecipiebant et mandabant, omnibus et singulis iudicibus commissariis, tam ordinariis quam extraordinariis, delegatis

¹ Potius ut aliâ lege *constitûto* (R. T.).

et subdelegatis, quacumque auctoritate fungentibus et functuris, baroncellis quoque, capitaneis, executoribus, ceterisque dictarum inquisitionum ministris, et praesertim supradictis procuratoribus fiscalibus Ulyssiponensi et Elborensi ex adverso principalibus, omnibusque aliis in executione nominandis et cognominandis, ne, sub mille ducatorum auri de camerâ fisco S. Officii applicandorum, et pro illis mandati executivi, et, in subsidium, excommunicationis et respective suspensionis a divinis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, auderent seu praesumerent, aut eorum aliquis auderet seu praesumeret, Emmanuelem praedictum in partibus, vel alibi quam Romae, coram dictis cardinalibus, et in tribunalibus S. Officii, et per acta notarii ipsius S. Officii molestare, vexare et perturbare, seu molestari, vexari et perturbari facere, quovis sub praetextu; quod si secus factum foret, id totum revocaturum erant dicti cardinales et in pristinum statum reducere curaturum, iustitiâ mediante; absolutionem vero in praemissis sibi vel eorum superiori tantummodo reservarunt.

Insuper dicta generalis Inquisitionis de Urbe decernit litteras compulsoriales.

§ 3. Et ulterius praedictis cardinalibus per eundem Emmanuelem exposito penes acta S. Officii civitatis Ulyssiponensis, seu Elborensis, reperiri processum seu processus aliasque scripturas, causam et causas¹ huiusmodi tangentes, qui seu quae pro iurium eius defensione necessaria essent, et de facili eis denegari possent, ideoque pro parte ipsius Emmanuelis requisito ut litterae compulsoriales pro dictis processibus et scripturis habendis decernerentur et concederentur, ipsi cardinales memorato nuncio, et cui seu quibus litterae supradictae pervenirent, commiserunt pariter

et mandarunt, quatenus omnes et singulos ministros et officiales dictarum sanctarum Inquisitionum, eorumque notarios, cancellarios et actuarios, omnesque alios, penes quos dicti processus aliaque infra praedicta quomodocumque reperirentur, ipsorum cardinalium, inno verius apostolicâ auctoritate monerent et requirerent, eisque sub excommunicationis poenâ mandarent, quatenus, infra triduum proximum post requisitionem huiusmodi immediate secuturum, omnes et singulos processus, iura et acta quaecumque causam et causas huiusmodi concernentia, et in statu et terminis, in quibus tunc reperiebantur, in eorum originalibus, sive eorum vera transumpta in publicam et authenticam formam redacta, sigillis authenticis sigillata, et talibus modo et formâ, quod eisdem in iudicio et extra plena fides adhibenda esset, praedicto nuncio sive dicti Emmanuelis procuratori legitimo traderent et exhiberent atque consignarent, eorumque signa, sigilla et manus notariorum recognosci facerent et mandarent; solutâ prius competenti mercede, et quatenus solvenda veniret, pro eorum laboribus, dummodo istis in partibus talis merces solveretur et non aliâs; contradictores vero ad dandum, tradendum et exhibendum, ac detinentes processus, aliaque iura praedicta, illaque ostendere nolentes vel recusantes, aut aliâs quomodolibet differentes, per censuras ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compellerent, cogique et compelli facerent, curarent et mandarent, et, completo dicto processu, unâ cum omnibus actis factis ad eosdem cardinales quantocitius transmitterent et transmitti facerent, ut iure medio possent ad causae huiusmodi decisionem, et iustitiâ mediante, devenire, absolutione a censuris huiusmodi pariformiter reservatâ, et aliâs, prout in praedictis

¹ Edit. Main legit *causam* pro *causas* (R. T.).

dictis eorumdem cardinalium litteris uberius etiam continetur.

Pontifex hanc causam avocavit a quibusvis tribunalibus Inquisitionis regni in Portugalliae et Algarbiorum ad se et sanctam Inquisitionem generalem Urbis.

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, dicti cardinales ad alios actus in causâ praedictâ subinde devenerint, ac praedictum Emmanuelem e carceribus praedictis, praestitâ tamen per eum cautione, sive satisfactione, de se in iisdem carceribus, quodcumque ipsis cardinalibus placeret, seu aliâs, repraesentando, dimiserint, ipseque Emmanuel postmodum in Lusitaniam, seu ad alias partes propter negotia sua profectus sit, ibique de licentiâ eorumdem cardinalium moretur de praesenti: hinc est quod nos, eandem causam a memoratâ cardinalium Congregatione omnino audiri, decideri, sineque debito terminari volentes, ac causam seu causas huiusmodi a praedictis Ulyssiponensi et Elborensi aliisque quibusvis tribunalibus Officii Inquisitionis haereticae pravitatis in Portugalliae et Algarbiorum regnis auctoritate apostolicâ institutis ad nos et praedictam cardinalium Congregationem harum serie, quatenus opus sit, iterum avocantes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, commissionem causae seu causarum huiusmodi dictis cardinalibus a nobis factam, ut praefertur, emanatasque illius vigore ab eisdem cardinalibus litteras citatoriâs, inhibitoriales et compulsoriales praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis, et inde secutis quibuscumque, ceteraque omnia et singula in causâ seu causis huiusmodi a dictis cardinalibus hactenus quomodolibet acta, facta, gesta, decreta, mandata et ordinata (illorum omnium et¹ singulorum tenores et datas, etiam veriores, et alia quaecumque, etiam specificam et individuum mentionem et

expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis et exactissime specificatis habentes) earundem tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiciamus.

§ 5. Ac omnes et singulos iuris et facti, necnon solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et apostolicarum constitutionum et ordinationum vel privilegiorum et indultorum apostolicorum aut consuetudinum etiam immemorabilium praescripto, quam de stylo vel aliâs quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, si qui in praemissis principaliter vel accessorie aut aliâs quomodolibet intervenerunt, seu intervenisse dici, censerent, praetendi, vel intelligi possent, itidem quatenus opus sit, plenissime supplemus et sanamus.

§ 6. Ac proinde fraternitati tuae, frater Petre archiepiscopo, inquisitor generalis, ac discretioni vestrae, filii reliqui inquisitores, vestrisque respective consiliariis, procuratoribus, fiscalibus, commissariis, assessoribus, notariis, actuariis, ceterisque officialibus et ministris quibuscumque, harum serie, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus et mandamus, ut praedictis citatoriis, inhibitorialibus et compulsorialibus litteris, aliisque quibuslibet mandatis et decretis, a praedictis cardinalibus eorumque Congregatione in causâ seu causis huiusmodi hactenus quomodolibet emanatis, et in posterum usque ad finem et terminum eiusdem causae seu causarum emanaturis, omni morâ, dilatione, tergiversatione, contradictione, oppositione postpositis, sicut devotos atque obedientes huius sanctae Sedis filios deceet, prompte pareatis, nec, causâ seu

Supplet omnes defectus.

In virtute sanctae obedientiae praecipit, ut pareant litteris, mandatis et decretis huius Inquisitionis.

¹ Coniunct. et nos addimus (R. T.).

causis huiusmodi in praedictâ cardinalium Congregatione pendentibus, contra dictum Emmanuelem, illiusque advocatos, procuratores, sollicitatores, agentes, seu negotiorum gestores, quovismodo, directe vel indirecte, seu aliâs quomodolibet, per vos ipsos, seu alios quoslibet, aliquid attentare vel innovare, aut quominus commissio et litterae ac mandata et alia praemissa debitae executioni mandentur impedire, aut in iudicio vel extra illud vos opponere vel contradicere ullo modo audeatis seu praesumatis. Et quatenus aliquid forsân contra eundem Emmanuelem, eiusque advocatos, procuratores, sollicitatores, agentes, seu negotiorum gestores, in causâ seu causis huiusmodi, post emanatas a memoratis cardinalibus litteras praedictas, per vos seu vestrum quemlibet, aut vestrâ seu cuiuslibet vestrum auctoritate vel mandato, hactenus quovismodo attentatum seu innovatum sit, id totum penitus et omnino revocetis, annulletis et circumscribatis, ac in pristinum statum reducatis; alioquin tu, frater Petre archiepiscopo inquisitor generalis, suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae et privationis muneris inquisitoris generalis, vos vero, filii reliqui inquisitores, vestrique respective consiliarii, procuratores fiscales, commissarii, assessores, notarii, ceterique officiales et ministri, excommunicationis latae sententiae ac privationis officiorum quomodocumque ad tribunal S. Officii spectantium, poenas ipso facto et absque ullâ declaratione vos respective noveritis incursum, a quibus absolutionem nobis et huic sanctae Sedi Apostolicae specialiter reservamus.

Decretum irritans.

§ 7. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, de subreptionis, vel obreptionis, aut nul-

litalis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quolibet, etiam quantumvis formali et substantiali ac individuum expressionem requirente defectu, etiam ex quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu vel capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, infringi vel invalidari, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nullo modo unquam posse, sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac a vobis et aliis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque et non aliâs in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definitum debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis fir-

Contrariis derogat.

mitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in favorem S. Officii regnorum praedictorum, illiusque inquisitorum, etiam generalium, et officialium et ministrorum quorumlibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac eum quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiamsi motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, approbatis et quantiscumque vicibus confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime servatis et specificatis respective habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SALSUS.

Dat. die 4 iulii 1674, pontif. anno V.

Registrata in Secret. Brev. lib. V, fol. 227.

CLXI.

Indulgentiae ut gratiae spirituales perpetuae coronis Domini nostri Iesu Christi per monachos et eremitas Camaldulenses dispensari solitis.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

De salute gregis dominici divinâ dispositione nobis commissi sollicitè cogitantes, christifideles spiritualibus muneribus adiuvari non cessamus, ut eorum devotio ad omnipotentis Dei cultum et pietatis opera in dies magis augeatur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii monachi Congregationis Camaldulensis Ordinis sancti Benedicti et Eremitae Camaldulenses coronas Domini nostri Iesu Christi iam pridem fidelibus dispensare consueverint: nos, laudabilem huiusmodi usum harum serie approbantes, easdem coronas indulgentiis atque aliis spiritualibus muneribus, quae infra sequuntur, ad spiritualem fidelium consolationem et animarum salutem duximus esse decorandas:

I. Qui vere poenitens et confessus, seu firmum confitendi propositum habens, unam ex dictis coronis, sibi a praefatis monachis vel eremitis Camaldulensibus immediate vel mediante aliâ personâ traditam, recitaverit, quotiescumque id fecerit, ducentorum annorum; necnon quicumque, coronam huiusmodi secum deferens, singulis secundis, quartis et sextis feriis, ac festivis de praecepto Ecclesiae servari solitis diebus recitaverit, dummodo confessus et communicatus fuerit, centum quinquaginta annorum; qui autem solitus fuerit eam recitare quater in hebdomadâ, semel in anno, die per eum eligendâ, si eâ die confessus sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserit, et dictam coronam pariter recitaverit, plenariam;

Exordium.

Approbat consuetudinem monachorum Camaldulensium dispensandi coronas Domini Iesu Christi.

Indulgentia huiusmodi coronis concessa. 618 referuntur.

II. Qui vero eandem coronam singulis diebus per mensem integrum etiam recitaverit, et subinde vere poenitens et confessus, cum sacrâ communionem refectus, pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderit, quoties id egerit, itidem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequatur. Quicumque solitus fuerit saltem ter in hebdomadâ dictam coronam recitare, et in bello contra infideles, haereticos, et S. R. E. hostes dimicaverit, si eo vel antecedente die eandem coronam recitaverit, et in actu dimicationis mentem ad Deum elevaverit, et peccatorum suorum poenitens humiliter veniam postulaverit, si in dictâ pugna occubuerit, plenariam indulgentiam pariter consequatur.

III. Item quicumque infirmus unam ex dictis coronis sibi ut praefertur traditam apud se habens, eam prius hac intentione recitaverit, et in illâ infirmitate delictorum suorum poenitens et confessus in articulo mortis sanctissimum Iesu nomen corde et ore, si potuerit, sin minus, corde invocaverit, plenariam indulgentiam et omnium peccatorum remissionem si mors inde subsequatur; si vero mors non subsequatur, indulgentiam ducentorum annorum lucratur.

IV. Qui secum deferens unam ex coronis praedictis sibi sicut praemittitur traditam, nomen Iesu invocando, examen suae conscientiae fecerit, et ter orationem dominicam et toties salutationem angelicam recitaverit, preces ad Deum pro tranquillo et felici statu S. R. E. effundendo, viginti dies indulgentiae; quique dicto examine peracto actualiter confessus fuerit, et post confessionem Deum optimum maximum pro augmento

fidei catholicae, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione oraverit, viginti annos indulgentiae lucratur; et solitus se exercere in aliquo ex operibus quae sunt in religionibus, sit particeps omnium et singulorum operum quae sunt in dictis religionibus, si intentione huiusmodi participationis illud opus exercuerit.

V. Qui apud se habens unam ex praedictis coronis sibi traditam ut praefertur, et legitime impeditus missae sacrificio diebus festis de praecepto Ecclesiae non interfuerit, si quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam recitaverit, huiusmodi defectum suppleat; et, si dicto missae sacrificio interfuerit, dictam orationem dominicam et salutationem angelicam recitando, quaecumque mentis vagationem similiter suppleat, dummodo deditâ operâ factum non sit.

VI. Quisquis secum deferens unam ex dictis coronis, sibi ut supra traditam, missae aut praedicationi interfuerit, vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum, dum ad infirmos aut aliâs solemnitè in processibus deferretur, associaverit, vel aliquem a pravâ ad salutis vitam reduxerit, ut puta ab haeresi, blasphemiâ, detractionibus, vel pacem cum inimicis composuerit, vel aliquid aliud tam spirituale quam temporale opus, ad honorem Domini nostri Iesu Christi, vel gloriosissimae Virginis Mariae, aut alterius Sancti, pro cuiusque devotione, vel ad temporalem aut spiritualem proximi salutem, operatus fuerit, et ter *Pater noster* et totidem *Ave Maria* recitaverit, decem annorum indulgentiam consequatur.

VII. Qui diebus stationum ecclesiarum almae Urbis, et extra illius muros absens ab illâ, confessus et sanctissimâ communionem refectus, ac secum coronam sibi

ut praefertur traditam habens, ecclesiam ab ipso pro sua devotione eligendam visitaverit, vel urgenti causa impeditus dictam coronam ac septem psalmos poenitentiales cum litanis et sequentibus suffragiis recitaverit, ducentorum annorum indulgentiam consequatur; ac eandem etiam consequantur ii, qui in eadem Urbe opera peregerint, si legitime impediti easdem ecclesias visitare nequiverint.

Indulget eas omnes applicari posse pro animabus Purgatorio.

§ 2. Denique quod omnes supradictae indulgentiae applicari possint animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, si eâ intentione pro eis oretur, vel supradicta opera peragantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Mandat servari decretum Alexandri VII.

§ 3. Volumus autem ut supradictae coronae nemini possint vendi, nec commodari, et si secus fiat, indulgentiae supradictae cessent, nulliusque sint roboris et momenti, sed circa eas decretum a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro die vi februarii MDCLVII editum omnino servetur;

Fidei transumptorum.

§ 4. Utque earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx iulii MDCLXXIV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLESIUS.

Dat. die 20 iulii 1674, pontif. anno v.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mensis iulii, p. n, fol. 290.

CLXII.

Validatio confraternitatum sub titulo S. Scapularis in ecclesiis Ordinis Carmelitarum existentium, quarum erectiones post editam a Clemente VIII circa confraternitates Constitutionem revocatae non reperiuntur, et de quarum post Constitutionem huiusmodi institutarum erectione non constat, cum nota, quatenus opus sit, erectione et communicatione indulgentiarum, facultatum, gratiarum et privilegiorum, quae generalis dicti Ordinis pro tempore existens similibus confraternitatibus ex indulto Sedis Apostolicae communicare potest.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus ^{Expositio facta.} filius Franciscus Scannapiecus, prior generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod (licet in multis ecclesiis dicti Ordinis, praesertim in partibus ultramontanis consistentibus, confraternitates utriusque sexus christifidelium sub titulo S. Scapularis erectae seu introductae reperiantur, quae suas functiones iuxta institutum similibus confraternitatum sub eodem titulo canonice erectarum obeunt) de illarum tamen statu et validitate dubitari contigerit, tum quia in earundem ecclesiarum et conventuum Ordinis praedicti apud illas existentium archivis seu tabulariis nulla extant monumenta ex quibus constet ad favorem earundem confraternitatum, ante emanatam a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro Constitutionem, cuius initium *Quae a Sede Apostolicâ*, etc., die vii septembris MDCLXXIV editam, erectarum et institutarum, novas erectionum et institutionum huiusmodi, necnon communicationis indulgentiarum, facultatum

et privilegiorum litteras intra tempus ab eadem Constitutione praefixum impetratas fuisse, tum etiam ex eo quod in plerisque conventibus eiusdem Ordinis, post editam Constitutionem huiusmodi constructis, in quarum tamen ecclesiis dictae confraternitates consistunt, litterae erectionis ipsarum confraternitatum minime reperiuntur.

Præces.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praesumendum sit priores generales Ordinis praedicti, quibus confraternitates praedictas erigendi et instituendi, illisque indulgentias, facultates, gratia et privilegia huiusmodi communicandi facultas ex indulto Sedis Apostolicae competeat, nihil eorum neglexisse, quae per dictam Constitutionem cauta sunt, sed potius litteras innovationis antiquarum et erectionis novarum confraternitatum huiusmodi, bellorum vel haeresum aut pestis, quae saepe et diu in partibus praedictis saevierunt, calamitatibus, periisse: nobis propterea dictus Franciscus prior generalis humiliter supplicari fecit, ut ad removendas omnes dubietates, opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Validat erectiones confraternitatum nulliter factas.

§ 3. Nos igitur, ipsius Francisci prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas confraternitates sub titulo S. Scapularis in ecclesiis dicti Ordinis, tam citra quam ultra montes consistentibus, hactenus

erectas seu introductas, quae ibidem suas functiones ad instar similium confraternitatum sub eodem titulo canonice erectarum de praesenti obeunt, tametsi de eadem erectione non constet, nec earum erectiones et institutiones post emanatam Clementis praedecessoris Constitutionem praedictam renovatae, litteraeque desuper de novo impetratae reperiantur, salvâ tamen et reservatâ in in reliquis eiusdem Constitutionis formâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, cum omnium et singulorum iuris et facti defectuum supplementatione, confirmamus et validamus, illasque in statu valido esse et fore decernimus et declaramus in omnibus et per omnia periinde ac si novae erectionum et institutionum ipsarum confraternitatum, ante editam Constitutionem praedictam erectarum, litterae iuxta praescriptum eiusdem Constitutionis impetratae, posteriorum vero erectionis et institutionis litterae expeditae reperirentur; et quatenus opus sit easdem confraternitates et earum singulas in ecclesiis praedictis respective, servatâ ceteroquâ dictae Constitutionis formâ et dispositione, auctoritate et tenore praedictis, de novo erigimus et instituimus, ac illis omnibus et singulis, earumque respective confratribus et consororibus omnes et singulas indulgentias, facultates, gratias et privilegia quaecumque, quae pro tempore existens prior generalis dicti Ordinis ex indulto dictae Sedis similibus confraternitatibus earumque confratribus et consororibus communicare potest, eadem auctoritate, harum serie, communicamus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore

Decretum irritans.

quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvi septembris MDCLXXIV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 26 septembris 1674, pontif. anno v.

Registrata in Secretaria in lib. Brev. mensis septembris, parte utraque, fol. 553.

CLXIII.

Inhibitio et mandatum inquisitoribus S. Officii Portugalliae in causâ recensus novorum christianorum, cum avocatione causae seu causarum contra eos in dicto tribunali notarum, ac inhibitione inquisitori generali et reliquis inquisitoribus eorumque ministris, ne contra eos ad ullum actum, ut vocant, fidei, ullamque publicationem, seu executionem sententiarum deveniant, aut aliquid novi attentent sine licentiâ Summi Pontificis, sed decretis et mandatis Congregationis car-

dinalium S. Officii Urbis, cui idem Summus Pontifex causas praedictas commisit, prompte pareant, sub poenis opportunis.

Venerabili fratri Petro archiepiscopo Sidensi, generali, ac dilectis filiis reliquis inquisitoribus adversus haereticam pravitatem in Portugalliae et Algarbiorum regnis auctoritate apostolicâ deputatis,

Clemens Papa X.

Venerabilis frater, ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilecti filii Christiani Novi nuncupati, sive ab Hebraeis devenientes, in Portugalliae et Algarbiorum regnis degentes, qui in carceribus tribunalium Inquisitionis adversus haereticam et apostaticam a fide catholica et religione christianâ pravitatem in Ulyssiponensi, Elborensi et Comimbriensi civitatibus auctoritate apostolicâ institutorum, propter imputata eis crimina ad officium Inquisitionis huiusmodi spectantia, de quibus accusati sive inquisiti respective existunt, detinentur, ad nos et hanc sanctam Sedem recurrerint, conquerentes, vos seu vestrum aliquos ad novum actum (ut vocant) *fidei* contra ipsos, sive ad eorum condemnationem, eorumque ad publice abinrandum coactionem, et in huius defectum ad diversam poenarum inflictionem atque executionem nimia praecipitatione quae iustitiae noverca esse solet, nec servatis iis quae per sacerorum canonum et constitutionum apostolicarum aequitatem praescripta sunt, devenire velle, non sine iustitiae subversione, ac ipsorum totiusque eorum nationis ruinâ et destructione:

§ 1. Hinc est quod nos, qui in summo iustitiae throno a Domino constituti sumus, ac iustitiam omnibus aequâ lance administrare tenemur, eorum-

Recensus ad Sanctam Sedem nonnullorum christianorum novorum detentorum in carceribus tribunalium Inquisitionis in regnis Portugalliae et Algarbiorum.

Pontifex huiusmodi causas avocet ad se, ac decidendas committit sacrae generali Inquisitioni Urbis.

1 Edit. Main. legit *dilecte filii* (R. T.).

dem christianorum recursum huiusmodi admittentes, et causam et causas quascunque contra eos et eorum quemlibet super criminibus et delictis ad Officium Inquisitionis huiusmodi quomodolibet spectantibus, in praefatis aliisque quibuscunque tribunalibus Inquisitionis adversus haeticam et apostaticam pravitatem in Portugalliae et Algarbiorum regnis auctoritate praefata institutis, seu eorum aliquo, haecenus quovis modo motas et pendentes (quarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicium, necnon accusatorum, denunciantium, reorum, aliorumque colligantium, et alia quaecumque, etiam specificam et individuum mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter ac exactissime et accuratissime expressis et specificatis habere volumus), in statu et terminis in quibus de praesenti quomodolibet reperiuntur, ad nos et Sedem praefatam harum serie advocantes, ipsasque causas cum omnibus et singulis illarum incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in tota republica christianam generalium inquisitorum adversus haeticam et apostaticam pravitatem huiusmodi a Sede praefata deputatorum, cui easdem causas commisimus et demandavimus, audiri et cognosci, decidi, sineque debito, prout iuris fuerit, terminari debere omnino volentes;

Inhibet inquisitoribus Portugalliae, ut in rubrica.

§ 2. Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, fraternitati tuae, frater Petre archiepiscopo inquisitor generalis, ac discretioni vestrae, filii reliqui inquisitores, harum serie districte inhibemus, ne, causa et

causis huiusmodi in praefata cardinalium Congregatione pendentes, aut alias quomodolibet, donec et quousque specialis et expressa desuper a nobis et eadem Sede licentia vobis concessa fuerit, ad ullum similem actum, ut vocant, *fidei*, ullamque publicationem, promulgationem aut executionem novarum sententiarum quarumcumque contra praefatos christianos novos ut praefertur inquisitos seu accusatos, vel denunciatos et in carceribus praedictis detentos, aut illorum aliquem, devenire ullo modo audeatis, neque vos, aut vestrum aliquis, seu vestri et vestrum cuiuslibet respective consilarii, commissarii, procuratores fiscales, assessores, notarii, actuarii, ceterique officiales et ministri, contra illos aut eorum quemlibet, illorumve et cuiuslibet eorum respective advocatos, procuratores, sollicitatores, agentes, seu negotiorum gestores, aut alias quomodolibet pro eis intervenientes, quovis modo, directe vel indirecte, seu alias quomodolibet quicquam novi attentare vel innovare praesumatis.

§ 3. Nos enim vobis et vestrum cuiuslibet, vestrumque et cuiuslibet vestrum respective consilariis, commissariis, procuratoribus fiscalibus, assessoribus, notariis, actuariis, ceterisque officialibus et ministris praedictis, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus et mandamus, ut quibuscumque mandatis et ordinationibus et decretis dictae Congregationis cardinalium, in causa seu causis huiusmodi haecenus forsitan emanatis et in posterum usque ad finem et terminum eandem causarum quomodolibet emanaturis, omni mora, dilatione, tergiversatione, contradictione et oppositione postpositis et remotis, prompte, sicut devotos huius sanctae Sedis filios decet, pareatis, nec illa, eorumve executionem

Et dem praecipit in virtute sanctae obedientiae, ut mandatis sacrae generalis Inquisitionis Urbis pareant.

quomodolibet impedire, aut in iudicio vel extra illud vos opponere aut contradicere ullo modo audeatis seu praesumatis;

Poenae ad-
versus contra-
ventes.

§ 4. Alioquin tu, frater Petre archiepiscopo inquisitor generalis, suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae et privationis muneris inquisitoris generalis, vos vero, filii reliqui inquisitores, vestrique respective consiliarii, procuratores fiscales, commissarii, assessores, notarii, ceterique officiales et ministri, excommunicationis latae sententiae ac privationis officiorum quomodocumque ad tribunal S. Officii spectantium poenas ipso facto et absque aliâ declaratione vos respective noveritis incursumos, a quibus absolutionem nobis et huic sanctae Sedi Apostolicae specialiter reservamus.

Supplet om-
nes defectus.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quolibet etiam quantumvis formali et substantiali ac individuum expressionem requirente defectu, etiam ex quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu, vel capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se invare nullo modo unquam posse, sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suasque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac a vobis et aliis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in

omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in favorem S. Officii regnorum praefatorum, illiusque inquisitorum etiam generalium, ac officialium et ministrorum quorumlibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praefatam, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatorium derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter et aliâs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis approbatis, ac quantiscumque vicibus confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus

Contrariis pluri-
missime derogat.

specialis specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda atque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCLXXIV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 octobris 1674, pontif. anno V.

Registr. in Secretariâ Brevium, in libro v diversorum, fol. 235.

CLXIV.

Declaratio nullitatis deputationis officialium metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, sede archiepiscopali vacante, laicali auctoritate factae, et inde secutorum, etc.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex in sublimi Apostolicae Sedis speculâ cum potestatis plenitudine a Domino constitutus, sua et Apostolicae Sedis inferiorumque ecclesiarum iura, ex commissi sibi caelitus pasteralis muneris debito, sarta tecta tueri, ac, si quando ea temerariis quorumcumque, praesertim laicorum, quos in rebus ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ausibus violatâ esse novit, ab eiusmodi violationibus asserere studet, si-

Exordium.

cut divinitus concessa Ecclesiae libertas atque animarum pericula postulant, ac locorum, temporum et personarum qualitatibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitratur.

§ I. Ad nostri siquidem apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod aliâs (occasione controversiarum quae super cathedralitate inter capitula et canonicos metropolitanarum ecclesiarum S. Mariae de Columna, vulgariter *del Pilar* nuncupatae, et S. Salvatoris civitatis Caesaraugustanae tunc pendebant indecisae¹ curia, iudices iustitiae nuncupati, vel² audientia regia regni Aragoniae, earumque respective ministri, iurisdictionem ecclesiasticam et spirituales et alia iura ecclesiastica et spiritualia capitulis et canonicis praedictis competentia sub sequestro, sive (ut illic dicunt) sub apprehensione ponere, et nuper ecclesiâ metropolitanâ Caesaraugustanâ per obitum bonae memoriae ultimi illius archiepiscopi solatio pastoris destitutâ, in vim assertae apprehensionis huiusmodi manum in messem alienam temere mittentes, propriaeque conscientiae et animarum suarum salutis, necnon malorum et calamitatum, quibus divina iustitia eiusmodi libertatis et iurisdictionis Ecclesiae violatores et invasores saepe ulta est, immemores, doctorem Michaëlem Martam Gomez et Mendoza in vicarium capitulare civitatis et diocesis Caesaraugustanae ad effectum ibidem exercendi iurisdictionem ordinariam in primâ instantiâ et metropolitanicam in gradu appellationis, ac doctorem Iosephum Peralta in offi-

Index laicus vacante sede metropolitana deputat vicarium capitularem et officiales.

¹ Infra pag. 500 b et 504 b legitur *curia iudicis* (R. T.).

² Ex seqq. potius lege *et pro vel* (R. T.).

cialem maiorem et iudicem metropolitanum praedictarum civitatis et dioecesis ac provinciae Caesarangustanae, necnon doctorem Ignatium Cipres in officialem causarum piarum et iudicem decimarum et primitiarum, durante sedis archiepiscopalis Caesarangustanae vacatione, aliosque forsitan officiales ad exercendam iurisdictionem ecclesiasticam et spiritualem huiusmodi nominare et deputare temerario detestabilique ausu praesumpserunt, et aliàs prout in ipsarum curiae vel regiae audientiae, earumque respective ministrorum litteris desuper emanatis, quarum tenores, non approbandi, sed omnino reprobandi animo, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius dicitur contineri. Et subinde Michaël et Iosephus, ac Ignatius, aliique forsitan nulliter et de facto nominati et deputati praedicti, praetextu nominationis et deputationis huiusmodi, eandem iurisdictionem ecclesiasticam et spiritualem hactenus exercere damnabiliter ausi sunt et audent de praesenti.

Huiusmodi temeritas libertatem ecclesiasticam laedit, et fideliū animas in gravissima pericula coniecit.

§ 2. Cum autem eiusmodi execrabilis et per sacros canones et conciliorum generalium decreta apostolicasque sanctiones sub anathemate saepius damnata atque scandalosa temeritas libertatem ecclesiasticam Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam manifeste laeserit et violaverit, ac laedat et violet, animasque pretioso Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula coniecerit, et deplorandis malis involvere pergat :

Pontifex deputationem dictorum ministrorum, omniaque acta per eos sequentia et sequentia declaravit inita et nulla.

§ 3 Hinc est quod nos, qui libertatis et immunitatis ac iurisdictionis aliorumque harum ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque ecclesiarum et christifidelium curam et sollicitudinem superna dispositione gerimus, ac proinde tam

horrendum saecularis potestatis abusum nullatenus sub dissimulatione transire possumus, ecclesiae praedictae Caesarangustanae iura sacra tecta atque illibata tueri et conservare, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium et singulorum in praemissis tam a curia iustitiae nuncupati¹ et regia audientia, earumque respective ministris praedictis, aliisque magistratibus, iudicibus et tribunalibus laicis quibuscumque, quam a memoratis Michaële ac Iosepho et Ignatio, aliisque forsitan quibuscumque laicali auctoritate, ut praefertur, nominatis et deputatis, seu alios quoscumque² eorum respective nomine in iisdem praemissis quomodolibet actorum et gestorum seriem, causas et occasiones, aliave quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus ibidem³ pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime specificatis habentes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, nominationem et deputationem praedictorum Michaëlis Martae Gomez et Mendoza in vicarium capitularem, ac Iosephi Peralta in officialem maiorem et iudicem metropolitanum, necnon Ignatii Cipres in officialem causarum piarum et iudicem decimarum et primitiarum huiusmodi, et aliorum quorumcumque ad exercendam iurisdictionem ecclesiasticam et spiritualem durante dictae ecclesiae Caesarangustanae vacatione, a curia et regia audientia, earumque respective ministris, seu aliis magistratibus, iudicibus et tribunalibus laicalibus

1 Vel lege *nuncupata*, vel ut in Constit. seq. a curia iudicis iustitiae nuncupati (n. r.).

2 Aptius lege *aliis quibuscumque* (n. r.).

3 Potius lege *itidem* (n. r.).

quibuslibet, ut praefertur, aliaque omnia et singula tam a curiâ et regiâ audientiâ, earumque ministris, seu aliis magistratibus, iudicibus et tribunalibus laicalibus huiusmodi, quam a Michaële, Iosepho et Ignatio aliisque quibuslibet nominatis seu deputatis praedictis, vel eorum aliquo, seu eorum aut alicuius eorum respective iussu, mandato vel nomine ab aliis quibuscumque, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, in praemissis vel circa ea quomodocumque et qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata vel disposita, ac forsân in futurum (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda et ordinanda, cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis et quaecumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida et inania, frivola, irrita, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque roboris, momenti et efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, tenere praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus, ac ad maiorem et abundantiorum cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuumus, in omnibus et per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent nec evenissent, neque unquam fierent vel evenirent.

Dicto vicario capitulari, aliisque officialibus in virtute sanctae obedientiae prohibet ne aliquem actum iurisdictionalem ibi exercent sub poenis, prout in rubrica

§ 4. Quocirca Michaëli ac Ignatio et Iosepho, aliisque quibusvis laicali auctoritate ut praefertur nominatis et deputatis praedictis, et eorum cuilibet, in virtute sanctae obedientiae, ac sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, necnon sub excommunicationis maioris et privationis dignitatum et beneficiorum ecclesiarum

quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque imposterum quomodolibet obtinenda, ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis poenis, districte prohibemus et interdicens, ne, nominationis seu deputationis huiusmodi aliorumque praemissorum vigore, ullam iurisdictionem, potestatem vel auctoritatem ecclesiasticam et spiritualem in civitate vel dioecesi aut provinciâ Caesaraugustanâ praedictis exercere, ullumve actum iurisdictionalem facere audeant quovis modo seu praesumant.

§ 5. Eos quoque, qui illis vel eorum alicui scienter in praemissis paruerint, vel auxilium, consilium vel favorem quovis modo praestiterint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praecminentiae vel dignitatis fuerint, similibus poenis eo ipso innodamus, et innodatos fore; ac dignitates et beneficia huiusmodi, quorum privationis poenam propter transgressionem praesentis prohibitionis per praefatos quomodolibet incurri contigerit, ipso facto absque declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse, decernimus et declaramus; necnon eorundem beneficiorum et dignitatum sic vacantium collationem, provisionem et omnimodam dispositionem, ac praefatarum poenarum absolutionem seu relaxationem, nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

Poenae contra ipsorum asecclâs et fautores.

§ 6. Et quia, sede archiepiscopali Caesaraugustanâ ut praefertur vacante, officialis seu vicarius infra octo dies post mortem archiepiscopi a capitulo dictae metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, ad quod ea res iuxta decreta Concilii Tridentini spectabat, constitutus vel confirmatus non fuit, ius deputandi officialem seu vicarium huiusmodi, iuxta

De vicarii deputatione sede vacante.

eadem Concilii Tridentini decreta, ad venerabilem fratrem episcopum antiquiorem ex suffraganeis dictae provinciae Caesaraugustanae devolutum esse harum serie declaramus; ipsique episcopo suffraganeo antiquiori terminum decem dierum, a die quo praesentium litterarum notitiam habuerit computandum, quo durante aliquem qualitatibus per praedicta Concilii Tridentini decreta requisitis praeditum (qui tamen non sit ex illis qui laicali auctoritate ut praefertur temere et nulliter deputati fuerunt, aut sic deputatis auxilium vel favorem in praemissis praestiterunt vel praestiterint) in officialem seu vicarium dictae metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, quamdiu praesens ipsius ecclesiae vacatio duraverit in officio duraturum, cum omnibus et singulis facultatibus, quae eiusmodi officialibus seu vicariis de iure, ac iuxta Concilii Tridentini decreta huiusmodi competunt, constituere et deputare debeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et assignamus. Quod si idem episcopus suffraganeus antiquior officialem seu vicarium huiusmodi intra dictum terminum non deputaverit, lapso eodem termino, ius illum deputandi ad hanc sanctam Sedem Apostolicam illico devolvatur ac devolutum esse intelligatur.

Institutio actuum
factorum.

§ 7. Ceterum de salute dominici gregis paternam charitatem solliciti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, tam ecclesiasticis saecularibus et cuiusvis Ordinis, congregationis vel instituti regularibus, quam laicis, harum serie denunciandum, ac ad eorum notitiam deducendum esse censuimus, praedictos Michaëlem ac Iosephum et Ignatium, aliosque forsitan laicali auctoritate ut praefertur nulliter et de facto nominatos et deputatos, nullam iurisdictionem aut potestatem ecclesiasticam et spiri-

tualem habere vel habuisse, nec ullam circa confessoriorum approbationem, verbum Dei praedicandi licentiam, ecclesiarum et locorum piorum visitationem, illorumque regimen et administrationem, causarum cognitionem, officialium et ministrorum deputationem, censurarum fulminationem, et ab eis absolutionem, ceteraque forum conscientiae vel contentiosum quomodolibet concernentia, auctoritatem interponere nullo modo valide posse, nec potuisse; ac proinde eis praesertim significandum esse duximus, invalidas esse confessiones, quas presbyteri saeculares vel regulares, vigore licentiae et approbationis a praedictis officialibus laicali auctoritate deputatis concessarum, audiverint et audient in futurum, poenitentesque ab eis ex defectu iurisdictionis invalide absolutos fuisse et fore, invalida quoque esse et fore matrimonia, si quae¹ coram officialibus seu vicariis laicali auctoritate ut praefertur deputatis, aut coram sacerdote non parochio, cui licentiam ad id dederint, forsitan contracta fuerint, aut imposterum contrahantur; et sic coniunctos debitum conjugale absque mortali peccati reatu petere vel reddere non posse, ac pari nullitatis atque invaliditatis vitio laborare concursus ad parochiales ecclesias et concurrentium examina, collationesque ipsarum parochialium per concursus huiusmodi praetensa auctoritate seu de mandato vicarii seu officialis sic auctoritate laicali deputati factos et facta, ac faciendos et faciendos, et provisos de ipsis parochialibus ecclesiis intrusos esse et fore; similiterque invalidas esse et fore licentias ingrediendi clausuram monasteriorum monialium a vicario seu officiali huiusmodi concessas et concedendas, ac

¹ Legendum foret si qua (n. T.).

illos, qui eiusmodi licentiis usi fuerint, excommunicationem per decreta dicti Concilii Tridentini inlicitam incurrisse et incururos esse; nec posse contra haec allegari vel praetendi excusationem ex communi errore, cum abusus saecularis potestatis in deputatione vicariorum seu officialium praedictorum fere omnibus generaliter innotuerit, communique recte sentientium horrore et detestatione reprobatus fuerit, prout illum ab omnibus damnari et reprobari volumus.

Supplet enim defectus.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod supradictarum curiae et regiae audientiae officiales et ministri, ac Michaël, Iosephus et Ignatius, ceterique deputati praedicti, et alii quilibet in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeceminentiae et dignitatis existant, et alias specificam et individua mentionem et expressionem digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificateae et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inex cogitabili individuaque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari et ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum,

aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse;

§ 9. Sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeceminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostram et cancellariae apostolicae regulam de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praedictarum ecclesiarum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam inmemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, quomolibet qualificatis, ac ecclesiis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis

Contrarius amplissime derogat.

derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, præsentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ II. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus ubique locorum in iudicio et extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si ferent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCCLXXIV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 novembris 1674, pontif. anno V.

Registrata in Secretariâ Brevium, in lib. v diversorum. fol. 207.

CLXV.

Pro mentio Hispaniarum facultas deputandi officialem seu vicarium ecclesiæ Caesarangustavæ sede archiepiscopali vacante.

Venerabili fratri Galeatio archiepiscopo Corinthi, apud carissimum in Christo filium nuncupatum Carolum Hispaniarum regem catholicum nostro et Apostolicæ Sedis nuntio,

Clemens Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ I. Cum nos nominationem et deputationem doctoris Michaëlis Martæ Gomez et Mendoza in vicarium capitularem civitatis et diocesis Caesarangustanæ ad effectum ibidem exercendi iurisdictionem ordinariam in primâ instantiâ et metropolitanam in gradu appellationis, ac Iosephi Peralta in officiali maiorem et iudicem metropolitanum præfatarum civitatis et diocesis ac provincie Caesarangustanæ, necnon doctoris Ignatii Cipres in officiali causarum piarum et iudicem decimarum et primitiarum durante præsentis sedis archiepiscopalis Caesarangustanæ per obitum bonæ memoriæ ultimi archiepiscopi Caesarangustani vacatione, aliorumque forsitan officialium ad exercendam iurisdictionem ecclesiasticam et spirituales a curiâ iudicis iustitiæ nuncupati, vel regiâ audientiâ regni Aragoniæ, seu eorum¹ respective ministris, sive aliis iudicibus, magistratibus vel tribunalibus laicalibus, temerario detestabilique ausu factas, cum omnibus et singulis inde secutis et secuturis, nullas penitus atque irritas et invalidas nulliusque roboris et momenti esse et perpetuo fore declaravimus et decrevimus², illasque damnavimus et

Refert quæ in præcedentibus litteris dispenserat.

¹ Sup. pag. 499 b et 500 b leg. earum (R. T.).

² Aptius lege decreverimus et declaraverimus, et sic deinceps (R. T.).

reprobavimus; et quia, sede archiepiscopali praefata ut praefertur vacante, officialis seu vicarius infra octo dies post mortem dicti archiepiscopi a capitulo metropolitanae ecclesiae Caesarangustanae, ad quod ea res iuxta Concilii Tridentini decreta spectabat, constitutus vel confirmatus non fuit, ius deputandi officialem seu vicarium huiusmodi ad venerabilem fratrem episcopum antiquiorem ex suffraganeis dictae provinciae Caesarangustanae devolutum esse declaravimus, ipsique episcopo suffraganeo antiquiori terminum decem dierum ad faciendam deputationem dicti officialis seu vicarii statuimus, ita ut elapso dicto termino, nec facta deputatione huiusmodi, ius deputandi eundem officialem seu vicarium ad hanc sanctam Sedem Apostolicam illico devolvatur et devolutum esse intelligatur, et alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis litteris, quorum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur;

Facultas ut
in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, pro commissa nobis divinitus omnium ecclesiarum sollicitudine, ecclesiae praedictae Caesarangustanae, illique subiecti dominici gregis necessitatibus, in eventum quo deputatio officialis seu vicarii huiusmodi a dicto episcopo suffraganeo antiquiore intra terminum praedictum non fiat, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter providere volentes, ac de spectata fraternitatis tuae fide, prudentia, integritate, sapientia et honoris Dei zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem fraternitati tuae, si officialem seu vicarium praefatum a memorato episcopo suffraganeo antiquiore intra terminum decem dierum

ei ad id statutum, ut praefertur, minime deputari, ac proinde ius deputandi officialem seu vicarium huiusmodi ad Sedem Apostolicam praefatam iuxta litterarum nostrarum supradictarum dispositionem devolvi contigerit, aliquem qualitatibus per decreta dicti Concilii Tridentini requisitis praeditum¹ in officialem seu vicarium dictae metropolitanae ecclesiae Caesarangustanae, quandiu praesens ipsius ecclesiae vacatio duraverit in officio huiusmodi duraturum, cum omnibus et singulis facultatibus quae eiusmodi officialibus seu vicariis de iure ac secundum decreta Concilii Tridentini huiusmodi competunt, auctoritate nostra apostolica constituendi et deputandi, plenam et amplam facultatem tenore praesentium tribuimus et impertimur.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, et illarum vigore a te faciendas constitutionem et deputationem officialis seu vicarii huiusmodi, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeceminentia et potestate fungentes et functuros, sublatam eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et desiniri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et syno-

Derogat contrarius.

¹ Mate edit. Main. legit *praedictum* (R. T.).

dalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus vel ordinationibus, necnon omnibus et singulis illis, quae in litteris nostris praefatis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCLXXIV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 novembris 1674, pontif. anno v.

Registrata in Secret. Brevium, lib. v diversorum, fol. 225.

CLXVI.

Confirmatio chirographi ad favorem protomedici, eiusque consiliariorum, et collegii medicorum Urbis, quo discernitur litem super taxa rerum ad pharmaciam spectantium a praedictis factâ contra eos pro parte collegii pharmacopolarum motam, aliasque lites super taxis huiusmodi imposturarum faciendis, quandocumque movendas¹, agi et peragi debere impensâ camerae Urbis et populi romani, per procuratores et advocatos ab eadem camerâ deputandos, cum assistentiâ tamen praedictorum; cum diversis aliis ordinationibus.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa enata exponitur.

§ 1. Cum nos aliâs per quoddam chirographum manu nostrâ subscriptum, et per quasdam nostras in simili formâ Brevis die XXVI maii MDCLXXIII expeditas litteras confirmatum, in executionem cuiusdam concordiae dudum inter collegiâ medicorum et pharmacopolarum huius almae Urbis nostrae stabilitae, et

¹ Pessime ed. Main. legit *monendis pro movendas* (B. T.).

a felicis recordationis Gregorio PP. XIII praedecessore nostro per quasdam suas pariter in formâ Brevis litteras sive cedulae motus proprii confirmatae, taxam rerum ad pharmaciam spectantium quotannis fieri, illisque pretium imponi mandavissimus, modumque et formam ac tempus ei rei praescripserimus, cum diversis ordinationibus et decretis, et sub diversis poenis, et aliâs, prout in chirographo et litteris nostris praefatis plenius continetur; et dilecti filii protomedicus eiusque consilarii dicto anno MDCLXXIII in executionem eorundem chirographi et litterarum taxam huiusmodi fecissent; et cum dilecti etiam filii consules dicti collegii pharmacopolarum eidem taxae consentire recusantes, quippe qui se per eam gravatos esse praetenderent, eâ super re iudicium contra eosdem protomedicum eiusque consiliarios coram altero ex locumtenentibus dilecti filii causarum curiae camerae apostolicae generalis auditoris intentassent, ac protomedico suisque consiliariis praedictis, ne expensis atque incommodis lites huiusmodi subiacerent, in causâ minime comparantibus, ad diversos actus processum fuisset, ita ut causa ipsa in limine expeditionis reperiretur:

§ 2. Nos, publicae utilitati, simulque protomedici eiusque consiliariorum et collegii medicorum praefatorum indemnitati, consulere cupientes, litem huiusmodi super taxâ praefatâ pro suprascripto ac currenti annis factâ ut praefertur introductam, aliasque lites quascumque, quas super similibus taxis in futurum quandocumque faciendis, seu illarum occasione, moveri contigerit, per procuratores et advocatos a camerâ Urbis praefatae deputandos, cum assistentiâ eorundem modernorum et pro tempore existentium protomedici eiusque consiliariorum ac collegii medicorum huiusmodi,

Provisio de super capita.

impensâ tamen eiusdem camerae Urbis et populi romani, agi et peragi debere ordinavimus et expresse mandavimus, cum diversis decretis, declarationibus et ordinationibus, et aliâs, prout uberius nostrâ pariter subscripto, et dilecto filio nostro Palutio basilicae Ss. XII Apostolorum presbytero cardinali de Alteriis nuncupato, S. R. E. camerario, directo, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor chiro-
graphi.

§ 3. « Reverendissimo cardinale Camerlengo. Avendo con nostro special chirografo dell'viii maggio MDCLXXIII a voi diretto, e roborato con nostre lettere in forma di Breve sotto il xxvi del medesimo, per osservanza del Motoproprio di Gregorio XIII nostro predecessore, confermativo della concordia altre volte seguita tra il collegio de' medici e quello de' speciali di Roma, comandato sotto gravissime pene, che ogn'anno invariabilmente si faccia, e si rinnovi la tassa a tutte le robe di speziaria, e che a' singoli capi di esse s'imponga il giusto prezzo, secondo la santa mente di esso Gregorio da noi spiegata e dichiarata con diverse ordinazioni, e con prescrivere il modo e la forma ed il tempo che dovrà farsi, come più ampiamente apparisce dal chirografo e Breve suddetti; ed essendo che in esecuzione di quelli il protomedico e suoi consiglieri l'anno prossimo passato MDCLXXIII facessero la detta tassa, e i consoli degli speciali ricusando di consentirvi, per stimarsi da quella gravati, in virtù della facoltà da noi concessagli di potere appellare nel solo devolutivo, abbiano introdotta l'appellazione nel tribunale dell'A. C. avanti monsignor Panciatici, e quivi più e diverse volte informato in voce e in scritto con avvocati e procuratori, citati a tutti e singoli atti li detti protomedico e suoi consiglieri, che mai

sono comparsi per non voler soggiacere alle spese e incomodi di detta lite, sia la causa in limine di spedizione, e corra pericolo, che per non esser la detta tassa difesa, nè sentite le ragioni di essa, monsignor Panciatici, astretto per parte di detti consoli e collegio di speciali, sia per dar la sentenza a loro favorevole, *una tantum parte auditâ*:

Pertanto, considerando noi non essere giusto nè ragionevole, che il protomedico e suoi consiglieri, per obbedire agl'ordini nostri e della felice memoria di Gregorio XIII nostro predecessore, oltre il peso di fare ogni anno la detta tassa per solo beneficio del pubblico, debbano soggiacere agl'incomodi della lite e alli danni delle spese in caso di soccombenza, dal che potrebbe nascere che questa giusta e santa disposizione restasse infruttuosa, mentre li protomedici e consiglieri *pro tempore*, per isfuggire questi incomodi, spese e pericoli, o trascureranno la tassa, come è stato fatto per il passato, o la rimoveranno a prezzi alterati, secondo la volontà di detti speciali, il che ridonderebbe in gravissimo pregiudizio del pubblico; all'incontro riflettendo, che nessun altro può difendere le ragioni di dette tasse, e dedurre le loro giustificazioni, fuorchè il protomedico e i suoi consiglieri e collegio de' medici come informati dei prezzi delle robe e di tutte le considerazioni che devono aversi sopra le spese di fabbricarle e tenerle: per queste ed altre cause, che hanno mosso l'animo nostro, ci siamo disposti di provvedere all'indennità degl'uni e degl'altri, e ad effetto, che tanto la tassa dell'anno MDCLXXIII e MDCLXXIV, quanto tutte le altre da farsi negl'anni avvenire in perpetuo siano debitamente difese, e le ragioni di esse giuridicamente dedotte,

Di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della potestà nostra apostolica ordiniamo ed espressamente comandiamo sotto l'istesse pene contenute nelli detti Breve e chirografo, ed altre a vostro arbitrio e de' vostri successori *pro tempore*, che li protomedici e loro consiglieri, ed il collegio rispettivamente de' medici, debbano assistere a dette liti e alla difesa di dette tasse, con somministrare le ragioni e giustificazioni di esse con esattezza e diligenza alli procuratori ed avvocati che saranno costituiti dalla Camera di Campidoglio, quale a quest'effetto graviamo non solo di assistere con detti avvocati e procuratori unitamente colli detti medici a detta lite introdotta avanti monsignor Panciatichi per detta tassa dell'anno MDCLXXIII e MDCLXXIV, e a tutte e singole altre liti future in perpetuo che per le tasse in avvenire saranno mosse dai suddetti consoli e collegio de' speciali mediante simili appellazioni interposte e da interporci, ma di somministrare ancora tutte e singole spese in dette liti tanto attive necessarie ed opportune per sostenimento e difesa di dette tasse quanto passive in caso di soecombenza, essendo giusto e ragionevole che la rinnovazione di dette tasse e loro difesa, mentre risonda a beneficio principalmente del nostro popolo di Roma, si faccia a spese di esso popolo e della camera del suo comune, e che il protomedico e consiglieri e collegio de' medici, oltre la fatica e personale loro assistenza, non soggiacciano anche all'incommodo e al danno di dette spese, dalle quali però in avvenire espressamente da questo giorno li liberiamo.

Togliendo ed annullando per tale effetto ogni azione, che alli consoli e collegio de' speciali suddetti potessero contro di loro in qualsivoglia modo com-

petere, e riservandone il loro esercizio contro la sola Camera di Campidoglio, purchè il fiscale di detta Camera per l'interesse della medesima in tutti e singoli atti venga citato, con facoltà al detto fiscale di poter sostituire in suo luogo uno o più procuratori a rispondere, dichiarando che per questa nostra disposizione non intendiamo di togliere nè di abrogare al collegio e consoli degli speciali suddetti alcun *ius* o ragione che avessero o potessero competergli in qualsivoglia modo o maniera contro il protomedico, consiglieri e collegio dei medici, nè, per avergli costituita particolar contraddittrice la Camera di Campidoglio, pregiudicargli negli atti e prove che sin a questo giorno han fatto legittimamente nel detto giudizio, e derogare alla concordia stabilita tra detti collegi, che però dichiariamo dover restar tutto nel suo pristino e pieno vigore senza minima alterazione, come se il presente chirografo rispetto a dette cose non fosse da noi stato segnato, e così e non altrimenti ordiniamo a voi di fare eseguire quelle provvisioni che giudicherete essere necessarie ed opportune, che tale è mente e volontà nostra espressa.

Volendo e decretando, che il presente nostro chirografo con la semplice nostra sottoscrizione vaglia sempre ed abbia il suo pieno effetto, esecuzione e vigore, ancorchè detta Camera di Campidoglio e suo fiscale ed altri ministri di essa, detti consoli e collegio de' speciali, e qualsivoglia altra persona, non siano stati citati, chiamati nè sentiti, e che il presente nostro chirografo non s'ammetta in Camera e non si registri ne' suoi libri, conforme le costituzioni di Pio IV, e sotto tali ed altri pretesti e ragioni di qualsivoglia sorte, ancorchè maggiori dell'esprese, non possa nè debba in alcun tempo essere impugnato, moderato,

revocato, o ridotto a termini e via di ragione, anche sotto pretesto di lesione, ancorchè enormissima, di obreazione e surrezione, difetto d'intenzione nostra e vizio di nullità, e così e non altrimenti debba esser sempre giudicato, interpretato e definito tanto da voi e successori vostri, quanto dalla nostra Camera e Rota, da monsignor A. C. e qualsivoglia altri giudici ordinari e commissari anche eminentissimi e reverendissimi cardinali di *latere* legati, togliendo ad essi e a ciascuno di loro facoltà di giudicare o interpretare altrimenti, dichiarando irritato e nullo tutto quello che contro la forma del presente nostro chirografo si facesse, non ostante le cose predette, e qualsivoglia ragione che avessero o potessero avere detta Camera e suoi ministri e suddetti consiglieri e collegio de' speciali, la detta lite pendente, la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, la nostra regola di cancellaria *De iure quaesito non tollendo*, e qualsivoglia altre costituzioni e ordinazioni nostre e de' nostri predecessori, specialmente la detta concordia tra i due collegi de' medici e de' speciali confermata come sopra, per quello fosse contraria alla nostra presente dichiarazione, confermandola ed approvandola nel restante, leggi civili e canoniche, riforme e statuti di Roma, di detta Camera di Campidoglio, di detti collegi, benchè fermati e roborati con giuramento e confermazione apostolica, usi, stili, consuetudini e tutte altre cose, sebbene contenessero clausole e decreti insoliti, e derogatorie di derogatorie, e bisognasse di quelle farne special menzione, che facessero o potessero in qualunque modo fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendo i loro tenori per espressi ed inserti in questo a sufficienza di parola in parola, per questa

volta sola, e quest'effetto solo, specialmente ed espressamente deroghiamo.

Dato nel nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo, questo di xxii settembre MDCLXXIV¹.

CLEMENS Papa X. »

§ 4. Nunc autem firmiori praemissorum robori, firmitati et efficaciae providere cupientes, ac praefatos protomedicum, eiusque consiliarios, et collegium medicorum specialis favore gratiae prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, non ad illorum aut cuiusquam alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed et ex certa scientia ac maturam deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, chirographum praesertum, omniaque et singula in eis contenta et expressa, ac inde ceteroqui legitime secuta et secutura quaecumque, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus.

§ 9. Ac omnes et singulos iuris et facti et solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, ac Urbis praedictae, aliorumve quorumvis statutorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum, eorumque reformationum et novarum additionum, aut decretorum, privilegiorum et indultorum quorumcumque praescripto, quam de stylo, usu et consuetudine,

Motu proprio dictum chirographum et omnia in eo contenta confirmat.

Supplet omnes defectus.

¹ Mate edit. Main. legit 1764 (R. T.).

sive aliàs quomodolibet, in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet, etiam quantumvis magnos et substantiales ac incogitatos et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo⁴ principaliter vel accessorie aut aliàs quomodolibet inter-
 venerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, plenissime et amplissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Decretum ir-
 rigans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras, ac chirographum praecinsertum, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod personae quaelibet collegiorum praefatorum respective, ipsaque collegia, ac dilecti etiam filii conservatores camerae Urbis praefatae, et procurator fiscalis curiae capitolinae, ceterique Camerae et Urbis ac Curiae huiusmodi officiales et ministri, ac quicumque alii, etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praecminentiae et dignitatis, seu aliàs specificā et individua mentione et expressione digni, in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliā quacumque etiam quantumvis iustā, iuridicā, legitimā et privilegiatā causā, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali ac substantiali defectu, etiam specificam et individua mentionem et expressionem requirente, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in con-

1 Male edit. Main. legit *aliqui* (R. T.).

troversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas vel illud apertitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, vel impetrato, seu etiam motu, scientiā et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se invare ullo modo posse, sed ipsas praesentes ac chirographum praecinsertum, omniaque et singula in eis contenta, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcussè observari et adimpleri,

§ 6. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et curiae Camerae Apostolicae generales auditores, et eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon Camerae praefatae praesidentes, clericos, Urbis senatorem, aliosque eorundem Urbis et Camerae officiales et ministros, ceterosve quoslibet quacumque praecminentia et potestate fungentes et functuros, sublatā eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate et auctoritate, indicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula sub-
 lata.

§ 7. Non obstantibus praefatae et aliarum quarumvis litium pendentia, aliisque praemissis, ac nostrā et Cancellariae Apostolicae regulā de iure quaesito non tollendo, ac recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis quaecumque interesse dictae Camerae Apostolicae concernenti-

Contrariis do-
 rogat.

bus in eâdem Camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis et Camerae, necnon collegiorum praefatorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis etiam Urbi et Camerae praefatae ac collegiis praefatis, necnon populo romano, eorumque respective officialibus et ministris et personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries approbatis, confirmatis et innovatis, necnon omnibus et singulis illis, quae in chirographo praesertim volumus non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum

effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 13. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCLXXIV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 12 novembris 1674, pontif. anno V.

Registrata in Secret. in lib. Brevium mens. ianuarii, part. utraque, fol. 53.

CLXVII.

Absolutio Marci de Valimbert, Ioannis Cassignet, Claudii Francisci Dorival et Philippi Louvet, clericorum ecclesiae Bisuntinae, a censuris et poenis per eos incursis ex causâ temerariae electionis decani dictae ecclesiae contra mandata Alexandri VII, attentâ eorum poenitentia.

Venerabili fratri Antonio;
archiepiscopo Bisuntino,
Clemens Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliâs (postquam felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster metropolitanae ecclesiae Bisuntinae, pastoris solatio tunc destitutae, tunc in humanis agentem Ioannem Iacobum Fauche de Dompriel, qui decanatum, primam post pontificalem in eâdem ecclesiâ dignitatem, obtinebat, in archiepiscopum

Alexander VII decanatum ecclesiae Bisuntinae sibi reservaverat.

et pastorem apostolicâ auctoritate prae-
fecerat, ac decanatus dignitatem huius-
modi apostolicae provisioni affectum¹ sibi
specialiter reservaverat, et huiusmodi
reservationem capitulo et canonicis dic-
tae ecclesiae per quasdam suas in formâ
Brevis die xxvi februarii mdclxi expeditas
litteras insinuaverat, illosque monuerat,
ut personas optime meritas et servitio Dei
ecclesiaeque aptiores sub suo testimonio
eidem Alexandro praedecessori referrent,
quarum nmi ea dignitas probe conferri
posset, prout ipse Alexander praedecessor
se, omni personarum acceptatione postpositâ,
collaturum assecuraverat; illis interea
specialiter inhibens, ne quod² circa dictum
decanatum aut decani electionem agerent
vel attentarent, cuiuscumque praetensae
facultatis, indulti, privilegii et consuetudinis
vel alio titulo, nisi eorum iuribus (si
quae³ praetenderent) ad audientiam eiusdem
Alexandri praedecessoris relatis, ipsiusque
Alexandri praedecessoris declaratione atque
institutione expectatâ, quae, praecedente
cognitione et deliberatione maturâ, ad
ipsorum notitiam delata fuisset; declarando
irritum et inane quidquid secus in praemissis
ab eis, vel aliquo seu aliquibus eorum,
quomodocumque et qualitercumque
contingeret fieri vel attentari.

Capitulum Pontifici primum obedientiam professus est.

§ 2. Litteris huiusmodi per eos receptis,
capitulum et canonici praedicti specialem
nuntium ad dictum Alexandrum praedecessorem
miserant Claudium Antonium Rend, ex eorum
gremio delectum, qui, ipsius Alexandri
praedecessoris praesentatus conspectui,
litterisque capituli redditus, quae die xxvi
aprilis eiusdem anni datae fuerunt, per
quas suam erga eundem Alexandrum praede-

cessorem et Apostolicam Sedem devotionem
et obsequium contestantes ipsius Alexandri
praedecessoris mandatis super praemissis
unanimem obedientiam profitebantur,
benigne exceptus, ac subinde quatuor
Romanae Curiae praelatos doctrinâ et
integritate praestantes informare iussus
fuerat, ut eorum auditis votis certius
reciperet iustitiae complementum.

§ 3. Verum interea, dum haec coram
praelato Alexandro praedecessore age-
rentur, convocato capitulo, nonnulli ex
eis maiorem forsâ tunc interessentium
partem constituentes, non attentis eiusdem
Alexandri praedecessoris mandatis,
inhibitionibus atque decretis, nullâque
ad ipsum Alexandrum praedecessorem delatae
et in eius audientiâ pendentis cognitionis
ratione habitâ, ad electionem Guglielmi
Humberti a Praecipiano archidiaconi
maioris, cum eis praesentis et satagentis
in eiusdem ecclesiae decanum prosilire,
ac illum in possessionem dictae dignitatis
decanatus eiusque bonorum et iurium
immittere, immo verius intrudere,
locumque in choro assignare, nulliter,
perperam et temerarie ausi fuerant.

Capitulum d. in devenit ad electionem decani.

§ 4. Ideo memoratus Alexander praedecessor,
praemissis omnibus attente perpensis,
auditisque etiam praefatis praelatis,
ac toto negotio mature considerato,
attendens detestabilem huiusmodi dictorum
canonicorum temeritatem et petulantiam
gravissimis quidem canonicis quibuscumque
poenis iustissime puniendam, ne
Apostolicae Sedis maiestas, ab omnibus
praesertim autem ecclesiasticis personis
maxime veneranda, contemneretur
impune, et ecclesiasticae disciplinae
observantia pernicioso inquinaretur
exemplo, legum tamen severitatem
apostolicae lenitatis moderatione temperare
volens, motu proprio, non ad alicuius
super hoc oblatae petitionis instantiam,

Alexander VII per alias litteras electionem irritavit.

¹ Forsan legendum *affectam* (R. T.).

² Forsan legendum *quid* pro *quod* (R. T.).

³ Aptius lege *qua* (R. T.).

sed de suâ merâ deliberatione et certâ scientiâ, per alias suas in simili formâ Brevis die v decembris eiusdem anni MDCLXI emanatas litteras declaravit, electionem praedicti decani, ac omnia et singula circa eam acta et gesta, et possessionem, seu verius intrusionem, ac cetera quaecumque subsequuta, nullam penitus et attentatam, nullaque et attentata, et nullius roboris et momenti fuisse et esse, neque in quovis iudicio, tam petitorio quam possessorio, etiam summarissimo et meri facti, prodesse atque attendi posse vel debere, sed eundem decanatum adhuc vacare, ut prius vacabat per promotionem praefati Ioannis Iacobi ad dictam ecclesiam Bisuntinam, sublata cuicumque aliter indicandi, decernendi et interpretandi potestate; irritum prorsus et inane decernens quidquid secus fieri, decerni atque attentari contingeret; insuper dicto Guillelmo Humberto a Praecipiano, tanti facinoris auctori, promotori seu fautori, nullum omnino in dictâ dignitate, neque illius possessione, vel quasi, ius, neque ad eam, acquisitum fuisse vel acquiri potuisse; sed ipsum perpetuo inhabilem et incapacem ad praefatum decanatum et alia quaecumque ecclesiastica beneficia quocumque etiam novo titulo, causâ vel praetextu obtinendum et possidendum effecit, reddidit, decrevit et declaravit, ut in eo, in quo suâ ambitione deliquerat, condignâ animadversione puniretur, et facinoris sui detestabilem memoriam ingiter detestaretur;

Electum decanum inhabilem in decanatum et alia quaecumque beneficia ecclesiastica declarat.

§ 5. Illi eâdem auctoritate specialiter mandans, ut statim, habitâ posteriorum litterarum huiusmodi intimatione (quam, si ille in civitate Bisuntinâ praesens non esset, domi eius habitationis et ad valvas cathedralis ecclesiae validam, legitimam ac sufficientem, perinde ac si personaliter facta fuisset, fore decrevit), a

possessione, seu potius occupatione aut intrusionem dicti decanatus ac eius honorum et iurium recedere, illamque liberam prorsus dimittere et relinquere, neque ad eam amplius redire, reverti vel accedere, ullosque fructus, redditus vel proventus exigere vel etiam a sponte dantibus accipere auderet, per se, vel per alium aut alios quosvis, contra huius interdicti atque inhibitionis praeceptum, sub poenâ excommunicationis eo ipso incurrendae, cuius absolutionem sibi tantum et successoribus suis reservavit.

§ 6. Et nihilominus, si mandatis hisce intra terminum novem dierum ab intimatione illi (ut praemissum est) faciendâ, quorum tres pro primo, alios tres pro secundo, et alios tres pro ultimo canonico et preceptorio termino assignavit, prompte et humiliter non parisset, vel ausu temerario, per se vel alios, quacumque auctoritate, medio, causâ vel praetextu, ausus fuisset aliquatenus se opponere, contraire, vel promptam obedientiam differre, ultra praedictae excommunicationis incursum, exinde, invocato etiam, si opus foret, brachii saecularis auxilio, illum amoveri, eiici et expelli mandavit, et quoscumque illi contra praemissa auxilium, favorem vel assistentiam tam in iudicio quam extra praestantes ut eadem litterae suam plenariam executionem non haberent, aut executio huiusmodi aliquatenus differretur aut retardaretur, eandem excommunicationem eo ipso incurrere decrevit.

Quatenus non pareat, ulterius mandat, invocato brachio saeculari, ab ipso decanatu expelli.

§ 7. Praeterea eundem Guillelmum Humbertum, et singulos alios canonicos, et quemlibet eorum, qui in eius electionem per se ipsos vel procuratores consenserant, ac vota dederant, ab executione sacrorum ordinum et ab exercitio quorumcumque officiorum suspen-

Electum et electores ab ordine et officio suspendit.

dit, necnon eorum singulos ad summam et Sedis Apostolicae beneplacitum privavit voce activam et passivam, et omnibus fructibus earum praebendarum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum (si quae obtinerent), quos per episcopos et Ordinarios locorum, in quibus eadem praebendae et beneficia consistebant, in pauperum eleemosynas distribui et erogari iussit, et quotidianis earum distributionibus, quas ceteris ecclesiae deservientibus accrescere decrevit; ac ipse Alexander praedecessor sibi insuper reservavit praedictas poenas contra eorum singulos angere, prout cuiuslibet contumaciam exponere² cognovisset.

Intinatio dictarum litterarum faciendae electio et electoribus.

§ 8. Et ne ipsi, aut aliquis eorum, dictarum litterarum declarationis, suspensionis ac privationis ignorantiam ullo unquam modo praetendere aut allegare possent, sed illae omnibus publice innotescerent, commisit et mandavit³ in virtute sanctae obedientiae executoribus in litteris huiusmodi deputatis, et eorum cuilibet in solidum, ut easdem litteras, seu earum copiam manu publici notarii transumptam, in cuius calce nomina et cognomina praefatorum, qui electionem huiusmodi temere et attentate facere ausi fuerant, describi et specificare facerent, quandocumque, et toties quoties ipsae litterae fuissent eisdem executoribus praesentatae, illas praedicto Guillelmo et singulis eius electoribus praefatis intimari personaliter, si in civitate reperirentur, sin minus, domi eorum habitationis, et amplius in valvis ecclesiae cathedralis, seu maioris, loci in quo haec agerentur, affigi curarent.

Contraventio dictarum litterarum tam ex parte electi quam electorum.

§ 9. Et subinde dictus Alexander praedecessor, cum non sine gravi animi sui dolore accepisset, quod memorati Guil-

lelmus Humbertus a Praecipiano et alii canonici eius electores¹, tantum abest ut paternis monitionibus et coercitionibus² huiusmodi debitam humilitate morem gerentes, atque apostolicis mandatis reverenter (ut iustum erat) parentes, ab omnibus illis actibus, qui eis et cuilibet eorum per praedictas Alexandri praedecessoris litteras expresse interdicti erant, sese penitus abstinuissent, ut etiam (quod deplorandum erat, maioriq[ue] animadversione compescendum) actibus capitularibus ceterisque praefatis (inani forsitan praetextu assertae absolutionis ad certum tempus dumtaxat et eum reincedentiâ a venerabili fratre episcopo Andrevillensi ecclesiae Bisuntinae suffraganeo, uno executorum in litteris praedictis deputatorum, per eos fucato verbalis partitionis supposito extortae) sese intrudere atque immiscere ausi erant, et tunc audebant, illic et praesertim dictus Guillelmus Humbertus se ipsos ad alia officia, munera et forsitan dignitates eligi ac deputari satagebant:

§ 10. Propterea idem Alexander praedecessor, qui huiusmodi ausus temerarios, et in praerudicium apostolicae auctoritatis tendentes, nullo modo dissimulare poterat nec debebat, motu, scientiâ et deliberatione similibus, dilecto filio Joanni Dorivalio, archidiacono Luxoviensi ac canonico ecclesiae necnon officiali curiae Bisuntinae, per alias suas litteras pariter in formam Brevis die xi septembris MDCLXII expeditas iterum in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena excommunicationis per eum nisi huic mandato pareret incurrendae, commisit et mandavit, ut, statim atque iam dictas litteras recepisset, omni prohibitam moram, eundem Guillelmum Humbertum et sin-

Alexander VII declarat omnes ab illius poenis minime liberatos.

¹ Aptius lege qua (R. T.).

² Forsan legendum *exposcere* (R. T.).

³ Particulam *ut* hinc abiciamus (R. T.).

¹ Male edit. Main. legit *electione pro electores* (R. T.).

² Male ed. Main. legit *coercitionibus* (R. T.).

gulos canonicos eius electores praedictos¹ (quorum nomina, cognomina eadem publicata non fuissent) publicari faceret, eosque a supradictis suspensionis ac privationis, ceterisque ab eodem Alexandro praedecessore per eius litteras secundodictas inflictis poenis minime liberatos, nec pro liberatis habendos esse, sed, quatenus a memorato episcopo Andrevillensi, sicut praemittitur, aut aliis quomocumque et qualitercumque absoluti fuissent, in eadem poenas incidisse, illisque adhuc innodatos et illaqueatos esse, auctoritate apostolicâ declararet et decerneret.

Eorum receptatores et factores mandati declarari incursum in excommunicationem Sanctae Sedis servatum.

§ 11. Et quatenus illi se ab actibus capitularibus huiusmodi, aut aliis, ut supra, ipsis interdictis, non abstinent, eosdem ac singulos eorum, qui contra fecissent, necnon eos, qui illos ad actus praedictos quoquo modo ac praetextu recepissent aut admisissent, vel propria vota sive suffragia per se ipsos aut eorum procuratores pro electione aut deputatione ad quaecumque officia, munera vel dignitates illis aut cuilibet eorum dedissent, eo ipso excommunicationis sententiam, a qua nemo a quoquam, nisi ab ipso Alexandro praedecessore seu pro tempore existente Romano Pontifice tantum, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi posset, damnabiliter incurrisse dictâ auctoritate declararet pariter ac pronunciaret et publicaret, et aliis, prout in ternis Alexandri praedecessoris litteris praefatis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Officialis Bisuntinus dictum electum et electores censuris innodatos iterum publice denunciavit.

§ 12. Porro dictus Ioannes officialis, in executionem ultimodictarum Alexandri praedecessoris litterarum, praefatum Guillelmum Humbertum de Praecipiano,

¹ Male edit. Main. legi *praedictis* (R. T.).

ac Ioannem Boitonset, Marcum de Valimbert, Ioannem Chassignet, Claudium Faci, Claudium Franciscum Hugonet, Ioannem Dorinal, Claudium Franciscum Dorival, Claudium Antonium Rend¹, Philippum Louuet, Ioannem Baptistam Bondret, Ioannem Baptistam Souvage et Franciscum Perriuet, qui omnes antea per praefatum episcopum Andrevillensem excommunicati affixis edictis denunciati fuerant, censuris innodatos iterum publice denunciavit.

§ 13. Et quia, defuncto supradicto Ioanne Iacobo archiepiscopo, praefatus Alexander praedecessor dictae metropolitanae ecclesiae Bisuntinae de persona tuâ apostolicâ auctoritate providere², teque illi in archiepiscopum praefecerat et pastorem, ac tibi, cui in minoribus constituto decanatum praefatum contulisse reperiebatur, ut eundem decanatum unâ cum dictâ ecclesiâ Bisuntinâ ad beneplacitum suum retinere valeres indulserat, cum tu decanatum huiusmodi per aliquod tempus retinuisset, utiliusque videretur ecclesiae praefatae fore si decanum pastoralis muneris curis occupationibusque expeditum haberet, idem Alexander praedecessor decanatum praedictum dilecto filio Ioanni de Watenille dictâ auctoritate contulit et de illo providit, qui decanatum ipsum de praesenti obtinet.

Idem Alexander VII praedictum archiepiscopum providit de dictâ ecclesiâ Bisuntinâ cum retentione decanatus illius ad suum beneplacitum.

§ 14. Tu vero (sicut ad aures nostras pervenit), pacem in ecclesiâ praedictâ Bisuntinâ restituendi ergo, aliisque forsitan ex causis ad id adductus, praefatos Guillelmum Humbertum de Praecipiano et reliquos publice, ut praefertur, denunciatos, et forsitan alios canonicos dictae ecclesiae Bisuntinae, a dicto vinculo excommunicationis, quo propter

Absolutio dicta sed non confirmata.

¹ Nomina propria non semper cohaerenter scripta, damus ut in edit. Main. (R. T.).

² Potius forte *providerat* (R. T.).

praemissa innodati erant, et de praesenti¹ Alexandri praedecessoris mandato declarati et renunciati fuerant, sub ratificatione tamen et approbatione eiusdem Alexandri praedecessoris, et non aliter, absolvisti; verum, attentâ illorum contumaciâ, nec dictus Alexander praedecessor, nec Clemens Papa IX, etiam praedecessor noster, absolutionem huiusmodi eis sic a te impensam unquam ratificaverunt vel approbaverunt, nec nos illam approbavimus vel ratificavimus, quod quidem ad omnium notitiam a te deduci volumus, ut, sublata omnidubietatē, palam innotescat Guillelmum Humbertum de Praecipiano, et canonicos publice denunciatos praedictos, eorumque singulos, iisdem censuris et poenis, quibus per praefatas Alexandri praedecessoris litteras innodati et de illius mandato publice fuerunt denunciati, adhuc innodatos et damnabiliter illaqueatos reperiri, nec absolutionem a te, vel aliis forsân, quovis modo hactenus eis vel alteri eorum impensam, illis seu alicui eorum ullatenus suffragari posse.

Declaratio in scriptis facta per denunciatos.

§ 15. Cum autem, sicut praefati Marcus de Valimbert et Ioannes Chassignet ac Claudius Franciscus Dorinal, canonici dictae ecclesiae Bisuntinae, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, sincero corde et reverenti gratiam Sedis Apostolicae humiliter implorantes, per scripturam die III septembris proxime praeteriti confectam, et ab ipsis subscriptam, coram te confessi fuerint et declaraverint se ex animo poenitere dictae electionis ab ipsis factae die XXIII augusti MDCLXI de personâ praefati Guillelmi Humberti Praecipiani in decanatum² maiorem dictae metropolitanae ecclesiae Bisunti-

¹ Videtur legendum *praesenti* vel *praedicti* pro *praesenti* (R. T.).

² Aptius videtur legendum *decanum* (R. T.).

nae, eamque electionem uti a Sede Apostolicâ damnatam damnaverint et reprobaverint, et quantum in ipsis est retractaverint, ac omnia inde secuta contra Sedis Apostolicae iussa; imo polliciti fuerint et iuraverint se eundem Guillelmum Humbertum Praecipianum nunquam agituros in legitimum decanum, sed pro tali habituros memoratum Ioannem de Wattenille a Sede Apostolicâ legitime provisum de dicto decanatu; et, sicut pro parte dicti Philippi Louvet itidem canonici eiusdem ecclesiae Bisuntinae nobis per dilectum filium Claudium Louvet eius fratrem in Romanâ Curiâ agentem pariter expositum fuit, ipse Philippus quoque sincero corde et reverente gratiam Sedis Apostolicae praefatae humiliter imploret, ac electionem praefatam pariter damnare et reprobare, ac, quantum in se est, cum omnibus inde contra eiusdem iussa secutis retractare, necnon se dictum Guillelmum Humbertum Praecipianum in legitimum decanum nunquam agiturum¹, sed pro tali dictum Ioannem de Wattenille similiter habiturum, polliceri et iurare, ac mandatis dictae Sedis in omnibus et per omnia parere et obedire paratus sit, ac proinde dicti exponentes, de praenarratis excessibus plurimum dolentes, de opportunae absolutionis beneficio sibi in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent:

§ 16. Nos, qui illius vices gerimus in terris cuius proprium est misereri semper et parcere, attendentes quod Sedis Apostolicae copiosa benignitas filiis post excessum ad matris charitatem cum humilitate recurrentibus gremium minime claudere, sed eos obviis ulnis amplecti consuevit, ac proinde eosdem ex-

Absolutionem praedictorum committit archiepiscopo.

¹ Potius lege *agniturum* (R. T.).

ponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos¹ fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constituto tibi de narratis, eosdem Marcum de Walimbert, Ioannem Cassignet, Claudium Franciscum Dorinal et Philippum Louvet, si hoc a te humiliter petierint, impositâ eorum singulis pro praemissis arbitrio tuo aliquâ poenitentia salutari, repetitaque per eosdem Marcum ac Ioannem et Claudium Franciscum, ac factâ per dictum Philippum respective coram te declaratione poenitentiae de dictâ electione per eos ut praefertur factâ, ipsaque electione cum omnibus inde contra dictae Sedis Apostolicae iussa secutis damnatâ et reprobatâ, et quantum in ipsis fuerit retractatâ, ac praestito per eos in manibus tuis iuramento quod praedictum Guillelmum Humbertum a Praecipiano in decanum dictae ecclesiae Bisuntinae nunquam agniti², sed dictum Ioannem de Wattenille pro legitimo decano eiusdem ecclesiae agnitori sint, confectoque super his publice instrumento, quod suo³ sigillo clausum et obsignatum ad nos et hanc Sanctam Sedem quamprimum transmitti debeat, ab excommunicatione, ac suspensione ab executione sacrorum ordinum et

¹ Aplus lege *absolutas* (R. T.).

² Vox *agnitum* redundat, vel legendum *agnituri*, ut postea (R. T.).

³ Forsan legendum *tuo* (R. T.).

ab exercitio quorumcumque officiorum, ac privatione vocis activae et passivae, ac omnium fructuum eorum praebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum et quotidianarum etiam distributionum, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt, auctoritate nostrâ apostolicâ, arbitrio pariter tuo, in utroque foro absolvas et totaliter liberes; dictasque poenas, necnon fructus et distributiones huiusmodi per eos propter eadem praemissa forsân indebite perceptos (ita tamen ut fructus quidem, qui iuxta praefatarum Alexandri praedecessoris litterarum dispositionem in pauperum elemosynas distributi et erogati fuerint, distributiones vero, quae ceteris ecclesiae deservientibus acceverint et inter eos etiam distributae reperiantur, repetere nullo modo possint) eis et eorum cuilibet dictâ auctoritate gratiose remittas et condones; ac cum eis et eorum quolibet super irregularitate per eos, quia censuris huiusmodi propter praemissa innodati sacrosanctum missae sacrificium et alia divina officia celebraverunt et alias in ordinibus suis ministrarunt, quomodolibet contractâ (ita ut, illâ et iisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obsit¹ impedimentum, clericali characterem, quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegii, ac susceptis per eos pariter alias rite minoribus, et sacris etiam presbyteratus ordinibus uti, et, quatenus illos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis alias servandis, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant respective, ac ad aliam quemcumque effectum etiam specificâ et individuâ men-

¹ Edit Main legit *obest* (R. T.).

lione et expressione dignum) auctoritate et arbitrio praedictis dispenses, omnemque inhabilitatem et aliam quamcumque maculam sive notam, contra eos ex praemissis quomodolibet insurgentem seu resultantem, ab eis et eorum quolibet penitus et omnino abstergas et aboleas; nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus et impartimur.

Contractus derogat.

§ 17. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon omnibus et singulis illis quae praefatus Alexander praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Summus Pontifex aliorum iura reservat.

§ 18. Ceterum non intendimus per praesentes litteras cuiquam eorum, qui a praefatis Marco, ac Ioanne, et Claudio Francisco, necnon Philippo canonicis, eorundem praesentium vigore absolvendis, seu eorum aliquo, ex causâ seu occasione electionis supradictae, seu eorum quae inde secuta sunt aut emergerunt, aliquo damno vel detrimento affecti fuerunt, ullum etiam minimum praecedendum inferre, aut inde quoquomodo inferri posse, sed unicuique iura sua salva et illaesa remanere declaramus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub anno Piscatoris, die xvi novembris MDCLXXIV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 16 novembris 1674, pontif. anno v.

Registrata in Secret., in lib. v diversorum, fol 250.

CLXVIII.

Declaratio nullitatis articulorum tractatus pacificationis, anno MDCM inter duces Sabaudiae et Genevenses haereticos in Italiae, in iis quae Catholicae Fidei et Ecclesiae iuribus, libertatique et immunitati ecclesiasticae praepiudicialia sunt.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus assertor in terris a Domino constitutus, orthodoxae fidei integritatem et ecclesiasticam libertatem et immunitatem, ecclesiarumque et locorum piorum iura sarta tecta tueri, ac adversus quascumque pactiones et conventiones, per quas illis aliquid praepiudicii inferri possit, traditâ sibi divinitus potestate, asserere tenetur, sicut, omnibus mature consideratis, aequitati et iustitiae consentaneum esse in Domino arbitratur.

Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut ad apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri molestiâ, pervenit, dudum, videlicet die xxi iulii MDCM, in loco S. Iuliani, inter bonae memoriae Carolum Emmanuel, dum vixit, Sabaudiae ducem et Pedemontis principem ex unâ, et tunc existentes magistratus ac consilium et homines civitatis Genevensis ex alterâ partibus, ad sedandos motus bellicos, qui inter eos orti fuerunt, initus fuerit tractatus pacificationis in plures articulos distinctus, quorum nonnullis conventum fuit ut quaedam terrae, bona, redditus et iura, ad cathedralem ecclesiam Genevensis illiusque episcopum ac capitulum et canonicos, eorumque mensam episcopalem et capitularem, necnon particulares aliasque ecclesias, monasteria et pia loca, illorumque personas respective legitime spectantia,

Refertur tractatus pacificationis de quo in rubrica.

quorum nonnulla ex manibus haereticorum Genevensium recuperata fuerant, ipsis haereticis etiam cum fructibus et redditibus interea perceptis seu decursis redderentur et restituerentur, ac penes illos, prout antea, eo scilicet tempore, quo ab eis occupata et usurpata fuerant, remanerent; illi quoque haeretici, qui propter haeresim ex partibus catholicorum in civitatem Genevensis profugerant, ibique asylum haeresis invenerunt, ad eorum bona et domos in partibus catholicorum consistentia reverti, ipsisque bonis frui, et certis anni temporibus, tamen haeresim profiterentur, in eisdem catholicorum partibus impuni morari possent, nec cives, burgenses et habitatores dictae civitatis Genevensis, eorumque famuli et domestici, dum in eorum bonis et domibus in dominio dieti Caroli Emmanuelis ducis consistentibus habitarent, ex causâ haeresis, quam profitebantur¹, molestari vel inquietari, sed ibidem libere vivere valerent; sententiae a Genevensibus haereticis, dum loca catholicorum usurpata retinebant, ac iudicibus superioribus per eos deputatis latae, cum substationibus inde secutis, effectum habere deberent; decreta vero et sententiae contra eosdem Genevenses haereticos, super bonis et fructibus ecclesiasticis prius per eos usurpatis, emanata et emanatae nullius roboris et momenti remanerent, et quidquid dicta civitas Genevensis a certo tempore ex laudemis, decimis, censibus et redditibus ecclesiasticis percepisset, id ad commodum eiusdem civitatis, liberatis debitoribus a novae solutionis onere, remanere deberet, validaeque essent investiturae bonorum ecclesiasticorum, quas privati ab eisdem Genevensibus haereticis interea reportassent, nec novas investituras ac-

¹ Aptius forsân profiterentur (R. T.).

cipere tenerentur, et aliâs, prout in instrumento seu scripturâ super tractatu pacificationis huiusmodi confectâ, et subinde utrinque ratificatâ, et subinde utrinque ratificatâ, uberius dicitur contineri;

§ 2. Et (licet beneplacitum huius Sanctae Sedis Apostolicae super rebus, bonis et iuribus ad ecclesias, monasteria et loca pia, eorumque personas spectantibus, de quibus in tractatu pacificationis huiusmodi conventiones initae fuerunt, nunquam impetratum vel concessum reperitur, notoriquè iuris sit eiusmodi pactiones et conventiones de rebus Ecclesiae absque dictae Sedis nostrae auctoritate initas nullius esse roboris et momenti; quinimmo felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster iura dictae Sedis Apostolicae et Romanae ac inferiorum ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum a quibuscumque praedicialibus huiusmodi per quamdam suam Constitutionem die v iunii MDCXLI editam amplissime praeservaverit) nihilominus haeretici Genevenses praedicti, praetextu eiusdem tractatus pacificationis, et sub illius clypeo, terras, bona, redditus et iura ad cathedralem Genevensis, illiusque episcopum ac capitulum et canonicos, eorumque mensas episcopalem et capitularem, necnon particulares aliasque ecclesias, monasteria et pia loca, illorumque respective rectores et personas legitime ut praefertur spectantia, retinere, illaque usurpare, et legitimos illorum dominos inde excludere aliosque catholicos expellere non cessent, in gravissimum ecclesiarum ac mensarum, monasteriorum et locorum piorum illarumque personarum damnum et praedialium; quinimò in terris catholicorum impune morari praesumant, non sine subversionis ipsorum catholicorum periculo, fideique catholicae detrimento:

Huiusmodi pactiones absque beneplacito Sanctae Sedis Apostolicae nullius roboris sunt.

Pontifex motu proprio dictos articulos ipso iure nulla et irrita declarat.

§ 3. Hinc est quod nos, eiusdem fidei catholicae conservationi, ac ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum huiusmodi, illarumque personarum praefatarum indemnitati ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito providere cupientes, ac memorati Urbani praedecessoris vestigiis inhaerentes, necnon instrumenti seu scripturae tractatus pacificationis huiusmodi, omniumque et singulorum inibi contentorum, et aliorum quorumcumque etiam specificam et individuum mentionem et expressionem de necessitate requirementum tenores et datas, etiam veriores, ceterave quaelibet, etiam speciali mentione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis et exactissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratos, et alios quomodolibet dicti tractatus pacificationis articulos, ceteraque in instrumento seu scripturâ huiusmodi contenta, quae catholicae fidei, divino cultui, animarum saluti, Sedi Apostolicae, cathedrali Genevensi, illiusque mensis episcopali et capitulari, ac particularibus et aliis ecclesiis, monasteriis et locis piis praefatis, illorumque respective episcopo, capitulo et canonicis, rectoribus et aliis personis, membris, rebus, bonis, redditibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, praerogativis et iuribus quibuscumque quomodolibet efficiunt, seu praedictum etiam minimum adferunt, aut inferre, seu intulisse, vel alias nocere seu nocuisse quoquo modo dici, censerî, praetendi vel intelligi possent, cum omnibus et singulis inde secutis et quandocumque secuturis, ipso iure nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu penitus et omnino

vacua ab ipso initio fuisse et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cuiuslibet¹ eorum, etiamsi ratificata et iuramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi aut praescribendi causam, etiamsi longissimi et inmemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem, subsequuta sit vel subsequatur, acquisitum fuisse nec esse, minusque ullo tempore acquiri et competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus et decernimus.

§ 4. Et nihilominus, ad abundantioreni cautelam, et quatenus opus sit, articulos praefatos, aliaque praemissa ut praefertur praedicta, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus ac omnino vacuumus; ac, quatenus itidem opus sit, Genevensem ac illius mensas aliasque ecclesias, monasteria et loca pia praedicta, ac illorum respective personas quascumque, adversus illa in integrum et pristinum ac eum, in quo, antequam praefatus tractatus pacificationis iniretur, ac ante supradictas aliasve quaslibet haereticorum usurpationes, invasiones et rebelliones, quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam spe-

Omnia supradicta insuper damnat, reprobabat et cassat.

Decretum irritans.

¹ Male edit. Main. legit *cuiuslibet pro cuiuslibet* (n. r.).

cificâ et individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas eadem praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae, aut alio modo iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium vel habere praetendentium consensus aliove quocumque etiam quantumlibet magno ac incogitato inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite, a iure vel facto aut statuto, consuetudine vel privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci ullatenus posse, sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et delegatos, etiam causarum sacri palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae praefatae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praecellentiam et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Amplissime
quibuscumque
contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel spe-

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

66

cialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque locis et personis, etiam quacumque ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate fulgentibus, et aliâs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formâ, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum ad verbum nihil penitus omisso ac formâ in eis traditâ observatâ exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hae vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem ut earundem

Transumptorum fides.

praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die iv decembris MDCCLXXIV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 4 decembris 1674, pontif. anno v.

Registrata in Secretariâ Brevium, in lib. v diversorum, fol. 271.

CLXIX.

Indultum quo praecipitur patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Italiae, necnon superioribus generalibus quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, Adventus scilicet et Quadragesimae temporibus, in suis respectivis ecclesiis, tam per verbi Dei praedicatores in sacris concionibus, quam in aliis actibus et functionibus, christifidelium miserias sub barbarorum servitute existentium populo proponi curent.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

Motiva.

Cum, sicut dilectus filius Andreas a Nativitate Beatae Mariae, in Romanâ Curia procurator generalis Congregationis fratrum Discalceatorum nationis Gallicanae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, nobis nuper exponi fecit, ipse dilectum pariter filium Lucam a S. Ioanne ministrum Liburni in Etruria

eiusdem Congregationis et actualementem redemptorem, qui a biennio circiter Tripoli Africae, ubi, Deo favente, captivorum redemptionem, quantum sibi possibile fuerat, copiosam fecerat, non sine lacrymis referentem audiverit quanto numero illic christifideles sub durâ barbarorum servitute eum gemino corporis et animae periculo detineantur, et quam gravibus ibidem aerumnis assidue conflitentur; quia vero his temporibus, refrigerante multorum charitate, modica in redemptione dictorum captivorum subsidia conferuntur, inde horum calamitates et pericula in dies ingravescunt, dictus Andreas procurator generalis christifidelium pietatem ad opus adeo pium excitari plurimum desideret:

§ 1. Nos, ipsius Andreae procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Italiae, necnon dilectis filiis superioribus generalibus quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium, harum serie, auctoritate apostolicâ, praecipimus et mandamus, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, Adventus scilicet et Quadragesimae temporibus, in suis respective ecclesiis, tam

Statuit ut in rubrica.

per verbi Dei praedicatores in sacris concionibus, quam in aliis actibus et functionibus publicis, praefatorum christifidelium captivorum miseras et calamitates populo proponi et commendari curent et faciant, et eorum exhortationibus stimulentur christifideles ad elemosynas largiter conferendas, quibus praefatus Lucas seu alii redemptores dictae Congregationis Gallicanae eosdem captivos a durâ servitute huiusmodi redimere ac illorum spirituali corporaliq; saluti Domino benedicente valeant providere; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem cardinalium.

Derogat contrariis.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 3 ianuarii 1675, pontif. an. v.

CLXX.

Confirmatio quarundam resolutionum circa abbates Cassinenses titulares, eorumque praerogativas.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas monasterii S. Pauli prope et extra moenia Urbis, ac procurator I Aptius forsân legeretur ut pro et (R. T.).

generalis Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, quod, cum nonnulli abbates titulares dictae Congregationis, eo honore omnibus praerogativis, perinde ac si abbatis regiminis munere functi fuissent, decorati, quasdam praerogativas et exemptiones sibi competere praetenderent, et, inter alios, nuper dilectus filius Philippus Tanus, qui cum eiusmodi praerogativa abbatum regiminis abbas titularis creatus reperitur, se ab obligatione personaliter se praesentandi coram abbate locali, qui monasterium actualiter regit, ullo modo potendi ab illo licentiam tam in egressu quam regressu ad monasterium, necnon ab interventu in choro et refectorio ad beneplacitum summo exemptum esse assereret, ac alias quasdam similes praetensiones haberet; nos causam super praemissis in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita introductam, ab eadem Congregatione avocavimus, illamque particulari Congregationi nonnullorum eiusdem S. R. E. cardinalium et Romanae Curiae praefatorum, occasione alterius fere consimilis controversiae, quae in Datariâ nostrâ Apostolicâ vertebat, a nobis deputatae, commisimus, quae, mature diligenterque discussis praetensionibus praedictis, opportunas desuper resolutiones edidit, prout continetur in decreto eâ super re emanato tenoris qui sequitur, videlicet:

« Cassinensis. Pater abbas Philippus Tanus Romanus monachus a viginti quinque circiter annis in Congregatione Cassinensi professus, postquam lectoris et concionatoris munus, aliaque plura eiusdem Congregationis officia, et praesertim prioratum claustralem per sex annos laudabiliter exercuerit, cupiens ab I Male edit. Main. legit *munera* (R. T.).

Pater Philippus Tanus in capitulo generali dimisit prioratum claustralem.

omni regiminis vinculo se abdicare, ut eo ferventius ac liberius litterarios cursus prosequi posset, praedicti prioratus administrationem in capitulo generali MDCLXXIII Patavii celebrato sponte dimisit, et ab eodem capitulo generali in praemium praestitorum laborum decretum infrascripti tenoris a sanctissimo Domino nostro confirmatum obtinuit:

Tenore decreti
capituli genera-
lis, quo dictus
Philippus fuit
creatus abbas
ad titulum SS.
Trinitatis Cae-
tae.

« Cum prior dictus Philippus ab Urbe, nostrae Congregationis lector theologus, examinatus et concionator, undecim annis in multis nostris conspicuis monasteriis et praesertim Romae egregie in lecturâ scholasticâ publicisque functionibus litterariis se exercuerit, et laudabiliter etiam in prioratu claustrali sexennium compleverit, optetque nunc sacris concionibus, aliisque litterarum exercitiis mentis, ad nostrae Congregationis decus animarumque lucrum, liberius incumbere: licet in gradu priorali progrediens posset et ipse iure merito abbatia regiminis insigniri, nihilominus, quia actuale exercitium prioratus a litterariis usibus ipsum vel prohibet vel retardat, idcirco ipsemet sponte a prioratu praetenso sese abdicavit. Nos autem, ne et meritum et virtus sine suo praemio praetereant, bonumque eius desiderium et optima partes ab eo electae honoribus ipsi debitis nullatenus officiant, eundem dictum Philippum ab Urbe creamus in abbatem Cassinensem ad titulum SS. Trinitatis Caietae, cum privilegiis, praeceminentis, exemptionibus, recognitionibus, ceterisque omnibus et singulis omnino, quibus praelati nostri titulares fruuntur, qui sponte a regimine abbatiali se abdicaverunt; statuimus¹ immediate post abbates regiminis locum et primam sedem secundi chori, et quod abbati monasterii non genuflectat; famulum sibi

1 Deest ei vel ut habeat (R. T.).

benevisum, ipsius tantum servitio deputandum, concedimus; atque pro suo annuali vestiario scuta triginta assignamus; nihil denique excepto praerogativarum abbatialis dignitatis, ac si hic de verbo ad verbum singulae essent exceptae²; non obstantibus quibuscumque in contrarium etiam²; utque hoc decretum nostrum suum omnino et semper sortiatur effectum, atque nemo unquam contraire praesumat, volumus quod petatur a SS. Domino nostro confirmatio omnium praedictorum. Datum in monasterio S. Iustinae Patavii in nostris comitiis generalibus die XI maii anni MDCLXXIII »:

« Cumque inter abbatem S. Pauli ex unâ et ipsum patrem abbatem Tanum alterâ ex partibus, ob non satis clarâ constitutionis dispositionem, exortae sint nonnullae controversiae et lites circa usum privilegiorum in supra-scripto decreto expressorum: idcirco ad tollendas omnes dissensiones, et regularem observantiam magis magisque firmandam, procurator generalis eiusdem Congregationis suppliciter petiit a SS. Domino nostro ut praedictas controversias, prout magis in Domino expedire censeret, definire dignaretur. Cuius precibus Sanctitas Sua benigne annuens, particularem Congregationem nonnullorum eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium et aliorum Romanae Curiae praelatorum deputavit, in qua proposita fuerunt infrascripta octo puncta per ipsum patrem abbatem Tanum exhibita, videlicet:

1. Exemptio et praerogativa abbatum titularium, qui fuerunt regiminis, est ut non se personaliter praesentent, nec ullatenus petant licentiam ab abbate monasterii, vel per se, vel per eorum

1 Forsan legendum *expressae* (R. T.).

2 Forsan legendum *etc. pro etiam* (R. T.).

Lites exortae
inter dictum pa-
trem abbatem
Tanum et ab-
batem S. Pauli
circa usum pri-
vilegiorum in
dicto decreto
expressorum.

fanulum, dum exeunt vel redeunt ad eorum monasterium.

ii. Habent a monasterio eorum professionis vestiarium annuale duplum eo quod datur ceteris monachis; oratori autem, ipso annuente, fuerunt assignata in decreto pro annuali eius vestiario scuta triginta.

iii. Habent primam sedem secundi chori, locum immediate post abbates regiminis.

iv. Habent singuli suum famulum eorum arbitrio eligendum, et nulli alii exercitio deputandum, cui monasterium professionis assignat alimenta et salariam conveniens.

v. Habent in choro duo vel tria pulvinaria sicuti abbates regiminis.

vi. In privatis et publicis functionibus ecclesiasticis aliisque possunt exercere et incedere eo habitu et modo quo possunt in Congregatione Cassinensi abbates regiminis.

vii. Habent convenientem habitationem cum igne in hyeme, aliasque religiosas commoditates.

viii. Adeunt refectorium et chorum non ita stricte sicut ceteri monachi, sed pro eorum beneplacito et devotione. Die iii decembris MDCLXXIV.

Eadem Congregatio specialiter ut supra deputata, partibus auditis, reque mature discussa, infrascriptum in modum respondit, nempe:

Ad i, patrem abbatem teneri se personaliter praesentare tam in ingressu quam post regressum, nec posse sine licentiâ egredi.

Ad ii, servandum decretum Congregationis Cassinensis ad favorem dicti abbatis Tani editum et a SS. Domino nostro confirmatum.

Ad iii, servandum idem decretum, salva antianitatis praerogativâ inter aequaliter privilegiatos.

Ad iv, faciendum verbum cum Sanctissimo, a quo fuit remissum ad Congregationem oeconomicam.

Ad v, non competere praedicto abbati Tano ius petendi pulvinaria.

Ad vi, negative.

Ad vii, servandum solitum.

Ad viii, teneri ad formam regulae et constitutionum, sicut ceteri monachi.

Et die v eiusdem mensis et anni factâ de praemissis relatione SS. Domino nostro, Sanctitas sua Congregationis sententiam benigne approbavit, illamque executioni demandari iussit.

Non obstantibus etc.

Fr. card. BRANGATIUS.

Loco † Sigilli.

A. archiep. episc. Liciensis secret. n.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, resolutiones praefatae iuxta dispositionem iuris communis ac regulae sancti Benedicti, necnon constitutionum dictae Congregationis Cassinensis et decretorum apostolicorum, quae omnes abbates titulares eiusdem Congregationis comprehendunt, factae fuerint, dicti vero exponentes illa, quo firmiter subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri et aliâs opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent:

§ 2. Nos, ad ea, quae observandae monasticae disciplinae ac commodis et utilitatibus monasteriorum conducibilia sunt, ex commisso nobis caelitus pastoralis officii debito propensis studiis intendentes, dictorumque exponentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quo-

Petitur confirmatio.

Confirmet Pontifex.

modolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, omnes et singulas resolutiones in decreto praesertito expressas, et a memoratâ particulari Congregatione emanatas ut producit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes et singulos inris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementum. Praeterea easdem resolutiones ab omnibus et singulis abbatibus titularibus dictae Congregationis Cassinensis, etiam cum clausulâ, *perinde ac si fuissent abbates de regimine absque ulli prorsus differentiâ* creatis seu promotis, inviolabiliter observari debere, auctoritate et tenore praedictis, decernimus et declaramus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Cassinensis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, pri-

vilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae¹ adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiv ianuarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 14 ianuarii 1675, pontif. anno v.

Registrata in Secret., in lib. Brevium mensis ianuarii, part. utrâque, fol. 143.

CLXXI.

Beatificatio servi Dei Ioannis de Cruce, primi religionis Carmelitarum Excalceatorum professoris.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Spiritus Domini, qui triumphantem in caelis Ecclesiam ex suis lapillis secundum ineffabiles sapientiae bonitatisque suae divitias aedificare non cessat, praecipuorum quorundam servorum atque electorum suorum, quos, a constitutione mundi in opus suum praedestinos, multiformis gratiae suae charismatibus instruxit et exornavit, sanctitatem inter-

Exordium.

¹ Desunt verba *ipsis praesentibus* (u. t.).

dum signis atque portentis testatam facit, ut, quibus immarcescibilis gloriae corona in caelis a iusto iudice donata est, debitae quoque venerationis cultus in terris impendatur.

Laudes servi Dei Ioannis de Cruce primi Carmelitae Excalceati.

§ 1. Inter hos cum multipliciter claruerit servus Dei Ioannes de Cruce, primus religionis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum professor, qui, sanctissimae Virginis Teresiae eiusdem religionis institutricis vestigiis studiose insistens, et praeclaros retulit de carne in carne triumphos, et non solum sociis suis magisterio exemploque summâ cum laude praebuit¹, sed etiam Ecclesiam universam spiritualium aromatum, quibus eum divina benignitas largiter imbuerat, odore perfudit: dignum arbitramur et congruum ut apostolicae servitutis nostrae ministerio, quod nos meritis licet et viribus longe impares gerere voluit divina dignatio, illius honori, ad gloriam omnipotentis Dei, ad decus catholicae Ecclesiae, fideliumque aedificationem, opportune consulatur.

Resolutio Congregationis sacerdotum rituum.

§ 2. Cum itaque, summâ maturitate diligentiaque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium saceris ritibus praepositorum processibus de Apostolicae Sedis licentiâ confectis super vitâ, sanctitate et virtutibus tam theologicis quam moralibus in gradu heroico, quibus praefatus Dei servus Ioannes de Cruce multipliciter claruisse, necnon miraculis quae ad eius intercessionem ac ad manifestandam mundo illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio, auditis etiam consultorum suffragiis, coram nobis constituta unanimiter censuerit

¹ Aut lege *praefuit*, aut paulo ante *magisteria exemplaue pro magisterio exemploque* legendum (R. T.).

posse, quaecumque nobis videretur, ad solemnem eiusdem servi Dei canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri ut in toto terrarum orbe Beatus nuncupetur:

§ 3. Hinc est quod nos, piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, ac carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae eamundem Hispaniarum reginae catholicae viduae, eius genitricis, necnon totius Congregationis Hispaniae fratrum Excalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de praefatorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut memoratus Dei servus Ioannes de Cruce in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non autem in processibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die anniversario felicitis eius obitus recitetur officium et missa celebretur de Confessore non Pontifice, iuxta rubricas breviarii et missalis romani.

Pontifex indulget, ut dictis servus Dei Beati nomine nuncupetur, et quod de eius corpore et reliquis.

§ 4. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in loco de Montiveros, ubi dictus servus Dei natus est, in loco de Ubeda, in quo spiritum Creatori reddidit, et in civitate Segobiensi, ubi venerabile eius corpus requiescit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus qui ad horas canonicas tenentur, ac in totâ religione praefatâ Carmelitarum Excalceatorum, universaeque Ordine supradicto B. Mariae de Monte Carmelo, tam fratrum quam monialium, et quantum ad missas attinet, etiam a sacerdotibus ad eccle-

Officium recitari et missa celebrari in quibus locis possit.

sias religionis et Ordinis huiusmodi respective confluentibus.

Solemnia beatificationis celebrari possunt, prout in rubrica.

§ 5. Propterea¹ primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et quoad Indias a die quo eadem litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis locorum ac civitatis, religionis et Ordinis praefatorum respective, sollemnia beatificationis eiusdem servi Dei, cum officio et missa, sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constituta et intra sex menses promulganda (postquam tamen in basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem sollemnia, quam ad rem diem XXI aprilis proxime futuri assignamus) pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogat contra.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praedictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 25 ianuarii 1675, pontif. anno V.

Registrata in Secretaria Brevium, in lib. V diversorum, fol. 299.

CLXXII.

Beatificatio servi Dei Francisci Solani Ordinis fratrum Minorum sancti Fran-

¹ Forsan legendum Praeterea (R. T.).

cisci de Observantiâ nuncupatorum professoris.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Quemadmodum caelestis imperator et magister noster Iesus Christus, qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, egregie functos militiae super terram pugiles suos, qui, virtute ex alto inducti¹, et spiritu facta carnis mortificantes, non solum voluntatem suam cum omnibus concupiscentiis crucifixam Deo in holocaustum obtulerunt in odorem suavitatis, sed etiam luculentas de impietate victorias reportare, et gentes, quae Deum non noverunt, ad veritatis agnitionem ac viam salutis adducere meruerunt, perennis gloriae coronam donat in caelis; ita et nos, qui eius vices, licet immeriti, haec terrenam stationem gerimus, magistri nostri vestigiis, quantum nostra fert infirmitas, inhaerentes, illorum cultum et venerationem in terris promovere studemus, sicut ad divinae maiestatis gloriam, ad eius Ecclesiae praesidium, ad aedificationem fidelium et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

Exordium.

§ 1. Cum itaque, mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de Apostolicae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate et virtutibus tam theologicis quam moralibus in gradu heroico, quibus servus Dei Franciscus Solanus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum professor multipliciter claruisse, necnon miraculis quae ad eius intercessionem ac ad manifestandam mundo illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asseriebantur, eadem Congregatio coram nobis constituta, au-

Resolutio Congregationis sacrorum rituum

¹ Videtur legendum *induti* (R. T.).

dilis etiam consultorio suffragiis, unanimiter censuit¹ posse, quodcumque nobis videretur, ad solemmem eiusdem servi Dei canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri ut in toto terrarum orbe Beatus nuncupetur:

Pontifex indulget, et dicitur servus Dei Beati nomine nuncupetur.

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, et carissimae in Christo filiae nostrae Mariannae earundem Hispaniarum reginae catholicae viduae, eius genitricis, necnon totius Ordinis praefati supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de praefatorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium, indulgemus ut memoratus Dei servus Franciscus Solanus in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die primâ non impeditâ post diem felicis eius obitus recitetur officium et missa celebretur de Confessore non Pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani.

Officium recitari et missa celebrari possint in certis locis.

§ 3. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet, in oppido Montiliae, in quo dictus servus Dei natus est, in civitate Linanâ, unde ad caelos evolavit et ubi venerabile eius corpus requiescit, ac in provinciâ Thecumanâ, in quam catholicae fidei nova semina feliciter invexit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus qui ad horas canonicas tenentur, necnon in solo Ordine praefato tam fratrum quam monialium, et, quantum ad mis-

sas attinet, etiam a sacerdotibus ad ecclesias eiusdem Ordinis confluentibus.

§ 4. Praeterea, primo dumtaxat anno a datis hae litteris, et quoad Indias die quo eadem litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis oppidi et civitatis ac provinciae et Ordinis praefatorum respective solemnia beatificationis eiusdem servi Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constitutâ et intra sex menses promulgandâ (postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, quam ad rem diem xxx iunii proxime venturi assignamus) pariter celebrandi facimus potestatem.

Solemnia beatificationis celebrari possint, prout in rubrica.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Contrarias derogat.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praedictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxv ianuarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 25 ianuarii 1675, pontif. anno v.

Registrata in Secretariâ Brevium, in lib. v diversor., fol. 303.

CLXXIII.

Concessio indulgentiarum anni iubilaei pro monialibus, oblatiis, puellis et mu-

¹ Aptius lege censuerit (R. T.).

liberibus saecularibus in monasteriis degentibus, ac anachoretis, eremitis, infirmis et in carcere detentis.

**Clemens Papa X ,
ad futuram rei memoriam.**

Executivum.

Pontificia sollicitudo, quamvis omnium christifidelium saluti prospiciat, praecipue tamen spiritualibus sanctimonialium profectibus paternae charitatis affectu studet providere. Ipsae enim sunt filiae, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, animi splendore caelestem regem oblectant; ipsae sunt prudentes virgines, quae, lampades suas charitatis flammâ succensas provide aptantes, meliorem partem elegerunt, et dum vitam caelitus petitam ducunt, non modo sibi ipsis ad caelum viam sternunt, sed ieiuniis, vigiliis et orationibus, ceteris quoque christifidelibus eam aperire student. Quare summopere optandum est ut vitae rationem, quae eas angelis quodammodo aequat, constantissime retineant, ac dent operam, ut, sicuti hic praeclaros agunt de carne in carne triumphos, ita post huius vitae certamina in caelesti patriâ feliciter coronentur. Quoniam autem consimile vitae genus quamplurimi anachoretac atque eremitac, ut supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt, spiritualibus quoque ipsorum incrementis paternis visceribus maxime ducimus consulendum.

Motiva.

§ 1. Cum igitur tam ipsi quam praefatae sanctimoniales perpetuâ vivant clausurâ mancipati, et multae puellae et mulieres saeculares, educationis vel aliâ ex causâ, de licentiâ Sedis Apostolicae, in monasteriis degant, ibique clausurae leges observent; multaeque etiam reperiantur oblatae, quarum institutum a Sede Apostolicâ approbatum existit, et quae in domibus seu conservatoriis

in communi vivunt; necnon multi, ut accipimus, utriusque sexus christifideles, partim carceribus detenti, partim vero diuturnâ infirmitate praepediti, non solum in almâ Urbe nostrâ et Italia, sed aliis etiam regionibus, provinciis et locis reperiantur, qui et quae respective impedimentis huiusmodi remotis, pro percipiendis praesentis anni iubilaei fructibus, ad almam Urbem nostram omnino venirent, et basilicas ecclesiasque ad id deputatas, benedicente Domino, indubitanter visitarent,¹ ob praefata impedimenta ad Urbem huiusmodi minime venire, neque respective basilicas et ecclesias ipsas visitare valeant:

§ 2. Nos, pro pastoralis officii nostri debito paternaque charitate illorum omnium animarum saluti quantum cum Domino possumus prospicere volentes, omnibus et singulis sanctimonialibus quorumcumque monasteriorum, etiam illorum quae ab ordinariâ iurisdictione exempta et Sedi Apostolicae praefatae immediate subiecta sunt vel esse asseruntur, necnon oblatis praefatis ac puellis et mulieribus saecularibus in monasteriis huiusmodi de eiusdem Sedis licentiâ degentibus, et anachoretis atque eremitis huiusmodi, ac utriusque sexus christifidelibus tam carceratis quam infirmis praefatis tantum, et qui aliâs impedimentis longae carcerationis ac diuturnae infirmitatis cessantibus ad hanc almam Urbem pro thesauris spiritualibus huiusmodi consequendis venturi fuissent, vere poenitentibus et confessis, quod in locis, ubi eos esse contigerit, pia christianae pietatis et charitatis opera iuxta formam ab Ordinariis locorum seu sanctimonialium et anachoretarum eremitarumque huiusmodi superioribus, vel, de eorum mandato, a pru-

Indulget ut
in rubrica.

¹ Deest vocula *sed* aut similis (R. T.).

dente confessario, in almâ Urbe vero a dilecto filio nostro vicario seu eius vicegerente tantum praescribendam pro cuiuslibet statu et conditione, ac loci et temporis ratione habitâ, exercendo, et alia in nostris litteris indictionis anni iubilaei contenta adimplendo, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones etiam plenissimas consequantur, quas consequerentur et consequi possent, si in hoc praesenti anno iubilaei diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas basilicas et ecclesias almae Urbis et extra illius muros, pro quibus visitandis iubilaeum et indulgentiae praefatas concessae sunt, personaliter visitarent et eorum quilibet visitaret.

Indulget confessariis, ut eos vel eas ab omnibus casibus reservatis absolvere possint.

§ 3. Eisdem sanctimonialibus ac oblatiis, puellis et mulieribus saecularibus, necnon anachoretis atque eremitis et cristifidelibus impeditis huiusmodi, ut, ad effectum praesentium, confessarios presbyteros saeculares vel cuiusvis Ordinis regulares ab eisdem Ordinariis locorum ad id probatos, qui, confessionibus eorum diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis, iniunctâ eis poenitentia salutari, absolvere possint, eligere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Marian Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vi februarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 6 februarii 1675, pontif. anno v.

CLXXIV.

Erectio custodiae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia in novam provinciam, cum omnibus privilegiis et praerogativis adinstar aliarum provinciarum Discalceatorum Hispaniae dicti Ordinis, necnon cum gratiis et indultis eidem custodiae per quinque Brevia a SS. D. N. concessis¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancti apostolatus officium humilitati atque infirmitati nostrae ab aeterno Pastore commissum salubriter exequi adiuvante Domino iugiter satagentes, circa statum religiosorum virorum sub austerioris vitae disciplinâ vota sua Altissimo reddere satagentium, bonoque Christi odore de bonâ conversatione flagrantium², prospere dirigendum propensis studiis intendimus, ac muneris nostri pastoralis partes peculiari desuper charitate interponimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis et piorum operum incrementum ac felicem progressum, animarumque salutem expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§ 1. Aliàs siquidem (postquam custodia S. Petri de Alcantara in regno

Refert initia dictae custodiae.

¹ Super hac materiâ idem Summus Pontifex plures alias edidit Constitutiones, quae sunt in hoc volumine, pag. 109, 325, 344 et 418.

² Potius lege *fragrantium* (R. T.).

Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in executionem quarundam nostrarum in simili formâ Brevis litterarum auctoritate apostolicâ erecta et instituta, variisque gratis et ordinationibus pro felici illius gubernio emanatis per alias ternas pariter in formâ Brevis litteras nostras decorata, atque stabilita fuerat, cum custodia ipsa in sui primordio multis tam Romae quam subinde in Hispaniâ contradictionibus vexata, et per illas tanquam aurum in fornace probata et purificata, ac ab illis, quippe insubsistentibus et ex animositate provenientiibus, tum iudicio Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, tum carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, qui pro eximiâ suâ erga nos et Sedem Apostolicam reverentiâ rem omnem ad supremum nostrum et dictae Sedis iudicium remisserat, aequitate atque pietate, liberata fuisset) nos, eiusdem custodiae statui et incremento providere, ac huiusmodi perturbationibus ansam in futurum praecidere cupientes, multa ad favorem ipsius custodiae statuimus et ordinavimus, diversasque declarationes et concessionem fecimus, ac inter alia volumus et ordinavimus ut capitulum dictae custodiae compromitteret in personas quatuor religiosorum, zelo, prudentiâ et virtute praedictorum, qui a venerabili fratre nostro Francisco episcopo Ostiensi eiusdem S. R. E. cardinali Barberino nuncupato, dicti Ordinis apud nos et Sedem praedictam protectore, approbati, sen aliâs ab ipso nominati essent, ipsique compromissarii statuta et ordinationes, quibus eadem custodia in perpetuum regi et gubernari deberet, secundum

datam sibi a Domino prudentiam conficerent et componerent, et aliâs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die xxviii augusti MDCLXXIII expeditis litteris uberius continetur.

§ 2. Cum autem (sicut accepimus) statuta et ordinationes huiusmodi iuxta eandem litterarum nostrarum dispositionem iam facta atque edita reperiantur, dictaque custodia, quae sex conventibus canonice erectis et institutis constat et alium conventum erigendi facultatem a Sede praefatâ obtinuit, nulli provinciae Ordinis praefati subiaceat, sed a proprio custode cum suo definitorio gubernetur, ac in eâ capitula, congregationes et alii congressus, prout in provinciis dicti Ordinis, celebrentur, ipsaque custodia propriis sigillis maiori et minori utatur, ac praerogativis fere ad instar provinciarum huiusmodi fruatur, ita ut ei nihil nisi nomen provinciae deesse videatur: hinc est quod nos, firmiori atque solidiori eiusdem custodiae statui prosperoque illius regimini ac progressui et incremento, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, ac dilectorum filiorum custodis et definitorum aliorumque fratrum custodiae huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos¹ fore censentes, necnon quarum nostrarum litterarum praefatarum tenores, et alia quaecumque, etiam specificam et individuum mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis

Dictam custodiam erigit in novam provinciam.

¹ Potius lege *absolutas* (R. T.).

habentes, motu proprio ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatam custodiam in novam provinciam fratrum Discalceatorum Hispaniae dicti Ordinis, quae provincia S. Petri de Alcantara regni Neapolis nuncupari debeat, ac capitula provincialia pro ministris provincialis, custodis et definitorum aliorumque officialium ipsius provinciae electione¹, ac congregationes aliosque congressus adinstar aliarum provinciarum Ordinis huiusmodi celebrare, ac omnibus et singulis praerogativis, praecellentis, iuribus, oneribus, privilegiis, gratiis et indultis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae tam de iure, usu et consuetudine, quam aliâs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pariformiter et absque ullâ prorsus differentiâ, et signanter illis, quae provinciis fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis praefati a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac praesertim a felicitis recordationis Urbano PP. VIII praedecessore pariter nostro, per quasdam suas in formâ Brevis litteras, quarum initium *Cum ea*, etc., die xxv iunii mdcxxxix expeditas, concessa sunt, necnon omnibus et singulis indultis, privilegiis et gratiis custodiae praedictae a nobis per quinque litteras supradictas quomodolibet concessis, et quibus custodia ipsa hactenus gavisâ est, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possit et valeat (ita tamen ut nova provincia huiusmodi facultate fundandi et erigendi novos conventus de solâ Ordinariorum licentiâ, quae dictae custodiae auctoritate apostolicâ concessa reperitur, nonnisi in locis, in quibus fratres de Observantiâ

¹ Male edit. Main. legit *electiones* (R. T.).

vel Reformati nuncupati Ordinis praedicti non sint, uti valeat), tenore praesentium, sine cuiusquam praecudio, in perpetuum erigimus et instituimus.

§ 3. Praeterea statuta et ordinationes pro felici prosperoque dictae custodiae regimine et gubernio sicut praemittitur facta atque edita, quae (uti pariter accepimus) a memorato Francisco episcopo cardinali et protectore examinata et approbata fuerunt, dummodo tamen sacris canonibus aut Concilii Tridentini decretis vel constitutionibus et ordinationibus apostolicis aut regularibus dicti Ordinis institutis non adversentur, auctoritate apostolicâ, harum serie, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa omnia et singula per superiores, fratres et personas quascumque dictae novae provinciae sic a nobis erectae et institutae perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, statuimus ac praecipimus et ordinamus.

§ 4. Porro eidem novae provinciae de idoneis ministro provinciali et definitoribus, quorum operâ provincia ipsa, aspirante superni favoris auxilio, salubriter dirigatur, hac primâ vice providere cupientes, ac de spectatâ infrascriptorum religiosorum fide, prudentiâ, charitate, integritate, vigilantia et religionis zelo plurimum in Domino confisi, dilectos filios Ioannem a S. Maria verbi Dei praedivatorem, qui custos, in ministrum provincialem, ac Franciscum Antonium a Passione, Iacobum a S. Laurentio, Lucam a S. Didaco, et Ioannem a Cruce, qui definitores actuales praefatae custodiae a dicto Francisco episcopo cardinali et protectore novissime instituti fuerunt, in definitores eiusdem novae provinciae sic a nobis erectae respective ad triennium proximum, cum

Statuta et ordinationes ita edita pro regimine eiusdem custodiae auctoritate apostolica confirmant.

Eidem novae provinciae pro hac primâ vice providet de idoneis ministro provinciali et definitoribus ad triennium duraturis.

omnibus et singulis praecipientibus, praerogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, ac indultis et honoribus et oneribus solitis et consuetis, motu scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, eorundem tenore praesentium, constituimus et deputamus.

Guardianos et officiales de praesenti existentes usque ad congregationem in intermedium confirmat.

§ 5. Omnes autem guardianos conventuum et reliquos officiales custodias praefatae, sic in provinciam a nobis erectae, qui de praesenti aut a praefato Francisco episcopo cardinali et protectore aut a definitorio deputati reperuntur, in suis respective muneribus usque ad congregationem intermedium eiusdem novae provinciae proxime celebrandam confirmamus; ac praefatis ministro provinciali et definitoribus, a nobis ut praefertur deputatis, eorundem novae provinciae, qui capitulo generali dicti Ordinis cum voti sive suffragii praerogativâ interesse valeat, pro hac vice tantum, eligendi seu deputandi facultatem impertimur; ita tamen ut electio seu deputatio huiusmodi a memorato Francisco episcopo cardinali et protectore approbati et confirmari debeat.

Praecipit ab omnibus dicti Ordinis novam provinciam, sicut reliquas eiusdem Ordinis, in omnibus recognoscere et tractari.

§ 6. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis praefatorum Ordinis et novae provinciae superioribus, fratribus et personis, ceterisque, ad quos spectat et spectabit in futurum, ut eandem novam provinciam, sicut praemittitur a nobis erectam et institutam, tamquam veram et legitimam canonicè erectam provinciam, ac sicut reliquas fratrum Discalceatorum dicti Ordinis provincias, in omnibus et per omnia recognoscant, nominent, teneant et tractent, ac religiosos supranumeratos ad officia eis respective praesentes demandata, illorumque liberum

exercitium, iuxta eorundem tenorem praesentium, recipiant et admittant; illisque in omnibus eadem officia concernentibus favcant et assistant, parcantque et obediant respective.

§ 7. Ac decernentes easdem praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae aut verificateae et iustificatae fuerint, aut ex quavis aliâ, etiam quantumlibet iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali et substantiali, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se invare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in prae-

Decretum irritans.

missis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardiales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praecminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri et iudicari debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit. § 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et custodiae huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam dicto Ordini eiusque superioribus et quibusvis aliis personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis, ac omnibus et singulis quae in quinis nostris litteris supradictis volumus¹ non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu

¹ Edit. Main. legit *volumus* (R. T.).

quaevis alia expressio aut quaelibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 7 februarii 1675, pontif. anno V.

Registrata in Secretariu Brevium, in libro mensis februarii, p. II, fol. 167.

CLXXV.

Approbatio et confirmatio foundationum et erectionum decem conventuum fratrum Discalceatorum Ordinis S. Augustini in regno Portugalliae, et illorum erectio in novam congregationem sub titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, regendam ab uno vicario generali de sexennio in sexennium eligendo, cum communicatione privilegiorum congregationis fratrum Discalceatorum Italiae, cuius statuta et constitutiones dicta nova congregatio dictique conventus observare tenentur¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divina dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam religiosorum virorum Altissimi

Exordium.

¹ Circa hanc materiam plura habes supra in Constit. XLIX *Alias emanarunt, etc.*; et LVII, *Ex iniuncto nobis*, huius Pontificis, quae revocantur.

mi obsequiis sub arctioris vitae instituto mancipatorum curam gerentes, felici illorum statui ac progressui et religionis incremento, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere iugiter studeamus.

Emulatio monasterii monialium et fratrum Discalceatorum Ordinis sancti Augustini in valle de Xabregas.

§ 1. Innotuit siquidem nobis quod dudum clarae memoriae Aloysia Maria dum vixit Portugalliae et Algarbiorum regina illustris, pro eximia sua pietate et singulari erga Ordinem sancti Augustini devotione, monasterium¹ monialium Discalceatorum² eiusdem Ordinis in valle de Xabregas prope et extramuros civitatis Ulyssiponensis regiam liberalitate fundavit, ipsaque Aloysia Maria regina inter easdem moniales reliquos vitae suae dies in pace disposuit; et cupiens conventum fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum eiusdem sancti Augustini, qui dictorum monasterii et monialium directioni et gubernio incumbere, pariter fundare atque erigere, licentiam desuper necessariam obtinuit a tunc existente priore generali dicti Ordinis, qui certum determinatum numerum religiosorum in ea admittendorum praefixit, ipsumque conventum a superioritate prioris provincialis et aliorum praelatorum provinciae Portugalliae Ordinis huiusmodi exemit, ac illum suae et futurorum pro tempore priorum generalium eiusdem Ordinis iurisdictioni immediate subiecit, prout in litteris eiusdem prioris generalis desuper emanatis latius continetur.

Ipsam augeri petunt.

§ 2. Cumque temporis decursu, crescente semper magis in dies erga religionem fratrum Discalceatorum huiusmodi populi devotione, quamplurimorum religiosae vitae amore accensi ad habitum inter ipsos admitti desiderarent, iidem fratres Discalceati suppli-

¹ Male ed. Main. legit *monasteriorum* (R. T.).

² Edit. Main. legit *Discalceatorum* (R. T.).

ces petierunt a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro ut gratiam et licentiam numerum religiosorum augendi, novasque domos regulares in regno Portugalliae fundandi concedere dignaretur.

§ 3. Verum tam idem Alexander praedecessor, quam eius successor recolendae memoriae Clemens Papa IX etiam praedecessor noster, cui eadem preces oblatae fuerant, eiusmodi gratiam concedere renuerunt; quinimo, cum dicti fratres Discalceati de facto et propria auctoritate nonnullos novitios ultra numerum praefixum ad habitum admittere, novos conventus in variis dicti regni partibus erigere, et subsequenter eos congregationi fratrum Discalceatorum Hispaniae dicti Ordinis unire praesumpsissent, delatis ex parte fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis in praefato regno degentium ad nos hac super re querimoniis, illisque in Congregatione a nobis specialiter deputata examinatis, eadem Congregatio censuit revocanda esse attentata praedicta, nec ullum ius competere fratribus Excalceatis Hispaniae super dicto monasterio Ulyssiponensi erecto pro cura monialium, neque esse locum dismembrationi a religione, et subinde pariter censuit non esse locum erectioni novorum conventuum fratrum Discalceatorum Ordinis sancti Augustini in regno Lusitaniae, ac propterea illos erigi aut fundari prohibuit, et praedictis fratribus Excalceatis citra controversiam huiusmodi perpetuum silentium imposuit. Nos vero postmodum non solum decreta particularis Congregationis huiusmodi, ut praefertur emanata, confirmavimus, sed etiam omnia et singula, quae in eisdem decretis continentur, motu proprio decrevimus pariter et ordinavimus, cum simili perpetui silentii impositione, et aliis, prout in binis

Quod prius non fuit concessum.

nostris desuper in simili formâ Brevis die xxviii ianuarii et die xxvii februarii MDCLXXI expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius etiam continetur.

Novae preces.

§ 4. Verum, cum praefati fratres Discealceati eâ qua par est promptitudine apostolicis mandatis obtemperare, et conventus iam erectos dimittere vellent, dilectissimus in Christo filius noster Petrus princeps eorundem Portugalliae et Algarbiorum regnorum gubernator, memoratae Aloysiae Mariae reginae genitricis suae pietatem imitari populorumque suorum speciali consolationi consulere cupiens, nobis exposuit eosdem religiosos in vineâ Domini sedulo laborare, et animarum salutem exemplo et doctrinâ procurare, uberrimosque in dies fructus ex eorum propagatione, benedicente Domino, sperari posse; ac proinde supplex a nobis petiit ut praemissa revocare, ac infrascriptos decem conventus eorundem fratrum Discealceatorum iam erectos, ac suppellectilibus sacris et profanis redditibusque ad victum necessariis sufficienter instructos atque dotatos, nempe conventus Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae in praedictâ valle de Xabregas prope et extra muros supradictae civitatis Ulyssiponensis, Assumptionis eiusdem B. Mariae Virginis in Cassarica Pietatis, ¹ sanctae eiusdem Conceptionis in Monte Moronovo, Mercedis in civitate Eborensi, S. Mariae Consolationis in extremos², S. Mariae Portalegrensis, S. Mariae de Orada in Monearas, Boni Iesu in Porto de Mos, et hospiti in dictâ civitate Ulyssiponensi in regione seu contractâ quae dicitur

¹ Praeposit. in hinc abiicimus (R. T.).

² Quid legendum pro in extremos iudicet lector sius (R. T.).

fangas de Faringha, approbare et confirmare, eosque in novam congregationem erigere de benignitate apostolicâ dignemur.

§ 5. Quare nos, pro peculiari paternae nostrae erga eundem Petrum principem gubernatorem charitatis affectu, porrectas nobis eius nomine preces per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam¹ diligenter perpendi matureque examinari mandavimus. Ipsi vero cardinales, auditâ relatione venerabilis fratris Marcelli archiepiscopi Chalcedonensis, nostri et Apostolicae Sedis in regnis praedictis nuncii, ac audito quoque dilecto filio procuratore generali dicti Ordinis, reque mature examinâtâ, piis dicti Petri principis gubernatoris generalis votis hac in re benigne annui posse consuerunt.

§ 6. Itaque, praefatorum conventuum ac fratrum in eis degentium statui, prosperoque regimini et incremento, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, ac eorundem patrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas² fore censentes, de eorundem cardinalium consilio, ac motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, erectiones et foundationes supradictorum decem conventuum, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et

Congregatio episcoporum et regularium consultis et hominum annui posse.

Pontifex erectionem dictorum decem conventuum approbat et respective confirmat.

¹ Mate, ut patet, edit. Main. legit praeposita pro praepositam (R. T.).

² Edit. Main. legit absolutos (R. T.).

aj probamus, illisque inviolabilis apostolice firmitatis robur adiciamus, ac omnes et singulos iuris vel facti defectus, qui propter praemissa desuper quovis modo intervenerunt, seu aliàs quomodolibet intervenisse dici, censi vel praetendi possent, supplemus et sanamus.

Dictos decem conventus erigit in congregationem.

§ 7. Praeterea eosdem decem conventus in novam congregationem fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quae congregatio Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculae regni Portugalliae nuncupari, ac ab uno vicario generali capitulariter et canonice de sexennio in sexennium eligendo regi et gubernari, necnon statuta et constitutiones congregationis Italiae fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis ab hac S. Sede aj probatas observare debeat et teneatur, firmâ tamen in omnibus permanente auctoritate et superioritate quam priores generales dicti Ordinis super alias huiusmodi congregationes fratrum Discalceatorum obtinent, ac eâ lege ut dilectus filius modernus prior generalis eiusdem Ordinis, pro hac primâ vice tantum, vicarium generalem novae congregationis huiusmodi ad sexennium auctoritate nostrâ apostolicâ deputare debeat, quam ad rem opportunam ei harum serie tribuimus facultatem, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, itidem perpetuo erigimus et instituimus.

Renovatio professionis nulliter emissae in dictis conventibus prout in rubrica.

§ 8. Ita tamen ut illi religiosi, qui in memoratis conventibus seu¹ erectis nulliter professi dignoscuntur, admoniti de nullitate eorum professionis, denuo eam in manibus superioris localis, etiam nullo alio novitiatu peracto, quatenus annum novitiatus aliàs peregisse reperiantur, solemniter emittant, retento tamen iure praecedentiae a die admissionis ad habitum; recusantes vero, libere ad se-

¹ Videtur legendum sic pro seu (R. T.).

culum redire possint si ad sacros ordines non fuerint promoti, sin minus, a vinculo religionis absoluti in saeculo remaneant cum suspensione ab eorundem ordinum exercitio donec de legitimo patrimonio sive beneficio ecclesiastico ad eorum congruam sustentationem sufficienti se esse provisos coram suis Ordinariis constare fecerint.

§ 9. Volentes, et motu simili statuentes, ut in memorato conventu de Nabregas numerus fratrum viginti, in reliquis vero conventibus praedictis, quindecim non excedat, iidemque conventus praefata statuta et constitutiones congregationis fratrum Discalceatorum Italiae observare teneantur.

§ 10. Demum eidem novae congregationi, sicut praemittitur, a nobis erectae et institutae, illiusque conventibus, superioribus, fratribus et personis quilibetque, ac ipsorum conventuum et congregationis ecclesiis, ut¹ prae eminentiis, praerogativis, honoribus, iuribus, indultis et gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus praefata congregatio fratrum Discalceatorum Italiae illiusque conventus, ecclesiae, superiores, fratres et personae, tam de iure, usu et consuetudine, quam ex concessione apostolicâ, et aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt² et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, motu, scientiâ et potestatis plenitudine ac tenore praefatis, concedimus et indulgemus.

§ 11. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam cuiusvis

¹ Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

² Male edit. Main. legit *possint* (R. T.).

In quolibet conventu praescribitur numerus religiosorum et observantiam statutorum dictae congregationis Italiae.

Huic novae congregationi concedit omnia indulta et privilegia, quibus gaudet dicta congregatio Italiae.

Decretum irritans.

status, gradus, ordinis, praecminentiae et dignitatis, aut alias specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis legitimâ, iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac substantiali ac individuum expressionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas apositionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et quodcumque spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime subfragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praecminentia et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si se-

eus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 12. Quocirea memorato Marcello archiepiscopo, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis praefatae in dictis regnis nuntio, ac venerabili etiam fratri archiepiscopo Tlyssiponensi per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel illi eorum, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praefatae novae congregationis eiusque superiorum et fratrum seu alicuius eorum fuerint requisiti, per se vel alium seu alios, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

§ 13. Non obstantibus decretis et litteris nostris, aliisque praemissis, ac pia memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac² in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis edi-

Exequutores designat.

Contrariis amplissime derogat.

1 Potius lege unus pro illi (R. T.).

2 Coniunct. ac nos addimus (R. T.).

lis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis, aliisque quibusvis, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam dicto Ordini eiusque superioribus ac fratribus et aliis personis ac locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac eum quibuscumque etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas, generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 14. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhibeatur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Marian Maiorem, sub annulo Piscatoris, die viii

februarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 8 februarii 1675, pontif. anno v.

Registrata in Secr. Brevium, in lib. mensis februarii, part. II, fol. 100.

CLXXVI.

Breve, quo declaratur tam PP. Cappuccinis, quam PP. Tertiariis Gallicanae Congregationis licere personas saeculares utriusque sexus admittere ad Tertium Ordinem a divo Francisco pro fidelibus in saeculo degentibus institutum, rescissis et revocatis quibuscumque litteris et statutis in contrarium decernentibus¹.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, aspirante superni favori aurâ, proferre ingiter satagentium, quieti et religiosae tranquillitati consulere studentes, ea quae litium dirimendarum amabilisque concordiae stabiliendae studio inter eos provide conventa esse noscuntur, quo firmiter perennent, nec residuis contentionibus² unquam agitari possint, apostolici muniminis patrocinio constabiliamus.

Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Bonaventura a Recinetto, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuc-

Exponitur controversia inter fratres Cappuccinos et fratres Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae.

¹ In hac Const. revocatur quidquid statutum fuerat in constit. cxvii (al. 116) *Exponi nobis* huius Pontificis.

² Pessime ed. Main. legit *conventionibus* pro *contentionibus* (R. Y.).

cinorum nuncupatorum, et fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanae, quod, cum dudum, inter fratres Minores Cappuccinos ex unâ et fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanae huiusmodi ex alterâ partibus, controversia super iure conferendi habitum Tertii Ordinis sancti Francisci personis saecularibus utriusque sexus extra Congregationem degentibus et Ordinariorum iurisdictioni subditis exorta fuisset, variaque decreta a Congregationibus S. R. E. cardinalium, ac etiam litterae apostolicae ad partium praefatarum favorem desuper respective emanassent, nec tamen controversia huiusmodi adhuc conquievisset; eadem partes, fraternae charitatis inter Ordines praefatos conservandae studio, accedentibus etiam exhortationibus dilectorum filiorum nostrorum Iacobi Rospigliosii et Caesaris Destrees nuncupatorum eiusdem S. R. E. presbyterorum cardinalium, ac intercessione dilecti filii nobilis viri moderni ducis Destrees pro carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum rege christianissimo apud nos et Sedem Apostolicam oratoris, ad concordiam super praemissis (servato tamen desuper nostro et dictae Sedis beneplacito) devenerunt: ut scilicet tam praefatis fratribus Cappuccinis quam dicti fratribus Tertii Ordinis dictae Congregationis Gallicanae liceat habitum praefatum personis saecularibus utriusque sexus iuxta usum apud suos respective receptum conferre, et aliàs, prout plenius continetur in scripturâ desuper confectâ, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor eiusdem concordiae.

« In nomine Domini. Coram eminentissimis cardinalibus infranominatis, anno Domini MDCLXXV, die VI februarii, confectum est Romae praesens instrumentum, et ab utrâque parte acceptatum in sequenti formâ:

« Cum iamdiu patres Cappuccinos inter et Tertiarios regulares quaestio nata sit de et super iure conferendi habitum Tertii Ordinis sancti Francisci personis saecularibus utriusque sexus extra Congregationem degentibus et Ordinariorum iurisdictioni subditis, eaque controversia, multis intercedentibus eminentissimorum cardinalium tum Sacri Concilii interpretationi tum episcoporum et regularium consultationibus praepositorum decretis, ac SS. Pontificum Brevibus, nondum penitus composita sit, ne diuturniore contestatione pax et charitas inter dictos Ordines labefactari queat, utriusque Ordinis procuratoribus, pietatis et concordiae studio, accedente auctoritate et exhortationibus eminentissimorum cardinalium Rospigliosii et Destrees, necnon excellentissimi ducis Destrees ad Sanctam Sedem extraordinarii regis christianissimi oratoris, eam exortas illâ de re lites componendi et futuras in posterum amputandi optimam rationem inire placuit, ut scilicet tum patres Cappuccini tum Tertiarii saecularibus utriusque sexus habitum sancti Francisci conferant, utriusque iuxta usum apud suos receptum, et iura quibus hactenus gaudere consueverunt; salvâ et reservatâ super praemissis sanctae Sedis Apostolicae confirmatione, pro qua enixe supplicatur, super his silentio imposito.

F. AMADEUS Baiocensis Cappuccinus, procurator;

F. BARTHOLOMAEUS Veronensis, procurator provinciae S. Ivonis Tertii Ordinis;

CAESAR cardinalis DESTREES;

IACOBUS cardinalis ROSPIGLIOSUS ».

§ 3. Quare exponentes praefati nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsos expo-

Preces utriusque partis.

Absolutio a censuris. aientes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac supradictorum decretorum et litterarum apostolicarum tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuanam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam inter partes praedictas initam ut praefertur, confectaque desuper scripturam praecursam, cum omnibus et singulis in eâ contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementis, et proinde perpetuum super controversiâ praedictâ utriusque partium silentium, eâdem auctoritate, harum serie, imponimus.

Concordia confirmatur.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiendum, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinum et Congregationis Gallicanae, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx februarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 20 februarii 1675, pontif. anno v.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis februarii.

CLXXVII.

Confirmatio decreti eminentissimorum cardinalium collegii Germanici et Hungarici de Urbe protectorum, ut imposterum nullus, vel convictor vel alumnus, recipiatur in dictum collegium, qui non habeat qualitates in dictâ Bullâ expressas.

Contrariis derogat.

Transumptorum fides.

**Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.**

Expositio.

§ 1. Exposuerunt nobis nuper venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales collegii Germanici et Hungarici de Urbe apud nos et Sedem Apostolicam protectores, quod dudum felicitis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster dictum collegium fundavit, illudque a seminario romano, in quo alumni et convictores itali educantur, separando, ordinavit ut nemo in alumnum vel convictorem eiusdem collegii admitteretur, qui ex provinciis et circulis Germaniae in litteris constitutionum ipsius collegii expressis non esset; et subinde, cum cubicula in dicto collegio nonnullis convictoribus italis variis temporibus concessa fuissent, ab eiusdem S. R. E. cardinalibus protectoribus et superioribus collegii praefati tunc existentibus cognitum fuit eiusmodi nationum diversitatem disciplinae et gubernio alumnorum multum obesse, ac finem foundationis eiusdem collegii impedire; unde iidem cardinales protectores expresse decreverunt ne convictores in collegium huiusmodi nisi iuxta dispositionem litterarum praefati Gregorii praedecessoris reciperentur; verum progressu temporis, cum aliqui convictores itali, propter vehementes personarum potentium commendationes, in collegium praedictum introducti fuissent, qui nimis libere ac modo ab instituto eiusdem collegii omnino diverso vivebant, recolendae memoriae Innocentius Papa X, etiam praedecessor noster, incommodorum, quae inde nascebantur, conscius, mandavit dilecto filio Joanni Paulo Olivae praeposito generali Societatis Iesu, tunc dicti collegii rectori, ne in ipsum collegium amplius admitterentur sub quocumque praetextu convictores ex nationibus per praefati Gregorii praedecessoris litteras et car-

dinalium protectorum decreta huiusmodi exclusis; et, vigore mandati huiusmodi, eiusmodi convictores, qui ibi tunc erant, inde dimissi fuerunt; cumque collegium ipsum, existentibus in eo solis alumnis et convictoribus quos litterae apostolicae admitti praescribunt, multos per annos optimam disciplinam atque pacem gavisum fuisset, subinde cum nonnullis convictoribus italis dispensatum fuit ut in illud admitterentur; atque ita praeteritae inquietudines, non sine magno divini servitii detrimento atque molestiis superiorum qui abusus et incommoda inde subnascentia impedire nequibant, renovatae fuerunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, collegium praefatum ab eiusmodi praeiudiciis atque incommodis liberum de praesenti reperitur, et, ne in eam deinceps relabatur, cardinales exponentes praedicti decretum ediderint tenoris qui sequitur, videlicet:

« Nos Franciscus cardinalis Barberinus, Nicolaus cardinalis Ludovisius, Flavius cardinalis Chisius, Iacobus cardinalis Rospigliosius, Palutius cardinalis Alterius, collegii Germanici et Hungarici cardinales protectores, bene perspectis dicti collegii constitutionibus, quodve pro subveniendo spiritualibus Germaniae et Hungariae necessitatibus iuxta finem constitutionis collegii consultum magis atque utile futurum sit diligentius attendentes, rationum momentis utrinque perpensis, unanimi consensu statuimus atque decernimus ut in posterum nullus vel convictor vel alumnum recipiatur in collegium, qui non habeat qualitates in Bulla constitutionis requisitas, et sit natus et educatus in provinciis in dicta Bulla expressis et indicatis, ut melius sublatam nationum diversitatem et incommodis exinde oriri solitis, eiusdem collegii alumni possint unanimiter in soli-

Tenor decreti editi per cardinales protectores eiusdem collegii.

dae pietatis et litterarum studia incumbere, et finem assequi ad quem collegium ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem institutum fuit; atque ita executioni mandari ab eiusdem collegii rectore, hoc scripto manu nostra firmato, statuimus, decernimus et mandamus, supplicando sanctissimo domino nostro Clementi X ut dignetur hoc nostrum decretum suâ auctoritate confirmare.

Datum Romae, hac die xxix ianuarii MDCLXXV.

FRANCISCUS episcopus Ostiensis, cardinalis BARBERINUS;

F. cardinalis CUSUS;

I. C. cardinalis ROSPIGLIOSUS;

P. cardinalis de ALTERIS ».

Pontifex dictum decretum apostolica auctoritate confirmat.

§ 3. Nobis propterea iidem cardinales exponentes humiliter supplicarunt ut decretum huiusmodi, quo firmiter subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis patrocinio communitur de benignitate apostolicâ dignemur. Nos igitur, ipsorum cardinalium votis hac in re favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praesentem, omniaque et singula in eo¹ contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritum.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quancumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et

delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et defini dehere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti collegii, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die iv martii MDCLXXV¹, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 4 martii 1675, pontif. anno v.

Registr. in Secret. Brevium, in libro mensis martii, part. utraque, fol. 101.

¹ Male, ut puto, ed. Main. legit. 1674 (R. T.).

¹ Male edit. Main. legit ea (R. T.).

CLXXVIII.

*Erectio hospitii
pro noviter conversis ad fidem.*

**Clemens Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam**

Exordium.

Inter alia gravissima onera, quibus nos premit pastoralis officii cura, illud cetera superat, oves ab ovili sanctae Fidei Orthodoxae Romanae devias, in faucibus lupi haeresis inhaerentes, ac ad portas aeternae damnationis pergentes, ad eisdem sanctae Matris Ecclesiae (in qua tantummodo ut in arcâ Noe vera salus reperitur) vias rectas remittere et reducere.

Pro haereticis conversis ad fidem emit domum prope Ripettam.

§ I. Super hoc igitur acies nostrae mentis tuto debito zelo dirigentes, ac quod divina pietas proprie nunquam in hoc deficienti assistentiâ hoc nostrum sanctum propositum confovere non dedignaretur confidentes, ea auxilia et media, quae operi adeo digno munere¹ pastoralis nostro praestari necessaria et debita dignoscuntur, quantum in nobis est, praeparare non distulimus. Sane ad effectum praedictum, et ut isti filii novi eiusdem sanctae Matris Ecclesiae recipi possent, mediante dilecto filio nostro Bernardino S. R. E. cardinali Roccio nuncupato, tunc archiepiscopo Damasceno et palatii nostri apostolici praefecto, cui super hoc vices nostras dedimus, domum ad Nationem Picenam aliâs S. Domus Lauretanae de Urbe prope Ripettam spectantem, de propriis nostris pecuniis, ac pretio septem millium scutorum monetae, cum illius nationis ecclesiâ, aliisque appendiciis, emi curavimus, et subinde decem millia scuta in emptionem tot locorum montium camerarum non vacabilium de Urbe praedictâ eroganda donavimus.

Pro eisdem

§ 2. Interim vero, sicut nobis innotuit,
1 Ed. Maio. legit *muneri pro munere* (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XVIII. 69

auxiliante Domino, unum parvum hospitium sub curâ et directione dilecti filii Mariani Succini presbyteri Congregationis S. Philippî Neri de eadem Urbe, suffragante ei ope aliorum duorum piorum presbyterorum, apertum et preparatum fuit; illudque ex eleemosynis piorum christifidelium non satis laudabilis charitas manutenere, eique de necessariis subvenire non deficiebat. Pro cuius quidem pii operis maiore progressu eisdem presbyteris adiutores in hoc sese praebuerant dilecti filii marchio Horatius de Spadis, necnon marchio Ferdinandus de Mutis, ac Lucas abbas Millinus et Stephanus Ricciardus presbyter, iuris utriusque doctor, ac Curiae Capitolinae de praesenti secundus collateralis, ac Ferdinandus Capponus, Ioseph de Cemitibus, Franciscus Spentner, Iosephus Melgarini, Guillelmus Leslus, Hieronymus Berti, Matthias Peroni, aliique pii viri clerici seu laici insimul congregationem super hoc opere pio constructes¹ respective, cum notabili operis pii huiusmodi augmento, ita ut, sicut accepimus, biennio adhuc non completo, qui, perfidâ haeresi per eos abiurata, ad gremium eiusdem sanctae Matris Ecclesiae, divinâ favente elementâ, recurrerunt, usque ad numerum nonaginta duorum ascendunt, inter quos nonnulli regularium strictioris observantiae statum amplexi fuerunt.

§ 3. Proptereaque nos, quibus semper cordi est omnium praecipue istius proficui operis augmentum, quique², licet, ut opus istud, adeo pium et pietate catholica dignum, maius in dies susceperet incrementum, et maiori commoditati habitationis ac aliâs consultum fuisset, istis, qui sponte veniunt ad fidem, noviter conversis, in aliquâ palatii nostri praefati

Designatur hospitium B. Mariae Virginis Gratiarum prope Portam Angelicam et palatium apostolicum S. Petri.

1 Potius lege *constituentes* (R. T.).

2 Vox *quique* redundare videtur (R. T.).

parte, locum praebere ardenti desiderio, ut inibi paternum refugium invenirent, optaverimus: nihilominus, quia possibile non fuit aliquam dieti palatii portionem ad hunc effectum separare, loca seu situs eidem palatio proximiora seu proximiores considerando et examinando, satis aptum et valde commodum nobis visum fuit hospitium B. Mariae Virginis Gratiarum nuncupatum prope Portam Angelicam et palatium nostrum apostolicum S. Petri, quod sub protectione dilecti filii nostri Palatii basilicae sanctorum XII Apostolorum S. R. E. presbyteri cardinalis de Alteriis nuncupati reperitur, et in quo de praesenti nonnulli pauci in numero existentes eremitae reperiuntur (quibus, ad observantiam alicuius ex tribus substantialibus votis per alios religiosos observari seu profiteri debitis minime adstrictis, tantummodo ex eorum instituto onus quaestuandi elemosynas pro sustentatione tredecim pauperum, recipiendi infirmos, ad effectum illos ad hospitalia transmittendi, et eremitas per aliquod temporis spatium hospitio recipiendi incumbit), illudque ad utrumque effectum satis capax et sufficiens ac ab aliis habitacionibus saecularium et populari strepitu separatum et divisum, existimamus.

Pontifex de
illo disponere
intendit favore
teriarum con-
versorum.

§ 4. His igitur et aliis de causis adducti, valde utiliter de eo, ut infra, disponere cupientes, eo magis ut in illo antiquus et pius usus receptionis pauperum in receptione huiusmodi pauperum conversorum (qui, ex eo quod patriam, parentes, consanguineos, et bona ad orthodoxam sanctam fidem amplectendam relinquunt, et quo magis sufferunt adeo gravia incommoda pro amplectendis verae fidei dogmatibus, eo magis misericordi et paterno affectu nostrae sollicitudinis digniores efficiuntur) manuteneatur, seu, quatenus opus sit, ma-

gis atque magis renovetur et augeatur, inibique fidei catholicae alumni recipi et sublevari valeant, quarumcumque aliarum litterarum a nobis quomodolibet in favorem hospitii huiusmodi super erectione aut aliis a nobis concessarum seu emanatarum, etiam per viam confirmationis, necnon instrumentorum in favorem huiusmodi hospitii per quosvis celebratorum, aliorumque supradictorum tenores, etiam veriores, ac datam, praesentibus pro expressis habentes, ac omnes et singulos eiusdem hospitii administratores et ministros seu deputatos, in eoque degentes et inservientes, eorumque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes,

§ 5. Motu proprio, non ad alieuius instantiam, sed ex nostris scientia, liberalitate et deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque illorum, qui, ut praefertur, veniunt ad fidem, salutem et commodum, unum hospitium sub invocatione B. Mariae Virginis Gratiarum et S. Michaëlis Archangeli in praedicto hospitio seu coenobio eremitarum eiusdem B. Mariae Virginis Gratiarum ad Portam Angelicam, in quo ii, qui sponte venerunt ad Fidem Romanam, advenientes gratuito et urbane recipiantur, inibique per tempus designandum, et, prout recipiendorum huiusmodi utilitas suaserit et necessitas, arbitrio Congregationis praedictae duraturum, alantur, ut, durante dicti temporis spatio, cuiuslibet illorum

Erectio novi
hospitii

voluntas, euiam iidem ut supra recepti arti, sen exercitio, aut statui, qua sen quo mediante, postquam e dicto hospitio dimissi fuerint, sustentari possint, operam dare in mente et intentione gerant, explorari valeat, ad hoc ut, factâ per illos declaratione eorum voluntatis, in eâ arte, sen exercitio, aut statu, omni curâ et sedulitate, dirigi et applicari possint (eremitis in dicto hospitio ad praesens et pro tempore degentibus minime remotis, eorumque instituto et habitu, uti prius, in suis iuribus et redditibus, aliisque observari solitis, semper et perpetuo remanentibus, ac salvâ dictâ protectione, sub qua, ut praefertur, eorum hospitiûm iidemque eremitaee reperiuntur), perpetuo erigimus et instituimus;

Novo hospitiûm dotem assignat.

§ 6. Illique sic erecto et instituto, pro illius dote et mantentione ac onerum sustentatione, praedicta loca montium et domum praedictam a dictâ natione Picenâ emptam mediantibus praedictis summis per nos ut praefertur erogatis, ac domunculam prope dictam domum olim eiusdem nationis, emptam sub die 1 decembris anno Domini MDCLXXIV per acta Nicolai Mazzeschi notarii publici curiae causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris (maiores in dies proventus, favente Domino, assignaturi) ac etiam omnia et quaecumque bona, redditus, elemosynas eidem novo hospitiûm a quibusvis christifidelibus elargita, donata et relicta ac acquisita (quorum quantitates, qualitates et valores pro expressis haberi volumus) ac quae¹ de cetero elargienda, donanda et relinquenda ab eorumdem christifidelium pietate et charitate (ita quod liceat Congregationi praedictae, nomine dicti hospitiûm, illorumque² corporalem, realem et actualem possessionem apprehendere, et apprehensam

perpetuo retinere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ) etiam perpetuo applicamus et assignamus.

§ 7. Ac idem novum hospitiûm, cum illius ecclesiâ, aliisque membris et dependentiis, ac iuribus et bonis, in omnibus et per omnia palatii nostri apostolici membrum efficiamus, ac etiam ab eodem omnino dependere declaramus, ac semper et quodcumque esse et censeari, ac uti tale respici et considerari volumus et mandamus, illudque unâ cum supradictis, necnon hospites, ministros, illiusque bona, iurisdictioni moderni et pro tempore existentis palatii apostolici praefecti etiam perpetuo, motu pari, subiicimus, ponimus et collocamus.

§ 8. Quia vero pietas, prudentia et fidelitas eiusdem Congregationis nobis satis nota existit, administrationem illius, tam quoad regimen, disciplinam et victum hospitiûm, quam circa receptionem et dimissionem illorum et cuiuslibet ministrorum, necnon etiam reddituum, honorum, aliorumque praemissorum, ut supra, et in alios usus convertentes et erogantes¹, cum hoc tamen quod vigore mandatorum palatii apostolici praefecti, cui bis in quolibet anno, et quoties ei magis libuerit, ratio administrationis reddituum huiusmodi reddi debeat, eidem Congregationi concedimus et tribuimus ac reservamus; et insuper eidem Congregationi, pro felici directione et gubernio eiusdem hospitiûm per nos erecti, quaecumque statuta et ordinationes, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis minime contraria, faciendi, decernendi, eaque, cum opus fuerit, revocandi, immutandi et corrigendi, aliaque de novo condendi (quae, posteaquam facta, edita, revocata, im-

Declarat illud esse membrum palatii apostolici et ab ipso omnino dependens.

Committit a Administrationem illius Congregationi prout in rubrica.

¹ Videtur atque pro ac quae legendum (R. T.).

² Potius lege illorum pro illorumque (R. T.).

¹ Quomodo legendum et ordinanda syntaxis, non satis liquet (R. T.).

mutata et correcta ac de novo condita fuerint, perinde habeantur et observentur ac si auctoritate apostolicâ approbata et confirmata essent, prout illa ab omnibus, ad quos spectabit, haberi et inviolabiliter observari mandamus¹,

Concedit omnia privilegia exemptiones et indulgentias quibus gaudent palatium apostolicum, et Romanus Pontificibus pro tempore inservientes.

§ 9. Et insuper eidem hospitio, illiusque hospitibus et ministris, aliisque personis in eo pro tempore degentibus et existentibus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus palatium nostrum apostolicum, nobisque ac Romanis Pontificibus inibi inservientes et assistentes, ac in eo degentes, et tam in spiritualibus quam in temporalibus, quomocumque utuntur, potiuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aequè principaliter uti, frui, potiri et gaudere valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si novum hospitium huiusmodi ac ministri et hospites et in eo degentes intra dicti palatii limites permanerent, etiam concedimus et indulgemus.

Indulgentia plenaria omnibus recipiendis hospitibus et ministris, aliisque in dicto hospicio degentibus, in ipso ingressu, prout in rubrica.

§ 10. Postremo, ut temporalibus commodis spiritualia quoque munera coniungamus, quibus fidelium devotio eis munita crescere magis et augeri possit, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus recipiendis hospitibus destinatis, et ministris, aliisque in dicto hospicio degentibus, in ipso ingressu, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pias ad Deum preces pro haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, ac inter christianos principes faciendâ et fovendâ pace, ac Romani Pontificis salute effuderint, ac etiam quos in eodem hospicio

¹ Videtur deesse facultatem (R. T.).

decedere contigerit, si poenitentes et confessi ac sacrâ communionem refecti, si id commode fieri poterit, ac saltem contriti, in eorum mortis articulo dulcem nomen Iesu corde, si ore nequiverint, devote invocando¹, plenariam omnium et singulorum suorum peccatorum indulgentiam et remissionem perpetuo concedimus.

§ 11. Decernentes praedicta omnia subsistere, necnon praesentes litteras ex quovis capite, etiam iuridico et legitimo, pio, privilegiato, speciali notâ digno, ac de necessitate iuris vel facti omnino exprimendo, aut aliâs, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam forsitan ex eo quod in praemissis interesse habentes aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui seu impugnari, aut adversus eas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium seu oris aperiitionis impetrari, vel etiam motu simili concedi nunquam posse, illasque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede Apostolicâ emanatis et in posterum emanandis, minime comprehendi posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, eidemque hospicio plenissime suffragari, sicque et non aliâs in praemissis et circa ea per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublata eis et eorum cuilibet quavis indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

¹ Syntaxis ratio vellet invocaverint (R. T.).

Exequutores
designat.

§ 12. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac eiusdem Camerae nostrae thesaurario, necnon nostri palatii apostolici auditori decano, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando pro parte eiusdem hospitii administratorum et ministrorum seu deputatorum pro tempore existentium, aut alicuius eorum, requisiti fuerint, solemniter publicantes, ac eis in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, et memoratos hospitii administratores et ministros seu deputatos praedictos, aliosque pro tempore interesse habentes huiusmodi, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; nos enim praefatis auditori, thesaurario et decano, et eorum cuilibet, omnes, quos opus fuerit, etiam per edictum publicum, constituto de non tuto accessu, citandi, illisque et eorum cuilibet etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis inhibendi, contradictores, servatâ formâ Concilii Tridentini, incidisse¹ declarandi, gravandi, reaggravandi, et interdicendi, auxiliumque brachii saecularis etiam ad hoc, si opus fuerit, invocandi, aliaque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus.

Contrariis latissime derogat.

§ 13. Non obstantibus praemissis, et,
1 Deest aliquid, ex. g. *in eas* (R. T.).

quatenus opus sit, felicitis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de registrandis gratiis interesse Camerae Apostolicae quomodolibet concernentibus, necnon regulâ nostrâ seu mandato de non tollendo iure quaesito, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus aliisque specialibus vel generalibus conciliis editis vel edendis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac hospitalium et xenodochiorum Urbis, et Congregationis Eremitarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et eorum cuilibet, et quibusvis aliis superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum, ac etiam in favorem aliorum hospitiorum, aliorumque superiorum et personarum, in genere vel in specie, quomodolibet, etiam pluries, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac etiam de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, latissime et validissime, ac specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus, ac, quatenus opus sit, pia memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris

noſtri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas ad iudicium vigore praesentium non trahatur; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 14. Volumus autem quod praesentium transumptis eadem prorsus fides adhibeatur tam in iudicio quam extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, assignationis, subiectionis, exemptionis, liberationis, concessionis, communicationis, indulti, constitutionis, deputationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXV, III idus martii, pontificatus nostri anno v.

G. cardinalis prodatarius.

I. G. SLUSIUS.

Visâ de Curia S. de Pilastris.

D. CLAMPINUS.

Loco † plumbi.

Dat. die 13^a martii 1675, pontif. anno v.

Registrata in Secret. Brevium.

CLXXIX.

Indultum quod in universo Ordine fratrum tam Calceatorum quam Excalceatorum et monialium Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum celebretur sub ritu duplici

1 Male edit. Main. ad marg. legit 50 (R. T.).

de praecepto officium et missa Omnium Sanctorum et Sanctarum dicti Ordinis die XIII novembris.

Clemens Papa X.

ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae servitutis officium, quod ineflabilis divinae maiestatis clementia humilitati nostrae imponere dignata est, exigit ut sanctorum in caelesti Hierusalem cum Christo Iesu Domino nostro regnantium cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, promovere atque ampliari studeamus.

Exordium.

§ 1. Itaque piis dilecti filii nostri Petri tituli S. Marci S. R. E. presbyteri cardinalis Ottoboni nuncupati, Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, precibus benigne annuentes, ac etiam supplicationibus dilecti filii Francisci a sancto Marco procuratoris generalis Congregationis fratrum Excalceatorum nuncupatorum eiusdem Ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ipsumque Franciscum procuratorem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ut in futurum omnes et singuli tam Calceati quam Excalceati fratres et moniales Ordinis praefati semel in anno, nempe die XIII mensis novembris, officium et missam Omnium Sanctorum et Sanctarum eiusdem Ordinis, iuxta rubricas breviarii et missalis ipsius Ordinis, sub ritu duplici recitare et respective celebrare, et quoad dispositionem dicti

Indulget ut in rubrica.

officii, se concessioni aliàs, videlicet die XI octobris MDCLXXI, Ordini⁴ fratrum Eremitarum sancti Augustini factae, conformare, omniaque in calendario brevii et missalis Ordinis primodieti de praecepto apponi et imprimi curare, libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Conteatis derogat.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticà dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxvii martii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 27 martii 1675, pontif. anno v.

CLXXX.

Confirmatio summarii indulgentiarum archiconfraternitatis et confratrum cinchuratum Ordinis Eremitarum sancti Augustini.

Clemens Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex innumero nobis caelitus apostolicae servitutis munere spiritualium gratiarum concessionibus, ex pià prudentique huius sanctae Sedis dispensatione provide emanatas, quibus christifidelium devotio ad pietatis opera incitatur et confovetur, apostolici muniminis praesidio libenter constabilimus, et aliàs

I Male edil. Main. legit *Ordinis* (n. r.).

desuper statuimus, sicut, deliberatione praevià, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Gregorius Papa XV, praedecessor noster, omnia et singula privilegia, indulgentias, praerogativas, facultates, gratias et indulta quaecumque archiconfraternitati Cincturatorum nuncupatae sancti Augustini et sanctae Monicae, sub invocatione B. Virginis Mariae de Consolatione nuncupatae, in ecclesià S. Iacobi Bononiensi canonice institutae, sive aliis quorumcumque locorum confraternitatibus ei debite annexis, et illius sive illarum utriusque sexus confratribus cincturatis pro tempore existentibus, tam per recolendae memoriae Gregorium XIII et Gregorium XIV, quam quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores pariter nostros, quandoemque et quomodocumque, etiam per viam et modum extensionis, ampliacionis et communicationis, ac aliàs, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, eadem quomodolibet concessa, et aliquando revocata, ac sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, restrictionibus et modificationibus auctoritate apostolicà etiam quodocumque et qualitercumque factis comprehensa, decretis tamen Concilii Tridentini non repugnantia, necnon litteras desuper emanatas, eadem auctoritate perpetuo approbavit et confirmavit ac innovavit, eisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecit; et nihilominus, pro potiori cautelà, illa omnia, cum eorum extensionibus, ampliacionibus et communicationibus praedictis, demum, etiam perpetuo concessit, et aliàs prout in ipsius Gregorii XV praedecessoris desuper sub plumbo, anno Incarnationis

Gregorius XV omnes indulgentias pro cincturatis confirmat et de novo concedit.

Domineae MDCXXI, III nonas iunii, expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causa huius
novae confir-
mationis et con-
suetudinis.

§ 2. Cum autem, sicut venerabilis frater Iosephus Eusanius episcopus Porphyriensis sacrarii nostri apostolici praefectus nobis nuper exponi fecit, subinde Congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita quasdam litteras die XXIII martii MDCXXIX ad tunc existentem priorem generalem Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini dederit, quibus indulgentiae archiconfraternitati eique aggregatis confraternitatibus praedictis a Romanis Pontificibus concessae (quippe quae a pia memoriae Paulo Papa V, etiam praedecessore nostro, per suas litteras, quarum initium *Cum certas, etc.*, die II octobris MDCVI editas, revocatae fuerant, tametsi a memorato Gregorio XV praedecessore per suas litteras praefatas innovatae fuissent) reiici posse videbantur; verum Congregatio venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praeposita, re diligentius examinata, censuerit nihil ob stare quominus archiconfraternitatis et confraternitatum huiusmodi confratres omnibus et singulis indulgentiis per easdem Gregorii XV praedecessoris litteras confirmatis et innovatis uti et frui possent ac deberent, et alias, prout in ipsius Congregationis decreto desuper XVII aprilis MDCLXXI emanato etiam continetur; quia vero in dictis Gregorii praedecessoris litteris specificè non exprimuntur indulgentiae a praedictis Romanis Pontificibus concessae, ideo ab eadem Congregatione cardinalium delecti fuerant¹ duo ex consultoribus illius, nempe dictus Iose-

¹ Aptius lege fuerint (R. T.).

phus episcopus, ac dilectus filius Iulius Maria de Blanchis Ordinis Praedicatorum professor, in sacra theologia magister, qui singulas indulgentias huiusmodi ex authenticis colligerent documentis, ad hoc ut possent postmodum, ad formam Constitutionis similis recollendae memoriae Clementis Papa VIII praedecessoris pariter nostri quae incipit *Quaecumque, etc.*, et decreti eiusdem Congregationis die XVI martii dicti anni MDCLXXI editi, nominatim et in specie communicari; ipsis autem consultoribus sic delectis de nonnullis indulgentiarum capitibus non consentientibus, visum fuerit eidem cardinalium Congregationi, quod, quidquid in controversiam veniret, bonae memoriae Ioanni, dum vixit, S. R. E. praefatae presbytero cardinali Bonae nuncupato definiendum proponi, et post habitam inter eosdem consultores collationem, iterumque examinata capita illa, consentientibus in eunctis consultoribus praedictis, reque omni per praefatum Ioannem cardinalem expensa et probata, confectum fuerit summarium indulgentiarum huiusmodi, ex originalibus Romanorum Pontificum litteris aliisque authenticis documentis excerptum, tenoris qui sequitur, videlicet:

SUMMARIUM

Indulgentiarum archiconfraternitatis Cincturatorum S. Augustini et S. Monicae sub invocatione B. Virginis Mariae de Consolatione, erectae Bononiae in ecclesia S. Iacobi, et confraternitatum eidem aggregatarum.

Praemittendum primo confratres cincturatos utriusque sexus uti, frui et gaudere gratis spiritualibus toti Ordini Eremitarum S. Augustini concessis, ex Gregorio XIII in Brevi *Ad augendam*, die XVI decembris MDLXXVIII, anno VII

Cincturati gaudent indulgentiis et gratis concessis Ordini Eremitarum sancti Augustini.

¹ Vox quod redundat (R. T.).

pontificatus, et in alio eiusdem Pontificis; *Cum sicut, etc.*, die xv decembris MDLXXIX, his verbis: « Confratres utriusque sexus confraternitatum Corrigatorum nuncupatarum sancti Augustini, ut frui et gaudere possint indulgentiis, et participes¹ omnium gratiarum spiritualium Ordini ipsius sancti Augustini concessarum, omniumque bonorum, quae in dicto Ordine pro tempore fient, inter alia teneantur quotidie recitare tredecim *Pater Noster* et totidem *Ave Maria*, et unum *Salve Regina* pro salute Romani Pontificis et felici statu S. Matris Ecclesiae; et, si ipsum *Salve Regina* dicere ignoraverint, loco *Salve Regina*, quinque *Ave Maria* devote recitando, easdem indulgentias et gratias spirituales consequantur quas consequerentur si ipsum *Salve Regina* recitarent ».

Concessae Congregationi dicti Ordinis extenduntur ad totum Ordinem.

Secundo. Praemittendum est, quod Leo X, *Solet annuere*, vii kalendas augusti MDXIII, anno 1, singula privilegia, immunitates, exemptiones, concessionem indulgentias et peccatorum plenarias remissiones et indulta quaecumque quibusvis domibus et congregationibus aut aliis locis et illorum personis dicti Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini olim in genere vel in specie concessa, ac imposterum concedenda, ad ipsum Ordinem fratrum Eremitarum sancti Augustini et illius personas, ac si illis specialiter concessa fuissent, extendit et communicat, ut eis gaudeant et utantur, ac si eis et singulis eorum domibus et personis in specie concessa fuissent. Hoc idem antea in simili forma concesserat Iulius II, *Dum fructus uberis*, vii kalendas iulii MDVII, anno IV; et Alexander IV, licet non tam generaliter, in Bulla *Ut eo libentius*, xiii kalendas augusti, anno 1, necnon in alia

¹ Deest verbum *esse* vel *feri* (R. T.).

Oblata nobis, xii kalendas maii, anno III, quae fuerunt innovatae per Martinum V, *Sincerae*, iv kalendas maii, anno VI, et per Sixtum IV, *Dum fructus uberis*, MCDLXXIV, vii idus februarii, anno IV, in *Marimagno*. Denique idem Sixtus IV in Bulla *Inter praecipuas*, MCDLXXII, x kalendas ianuarii, anno II, Congregationi Lombardiae praefati Ordinis eiusque professoribus, domibus et locis universis concedit et pariter indulget, quod ipsi¹ omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis et gratiis, ecclesiae et domui de Populo earumque personis per Sedem Apostolicam haecenus concessis, in omnibus et per omnia uti valeant et gaudere.

Tertio. Praemittendum est, quod Gregorius XIII in Brevi *Ad augendam*, ut supra, cum² inter gratias spirituales dictae confraternitati tam in particulari concessas, quam forsitan per participationem indulgentiarum Ordinis Eremitarum sancti Augustini vel cuiusvis alterius religionis communicatas, nonnullae reperiantur cum clausula *manus adiutrices porrigendi*, quae quidem per Sedem Apostolicam fuerunt revocatae, vult et decernit quod eademmet indulgentiae et spirituales gratiae dictis confratribus suffragenter aequae ac si illis dicta clausula non adesset, quam penitus abrogat, dummodo, loco porrigendi manus adiutrices, quinque vicibus orationem dominicam et totidem salutationem angelicam pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et haeresum extirpatione recitent.

Abrogatur clausula manus adiutrices.

Ultimo praemittendum est quod Iulius II, *Nihil est*, die xxiv septembris MDVIII, pontificatus anno V, ut omnia quam firmissima sint quae Ordini praedicto Apostolica Sedes elargita est, pro-

Omnia concessa dicto Ordini habent vim builtae.

¹ Edit. Main. legit *ipse* (R. T.).

² Particulam *cum* nos addimus (R. T.).

prio et motu et scientiâ, atque de plenitudine potestatis, vult, statuit et decernit ut quaecumque concessio Ordini praefato facta, sive per se, sive per communionem, quam fecit cum aliis Ordinibus et congregationibus, eandem omnino vim et efficaciam perpetuo habeant, tam in iudicio, quam extra iudicium, ac si sub plumbeo sigillo obsignatae essent; quod intelligi vult tam de his quae in formâ Brevis, quam de his quae per supplicationes expeditae sunt, in quibus placuit ut sola signatura sufficeret: quamobrem quaecumque fuerunt eidem Ordini utemque concessa, sive ipsa exemplaria sive eorum transumpta ostendantur praelati alicuius aut publici notarii manu signata aut etiam generalis Ordinis sigillo firmata, eodem motu, scientiâ et potestate decernit mandatque eandem omnino et vim esse et fidem adhiberi, ac si plumbi signum haberent. Idem habet Leo X. *Licet sponte*, die vi maii MDXIV, pontificatus anno II.

Indulgentiae autem praedictis confratribus seu consorioribus concessae, sunt sequentes:

I. — **In festis Domini.**

Indulgentia
centum dierum
in festo Nativitatis Domini.

Et 1° in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, collegimus viginti quatuor cardinalium in litteris sub datum Romae anno MDXCVIII die XXVIII maii sub Alexandro VI, anno VI, videlicet quilibet ipsorum per se, praefatis utriusque sexus confratribus vere poenitentibus et confessis, qui cappellam confraternitatis a primis usque ad secundas vespere inclusive devote visitaverint, et manus porrexerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII, ut supra, quinquies orationem dominicam, et toties salutationem angelicam recitaverint), annuatim, pro die praedicto, quo id fecerint, centum dies

de iniunctis eis poenitentibus misericorditer in Domino relaxat: quod ex constitutione Sixti IV *Inter praecipuas* confirmatur.

2° In festivitate S. Spiritus, et usque ad octavam ipsius, eisdem, ut supra, confratribus vere poenitentibus et confessis, qui Ordinis ecclesiam, et cappellam vel altare confraternitatis annis singulis venerabiliter visitaverint, unus annus et quadraginta dies de iniunctâ poenitentia misericorditer relaxantur (Alexander IV, *Sanctorum meritis*, III idus februarii, pontificatus anno III).

3° In festis Nativitatis Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes, ac per octavas eorum, et in festo Circumcisionis, praedictis confratribus vere poenitentibus et confessis, atque manus porrigentibus adiutrices (ex indulto Gregorii XIII, quinquies, etc., ut supra), necnon ecclesias Ordinis et altare vel cappellam confraternitatis annuatim devote visitantibus, mille anni et totidem quadragenae misericorditer relaxantur (Innocentius IV. *Quoniam*, VI kalendas maii, pontificatus anno I).

4° In omnibus festivitatibus Domini nostri Iesu Christi, et per octavas ipsarum, praefatis confratribus vere poenitentibus et confessis, venientibus ad ecclesias Ordinis Eremitarum sancti Augustini, et altare vel cappellam confraternitatis ut supra visitantibus, septuaginta anni et totidem quadragenae indulgentiae; eisdemque pariter visitantibus ut supra in omnibus praedictis festis Domini, dando aliquid in adiutorium pro fabricâ dictarum ecclesiarum, sive oratorii vel cappellae confraternitatis (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc., et supra), per quamlibet illarum festivitatum centum anni et centum quadragenae indulgentiae suorum peccatorum

Unius anni et quadraginta dierum in festo S. Spiritus usque ad octavam.

Mille annorum et totidem quadragenarum in festis hic expressis.

Septuaginta annorum et totidem quadragenarum in omnibus festis Domini et per octavas.

conceduntur (Gregorius IX, ex transumpto Oscensi, die x ianuarii MDCLXXIV).

II. — In festis B. Mariae Virginis.

In festo Nativitatis B. Virginis indulgentia Portiunculae.

Et 1° in festivitate Nativitatis eiusdem Virginis Mariae confratribus praedictis vere poenitentibus et confessis, qui Ordinis ecclesiam et altare vel cappellam confraternitatis a primis vesperis usque ad secundas vespervas devote visitaverint, annuatim, et manus porrexerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII, quinquies, etc.), illa indulgentia et remissio peccatorum conceditur, quam ecclesiam B. Mariae in Portiuncula dictam de Angelis extra muros Assisinatenses primo, hoc est a vesperis primis eiusdem diei, et secundo diebus mensis augusti annuatim visitantes quomodolibet consequuntur (Bonifacius IX, *Dum praecelsa*, iii kalendas septembris, anno xi).

Item indulgentia plenaria.

Eodemque die praedicti confratres vere poenitentes et confessi, seu statutis a iure temporibus firmum confitendi propositum habentes, qui Ordinis ecclesiam et altare sive cappellam confraternitatis a primis vesperis usque ad secundas vespervas diei huiusmodi devote visitaverint, et inibi pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, et haeresum extirpatione, necnon pace inter principes christianos conservandâ ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequuntur (Pius IV, *Salvatoris*, anno Incarnationis Dominicae MDLXIII, x kalendas martii, anno v).

Item alia similis indulgentia.

Eadem pariter die Gregorius XIII *Reddituri*, ut supra, iisdem vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem refectis, qui ecclesiam Ordinis ac confraternitatis altare a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, et pias inibi preces ad Deum

pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, infidelium conversione, et haeresum extirpatione, ac aliis, prout mienique suggeret devotio, fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargitur.

Similiter in eadem Nativitate, ac etiam in Annuntiatione eiusdem Beatae Mariae, collegium vigintiquatuor cardinalium, ut supra, praedictis confratribus, pariter ut supra, annuatim pro singulis festivitatibus seu diebus praedictis, quibus id fecerint, centum dies de iniunctis eis poenitentibus misericorditer in Domino relaxat.

In eodem festo et Annuntiationis centum dierum.

2° In dominicâ infra octavam Assumptionis B. Mariae Virginis praedicti confratres vere poenitentes et confessi ac devote visitantes Ordinis ecclesiam et cappellam confraternitatis, ut supra, a primis vesperis usque ad occasum solis subsequentis diei, et manus porrigentes adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), lucrantur omnes et singulas indulgentias etiam plenarias per felicis recordationis Innocentium IV et alios Romanos Pontifices praedecessores visitantibus ecclesias domorum dicti Ordinis, et manus porrigentibus adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.) concessas (Iulius II, *Et si cuncti*, nonis iulii MDVI, anno III).

In dominicâ infra octavam Assumptionis omnes indulgentiae concessae Ordini.

3° In Festo Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis et Purificationis B. Mariae, necnon per octavas Nativitatis et Assumptionis eiusdem Beatae Mariae, praedictis confratribus vere poenitentibus et confessis, atque manus porrigentibus adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), necnon Ordinis ecclesiam et cappellam aut altare confraternitatis annuatim devote visitantibus, mille anni et totidem quadrage-nae misericorditer relaxantur (Innocentius IV, *Quoniam*, ut supra).

Mille annorum et totidem quadrage-narum in festis et octavis hic expressis.

In omnibus festis B. Mariae Virginis et per octavas septuaginta annorum et totidem quadragenae.

4° In omnibus festivitibus B. Mariae matris Domini nostri Iesu Christi, et per octavas ipsarum, praefatis confratribus vere poenitentibus et confessis, qui ad ecclesias Ordinis venerint, et cappellam vel altare confraternitatis visitaverint, septuaginta anni et totidem quadragenae indulgentiae, eisdemque pariter visitantibus ut supra in omnibus praedictis festis Dominae nostrae Sanctae Mariae, dando aliquid in adiutorium pro fabrica dictarum ecclesiarum sive cappellae vel altaris confraternitatis (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), per quamlibet illarum festivitatum; centum anni et centum quadragenae indulgentiae suorum peccatorum conceduntur (Gregorius IX, ut supra).

Item indulgentia plenaria.

5° Singulis anni festis eiusdem B. Mariae Virginis Gregorius XIII, *Ad ea*, die xv iunii MDLXXV, pontificatus anno IV, omnibus et singulis utriusque sexus confratribus praedictis vere poenitentibus et confessis, qui altare ut supra devote visitaverint, et ibi oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedit et relaxat.

III. — In festis apostolorum.

In festo S. Iacobi Maioris centum dierum.

Et 1° in festivitate S. Iacobi Maioris collegium vigintiquatuor cardinalium, videlicet quilibet ipsorum per se, eisdem confratribus vere poenitentibus et confessis, atque visitantibus, ut supra, annuatim, die praedicto quo id fecerint, centum dies de iniunctis eis poenitentibus misericorditer in Domino relaxat.

In festis sanctorum apostolorum et evangelistarum mille annorum et totidem quadragenae.

2° In festo apostolorum Petri et Pauli et in solemnitatibus apostolorum et evangelistarum iisdem confratribus vere poenitentibus et confessis, atque manus porrigentibus adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), necnon Ordinis ecclesias et cappellam vel altare

confraternitatis annuatim devote visitantibus, mille anni et totidem quadragenae misericorditer relaxantur (Innocentius IV, *Quoniam*, ut supra).

3° In festis omnium apostolorum, per quamlibet illarum festivitatum, praefatis confratribus visitantibus Ordinis ecclesias et cappellam vel altare confraternitatis, dando aliquid in adiutorium pro fabrica dictarum ecclesiarum (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.) centum anni et centum quadragenae indulgentiae suorum peccatorum; eisdemque pariter vere poenitentibus et confessis ad dictas ecclesias Ordinis venientibus, et cappellam vel altare confraternitatis ut supra visitantibus, in omnibus festivitibus apostolorum et evangelistarum, septuaginta anni et totidem quadragenae indulgentiae conceduntur (Gregorius IX, ut supra).

In festis sanctorum apostolorum centum annorum et totidem quadragenae.

IV. — In festis sanctorum Ordinis.

Et 1° in festo beati Augustini doctoris Ecclesiae, et per octavam eius, praedictis confratribus vere poenitentibus et confessis, venientibus ad dictas Ordinis ecclesiae et cappellam vel altare ut supra visitantibus, septuaginta anni et totidem quadragenae indulgentiae conceduntur (Gregorius IX, ut supra).

In festo S. Augustini et per octavam septuaginta annorum et totidem quadragenae.

Eodemque festo praedictis vere poenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam Ordinis et ad cappellam vel altare confraternitatis causa devotionis accesserint, annuatim centum dies de iniuncta poenitentia misericorditer relaxantur (Alexander IV, *Vitae perennis*, v idus iunii, pontificatus anno v).

In eodem festo centum dierum.

In omnibus pariter festivitibus beati Augustini praedictis confratribus vere poenitentibus et confessis, qui praefatas Ordinis ecclesias, et cappellam vel altare confraternitatis ut supra devote visitaverint annuatim, et manus porre-

Item mille annorum et totidem quadragenae.

xerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), mille anni et totidem quadragenae misericorditer relaxantur (Innocentius IV, *Quoniam*, ut supra).

In festis S. Augustini et S. Monicæ indulgentia plenaria.

2° In diebus festivitatum eiusdem sancti Augustini et sanctæ Monicæ, Gregorius XIII, *Ad augendam*, ut supra, prædictis confratribus, qui poenitentes et confessi ac sanctissimâ communionem refecti ecclesias Ordinis et prædictam confraternitatis cappellam, ac sancti Augustini et sanctæ Monicæ huiusmodi sita altaria, a primis vesperis usque ad occasum solis, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro pace inter christianos principes conservandâ, ac hæresum extirpatione, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concedit. Neenon idem Gregorius XIII, *Et si cunctæ*, idibus decembris MDLXXX, prædictis similiter vere poenitentibus et confessis, qui cappellam sanctæ Monicæ a primis vesperis ut supra singulis annis devote visitaverint, et inibi pro Sedis Apostolicæ exaltatione hæresumque extirpatione pias ad Deum preces effuderint et Eucharistiæ sacramentum sumpserint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargitur.

In eisdem festis et S. Nicolai de Tolentino indulgentia plenaria.

3° In diebus item festivitatum ipsius divi Augustini, ac sanctæ Monicæ eiusdem Augustini matris, et S. Nicolai confessoris de Tolentino nuncupati, statuitur et ordinatur, quod omnes et singuli utriusque sexus confratres prædicti vere poenitentes et confessi, qui Ordinis ecclesiam et cappellam vel altare confraternitatis, a primis vesperis vigiliarum et per totam diem festivitatum earum-

dem inclusive, devote visitaverint annuatim, et manus ad eisdem ecclesiæ sive cappellæ vel altaris confraternitatis reparationem, restaurationem et augmentum porrexerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), pro qualibet die festivitatum huiusmodi, omnium et singulorum suorum criminum et delictorum ac peccatorum (etiamsi de illis tunc memores non extiterint, dummodo, si memoriam illorum haberent, illa confitendi propositum habuerint, et si recordati aliquando confessi fuerint), plenissimam auctoritate apostolicâ remissionem misericorditer consequuntur (Sixtus IV, *Dum attente*, anno Incarnationis Dominicæ MDLXXIX, XII kalendas aprilis, pontificatus anno IX).

4° Conceditur etiam prædictis confratribus vere poenitentibus et confessis, qui in dominicâ festum S. Nicolai de Tolentino immediate sequente, a primis vesperis usque per totum diem ipsius dominicæ, cappellam eiusdem S. Nicolai et altare confraternitatis devote visitaverint, annuatim illa indulgentia et remissio peccatorum, quam visitantes ecclesiam B. Mariæ in Portiuncula, aliâ dictam de Angelis, ut supra annuatim quomodolibet consequuntur (Bonifacius IX, *Licet is*, kalendis martii, pontificatus anno XI).

In dominicâ festum dicti sancti Nicolai sequente indulgentia Portiunculæ.

V. — In aliis diebus anni.

Et 1° in festis S. Ioannis Baptistæ et Omnium Sanctorum prædictis per quamlibet illarum festivitatum visitantibus Ordinis ecclesias et cappellam vel altare confraternitatis, centum anni et centum quadragenae indulgentiæ suorum peccatorum, dando aliquid in adiutorium pro fabricâ dictarum ecclesiarum sive cappellæ vel altaris confraternitatis (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.) conceduntur (Gregorius IX, ut supra):

In festis S. Ioannis Baptistæ et Omnium Sanctorum centum annorum et totidem quadragenæ.

eisdemque vere poenitentibus et confessis, in Nativitate S. Ioannis Baptistae, necnon per eiusdem octavam, et celebritate praedictâ Omnium Sanctorum, qui devote visitaverint ecclesias Ordinis et cappellam vel altare confraternitatis ut supra annuatim, et manus porrexerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), mille anni et totidem quadragenae misericorditer relaxantur (Innocentius IV, *Quoniam*, etc.).

A feriâ sextâ dominicae terciae quadragesimae usque ad octavam Resurrectionis decem et septem annorum et totidem quadragenae.

2^o A feriâ sextâ post dominicam tertiam Quadragesimae usque ad octavam Resurrectionis dominicam, praedictis vere poenitentibus et confessis, qui fide ac reverentiâ praeviis ad gratiam implorandam cum eleemosynis accesserint (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), diebus singulis quibus Ordinis ecclesiam et cappellam vel altare confraternitatis ut supra visitaverint, annorum decem et septem et quadragenarum totidem indulgentia conceditur. (Ex litteris authenticis Raynaldi archiepiscopi Thebani, ac in Urbe vicarii generalis Clementis Papae V, anno mcccix, die xxx martii, eiusdem Clementis pontificatus anno iv).

A septuagesima usque ad octavam Paschae mille annorum et totidem quadragenae.

3^o A dominicâ Septuagesimae inclusive usque ad octavam Paschae, praedictis vere poenitentibus et confessis, qui devote visitaverint Ordinis ecclesias et cappellam vel altare confraternitatis ut supra annuatim, et manus porrexerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), mille anni et totidem quadragenae misericorditer relaxantur (Innocentius IV, *Quoniam*, ut supra).

Orationem secretam recitantibus septem annorum et totidem quadragenae.

4^o Leo X, *Cum sicut accepimus*, die vi ianuarii MDXV, pontificatus anno II, omnibus et singulis corrigiatorum confratribus in toto christianorum orbe constitutis, qui vel quae orationem secretam consuetam Ordine Eremitarum sancti Augustini singulis diebus in communi, vel ex se orationem pro statu

S. R. E. et pro Summo Pontifice dici consuetam, vel eam quae incipit *Salve Regina* devote dixerint, septem annos de verâ indulgentiâ et totidem quadragenas concedit et indulget.

5^o Diebus stationis in missali romano praescriptis, praedicti cincturarum¹ confratres, qui contriti et confessi in ecclesiis Ordinis singulis diebus pro tempore quadragesimali visitaverint tria altaria, scilicet altare confraternitatis, et alia duo a prioribus eiusdem Ordinis deputanda, et quinque *Pater noster* totidemque *Ave Maria* ob reverentiam dominicae Passionis et gloriosae Dei genitricis Mariae genibus flexis cum oratione, quae pro Summo Pontifice fieri consuevit, videlicet *Deus omnium fidelium Pastor*, etc. dixerint, eandem indulgentiam consequuntur, quam habituri essent si romanis stationibus interessent. Qui vero dictam orationem dicere nesciverint, loco illius dicant *Salve Regina* pro felici conservatione status Ecclesiae Romanae et Summorum Pontificum qui pro tempore fuerint. Ubi vero tot altaria non essent, ter dictas orationes et *Pater* cum *Ave Maria* replicent ante altare confraternitatis (Sixtus IV, *Per signaturam*). Innocentius deinde VIII in Bullâ *Cum aliâs*, die vii decembris MCDLXXXIX, pontificatus anno vi, praedictas indulgentias stationum almae Urbis, pro tempore quadragesimali ut supra concessas, confirmavit, et ad stationes totius anni (ad normam missalis romani ut supra) extendit; et nihilominus si contingat, aliquem ex legitimâ causâ a locis, ubi sunt ecclesiae praefati Ordinis, sive altare confraternitatis, abesse, in quacumque ecclesiâ et loco etiam unum tantum altare habente, si ante dictum altare eas orationes, quae ante tria altaria fieri iuventur, ter dixerit, praefatas totius anni

Eisdem cincturatis communicantur stationes quadragesimae.

¹ Legendum cincturatum (B. T.).

indulgentias perinde consequantur, ac si eas coram tribus altaribus ut supra deputatis dixerit, indulisit.

A primis vespertis diei martis usque per totum diem mercurii maioris hebdomadae indulgentia plenaria.

6° In hebdomadâ maiore praefati corrigiatorum confratres vere poenitentes et confessi, qui Ordinis ecclesiam et cappellam vel altare confraternitatis ut supra a primis vespertis diei martis dictae maioris hebdomadae usque per totum diem mercurii immediate sequentem devote visitaverint annuatim, et ad earundem conservationem manus porrexerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), illam perpetuis temporibus indulgentiam et peccatorum remissionem lucrantur, quam visitantes ecclesiam S. Marci de Venetiis Castellanensis dioecesis in festo Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi annuatim quomodolibet consequantur (Bonifacius IX, *Sincerae devotionis*, iv kalendas martii, pontificatus anno ix). Eodem pariter die mercurii, necnon die iovis, et die veneris hebdomadae sanctae, praefati confratres vere poenitentes et confessi, qui devote visitaverint ecclesias Ordinis et cappellam aut altare confraternitatis ut supra annuatim, et manus porrexerint adiutrices (ex indulto Gregorii XIII quinquies, etc.), a poenâ et a culpâ misericorditer relaxantur (Innocentius IV, *Quoniam*, ut supra; quam concessionem Sixtus IV, *Inter praecipuas*, ut infra, indulgentiam plenariam nominat).

In omnibus sabbatis quadragesimae indulgentia plenaria.

7° In omnibus sabbatis Quadragesimae praedictis confratribus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesias Ordinis et cappellam vel altare confraternitatis ut supra qualibet die sabbati singularum hebdomadarum Quadragesimae devote visitaverint annuatim, omnium peccatorum suorum remissio et venia conceditur (Sixtus IV, *Cum ineffabilia*, anno Incarnationis Dominicae MCDLXXIX, xiii kalendas iulii, pontificatus

anno viii). Praeterea singulis diebus sabbati totius anni, iisdem vere poenitentibus et confessis atque sacrâ communionem refectis, qui ecclesiam Ordinis et cappellam vel altare confraternitatis ut supra devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione piâs ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissio misericorditer in Domino conceditur (Gregorius XIII, *Ineffabilia*, die xxv ianuarii MDLXXXII, pontificatus anno x).

8° Iisdem confratribus, semel in vitâ, ut confessorem idoneum regularem dicti Ordinis (iuxta Concilii Tridentini decreta ab Ordinario approbatum), quem ipsi corrigiati, et eorum quilibet duxerit eligendum, qui ipsos confratres et eorum quemlibet ab eorum excessibus et delictis absolvere (exceptis casibus in Bullâ Coenae contentis et casibus episcopis locorum reservatis, ac aliis ad formam Constitutionis *Quaecumque* Clementis VIII), et eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere, ac plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargiri possit, apostolicâ auctoritate conceditur et indulgetur. Quam etiam in articulo mortis vere poenitentes et confessi consequi possunt (Iulius II, *Dum fructus uberes*, ut supra).

Semel in vitâ et in articulo mortis possunt absolvi ab omnibus delictis et peccatis cum indulgentia plenaria.

9° Plenariam quoque indulgentiam in articulo mortis lucrari possunt praedicti confratres, si vere poenitentes et confessi nomen Iesu ore vel corde invocaverint (Gregorius XIII, *Et si cunctae*, ut supra, et *Reddituri*, pariter ut supra).

Invocantibus nomen Iesu in articulo mortis indulgentia plenaria.

VI. — In processionibus

Et 1° Gregorius XIII, *Ad ea*, ut supra, omnibus et singulis utriusque sexus confratribus praedictis vere poenitentibus et

Interessentibus processioni quartae dominicae cuiuslibet

in his indulgentia plenaria.

confessis, qui quartâ dominicâ cuiuslibet mensis, cessante legitimo impedimento, dictae processioni interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem; ac eisdem confratribus missae solenni quartâ dominicâ cuiuslibet mensis ad altare confraternitatis, ac etiam privatae missae in oratorio sive altari eiusdem confraternitatis dictâ quartâ dominicâ celebrari solitis interessentibus, ac inibi pro Romani Pontificis conservatione, et exaltatione Sedis Apostolicae, et unione principum christianorum haeresumque extirpatione pias ad Deum preces effluentibus, centum dies de iniunctis eis aut aliâs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino concedit et relaxat. Eandem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in processione praefatae quartae dominicae elargitur idem Gregorius XIII in Brevi *Reddituri*, ut supra, vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis et ut praefertur orantibus. Plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem idem Gregorius XIII, *Ad augendam*, ut supra, praefatis omnibus utriusque sexus dictae confraternitatis confratribus, quando poenitentes et confessi et sanctissimo Eucharistiae sacramento refecti processione semel in mense celebrabunt, misericorditer in Domino perpetuo concedit.

Associantibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ad infirmos centum dierum.

2^o Gregorius XIII, *Et si cunctae*, ut supra, eisdem associantibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, aut, qui infirmitate impediti id facere nequiverint, campanae ad id signo genuflexi, si commode potuerint, ter orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint, centum dies; deinde ipsius utriusque sexus confratribus, qui processioni in festivitate sanctae Monicae fieri solitae

interfuerint, etiam centum dies; praeterea idem Pontifex in alio, *Reddituri*, ut supra, confratribus praefatis, qui ad processiones faciendas convenerint, etiam sexaginta dies de eis iniunctis seu aliâs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxat.

VII. — In exercitio piorum operum.

Et 1^o omnibus utriusque sexus confratribus, qui dederint secundum propriam eorum devotionem aliquam eleemosynam pro reparatione et aedificatione domorum et sustentatione fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, et sive cappellae vel altaris aut oratorii confraternitatis (ex indulto Gregorii XIII quinques, etc.), conceditur facultas, quod possint eligere confessorem idoneum presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis religiosum, ab Ordinario utrumque ut supra approbatum, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis per eos excessibus, criminibus, delictis, quantumcumque gravibus, et omissionibus horarum canonicarum, et a censuris et poenis quavis causâ vel occasione latis (exceptis casibus reservatis ad formam Constitutionis *Quaecumque* Clementis VIII, ut supra), toties quoties opus fuerit, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel in vitâ et semel in mortis articulo plenariam remissionem omnium peccatorum ipsis in sinceritate fidei, unitate S. R. E., ac obedientiâ et devotione Romanorum Pontificum persistentibus impendere, ac poenitentiam salutarem iniungere valeant¹. Et si forsâ contingat personas praefatas sine confessione decedere, dummodo aliqua signa contritionis ante obitum eorum in eis apparuerint, vel morte repentinâ ab hac luce subtraherentur, etiam plena-

Facultas assequendi plenariam remissionem omnium peccatorum et excessuum semel in vita et in articulo mortis.

¹ Aptius tege valeat nempe confessarius (R. T.).

riam absolutionem et remissionem huiusmodi consequuntur. Quod si dederint eandem ut supra elemosynam pro defuncto (seu ex indulto Gregorii XIII, etc.) vere poenitentes et confessi eandem indulgentiam consequuntur, ita quod plenaria indulgentia huiusmodi pro plenissima relaxatione poenarum, quibus in purgatorio igne sunt expositae animae defunctorum suffragetur.

Benefactores
confraternitatis
tam vivi quam
defuncti partici-
pant de omni-
bus bonis,
quae sunt pe-
fratres dicti Or-
dinis et in tota
Ecclesia.

Praedictique confratres benefactores confraternitatis, tam vivi quam defuncti, sunt participes in perpetuum in peregrinationibus et stationibus Terrae sanctae et liminum apostolorum Petri et Pauli, et S. Iacobi in Compostella, et in omnibus suffragiis, precibus, elemosynis, ieiuniis, orationibus, disciplinis et ceteris omnibus spiritualibus bonis, quae fieri et fieri poterunt per fratres dicti Ordinis, et in tota sacrosancta militari Ecclesia, et in omnibus membris eiusdem (Sixtus IV, *Inter praecipuas*, anno Incarnationis Dominicae MCDLXXVII, VI kalendas septembris, pontificatus anno VII).

Procuratori-
bus Ordinis et
confraternitatis
centum annos
rum, etc.

2^o Praedictis confratribus existentibus procuratoribus dicti Ordinis sive confraternitatis, centum annos, et facientibus elemosynam eidem Ordini sive confraternitati (ex indulto Gregorii XIII, quinquies, etc.) quadraginta anni conceduntur indulgentiae (Martinus IV, ex transumpto Oscensi, ut supra). Praeterea Gregorius XIII, *Et si cunctae*, etiam ut supra, eisdem confratribus, quoties divinis officiis in capella aut oratorio confraternitatis celebrandis aut congregationibus vel orationibus per eosdem confratres et sorores fieri solitis interfuerint, vel ex alio casu praestiterint auxilium, consilium vel favorem, centum dies; et in alio, *Reddituri*, etiam ut supra, iisdem qui ad divina officia recitanda, mortuos sepeliendos conven-

rint, aut infirmos et carceratos visiterint, sexaginta dies de eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxat.

3^o Et ultimo praefati confratres et consorores gaudent non solum omnibus indulgentiis, quae directe concessae fuerunt toti Ordini Eremitarum sancti Augustini ex praefatis constitutionibus apostolicis, verum¹ et quibuscumque aliis, quas eidem Ordini concesserunt per communicationem cum Ordinibus Praedicatorum et Minorum Sixtus IV in *Marignano*, *Dum fructus uberes*, VII februarii, MCDLXXIV; Praedicatorum atque Carmelitarum et Servorum Iulius II, *Et si*, die XVII iunii MDVII; cum Mendicantibus omnibus idem Iulius, *Religionem vestram*, die XXX iunii MDVIII; cum aliis Ordinibus et congregationibus idem Iulius, *Nihil est*, die XXIV septembris, MDVIII; cum iisdem Ordinibus omnibus universalissime Alexander IV, *Sacrae Religionis*, die VIII martii MCDXCVII, Leo X, *In rerum*, die X iunii MDXIII, et Gregorius XIII, *Ad augendam*, ut supra; tum etiam Clemens VII, *Romanus Pontifex*, die ultimâ octobris MDXXX, per communicationem cum praedicto Ordine Eremitarum, et cum Ordinibus omnibus eorumque confraternitatibus in amplissima formâ sub his verbis: « Ipsosque fratres, moniales, sorores, personas, monasteria, domos, ecclesias et alia loca religionis huiusmodi omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, indultis et gratiis quibusvis dicti et aliorum Ordinum etiam Mendicantium, etiam de Observantiâ nuncupatorum, ac Ordinis Praedicatorum, Carmelitarum, B. Mariae Servorum, ac Minorum, et aliorum quorumcumque Ordinum fratribus et personis, ac congregationibus, con-

Participatio
indulgentiarum
cum aliis Ordi-
nibus.

¹ Pessime ed. Main. legit *rerum* pro *verum* (R. T.).

fraternitatibus, illorumque ecclesiis, oratoriiis, domibus et aliis piis locis, illorumque prioribus, fratribus et sororibus, conversis et oblatis, corrigiatis, mantellatis et de poenitentia nuncupatis, et aliis utriusque sexus personis per eosdem praedecessores, ac etiam per nos quomodolibet etiam vivae vocis oraculo in genere concessis et in posterum forsitan concedendis, etc., uti, frui et gaudere posse et debere in omnibus et per omnia, perinde ac si tibi et Ordini tuo ac fratribus, monasteriis, ecclesiis et locis eiusdem Ordinis tui concessa fuissent, scientia, auctoritate et tenore prefatis etiam decernimus »; et cum eodem Ordine Eremitarum sancti Augustini tantum Iulius II, die II Iulii MDXII, in Brevi *Prae caeteris*, his verbis: « Declarantes insuper tres superiores eiusdem Ordinis gradus, videlicet, fratres, moniales et mantellatos, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, quae in *Marimagno*, seu aliis concessionibus, tam per nos quam per alios Romanos Pontifices praedecessores nostros Ordini antedicto concessis, continentur et expressa sunt, integre perfui debeant et possint; sed quarti gradus utriusque sexus personae, quibus zonam dari consuetum est, indulgentiis tantum gaudeant ». Hoc iisdem fere verbis habet Leo X, die X maii MDXIII, *Prae caeteris*: quarum vigore litterarum apostolicarum (omissis iis quae dictis indulgentiis sunt consimiles aliisque pluribus) selectae sunt infrascriptae indulgentiae:

Singulis certis dominicis et festis indulgentia plenaria.

1° Praedictis confratribus et consororibus, vere poenitentibus et confessis, seu tantum confitendi propositum habentibus, qui cappellam sive altare confraternitatis singulis diebus dominicis cuiuslibet Quadragesimae, ac in Resurrectionis et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, ac Pentecostes et SS. Tri-

nitatis, ac Nativitatis eiusdem Domini Nostri Iesu Christi festivitatum diebus, a primis vespers singularum dominicarum seu dierum huiusmodi usque ad occasum solis cuiuslibet ipsarum, devote visitaverint, et ibidem ter orationem dominicam et toties salutationem angelicam recitaverint, plenaria et vera omnium peccatorum suorum indulgentia et remissio; aliis vero singulis dominicis diebus cuiuslibet respective anni modo praefato visitantibus, triginta anni et totidem quadragesimae de iniunctis eis poenitentis misericorditer in Domino relaxantur (Leo X, *Et si cunctae*, MDXVIII, kalendis Iulii, pontificatus anno VI).

Oracula vivae vocis vigore Constitutionis Iulii II Religionem vestram, necnon Clementis VII, Romanus Pontifex, quibus conceditur communicatio privilegiorum cum aliis Ordinibus, etiam vivae vocis oraculo tam concessorum quam in posterum concedendorum.

2° Praedicti confratres visitantes altaria deputanda in ecclesia Ordinis consequuntur easdem indulgentias, quas habere et consequi valerent et possent si septem ecclesias privilegiatas inviserent et adirent, quae intra et extra urbis Romae moenia constructae reperiuntur (Pius V, ex litteris orig. Ioannis Pauli tituli S. Pancratii S. R. E. presbyteri cardinalis ab Ecclesia nuncupati, sub datum Romae anno MDLXXI, die XXV novembris, pontificatus eiusdem Pii V anno VI).

Visitantibus septem altaria in ecclesia dicti Ordinis indulgentiae septem ecclesiarum intra et extra Urbem.

3° In omnibus diebus communionis, quae solent fieri in Ordine fratrum Eremitarum sancti Augustini, scilicet in prima dominica Adventus, in die Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, in die Epiphaniae, in Purificatione Beatae Mariae Virginis, in prima et quarta dominica Quadragesimae, in Annuntiatione

Diebus communionis, indulgentia plenaria.

Beatae Mariae Virginis, feriâ quintâ in Coenâ Domini, in dominicâ Resurrectionis Domini, in Ascensione eiusdem, in die sancto Pentecostes, in festo Corporis Christi, in Nativitate sancti Ioannis Baptistae, in festo Apostolorum Petri et Pauli, in Assumptione Beatae Mariae Virginis, in festo sancti Augustini, in Nativitate eiusdem Beatae Mariae Virginis, in festo sancti Michaëlis Arcangeli et in solemnitate Omnium Sanctorum, praedicti utriusque sexus corrigiatorum confratres poenitentes et confessi ac sacrâ communionem refecti, si post ipsam communionem genibus flexis recitaverint orationem *Deus omnium fidelium*, etc., aut orationem dominicam, si praedictam nescierint, pro conservatione status sanctae Matris Ecclesiae, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, ex grâtiâ et concessione Sedis Apostolicae plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam diebus praedictis consequentur.

Omnes supradictae indulgentiae fuerunt approbatae, confirmatae et innovatae a diversis Pontificibus respective, necnon S. R. E. cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, praelatis ac ministris pro manutenzione commendatae, inter quos praecipue sunt sequentes:

Alexander IV in bullâ *Odore suavi*, idibus iulii, pontificatus anno 1; idem et Nicolaus III (ex transumpto Oscensi, ut supra); Caelestinus V in bullâ *Ex parte dilectorum*, nonis decembris, anno 1; Urbanus VI in bullâ *Solet annuere*, xi kalendis maii, anno 11; Sixtus IV in bullâ *Dum fructus uberes*, ut supra, item in bullâ *Inter praecipuas*, etiam ut supra, qui omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, concessionem, ac peccatorum plenarias

1 Edit. Main. legit *ex* (R. T.).

remissiones, quocumque nomine nuncupata, et sub quibuscumque tenoribus eidem¹ Ordini fratrum Eremitarum sancti Augustini, illiusque fratribus et domibus quomodolibet concessa, sive a Sede Apostolicâ, sive a suis praedecessoribus, et ea quae a quibusvis praelatis et personis ecclesiasticis et a regibus et principibus seu aliis christifidelibus indulta sunt, confirmavit; Iulius II in bullâ aureâ *Dum fructus uberes*, ut supra, item in brevi *Et si ad bene*, die xvii iunii m̄viii, anno v, et in brevi *Exigit*, die xxi iulii m̄dxi, anno viii, et in alio *Nihil est*, die xxiv septembris m̄viii, anno v; Leo X, *In verum christianorum*, x iulii m̄dxi, anno 1, et in bullâ *Solet annuere*, ut supra, et in brevi *Licet sponte*, die vi maii m̄dxi, anno xi; Clemens VII, *Romannus Pontifex*, pariter ut supra; Gregorius XV in amplissimâ formâ in bullâ *Iniuncti nobis*, iii nonas iunii m̄dxxi, anno 1, post revocationem factam a Paulo V, *Cum caeteras*; quae quidem bulla Gregorii XV a sacrâ Congregatione indulgentiarum et reliquiarum fuit diligenter examinata, eademque censuit nihil obstare quominus confratres archiconfraternitatis cineturatorum, eique aggregatarum confraternitatum, uti et frui possent ac debeant omnibus et singulis indulgentiis in eadem bullâ confirmatis et innodatis, non obstante praefatâ Pauli V revocatione, ut ex decreto eiusdem sacrae Congregationis sub die xvii aprilis m̄dclxxiii.

Indulgentiae pro cunctis utriusque sexus christifidelibus visitantibus ecclesias Ordinis, vel exercentibus opera pia.

Alexander IV omnibus venientibus ad praedicationem fratrum Eremitarum sancti Augustini centum et octoginta dies concedit indulgentiae (ex transumptis ad praedicationem fratrum Eremitarum sancti Augustini centum et octoginta dies, Omnibus venientibus ad praedicationem fratrum Eremitarum sancti Augustini centum et octoginta dies,

1 Edit. Main. legit *eisdem* (R. T.).

Referuntur Pontifices, qui dictas indulgentias confirmaverunt.

sumpto Oscensi, ut supra); Martinus IV et Ioannes XXII omnibus visitantibus dicti Ordinis monasteria in omnibus festiuitatibus Sanctorum et Sanctarum dicti Ordinis, praecipue beati Augustini et beatae Monicae matris eius, et per octavas ipsarum, et translationibus¹ et conversione S. Augustini, pro qualibet ipsarum festiuitatum, concedit quadraginta annos et totidem quadragenas indulgentiae; Nicolaus III supradictas indulgentias et in illis anni diebus pro qualibet die concedit centum dies indulgentiae, et adhuc remittit omnibus morientibus in habitu S. Augustini, si elegerint sepeliri in dicto habitu, quartam partem suorum peccatorum; hoc idem Clemens IV concedit de habitu (ex transumpto, ut supra); Nicolaus IV, *Licet is*, vii idus februarii, anno 1, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festiuitatibus Assumptionis Beatae Mariae Virginis et S. Augustini confessoris, usque ad octo dies sequentes, annis singulis cum devotione debita venerabiliter visitauerint, centum dies de iniunctis eis poenitentis misericorditer relaxat; Urbanus V omnibus benefactoribus Ordinis concedit suffragia, orationes et bona facta per fratres dicti Ordinis, et quae fiunt per totam universalem Ecclesiam, in perpetuum; in quibus vult ut sint participes tam vivi quam defuncti.

Hucusque summarium.

Petitur confirmatio.

§ 3. Nobis propterea praefatus Iosephus episcopus dilectorum filiorum Nicolai Olivae prioris generalis, ac totius Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini nomine humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

¹ Videtur legendum *translationis* (R. T.).

§ 4. Nos igitur, prius eorundem¹ Iosephi episcopi ac Nicolai prioris generalis et fratrum dicti Ordinis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praepositorum, qui indulgentias in *Summarium* huiusmodi redactas promulgari posse censuerunt, consilio, summarium praecinsertum, omniaque et singula in eo contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, et, quatenus opus sit, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes in eodem summario expressas de novo eadem auctoritate harum serie perpetuo concedimus, necnon praecinsertum summarium dumtaxat (abrogatis reliquis omnibus summaris indulgentiarum archiconfraternitati et confraternitatibus cincturatum huiusmodi concessarum antehac editis) de cetero publicari atque servari debere decernimus et declaramus.

§ 5. Praeterea omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui dictam archiconfraternitatem, vel aliquam ex confraternitatibus illi iam aggregatis et imposterum quandocumque aggregandis, de cetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et

Confirmat Pontifex.

Ingredientibus confraternitatem indulgentia plenaria.

¹ Edit. Main. legit *earundem* (R. T.).

confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Utque omnes et singulae indulgentiae praefatae animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, indulgemus.

Solemnitatem principalem confraternitatis, cum processione et indulgentia plenaria, transfert ad dominicam primam post festum S. Augustini.

§ 6. Et quia praecipua principalisque solemnitas archiconfraternitatis et confraternitatum praefatarum, ex concessione dicti Gregorii XIII praedecessoris per quasdam suas litteras, quarum initium *Ad ca*, etc., die xx novembris MDLXXVI expeditas, ut asseritur, facta, cum processione quotannis primam dominicam Adventus communiter celebrari consuevit, ipsarumque archiconfraternitatis et confraternitatum confratribus et consorioribus, qui processioni huiusmodi intersunt, et iniuncta pietatis opera adimplent, plenaria indulgentia concessa reperitur: nos, specialem eisdem confratribus et consorioribus, quibus dicta dies dominica minus commoda esse dicitur, gratiam facere volentes, solemnitatem ac processionem et indulgentiam plenariam huiusmodi a dicta primam dominicam Adventus ad dominicam primam post festum S. Augustini, servatam tamen in reliquis earundem Gregorii XIII praedecessoris litterarum formam et dispositione, ac sine ullo specialium indultorum apostolicorum, per quae nonnullis ex dictis confraternitatibus dies proprii pro eiusmodi solemnitate celebranda assignati sint, praeiudicio, auctoritate et tenore praedictis transferimus.

Decretum irritans.

§ 7. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore

quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostram et Cancellariae Apostolicae regulam de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die xxvii martii MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 27 martii 1675, pontif. anno v.

Registrata in Secretaria Brevium, in lib. mensis maii⁴, part. II, fol. 250.

CLXXXI.

Confirmatio et innovatio privilegiorum per Iulium III, Gregorium XIII, Clementem VIII, Gregorium XV et Clementem IX collegio Germanico et Hungarico de Urbe concessorum, cum prohibitione episcopo Laudensi ne in ecclesiam parochiali et monasterio S. Petri Laudiveteris Ordinis sancti
1 Forsan legendum martii (R. T.).

Benedicti, eiusque annexis et dependentibus, olim plenarie unito eisdem collegio, ullam potestatem aut iurisdictionem tam ordinariam quam delegatam exerceat, usque ad beneplacitum Sanctae Sedis, translata interim iurisdictione huiusmodi in metropolitanum Mediolanensem.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Gregorius XIII
monasterium S.
Petri Laudiveteris
Ordinis
sancti Benedicti
Laudensis dioecesis
univit collegio Germanico.

§ I. Exposuerunt nobis nuper venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales collegii Germanici et Hungarici de Urbe protectores, quod licet¹ dudum felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, monasterium S. Petri Laudiveteris, Ordinis sancti Benedicti, Laudensis dioecesis (quod conventu regulari carebat, et in quo praeter vicarium perpetuum, qui curam animarum parochianorum illius ecclesiae, quae etiam parochialis erat, exercebat, alii duo vel tres servientes presbyteri saeculares dumtaxat, hique ad nutum amovibiles, ad celebranda ibi divina officia residebant nomine tantum et denominatione abbatis, ac dignitate abbatiali, necnon ordine ac omni statu et essentia regularibus, auctoritate apostolica perpetuo suppressis et extinctis), cum ecclesia, aedibus, aedificiis, proprietatibus, praediis, possessionibus, bonis, iuribus, iurisdictionibus et actionibus, ac illi annexis quibuscumque, dicto collegio eadem auctoritate, sub certis modo et forma tunc expressis eisdem², perpetuo univert, annexerit et incorporaverit, perpetuamque in eadem ecclesia vicariam cum dote congrua pro uno vicario perpetuo, qui curam animarum dictorum parochianorum exerceret, exeret et instituerit;

¹ Syntaxis suspensa manet usque ad *nihilominus* pag. 569 b (R. T.).

² Vox *eisdem* praeter rem esse videtur (R. T.).

Et subinde (postquam tam recolendae memoriae Iulius Papa III etiam praedecessor noster quam praedictus Gregorius praedecessor collegium praedictum, ac illius scholares et ministros pro tempore existentes, eorumque bona in dicta Urbe vel extra eam ubicumque locorum consistentia, ab omni iurisdictione et correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate quorumcumque iudicium et officialium in ipsa Urbe vel aliis ubilibet constitutorum prorsus liberos, immunes et exemptos, ac libera, immunita et exempta fecerant et constituerant, necnon eos et ea sub beati Petri et Sedis Apostolicae protectione susceperant, dictusque Gregorius praedecessor nonnullos in humanis agentes eiusdem S. R. E. cardinales dicti collegii eiusque collegialium ac personarum et bonorum quorumcumque protectores constituerat et deputaverat, illisque omnes et singulas causas civiles et criminales, meras et mixtas dicti collegii, illiusque collegialium, scholarium, rectorum, aliorumque ministrorum et officialium pro tempore existentium, in rebus et bonis¹, collegium supradictum, ac illius res, iura et actiones ac bona concernentibus, tam active quam passive, per se ipsos, aut alium seu alios qui eis viderentur, etiam manu regia, ac omni et quacumque appellatione remotâ, audiendi, cognoscendi, decidendi, sineque debito terminandi, aliaque faciendi et exequendi liberam facultatem concesserat) pia memoriae Clemens Papa VIII praedecessor noster, ad tollendam tunc exortam quandam dubietatem, motu proprio, ac ex certa scientia, atque apostolicae potestatis plenitudine, statuerit et ordinaverit, et ita etiam praedictorum

Clemens VIII
declarat exemptionem
ipsius collegii Germanici.

¹ Verba *in rebus et bonis* in loco parallelo tom. VIII, pag. 85 a non leguntur, et praeter rem esse videntur (R. T.).

praedecessorum mentem et intentionem fuisse declaraverit, quod, praeter praedictos collegii Germanici et Hungarici huiusmodi protectores, nullus alius iudex quaecumque auctoritate, privilegio et facultate munitus, tam ecclesiasticus quam saecularis, ac tam ordinarius quam delegatus, tam in dictâ Urbe quam extra eam, in causis et negotiis ad collegium praedictum, illiusque personas, res et bona ac iura quomodolibet ex quovis capite spectantibus et pertinentibus, tam praesentibus quam futuris, sive active sive passive, tam in primâ quam in secundâ et ulteriori instantiâ, quomodolibet exercere valeret; sed quod omnis iurisdictio et superioritas in omnibus et singulis causis supradictis, ac quibuscumque aliis civilibus et criminalibus, meris et mixtis, ipsum collegium ac illius scholares, ministros, officiales et personas, eorumque bona, res et iura quaecumque aut aliâs quomodolibet concernentibus, ad praedictos et pro tempore existentes eiusdem collegii protectores, vel eorum iudicem seu indices deputatum seu deputatos, vel deputandum seu deputandos, pleno iure et in quacumque instantiâ, etiam privative quoad omnes alios quoscumque iudices, etiam quoad illarum finalem et totalem executionem, cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibuscumque iudicibus introductas et pendentes reassumendi, ac illis inhibendi, aliisque facultatibus, clausulis et decretis in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper exi editis latius contentis et expressis;

Ac postmodum (accepto per similis recolendae memoriae Gregorium PP. XV etiam praedecessorem nostrum, quod, licet, stantibus praemissis, omnis iurisdictio et superioritas in singulis causis huiusmodi protectoribus praedictis competere nosceretur, ac etiam praefatus Grego-

rius XIII praedecessor per alias suas litteras spirituales iurisditionem et animarum curam, quam ecclesiae dicto collegio unitae habebant, totam ad ipsius collegii protectores pertinere, et, si quid forte in praedicti collegii constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret vel ambiguum, id protectores et superiores praedictos, re mature deliberatâ, ex communi omnium consensu supplere et declarare ac ad alia extendere posse voluisset, et desuper collegium, illiusque protectores, collegiales, personae et ministri huiusmodi molestari non deberent; nihilominus nonnulli contra mentem et intentionem praedecessorum praedictorum sese in iurisditione huiusmodi introumittere praesumebant et procurabant, ac tunc forte lites desuper introductae reperiebantur) ipse Gregorius XV praedecessor¹, in praemissis omnem dubitandi occasionem tollere volens, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus (praeviâ privilegiorum anteriorum confirmatione, ac quarumcumque litium et causarum super praemissis seu eorum aliquo quomodolibet introductarum, ac etiam in auditorio² causarum palatii apostolici vel alibi coram quibuscumque iudicibus pendentium avocatione, illarumque suppressione et extinctione, ac perpetui silentii impositione), inter alia statuerit et ordinaverit, et ita eorundem praedecessorum et suae mentis et intentionis fuisse et esse declaraverit, quod, praeter praedictos et pro tempore existentes collegii Germanici et Hungarici huiusmodi protectores, nullus alius iudex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio et facultate munitus, tam ecclesiasticus

1 Bulla Gregorii XV habitur in *Bullario* Clementis IX, tom. xvii, pag. 682 et seq. (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *auditoris*; vide in loco parallelo, tom. xvii, pag. 686 b (R. T.).

quam saecularis, ac tam ordinarius quam delegatus, tam in dicta Urbe quam extra eam, in causis et negotiis ad praefatum collegium, illiusque personas quascunque, res, bona et iura ex quovis capite spectantibus et pertinentibus, tam praesentibus quam futuris, quovis modo se intromittere, vel aliàs actum aliquem iurisdictionis tam civilis quam criminalis, tam circa res, bona et iura ipsius collegii, quam illius personas, necnon parochiales ac sine curâ ecclesias seu cappellas, cappellanas et beneficia quaecunque dicto collegio quomodolibet unita seu annexa, aut ab eoratiene monasteriorum, prioratum seu ecclesiarum ipsi incorporatarum quocunque modo dependentia, ac presbyteros, vicarios, cappellanos et ministros, quomodolibet nuncupatos, illis pro tempore etiam in curâ et exercitio parochialibus ac divinis deservientes, ad nutum protectorum vel aliorum superiorum aut collegialium dicti collegii, praevisâ tamen Ordinarii approbatione, ponendos et amovendos, ac etiam perpetuos, quomodolibet exercere¹ posset et valeret; curamque omnium et singularum ecclesiarum parochialium et curatarum ad praedictum collegium quomodolibet spectantium ab omnimodâ iurisdictione, superioritate et dominio quorumcumque Ordinariorum penitus et omnino (praeterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis) perpetuo exemerit et liberaverit, ac omnem iurisdictionem et superioritatem in omnibus et singulis causis suprascriptis et aliis quibuscunque civilibus et criminalibus, meris et mixtis, ipsam collegium et eius scholares, ac ecclesias eidem collegio unitas, ministros, officiales et personas, eorumque bona, res et iura et curam animarum,

¹ Male in loco parallelo tom. xvii, p. 687 b legimus *exercentes pro exercere* (R. T.).

illiusque exercitium ac sacramentorum ecclesiasticorum administrationem, aut aliàs quomodolibet concernentibus, ad praefatos et pro tempore existentes eiusdem collegii protectores, vel eorum iudicem seu iudices deputatum seu deputatos, vel deputandum seu deputandos, pleno iure in quacunque instantiâ, et privative quoad vicarium Urbis et quoscunque locorum Ordinarios et omnes alios quoscunque iudices praedictos, etiam quoad illarum totalem et finalem executionem, cum diversis facultatibus spectare et pertinere in omnibus et per omnia perpetuo debere voluerit seu indulserit, eisque liberam, plenam, amplam et omnimodam desuper facultatem et auctoritatem impertitus fuerit;

Licet quoque similis memoriae Clemens Papa IX, pariter praedecessor noster, omnia et singula privilegia, facultates, iurisdictiones, superioritates, praerogativas, gratias et indulta memorato collegio, eiusque personis, rebus et bonis, ac S. R. E. praedictae cardinalibus eiusdem collegii protectoribus, ac aliàs quomodolibet a praefatis Iulio III, Gregorio XIII, Clemente VIII et Gregorio XV praedecessoribus per eorum litteras super praemissis emanatas respective concessa et attributa et confirmata et approbata, dictasque litteras cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, ac inde legitime secutis et secuturis quibuscunque, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus perpetuo approbaverit et confirmaverit, et memoratos cardinales dicti collegii protectores tunc et pro tempore quandocunque existentes omnem superioritatem, omnemque iurisdictionem eis, sicut praemittitur, concessam et attributam in quibusvis causis, litibus et controversiis tam civilibus quam criminalibus, meris et mixtis, etiam privative

Clemens IX
omnia supradicta privilegia
pariter motu
proprio confirmavit.

quoad omnes et singulos iudices supradictos, et aliàs, in omnibus et per omnia, prout in litteris dicti Gregorii XV praedecessoris expressum est, circa ecclesias et monasteria, et signanter circa supradictum S. Petri Laudiveteris Laudensis dioecesis, eorumque ecclesias, cappellas, cappellanas et beneficia, ac membra, expendentia¹, bona, praedia, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque dicto collegio dudum apostolicà auctoritate perpetuo unita, annexa et incorporata, et ab eo quomodolibet expendentia, ac in aliis quaecumque monasteria, prioratus et ecclesias et beneficia, quae eidem collegio pari auctoritate in futurum quandoque uniri, annecti et incorporari contingeret, eorumque respective personas, presbyteros, cappellanos, vicarios et ministros quoslibet, libere ac sine ullo prorsus impedimento exercere, ceteraque omnia eis per praefatas litteras quovis modo concessa facere et exequi posse ac debere, motu, scientià et potestatis plenitudine paribus decreverit et declaraverit;

¹ Pontifex omnia supradicta privilegia pariter motu proprio confirmavit et approbavit.

Ac demum nos, motu similiter proprio, ac certà scientià et maturà deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefata omnia et singula privilegia, facultates, iurisdictiones, superioritates, praerogativas, gratias et indulta, praedicto collegio eiusque personis, rebus et bonis, ac cardinalibus illius protectoribus, et aliàs quomodolibet concessa et attributa ac confirmata et approbata, pariformiter, cum omaibus inde legitime secutis et securis, approbaverimus et confirmaverimus ac innovaverimus, rataque et grata habuerimus, ac illis omnibus et singulis perpetuae atque irrefragabilis apostoli-

¹ Forsan legendum *dependentia*, et ita similiter paulo post, lin. 14 (R. T.).

cae firmitatis robur, patrocinium et praesidium adiecerimus, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formà Brevis die in novembris proxime praeteriti, ac singulis praedecessorum praedictorum super praemissis respective expeditis litteris, quarum omnium et singularum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis haberi volumus uberius continetur¹;

Nihilominus venerabilis frater Bartholomaeus episcopus Laudensis (non attentis nec eà qua decet reverentià servatis privilegiis et facultatibus huiusmodi eisdem cardinalibus protectoribus per praefatos Romanos Pontifices nostros ut praefertur concessis et per nos confirmatis et in vestris) ipsorum cardinalium protectorum ac iudicum ab eis deputatorum iurisdictionem perturbare, ac vicarii et cappellanorum ad exercendam in supradictà parochiali ecclesià S. Petri Laudiveteris animarum curam, necnon concionatoris ad praedicandum ibidem verbum Dei deputationem ad se spectare praetendit, ac concionatori, per eosdem cardinales protectores seu eorum iussu vel auctoritate deputato, benedictionem concedere recusavit, itaut anno proxime praeterito millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto ad venerabilem fratrem archiepiscopum Mediolanensem metropolitanum recursum haberi oportuerit, qui benedictionem concionatori sic deputato concessit, et ipse concionator subinde sacras conciones in eadem ecclesià habuit.

Quinimo idem Bartholomaeus episcopus dilectum filium Ioannem Baptistam Manusardum, ecclesiae S. Petri eidem collegio unitae cappellanum (qui, dum procurator dicti collegii litteras nostras

Attentata episcopi Laudensis contra praedicta.

Novum attentatum praedicti episcopi.

¹ Illic demum absolvitur antecedens periodi inceptae per verbum *licet* sup. pag. 566 a (R. T.).

praedictas super confirmatione ac innovatione privilegiorum huiusmodi emanatas, necnon litteras deputationis de personâ dilecti filii Caroli Francisci Ceva canonici ecclesiae Mediolanensis in iudicem monasterii ac parochialis ecclesiae huiusmodi eisque annexorum a praedictis cardinalibus protectoribus factae in actis eius curiae episcopalis Laudensis insinuabat, praesens aderat) sub certis praetextibus capi ac malectrari et in carcerem detrudi curavit, et subinde visitationem dictae ecclesiae parochialis, eiusque cappellarum seu oratoriorum ab illâ dependentium, seu intra illius fines consistentium, ac personarum illis inservientium, quam dilectus filius Carolus Franciscus Ceva iudex ab eisdem cardinalibus deputatus illorum iussu obiit, per suos ministros turbare; ac ipse postmodum, assumptâ militari manu et velut insultabundus eandem parochialem ecclesiam illiusque presbyteros seu cappellanos et personas modis incongruis visitare, eisque terrorem incutere, et qui ad eius mandatum sese eius violentiis non sistebant, a divinis suspendere, seu ut se sisterent sub poenâ suspensionis a divinis huiusmodi mandare, ac interdictum, quod dictus Carolus Franciscus iudex a praedictis cardinalibus protectoribus deputatus propter excessus a confratribus cuiusdam confraternitatis intra limites praedictae parochialis ecclesiae erectae commissos canonice tulerat, violare seu violari curare, aliosque excessus committere praesumpsit, in gravissimum collegii praedicti detrimentum ac iurisdictionis et potestatis dictis cardinalibus protectoribus ab Apostolicâ Sede attributae vilipendium, contemptum, necnon in libertatis et immunitatis ecclesiae damnum, praedictum et gravamen.

1 Male edit. Main. legit *attributa* (n. t.).

§ 2. Nobis propterea dicti cardinalis protectores humiliter supplicarunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, ne interea dum super praemissis et illorum occasione inter praefatos cardinales protectores ex unâ, ac dictum Bartholomaeum episcopum ex alterâ partibus disceptatur, alia et forsitan graviora nascentur incommoda, ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito providere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac praefatis aliisque iustis et rationabilibus ex causis nobis notis adducti, et controversiarum huiusmodi litiumque desuper forsitan exortarum et pendentium statum et merita, nominaque et cognomina ac qualitates iudicum et colligantium, aliave quaecumque etiam specificam et individuum mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, ut, pendentibus controversiis seu litibus huiusmodi, et interim ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, pro parte eorundem modernorum et pro tempore existentium dicti collegii protectorum ac vicariorum seu provicariorum, aliorumque presbyterorum seu cappellanorum et ministrorum quorumcumque ad curam animarum ac divina officia in supradicta ecclesiâ parochiali, illique annexis, ac intra illius fines consistentibus, et a praedicto monasterio quomodolibet dependentibus ecclesiis, seu cappellis et oratoriis, aliisque locis piis quibuscumque, exercenda et obeunda respective, necnon concionatorum ad verbum Dei inibi praedicandum per eosdem cardinales deputatorum et deputandorum, pro ipsorum vicariorum seu provicariorum aliorumque presbyterorum seu cappellanorum et ministrorum approbatione, pastoralique benedictione per

Preces cardinalium protectorum.

Pontifex declarat ut in rubrica.

concionatores huiusmodi obtinendâ, ac pro aliis, si quae sint, pro quibus ad memoratum Bartholomaeum episcopum Laudensem etiam tanquam Apostolicae Sedis delegatum, ac etiam iuxta praedictorum privilegiorum et litterarum apostolicarum tenorem et dispositionem recurrendum esset, non ad dictum Bartholomaeum, seu pro tempore existentem episcopum Laudensem, sed ad venerabilem fratrem modernum et pro tempore existentem archiepiscopum Mediolanensem metropolitanum recurri libere et licite possit et debeat (ita ut idem archiepiscopus vicarios seu provicarios aliosque presbyteros seu cappellanos et ministros huiusmodi approbare, pastorem concionatoribus praedictis benedictionem impertiri, aliaque praemissa facere et exequi valeat, in omnibus et per omnia, perinde ac si loci Ordinarius existeret), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, sine ullo tamen partium praefatarum aut alterius earum praeiudicio, concedimus et indulgemus. Nos enim eidem moderno et pro tempore existenti archiepiscopo praemissa omnia et singula faciendi et exequendi, ac etiam praefatos presbyteros seu cappellanos aliosque clericos dictae parochiali ecclesiae aliisque ecclesiis, cappellis et oratoriis a dicto monasterio dependentibus inservientes, a praedictae suspensionis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in eos a dicto Bartholomaeo episcopo propter praemissa seu illorum occasione quomodolibet latis seu comminatis, quatenus opus sit, absolvendi et totaliter liberandi, ac eis desuper opportune dispensandi, ceteraque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exereendi, ac executioni mandari curandi, quaecumque necessariam et opportunam facultatem, durante benepla-

cito huiusmodi dumtaxat duraturam, eadem auctoritate, harum serie, concedimus et impertimur.

§ 4. Districte propterea inhibentes tam dicto Bartholomaeo et pro tempore existenti episcopo Laudensi sub interdicti ingressus ecclesiae, quam eius vicariis, procuratoribus, fiscalibus, actuariis, notariis, bariscellis, aliisque eius curiae episcopalis ministris et officialibus quibuscumque, nunc et pro tempore existentibus, sub excommunicationis latae sententiae ipso facto absque aliâ declaratione incurrendae, et indignationis nostrae, aliisque nostro et pro tempore existentium Romanorum Pontificum arbitrio imponendis poenis, ne, dicto beneplacito durante, se se in visitatione, correctione, iurisdictione, curâ et gubernio, superioritate, aliâve quacumque tam ordinariâ quam delegatâ potestate et auctoritate super praefatam ecclesiam S. Petri Laudiveteris, aliasque ecclesias seu cappellas a praefato monasterio quomodolibet dependentes, ac oratoria intra fines eiusdem parochialis ecclesiae et monasterii huiusmodi existentia, et confraternitates laicorum in eis erectas, aut electione, deputatione, examine, approbatione vicariorum seu proviciorum, aliorumque presbyterorum seu cappellanorum, aut clericorum, aliorumque ministrorum et concionatorum, ibidem nunc et pro tempore curam animarum ac divina officia aliasque functiones ecclesiasticas et verbi Dei praedicationem respective obeuntium seu exercentium, ipsorumque concionatorum benedictione, aliisque quibuslibet actibus iurisdictionalibus, sese ullo modo ingerere, aut iurisdictionem quaecumque seu auctoritatem et potestatem etiam delegatam ibidem seu contra personas praedictas exercere, ullumve actum iurisdic-

Prohibitio facta episcopo Laudensi.

etionalem facere, aut vicarios seu pro-
vicarios, presbyteros, cappellanos, con-
cionatores, aliosque ministros collegii
praedicti quovis quaesito colore, prae-
textu vel ingenio, directe vel indirecte,
seu aliàs quomodolibet molestare, per-
turbare vel inquietare audeat quovis
modo seu praesumat.

Præsentium
litterarum ob
servantiam de-
nunciat, ac
supplet omnes
quoscumque de-
fectus.

§ 5. Ac decernentes easdem praesen-
tes litteras, et in eis contenta quaecum-
que, etiam ex eo quod Bartholomaeus
episcopus et alii praefati, seu alii qui-
cumque in praemissis seu eorum ali-
quo¹ ius vel interesse habentes seu ha-
bere praetendentes, illis non consense-
rint, nec ad ea vocati, citati et auditi,
neque causae, propter quas praesentes
emanarint, sufficienter adductae, verifi-
catae aut iustificatae fuerint, vel ex alià
quacumque etiam quantàvis iuridicà et
privilegiatà causà, colore, praetextu et
capite, etiam in corpore iuris clauso,
etiam enormis, enormissimae et totalis
laesionis, de subreptionis vel obreptionis
aut nullitatis vitio, seu intentionis
nostrae aut interesse habentium con-
sensus, aliòve quolibet etiam quantum-
vis magno et substantiali et incogitato
ac inexcogitabili, individuumque expres-
sionem requirente, defectu notari, im-
pugnari, infringi, retractari, limitari, mo-
dificari, in controversiam vocari, seu ad
terminos iuris reduci, aut adversus illas
aperitionis oris, restitutionis in integrum,
aliudve quodcumque iuris, facti vel gra-
tiae remedium intentari vel impetrari,
seu impetrato, aut² etiam motu proprio et
de apostolicae potestatis plenitudine con-
cesso vel emanato, quempiam in iudicio
vel extra illud uti seu se invare ullo
modo minime posse; sed ipsas praesen-
tes litteras firmas, validas et efficaces
existere et fore, suosque plenarios et

integros effectus sortiri et obtinere, ac
illis, ad quos spectat et spectabit in fu-
turum, plenissime suffragari, ac ab eis
respective in omnibus et per omnia in-
violabiliter et inconcusse observari et
adimpleri, sicque et non aliter in prae-
missis censi, atque ita per quoscum-
que iudices ordinarios et delegatos, etiam
causarum palatii apostolici auditores, ac
S. R. E. praefatae cardinales, etiam de
latere legatos, et alios quoslibet quacum-
que praeceminentià et potestate funge-
ntes et functuros, sublata eis et eorum
cuiuslibet quavis aliter iudicandi et inter-
pretandi facultate et auctoritate, iudica-
ri et definiri debere, ac irritum et ina-
ne si secus super his a quoquam, quavis
auctoritate, scienter vel ignoranter, con-
tingerit attentari.

§ 6. Non obstantibus quarumcumque
litium pendentia, aliisque praemissis,
ac, quatenus opus sit, nostrà et cancella-
riae apostolicae regulà de iure quaesito
non tollendo, aliisve apostolicis, ac in
universalibus provincialibusque ac syno-
dalibus conciliis editis, generalibus vel
specialibus, constitutionibus et ordina-
tionibus, necnon quibusvis, etiam iura-
mento, confirmatione apostolicà, vel qua-
vis firmitate alià roboratis, statutis et
consuetudinibus, stylis et usibus, etiam
immemorabilibus, privilegiis quoque, in-
dultis et litteris apostolicis, etiam eccle-
siae Laudensi eiusque praesulibus et
aliis personis quibuslibet, sub quibus-
cumque verborum tenoribus et formis,
et cum quibusvis etiam derogatarum
derogatoriis, aliisque efficacioribus, effi-
cacissimis et insolitis clausulis, irritan-
tibusque et aliis decretis, in contrarium
praemissorum, in genere vel in specie,
ac aliàs quomodolibet concessis, confir-
matis et innovatis; quibus omnibus et
singulis, etiamsi pro illorum sufficienti
derogatione de illis eorumque totis te-

Amplissimo
quibuscumque
contrariis dero-
gat.

¹ Edit. Main. legit *aliquod* (n. T.).

² Voculam *aut* nos addimus (n. T.).

noribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem¹ importantes, mentio seu quaevis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 9 aprilis 1675, pontif. anno v.

CLXXXII.

Exemptio Antonii Vieyra Lusitani presbyteri regularis Societatis Iesu ad eius vitam a quacumque iurisdictione tribunalis S. Officii Portugalliae, ac immediata subiectio² Congregationi S. Officii de Urbe in quibusdam causis ad dictum tribunal spectantibus, quae contra dictum Vieyra ex quacumque causâ moveri possent in dicto tribunali S. Officii Portugalliae.

**Dilecto filio Antonio Vieyra Lusitano,
presbytero regulari Societatis Iesu,
Clemens Papa X.**

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Religionis zelus, sacrarum litterarum scientia, vitae et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum

¹ Male ed. Main. legit *eidem pro idem* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *immediate subiecto* pro *immediata subiectio* (R. T.).

merita nos addueunt ut quieti tuae benigne consultum velimus.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) tu, qui presbyter regularis Societatis Iesu existis, ac in almâ Urbe nostrâ de praesenti degis, eiusdem Urbis aërem temperamento tuo contrarium experiaris; ac proinde, iam gravis annis et nonnullis corporis infirmitatibus obnoxius, pericula valetudini tuae imminentiâ praeveniendi gratiâ in Lusitaniam patriam tuam prope diem, benedicente Deo, reverti intendas: hinc est quod nos, iustis de causis animum nostrum moventibus, religiosae tranquillitati atque securitati tuae, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te a quacumque iurisdictione, potestate et auctoritate venerabilis fratris Petri, archiepiscopi Sindensis, generalis, ac dilectorum filiorum reliquorum inquisitorum adversus haereticam et apostaticam a christianâ religione fideque catholicâ pravitatem in Portugalliae et Algarbiorum regnis auctoritate apostolicâ deputatorum nunc et pro tempore existentium, illorumque respective vicariorum, commissariorum, assessorum, ceterorumque officialium et ministrorum quorumcumque, itaut illis, tam coniunctim quam divisim, eorumque cuilibet¹, ex quacumque causâ, etiam specificâ et individuâ mentione dignâ,

Exemptio de qua in rubrica.

¹ Male edit. Main. legit *quilibet* pro *cuilibet* (R. T.).

ac de necessitate specialiter exprimendâ, tam de praesenti quam de praeterito vel de futuro, nullam in te¹ iurisdictionem, potestatem vel auctoritatem exercere, nullumque actum iurisdictionalem, sive iudicalem sive extraiudicalem, contra te facere, decernere, mandare vel exequi, neque te quovis quaesito colore, praetextu, ingenio, causâ vel occasione, directe vel indirecte, aut aliâs quomodolibet molestare, perturbare vel inquietare possint, tenore praesentium, ad tui vitam, plenarie eximimus et totaliter liberamus, ac exemptum et liberum esse et fore decernimus et declaramus.

Eum subiecit
supremae et
generali inquisi-
tionis Urbis.

§ 2. Teque in omnibus et quibuscumque causis ad tribunal S. Officii Inquisitionis haereticae et apostolicae pravitatis quomodolibet spectantibus, quae contra te ex quacumque ratione seu causâ, etiam ut praefertur de necessitate specificè et in individuo exprimendâ, tam de praesenti quam de praeterito et de futuro, seu aliâs quomodolibet moveri seu intentari possent, ac etiam forsitan in tribunali S. Officii Inquisitionis dictorum regnorum iam motis et intentatis, immediatae iurisdictioni potestati et auctoritati Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum adversus haeticam et apostaticam pravitatem huiusmodi ab hac Sanctâ Sede specialiter deputatorum, coram qua dumtaxat in omnibus et singulis causis praedictis tenearis de iustitiâ respondere, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudinè paribus, itidem ad tui vitam, haram serie subiicimus et supponimus, ac subiectum et suppositum esse et fore decernimus similiter et declaramus.

Supplet om-
nes defectus.

§ 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, et in eis contenta quae-

1 Male edit. Main. legit se pro te (R. T.).

cumque, etiam ex eò quod generalis et alii inquisitores, ceterique praefati, et alii quicumque, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, adductae, specificatae verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis legitimâ, iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali individuumque expressionem requirente ac incogitato et incogitabili defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, detractari, vel invalidari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio seu extra illud uti seu se iuvare nullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, necnon generalem ceterosque inqui-

sitores praefatos, et alios quoslibet, quacumque praeceminentiâ et postestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis amplissime derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in favorem S. Officii regnorum praefatorum, illiusque inquisitorum, etiam generalium, et officialium et ministrorum quorumlibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praefatam, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter et aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et quantiscumque vicibus approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda atque alia exquisita forma ad

hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii aprilis MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIVS.

Dat. die 17 aprilis 1675, pontif. anno v.

Registr. in Secret. in libro v Brevium diversorum, fol. 343.

CLXXXIII.

Alia absolutio Ioannis Baptistae Sauvage et Francisci Perinet, canoniceorum ecclesiae Bisuntinae, a censuris et poenis quibus propter temerariam electionem decani dictae ecclesiae ab Alexandro VII innodati, et de eius ordine et mandato denunciati fuerant¹.

Venerabili fratri Petro,
archiepiscopo Bisuntino,
Clemens Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos, per quasdam nostras in simili formâ Brevis die xvi novembris proxime praeteriti expeditas litteras, tibi derimus in mandatis, ut quatuor ibidem nominatos canonicos istius metropolitanae ecclesiae Bisuntinae (qui, unâ cum

Absolutio prius data aliis canonicis eiusdem ecclesiae.

¹. Seriem huiusmodi censurarum et poenarum, necnon causas ob quas latae fuerunt, videas in Constitutione huius Pontificis incipiente *Aliâs postquam* (quam habes supra pag. 511).

aliis eiusdem ecclesiae canonicis, dudum decanatus dignitate primâ post pontificalem in ecclesiâ huiusmodi, per promotionem bonae memoriae Ioannis Iacobi Fauche de Dompnel ad dictam ecclesiam Bisuntinam pastoris solatio tunc destitutam a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro factam, vacante, et per eundem Alexandrum praedecessorem suae dispositioni specialiter reservatâ, contra ipsius Alexandri praedecessoris mandata eis intimata, Guillelmum Humbertum a Praecipiano in decanum eiusdem ecclesiae nulliter ac temerarie eligere, et illum in possessionem decanatus huiusmodi intrudere, aliosque excessus committere ausi fuerant, eâque de causâ ab ipso Alexandro praedecessore per quasdam suas pariter in formâ Brevis litteras diversis censuris et poenis ecclesiasticis inmodati, dictique Alexandri praedecessoris iussu publice denunciati, nec unquam a censuris et poenis huiusmodi canonice absoluti, sed illis adhuc illaqueati reperiebantur, attentâ eorum persistentiâ de dictâ electione sic per eos temerarie factâ, quam uti a Sede Apostolicâ damnatam damnaverant et damnabant, et quantum in ipsis erat retractaverant et retractabant, cum iuramento quod dictum Guillelmum Humbertum in legitimum decanum nunquam agnitori, sed pro tali dilectum filium Ioannem de Watteville a Sede Apostolicâ de dicto decanatu legitime provisum habituri essent) a censuris et poenis huiusmodi auctoritate nostrâ apostolicâ sub certis modo et formâ tunc expressis absolveres et cum eis opportune dispensares, et aliâs, prout in eisdem nostris litteris, quarum ac praefatarum Alexandri praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum

insertis haberi volumus, uberius continetur ;

§ 2. Et, sicut pro parte Ioannis Baptistae Sauvage et Francisci Perinet canonicorum eiusdem ecclesiae Bisuntinae nobis nuper expositum fuit, ipsi quoque de praefatis excessibus plurimum dolentes, ac sincero corde et reverenti gratiam huius sanctae Sedis humiliter implorantes, parati sunt¹ coram te confiteri et declarare se ex animo poenitere dictae electionis ab ipsis factae die XXIII augusti MDCLXI de personâ praefati Guillelmi Humberti a Praecipiano in decanum dictae metropolitanae ecclesiae Bisuntinae, eamque electionem, uti a Sede Apostolicâ damnatam, damnare et reprobare, ac quantum in ipsis est illam, omniaque contra Sedis Apostolicae iussa inde secuta, retractare, ac polliceri et iurare se eundem Guillelmum Humbertum nunquam agnituros in legitimum decanum, sed pro tali habituros memoratum Ioannem de Watteville a Sede Apostolicâ legitime provisum de dicto decanatu, ac proinde sibi pariter de absolutionis beneficio et dispensationis gratiâ in praemissis a nobis provideri summopere desiderant:

§ 3. Nos, qui Illius vices gerimus in terris, cuius proprium est misereri semper et parcere, attendentes quod dictae Sedis Apostolicae copiosa benignitas filiis post excessum ad matris charitatem cum humilitate recurrentibus gremium minime claudere, sed eos obviis ulnis amplecti consuevit, ac proinde eosdem exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis,

¹ Legerem *sint*, nam adhuc perseverat syn-taxis inceptam per particulam *Cum* (R. T.).

Proces potentium ut in rubricâ.

Benignitas Sedis Apostolicae.

praeterquam praemissorum, occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inmodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas¹ fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constituto tibi de narratis, eosdem Joannem Baptistam Sauvage et Franciscum Perinet, si hoc a te humiliter petierint, impositâ eorum singulis pro praemissis arbitrio tuo aliquâ poenitentiam salutari, ac factâ prius per eos coram te declaratione poenitentiae de dictâ electione per eos ut praefertur factâ, ipsâque electione cum omnibus inde contra dictae Sedis Apostolicae iussa secutis damnatâ, reprobatâ, et quantum in ipsis fuerit retractatâ, necnon praestito per eos in manibus tuis iuramento quod praefatum Guillelmum Humbertum a Praecipiano in decanum dictae ecclesiae Bisuntinae nunquam agnitori, sed dictum Joannem de Watteville pro legitimo decano eiusdem ecclesiae agnitori sint, confectoque super his publico instrumento, quod tuo sigillo clausum et obsignatum ad nos et hanc sanctam Sedem quamprimum transmitti debeat, ab excommunicatione, ac suspensione ab executione sanctorum ordinum et ab exercitio quorumcumque officiorum, ac privatione vocis activae et passivae et omnium fructuum eorum praebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum ac quotidianarum etiam distributionum, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt, auctoritate nostrâ apostolicâ, arbitrio pariter tuo, in utroque foro absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas, nec-

non fructus et distributiones huiusmodi per eos propter eadem praemissa forsitan indebite perceptos (ita tamen ut fructus quidem, qui, iuxta praefatarum Alexandri praedecessoris litterarum dispositionem, in pauperum eleemosynas distributi et erogati fuerint, distributiones vero quae ceteris ecclesiae deservientibus accreverint et inter eos etiam distributae reperientur, repetere nullo modo possint) eis et eorum cuilibet dictâ auctoritate gratiose remittas et condones.

§ 3. Ac cum eis et eorum quolibet super irregularitate (per eos, quia censuris huiusmodi propter praemissa innotati sacrosanctum missae sacrificium et alia divina officia celebraverunt et aliâs in ordinibus suis ministrarunt, quomodolibet contractâ), itaut illâ et iisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali characterem, quo aliâs rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter aliâs rite minoribus, et sacris etiam presbyteratus ordinibus, uti, et quatenus illos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis aliâs servandis, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant respective, ac ad alium quemcumque effectum etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignum, auctoritate et arbitrio praefatis dispenses, omnemque inhabilitatis et aliam quamcumque maculam sive notam, contra eos ex praemissis quomodolibet insurgentem seu resultantem, ab eis eorumque quolibet penitus et omnino abstergas et aboleas: nos enim quaecumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus et impertimur.

Dispensatio
super irregularitate
hac occasione contractâ,
prout in rubrica.

¹ Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

Obstantium
delegatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, nec non omnibus et singulis illis quae in praefatis Alexandri praedecessoris et nostris respective concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Per praesen-
tes litteras non
intendi praemi-
dicare eis, qui
a canonicis ab-
solvendis aliquo
damno affecti
sunt.

§ 5. Ceterum non intendimus per praesentes litteras cuiquam eorum, qui a praefatis Ioanne Baptista et Francisco canonicis eorundem praesentium vigore absolvendis, seu eorum aliquo, ex causâ seu electionis supradictae seu eorum quae inde secuta sunt aut emergerunt aliquo damno vel detrimento affecti fuerint, ullum etiam minimum praecidium inferre, aut inde quoquo modo inferri posse, sed unicuique iura sua salva et illaesa remanere declaramus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX aprilis MDCLXXV, pontificatus nostri anno V.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 19 aprilis 1675, pontif. an. v.

Registrata in Secretaria Brevium, in lib. V diversorum, fol. 267.

CLXXXIV.

Confirmatio decreti Congregationis sacrorum rituum ne liceat fratribus Trinitariis Redemptionis Captivorum habere imagines cum eorum habitu depictas vel sculptas beati Petri Paschasii martyris Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Instantia feri-
rum B. Mariae
de Mercede Re-
demptionis Cap-
tivorum.

§ 1. Nuper, ad instantiam dilecti filii Matthiae de Cordona vicarii et procuratoris generalis Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, Congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris riti-

bus praeposita decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

«Valentina censurarum et picturarum.

Pro parte et ad instantiam patris magistri fratris Matthiae de Cordona vicarii et procuratoris generalis Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, tam nomine proprio quam suae religionis, instatum fuit apud sacrorum rituum Congregationem pro relaxatione censurarum contra patres conventus Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum civitatis Valentiae, eo quod habuerunt recursum ad indices laicos tribunalis Valentiae, et ab eo inhibitionem extraxerunt contra praedictos patres de Mercede ad impediendum ne isti uterentur decretis eiusdem sacrae Congregationis et Brevibus apostolicis pro celebratione diei festi beati Petri Paschasii martyris olim episcopi Giennensis et religiosi professi Ordinis de Mercede depicti et sculpti a praefatis fratribus Trinitariis in eorum habitu;

Et viceversa supplicantibus patribus Trinitariis praefatis (absolutis prius a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet propter recursum habitos ad indices laicos) pro concessione litterarum remissorialium et compulsorialium ad effectum servatis servandis examinandi testes et compulsandi scripturas, tam respectu possessorii quam petitorii, et probandi beatum Petrum Paschasium praedictum fuisse filium religionis Trinitariae, et aliâs latius, prout ex rationibus tam in facto quam in iure ab utraque parte hinc inde plene informante allegatis deductis atque discussis, proponente eminentissimo et reverendissimo Domino cardinali Portocarrero:

Et eadem sacra Congregatio, inhaerendo decretis aliâs in causâ praedicti Beati editis III septembris MDCLXI

I Forsan legendum *extorserunt* (n. r.).

Contraria in-
stantia fratrum
Trinitariorum.

Decretum sa-
erae congrega-
tionis.

et XIII maii MDCLXX, censuit litteras remissoriales non esse concedendas, et picturas dicti beati Petri Paschasii, depictas et sculptas a praedictis fratribus Trinitariorum in horum habitu, esse delendas, et ita declaravit atque decrevit die XIII martii MDCLXXV.

V. Episcopus Portuensis.

Cardinalis CARPINEUS.

Loco † sigilli ».

Preces procuratoris generalis Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Matthias procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmiter subsistat et servetur exactius, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiti summopere desideret: nos, ipsius Matthiae procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praecursatum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicut in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegates, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et

definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque ^{Derogatio contrariorum.} contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earundem ^{Transumptorum fides.} praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx aprilis MDCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 20 aprilis 1675, pontif. anno v.

CLXXXV.

Statutum ut in Congregatione Cassinensi monachorum Ordinis sancti Benedicti omnino serventur constitutiones et litterae apostolicae circa promotiones ad abbatias titulares ac decanatus gradum, necnon decanorum numerum et promovendorum qualitates de cetero exacte et inviolabiliter observari debere, nec expectativas ad prioratus et abbatias aliasque dignitates vel gradus dictae Congregationis primo vacaturos cuiquam posthac ullo modo concedi posse.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

In supremo militantis Ecclesiae solio, ^{Exordium.} meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae clementiae abundantiam constituti, ad ea peculiaria vigilantiae nos-

trae curas propensis studiis convertimus, per quae prospero felicique religiosarum congregationum, earum praecipue, quae, prisca disciplinae monasticae splendore conspicuae, multiplicibus in Ecclesiam Dei meritis fulgere noscuntur, regimini atque progressui consulitur, ut, radicibus evulsis, quos insana honorum cupiditas invenit¹, abusi- bus, congregationes ipsae, laudabilibus suis institutis firmiter insistentes, illibatam antiquae observantiae gloriam servant, et bono Christi odore de bonâ conversatione flagrant², laetis in dies, Domino benedicente, proficiant incrementis.

Constitutio
nos Cassinenses
quoad electio-
nes abbatum ti-
tularium et alia.

§ I. Cum itaque, sicut accepimus, licet per constitutiones Congregationis Cassinensis monachorum Ordinis sancti Benedicti apostolicâ auctoritate confirmatas caveatur expresse, ne quis eligi possit in abbatem cum solo titulo, nisi prius fuerit abbas cum regimine, vel saltem prior claustralis, qui per expletum quinquennium in prioratus regimine se laudabiliter gesserit, et per quasdam felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri litteras die xiv septembris mxcv expeditas praescriptus fuerit decanorum eiusdem Congregationis numerus, ut scilicet pro quinque monachis professis unus decanus, computatis cellariis³ ac novitiorum magistris, confessariis monialium, ac doctoribus, aliisque officialibus, assignaretur, ita ut ipsi decani numerum trecentorum non excederent, ac per easdem constitutiones expresse quoque prohibitum reperiat, ne ullus monachorum possit ad decanatum (qui primus est superioris gradus) promoveri, nisi decimum sextum annum in Congregatione prae-

fatâ compleverit, neque in decanos huiusmodi eligi seu assumi possint, de quorum doctrinae sufficientiâ et vitae merito non constet per testimonium a visitoribus medio eorum iuramento coram definitoribus in capitulo generali ferendum, praeviis, quoad litterarum scientiam, in actu visitationis diligenter⁴ examine, et, quoad morum probitatem, exactâ inquisitione, prout statuitur in litteris recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri, die vi martii mxciii, et dicti Pauli praedecessoris, die xxi martii mxcviii respective in simili formâ Brevis emanatis, ac praeviâ etiam attestazione de huiusmodi vitae integritate et sufficientiâ per praelatum, qui pro tempore praerit monasterio professionis promovendi, in definitorio cum iuramento faciendâ; nihilominus nonnulli eiusdem Congregationis monachi, propriae professionis, quae eos in humilitatis spiritu continere deberet, immemores, ac censuras et poenas, per quamdam Constitutionem apostolicam, qua dictae Congregationis monachis ambitus districte prohibetur, inflictas, damnabiliter incurrere minime formidantes, emendicatis per importunas preces principum saecularium ac etiam praelatorum ecclesiasticorum favoribus atque intercessionibus, abbatiae titularis honorem, et gradum decanatus huiusmodi, a capitulis generalibus et dictis² Congregationis praefatae contra constitutionum et litterarum apostolicarum praedictarum dispositionem quasi violenter extorquere satagunt, multique iisdem mediis etiam expectativas ad gradus et dignitates primo vacaturas (ita ut eis interim currat tempus requisitum a constitutionibus ad consecutionem prioratus ac ab-

¹ Forsan legendum *invenit* pro *invenit* (n. r.).

² Videtur legendum *fragrantes* (n. r.).

³ Videtur legendum *cellariis* (n. r.).

¹ Forsan *diligenti* (n. r.).

² Forsan *dictis* pro *dictis* legendum (n. r.).

batiae respective), necnon decreta connumerationis inter priores regiminis, cum simili clausulâ quod eis currat tempus ad abbatiam, reportare procurent; unde iustitiae distributivae ordo pervertitur cum gravi monachorum religiosi meritis conspicuorum detrimento, et Congregatio magnopere perturbatur, perniciosisque abusibus et corruptelis huiusmodi, nisi mature recidantur, in maximum relaxationis malum prolabi posset:

Pontifex motu proprio statuit dictas constitutiones et litteras apostolicas esse inviolabiliter observandas.

§ 2. Hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus pastoralis officii curâ, abusus praedictos penitus et omnino evellere, illisque ansam in futurum praecidere, ac eiusdem Congregationis tranquillitati, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, monasticamque observantiam, et in distribuendis secundum cuiusque merita honorum praemiis iustitiae normam in eâ stabilire atque solidare cupientes, necnon praefatarum constitutionum et litterarum apostolicarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praenarratas constitutiones et litteras apostolicas, circa electiones et promotiones ad abbatiae titularis honorem ac decanatus gradum necnon decanorum numerum et promovendorum qualitates, de cetero exacte ac praecise et inviolabiliter observari debere, nec expectativas ad prioratus et abbatias aliasque dignitates vel gradus dictae Congregationis primo vacaturos seu vacaturas cuiquam posthac ullo modo concedi posse, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, ac decernimus et declaramus.

Prohibet dictis constitutionibus et litteris

§ 3. Districte prohibentes tam cuiquamque capitulo generali vel dietae, quam

quibuslibet abbatibus et superioribus Congregationis praefatae, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, sub privationis vocis activae et passivae ac dignitatis abbatialis, ipso facto absque aliâ declaratione incurrendae, aliisque nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendis poenis, ne constitutionibus aut litteris apostolicis praefatis, vel praesentibus litteris, sub quovis colore vel praetextu, directe vel indirecte, aut aliâ quomodolibet, etiamsi desuper nostrum vel huius Sanctae Sedis beneplacitum reservaretur, contravenire audeant seu praesumant.

apostolicis contravenire etiam cum reservatione apostolice beneplaciti sub certis poenis.

§ 4. Ac decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praecminentiae et dignitatis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari aut in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, vel adversus illas a perditionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed easdem praesentes litteras semper

Decretum irritans.

firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, neque ipsis praesentibus per quasemque clausulas generales, nisi toto tenore inserto, et consentientibus superioribus dietae Congregationis Cassinensis, derogari posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dietae Congregationis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio sive quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et suf-

ficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiv aprilis MDCCLXXV, pontificatus nostri anno v.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 24 aprilis 1675, pontif. an. v.

Registrata in Secr., in lib. *Brevium mensis aprilis, part. utrâque, fol. 785.*

CLXXXVI.

Prohibitio ne fratres laici seu conversi Ordinis Eremitarum sancti Augustini transeant ad statum clericalem seu ad ordines promoveantur etiam vigore indultorum apostolicorum, nisi petita et obtenta in scriptis licentiâ tam provincialis quam generalis, et servata forma eorumdem indultorum, sub poenâ perpetuae suspensionis et reductionis in numerum conversorum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Valvasorius Mediolanensis, procurator generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod in eodem Ordine nonnullis ab hinc annis, non sine ingenti ipsius Ordinis detrimento, serpere incoepit ambitionis morbus, quo

Expositio facti.

plures fratres laici seu conversi, propriae vocationis obliti, ac humilem peritae conditionem qua regulari se manciparunt doctrinae, a laicali statu ad clericalem transire, ac ad sacros ordines, promoveri impotenter pertentant, et a vilioribus exercitiis ad sacri altaris ministeria ascendere, quinimo poenitentiae et eucharistiae sacramenta administrare necnon animarum curam exercere minime verentur; et quia non facile in eâ provinciâ, in qua tamquam laici ad religionem admissi fuerunt, voti compotes fieri possunt, ideo nonnulli eorum de loco ad locum, ac de provinciâ in provinciam vagantes commigrant, et aliqui ad remotiores etiam insulas se conferunt, atque ita quam nequeunt apud legitimos superiores suos laicis eorum conditionis conscios facultatem obtinere, ut saceris initientur ordinibus, eandem ab exteris tandem non sine dolo extorquent.

Incommoda quae ex huiusmodi transitu suboriuntur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, innumera ex hac unâ inobservantiâ suboriantur incommoda, quandoquidem decursu temporis praedicti fratres laici, seu conversi, iam utrumque ad sacros ordines promoti, ad proprias provincias et conventus, in quibus recepti fuerunt, remigrantes, in iisdem contendunt aggregationis et filiationis, ut antea fruebantur, potiri privilegio, quod quidem iuste illis a ceteris religiosis denegatur ob indebitam status variationem et dedecus quod religiosi incurrunt per eorum inscitiam, quam vel sacrum facientes, vel officium divinum legentes, vel altaris ministeria exercentes, aut sacramenta administrantes patefaciunt, inde vero lites et dissidia in conventibus et provinciis Ordinis praedicti succrescere videantur: nobis propterea dictus Dominicus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut tot malis, ne radices altius agant, opportuno

remedio occurrere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, ipsius Dominici procuratoris generalis votis in praemissis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ laetis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne de cetero ullus frater, ad regularem dicti Ordinis habitum inter laicos seu conversos receptus et admissus, ad statum clericalem in eodem Ordine et ad sacros ordines promoveri valeat, nisi prius opportunum super eo indultum ab hac sanctâ Sede Apostolicâ reportaverit, ac etiam tam a priore provinciali suae provinciae quam a priore generali Ordinis praedicti respective facultatem desuper petierit, et in scriptis sibi concedi obtinuerit; nec ullus frater Ordinis huiusmodi in statu laicali professus, qui sacros ordines de suorum superiorum licentiâ suscipiendi facultatem ab eadem Sanctâ Sede obtinuerit, eiusmodi facultate perfrui valeat, nisi petita et obtenta pariter tam a priore provinciali suae provinciae quam a priore generali Ordinis huiusmodi licentiâ, servatisque et adimpletis omnibus et singulis illis quae in eiusmodi indultis et litteris apostolicis desuper expeditis praescripta fuerint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prohibemus et interdicimus.

Præscribit formam sub qua fratres laici dicti Ordinis ad statum clericalem transire possint.

§ 4. Volentes et eadem auctoritate statuentes, ut, qui secus egerint, a statu laicali ad clericalem transeuntes, clericalem characterem suscipientes, vel se ad sacros ordines promoveri facientes,

Poenae adversus contravenientes.

a clericali characteris et sacrorum ordinum huiusmodi executione perpetuo suspensi remaneant, ac a statu et habitu clericali reiciantur, et in numerum conversorum denuo redigantur; qui vero fratres laici seu conversi Ordinis praedicti tam clericali characteris et sacris ordinibus praedictis initiati sunt, sed eorum ignorantiam non levia adferunt populo scandala et religionis famae plurimum derogant, auctoritate dilecti filii moderni procuratoris generalis Ordinis praedicti, cui opportunam ad id harum serie facultatem tribuimus, a clericali characteris et ordinum suorum respective exercitio tandem suspendantur, donec ab ipso priore generali vel ab examinatore per eum deputandis, praevio examine, approbati fuerint.

Poenae ad-
varius superio-
ris in debite
concedentibus huius-
modi licen-
tias transeundi.

§ 5. Porro superiores, qui sine debita et per praesentes litteras praescripta solemnitate concedent praedictis fratribus laicis seu conversis facultatem transeundi ad statum clericalem, seu sacros ordines suscipiendi, aut indebite promotos redarguere et punire negligent, poenam privationis officiorum, quae tunc obtinebunt, ac vocis activae et passivae ipso facto se noverint incururos.

Decretum ir-
ritans.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti

Ordinis eiusque provinciarum ac congregationum et conventuum, etiam inramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expressè derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhibetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumpto-
rum iudex.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDCLXXV, pontificatus nostri anno VI.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 9 maii 1675, pontif. anno VI.

Registrata in Secretariâ, in lib. Erevium mensis maii, parte utraque, fol. 109.

CLXXXVII.

Erectio custodiæ sub nomine Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis in novam provinciam, cum illius dismembratione a provinciâ S. Antonii Brasiliensi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum in Lusitania.

Clemens Papa X.,
ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii, quo Catholicae Ecclesiae per universum terrarum orbem

Exordium.

diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, sollicitudo nos admonet, ut felici prosperoque christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, gubernio atque directioni, etiam per novarum provinciarum institutionem, providere interdum studeamus, sicut locorum et personarum et temporum qualitatibus mature perpensis, ad⁴ gloriam et religionis incrementum atque animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Refertur status antiquus provinciae S. Antonii Brasiliensis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes a Nativitate provinciae S. Antonii Brasiliensis fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum in Romanâ Curiâ specialis procurator, quod dicta provincia primordio suae fundationis, sub titulo Custodiae S. Antonii Brasiliensis, provinciae eiusdem nominis in Lusitaniâ consistenti unita fuit usque ad felicis recordationis Alexandrum Papam VII praedecessorem nostrum, qui eam a dictâ provinciâ Lusitaniae, tum ob earum ab invicem distantiam, multitudinem fratrum et numerum conventuum, tum ob cetera requisita, et ad utriusque partis instantiam separavit, ac in distinctam provinciam, relicto solum titulo *sancti Antonii* cum addito *Brasiliensis*, crexit. Haec autem provincia, exinde et antea dum custodia erat, per vastissimum Brasiliae regnum ad spatium quingentarum et amplius leucarum ita dilatata est, ut minister provincialis in decursu sui triennalis regiminis, et multo minus commissarii visitatores a ministris generalibus Ordinis praefati ad canonicam tam fratrum quam conventuum visitationem deputati, vix unquam integrae eiusdem provinciae visitationem obire

⁴ Deest *Dei* vel *omnipotentis Dei* ut de more solito (R. T.).

valuerint, in grave regularis observantiae detrimentum; cui ut necessarium applicari posset remedium, omnes provinciae huiusmodi fratres tunc in humanis agenti Petro Manero dicti Ordinis ministro generali supplicarunt, ut formam aliquam boni regiminis pro tam vastâ et extensâ provinciâ praescribere vellet. Ipse vero Petrus minister generalis, post maturam deliberationem et graviorum fratrum consultationem, disposuit omnibus dictae provinciae conventibus sitis ultra oppidum Spiritus Sancti, et in eius districtu seu capitaniâ fundatis, ad tractum Sur nuncupatum, dari debere unum custodem, qui, assistentibus sibi duobus definitoribus, viceis et absentias ministri provincialis, tam in ordinariis fratrum correctionibus, quam in conventuum visitationibus et electionibus extracapitularibus, legitime et ex totius provinciae concordato suppleret, utque dicti conventus, cum ad numerum septem conventuum crevissent, gauderent titulo custodiae, cum vero ad decem conventus pervenissent, gaudere possent titulo provinciae. Quam formam regiminis omnes fratres dictae provinciae tam definitorii quam discretorii in capitulo provinciali die xxx augusti MDCLVII in conventu S. Francisci civitatis Brasiliensis unanimi consensu et communibus omnium votis, nemine prorsus discrepante vel contradicente, ad maius Dei obsequium, regularis observantiae incrementum, solamen fratrum, et levamen praefatorum provincialium et visitatorum personaliter visitantium, amplexi sunt; et haec forma regiminis die xxii iunii MDCLXX per venerabilem fratrem Franciscum Mariam Phini episcopum Syracusanum, tunc temporis ministrum generalem eiusdem Ordinis, fuit approbata, et postea omni meliori formâ qua fieri potuit in congregatione capitulari dictae provinciae Bra-

siliensis admissa et ratificata die xiii decembris eiusdem anni MDCLXX a dilecto filio Ioanne a Deserto ministro provinciali, cum communibus omnium patrum provinciae et defunctorum votis ac suffragiis, qui omnes unanimiter cessere iuri suo ac praetensioni contra dictam custodiam eamque in omni libertate a iure requisitâ, ut in novam per se custodiam sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae erigeretur, ac per proprios et distinctos superiores regeretur, constituere; et hoc ipsum confirmantes¹ iidem fratres provinciae huiusmodi in ultimo capitulo provinciali die xxii augusti MDCLXXIII quantum ad erectionem in custodiam, ac etiam ulterius progredientes sponte et libere supplicarunt ut in provinciam separatam sub titulo iam dicto stabiliretur.

Proces.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta custodia ad praesens ab ultimo capitulo huiusmodi in pacificâ possessione status custodiae distinctae reperitur; praemissis vero omnibus attentis, quae vera esse dilecto filio moderno ministro generali dicti Ordinis constat, concurrentibusque ceteris quae ab apostolicis et generalibus Ordinis huiusmodi constitutionibus ad canonicam novae per se provinciae erectionem requiruntur, praefatus Ioannes procurator custodiam huiusmodi confirmari, ac in novam provinciam sub titulo praedicto erigi summopere desideret: nobis propterea nomine dilectorum pariter filiorum fratrum, tam provinciae S. Antonii Brasiliensis, quam custodiae huiusmodi humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostoli eâ dignaremur.

¹ Pontifex dictam custodiam in novam provinciam erigit.

§ 3. Nos igitur, eosdem Ioannem procuratorem et fratres specialibus favori-

1 Aptius tegeretur *confirmarunt* (n. r.).

bus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attentis narratis, et audito per venerabilem fratrem nostrum Franciscum episcopum Ostiensem S. R. E. cardinalem Barberinum nuncupatum, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, cui hoc negotium a Congregatione venerabilium etiam fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ remissum fuerat, praefato moderno ministro generali super veritate omnium supra expressorum informante, praefatam custodiam Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, illiusque conventus, domos et monasteria quaecumque, ac in eis degentes religiosos et fratres quoscumque, a dictâ provinciâ S. Antonii Brasiliensi, auctoritate apostolicâ, perpetuo separamus, segregamus et dismembramus, ac a quacumque ministri provincialis aliorumque superiorum eiusdem provinciae iurisdictione, superioritate, subiectione, visitatione, correctione, curâ et gubernio itidem perpetuo eximimus et plenarie liberamus; ipsamque custodiam ac illius conventus, domos, monasteria, fratres et religiosos huiusmodi, sic separatos et dismembratos, ac separata et dismembrata, in novam dicti Ordinis provinciam Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae in regno Brasiliæ ad tractum Sur nuncupandam, quae a propriis ministro provinciali, custode, de-

finitoribus, ceterisque superioribus, iuxta eiusdem Ordinis statuta eligendis, nominandis et deputandis, regi et gubernari debeat, auctoritate et tenore praefatis, pariter perpetuo erigimus et institutumus. Necnon ipsi novae provinciae sic erectae et institutae, illiusque conventibus, domibus, monasteriis, ac ministro provinciali, custodi, definitoribus ceterisque superioribus pro tempore existentibus, fratribusque et personis quibuslibet, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, indulgentiis, indultis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae, illarumque conventus, domus, monasteria, superiores et fratres, aliaeque personae, tam de iure, usu et consuetudine, quam alias quomodolibet, utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futuro, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, eâdem auctoritate, harum serie, similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandoque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitu-

tionibus et ordinationibus apostolicis, necnon custodiae ac provinciae¹ et Ordinis praefatorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv iulii MDCLXXVI, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 15 iulii 1675 pontif. anno vi.

Registrata in Secr., in lib. Brevium mensis iulii, parte utraq., fol., 318.

CLXXXVIII.

Licentia fundandi conventus ubique locorum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum tam Calceatorum quam Discalceatorum de solâ licentiâ Ordinariorum superioribus dicti Ordinis concessâ ad limites Constitutionis Clementis X.

Clemens Papa X.
ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae clementiae abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio praesidentes, ad ea, per² quae conven-

Exordium.

¹ Male edit. Main. legit *custodia et provincia* (R. T.).

² Praeposit. *per nos* addimus (R. T.).

tus et alia loca regularia ad omnipotentis Dei gloriam, et religionis piorumque operum incrementum, atque animarum salutem ubique locorum erigi valeant, propensis studiis intendimus, ac pastoralis officii nostri partes desuper interponimus, sicuti, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exposito.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de S. Marco, procurator generalis Ordinis fratrum Discalceatorum nuncupatorum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, quod (cum dudum felicis recordationis Paulus PP. V praedecessor noster superioribus et religiosis Ordinis fratrum eiusdem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ut¹ ubique locorum quilibet in districtum suo domos et monasteria, iuxta Concilii Tridentini decreta, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis etiam regularium requisito consensu, condere, fundare et erigere valerent, licentiam et facultatem auctoritate apostolica sub certis modo et formâ tunc expressis, concesserit; et subinde recolendae memoriae Gregorius Papa XV, pariter praedecessor noster, eisdem fratribus Discalceatis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo illorumque superioribus, ut domos et monasteria huiusmodi, etiamsi illa aliis domibus regularibus Ordinem Mendicantium magis vicina essent quam in privilegiis illis concessis praescriptum est, dummodo tamen expressus Ordinarius locorum ad id accederet assensus, fundare et erigere possent pari auctoritate indulserit; ac postmodum pie memoriae Clemens PP. IX, etiam praedecessor noster, litteras Pauli et Grego-

rii praedecessorum praefatorum super praemissis respective emanatas apostolicâ similiter auctoritate confirmaverit et approbaverit, et aliâs, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die vi octobris MDCLXVIII expeditis uberius continetur; dietique Paulus et Gregorius praedecessores similia privilegia fratribus Discalceatis Ordinis Minorum, seu sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, per suas pariter in formâ Brevis die v septembris MDCLVI, et die XXIII decembris MDCLXXI respective expeditas litteras concessisse reperiantur) ipse Franciscus procurator generalis fratres tam Calceatos quam Discalceatos dicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum consimilibus privilegiis et gratiis ex nostrâ et huius sanctae Sedis benignitate decorari summopere desiderat. Nam, quamvis hic Ordo omnibus privilegiis et exemptionibus, quae aliis omnibus Ordinibus tam Mendicantium quam non Mendicantium concessa sunt, vigore amplissimae concessionis eidem Ordini a nobis per quasdam nostras etiam in formâ Brevis litteras die XII octobris MDCLXX emanatas factae, et consequenter facultatibus praedictis gaudeat, fratres tamen ipsius Ordinis eadem facultates ad praxim deducere nequeant¹, quippe qui authentico litterarum apostolicarum super concessione facultatum huiusmodi expeditarum exemplo destituti reperiantur. Nobis propterea praefatus Franciscus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, ipsius Francisci procuratoris generalis votis in praemissis quantum eum Domino possumus, fa-

Pontifex dicta privilegia Pauli V et Gregorii XV esse vidit etiam ad fratres

¹ Male edit. Main. legit *et pro ut* (R. T.).

¹ Potius lege *nequeunt* (R. T.).

tam Calceatos
quam Discal-
ceatos Ordinis
Beatae Mariae
de Mercede Red-
emptionis Capti-
vorum prout
in rubrica.

vorabiliter annuere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel a homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, superioribus et religiosis praedicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, tam Calceatis quam Discalceatis, ad limites praefatarum Clementis IX praedecessoris litterarum, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, indulgens ut ubicumque locorum quilibet in suo districtu domos et monasteria iuxta sacri Concilii Tridentini decreta de sola licentia Ordinariorum locorum, nullo aliarum personarum ecclesiasticarum et cuiusvis Ordinis regularium requisito consensu, etiamsi dictae domus et monasteria aliis domibus regularibus Ordinis Mendicantium magis vicina essent quam in privilegiis Ordinum Mendicantium huiusmodi concessis praescriptum est, servata in reliquis constitutionum apostolicarum forma, condere, fundare et erigere possint: salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum

palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in supradictis Clementis IX praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrarium derogato.

§ 5. Volumus autem ut earundem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alienius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xix iulii MDCLXXV, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 19 iulii 1675, pontif. anno vi.

Registrata in Secret., in lib. Brev. mensis iulii, part. utraque, fol. 810.

CLXXXIX.

Statutum, ut de cetero, qui convictores in collegiis pontificiis Anglorum, Graecorum, Maronitarum, Scotorum ac Hibernorum recipiuntur, alumnis ipsorum collegiorum in victu et vestitu totaque domesticâ disciplina se conformare debeant.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Cum, sicut accepimus, ad rectam iuventutis institutionem in collegiis pontificiis Anglorum, Graecorum, Maronitarum et Scotorum de Urbe (quorum cura

Motivum.

dilectis filiis et clericis seu presbyteris regularibus Societatis Iesu auctoritate apostolicâ demandata reperitur) ac etiam in collegio Hibernorum de eâdem Urbe (cuius curam bonae memoriae Ludovicus S. R. E. cardinalis Ludovisius nuncupatus, illius fundator, pro tempore existenti praeposito generali dietae Societatis commisit), ipsorumque collegiorum et in eis degentium quietem et felicem progressum, plurimum expediat, ut inter alumnos et convictores dictorum collegiorum in victu et vestitu totâque domesticâ disciplinâ uniformitas servetur, ne ex diversitate oriantur dissidia et perturbationes, quae finem institutionis eorundem collegiorum, ad Dei gloriam fideique catholicae conservationem et propagationem pie prudenterque erectorum, impedire valerent:

Statut ut in
rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos, praedictorum collegiorum in eisque nunc et pro tempore commorantium quieti ac felici prosperoque regimini et progressui quantum nobis ex alto conceditur providere cupientes, motu proprio, ac certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut de cetero omnes et singuli, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, qui in convictores memoratorum collegiorum recipiuntur, alumnos ipsorum collegiorum respective in victu, vestitu, totâque domesticâ disciplinâ sese conformare debeant, nec in dictis collegiis commorari ullo modo permittantur, nisi toto tempore, quo in eisdem collegiis respective convivent, alumnos sese sicut praemittitur conformant, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus; volentes ut convictores, qui in collegiis praedictis de praesenti reperiuntur, intra aliquem competentem terminum ipsis a dilecto filio Ioanne Paulo Oliva praeposito ge-

nerali Societatis praedictae pro eius arbitrio statuendum, sese alumnos ipsorum collegiorum respective victu, vestitu, totâque domesticâ disciplinâ, ut praefertur, conforment, alioquin, quantocius commode fieri poterit, inde demittantur.

§ 3. Ac decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam eausarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, aliosque quoslibet quaecumque praecipientiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus praedictis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, collegiorum praedictorum erectionibus et constitutionibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§ 5. Volumus autem ut praesentium

Transumptorum fides.

litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praedicti praepositi generalis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiii augusti MDCLXXV, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 33 augusti 1675, pontif. anno vi.

Registrata in Secretariâ, in lib. Brevium mensis augusti, parl. II, fol. 319.

CXC.

Prohibitio extrahendi libros bibliothecarum ex monasteriis Congregationis reformatae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

Motiva.

Conservationi et manutentioni librorum bibliothecae monasteriorum Congregationis reformatae monachorum sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac dilectum filium Nicolaum a sancto Mauro modernum eiusdem Congregationis abbatem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes;

§ 1. Supplicationibus eiusdem Nicolai abbatis generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, cuiusvis gradus, conditionis qualitatis et dignitatis etiam ecclesiasticae, et quacumque auctoritate, superioritate et officio fungens¹, etiam individuâ mentione dignus², libros, quinterna et folia, sive impressa, sive manuscripta, eisdem bibliothecis hactenus quovis modo donata, concessa et assignata, ac in futurum quodcumque donanda, concedenda et assignanda, sub quovis quaesito colore, ingenio, causâ, ratione aut occasione, ex monasteriis, quorum sunt, extrahere et asportare, seu ut extrahantur et asportentur permittere aut consentire audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo nisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice absolutionis beneficium, nisi in mortis articulo constitutus, impetrare possit, ac etiam, quoad regulares, privationis vocis activae et passivae poenis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum et Ordinis ac congregationis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, spe-

¹ Edit. Main. legit *fungentes* (R. T.).

² Edit. Main. legit *dignos* (R. T.).

cialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptum.

§ 3. Volumus autem quod praesentis prohibitionis copiae in valvis bibliothecarum monasteriorum praedictorum, vel alio monasteriorum huiusmodi loco, conspicue, quo ab omnibus cerni possint, continuo affixae remaneant.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCLXXV, pontificatus nostri anno VI.

I. G. SLESIVS.

Dat. die 9 septembris 1675, pontif. anno VI.

Registr. in Secret., in lib. Brevium mensis septembris, p. II, fol. 225.

CXCI.

Statutum circa novos transitus professorum Societatis Iesu e dicta Societate ad alios Ordines translatorum.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Quid antea deceverant Romanum Pontifices.

§ 1. Cum dudum († felicitis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster Societati Iesu inter alia concesserat, ut clericorum regularium eiusdem Societatis nemo, sive professor, sive scholaris, sive coadiutor, ex dicta Societate egrediens, ad alium quam Carthusiensem Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis vel praepositi generalis dictae Societatis licentia, se conferret; itemque recolendae memoriae Pius Papa IV etiam praedecessor noster voluerat, ut ne qui praedictorum ab eadem Societate, praetextu cuiusvis indulti, vel quaesito colore melioris vitae, vel strictioris observantiae, etiam ad Mendicantium vel Cisterciensium seu sancti Benedicti, aut aliorum monachorum Ordinem, Carthusiensi excepto, transire

† Videatur deesse postquam (n. r.).

possit) dubitari contigisset an praepositus pro tempore existens valeret etiam professor, ex causis id exigentibus, ab ipsa Societate emittere, aut eis sic emissis liberum esset, de eius licentia, se ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium Ordinem transferre, piaememoriae Gregorius Papa XIII, pariter praedecessor noster, re perpensa atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritati[†] atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volens, statuit ut deinceps in perpetuum liceret dicto praeposito, quos iudicavisset, ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius praepositi licentia non tantum ad Carthusiensem, sed ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium, pariter, laxioris aut arctioris observantiae, Ordinem per ipsum praepositum illis praescribendum, de consensu tamen superiorum loci illius quo destinarentur, demigrare, in eisque professionem per loci illius monachos aliosque regulares eiusdem emitti solitam emittere, habitumque suscipere, et consuetam uti eorum disciplinam, et alias, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die XXII septembris MDLXXXII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, non raro contigerit ut professi nonnulli praedictae Societatis, laxioris vitae cupiditate ducti, cum nequirent impetrare a praeposito generali ipsius Societatis licentiam transeundi ad Ordinem laxioris observantiae, prout desiderabant, impetrarent saltem facultatem ingrediendi alium Ordinem, in quo vigeat regularis observantia, atque emissam in eo post mo-

Abusus exinde subortu.

† Edit. Main. legit puritate (n. r.).

dicum tempus per dispensationem professione, inde facilius postea obtinerint licentiam migrandi ad alium Ordinem laxiorem, in quo exigua valde forma esset religiosae disciplinae, non sine scandalo multorum, qui relaxationis eiusmodi amorem in viris Deo per vota solemniter consecratis merito exhorrescunt:

Hic Pontifex
providet prout
in rubrica.

§ 3. Hinc est quod nos, eiusmodi scandalis ansam in futurum praecidere, ac Societatis praedictae honori indeque emissorum saluti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus ut de cetero in eadem Societate professi, quos praepositus generalis dictae Societatis ab ipsâ Societate emittendos iudicaverit, quique, de eiusdem praepositi generalis licentiâ, ad alium quemvis Ordinem eis ab ipso praeposito generali praescriptum translati fuerint, inde, post emissam ibidem professionem regularem, exire, aut denovo ad quemcumque alium Ordinem, Carthusiensi excepto, transire nequeant, nisi de speciali nostrâ seu Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ, in qua exprimaturs eos aliâs in dictâ Societate professos, indeque de praepositi generalis licentiâ ad praescriptum ab eo Ordinem, ex quo denovo ad alium transire desiderent, translatos fuisse, ac etiam specifica praesentium litterarum fiat mentio; alioquin novi transitus huiusmodi, ac professiones, et alia quaecumque inde quovis modo secutura, nulla prorsus atque invalida et irrita, nulliusque roboris et momenti existant, et sic transeuntes pro apostatis habeantur, omnibusque censuris et poenis contra apostatas statutis et promulgatis subiacent, nec ab illis absolutionis beneficium ab alio quam a nobis seu Romano

Pontifice pro tempore existente (nisi in mortis articulo constituti) reportare valeant.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeceminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritatum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Societatis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici sive secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius

Transumptorum fides.

personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam M. iorem, sub annulo Piscatoris, die xvi septembris MDCLXXV, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLESIUS.

Dat. die 16 septembris 1675, pontif. anno vi.

Registrata in Secretariâ, in libro Brevium mensis septembris, part. II, fol. 290.

CXCLII.

Confirmatio privilegiorum universitati studii generalis Cesenae eiusque collegiis a diversis Romanis Pontificibus respective concessorum, ampliatarum et confirmatarum, nempe creandi notarios et promovendi quotannis quatuor ad doctoratum utriusque iuris collegio iuristarum, ac aggregandi collegio physicorum et medicorum quoscumque in arte medicinae peritos huic collegio respective attributorum, cum indulto ut dictum collegium iuristarum non solum praefatos quatuor quotannis, sed etiam quoscumque alios idoneos, praevisio rigoroso examine, ac servatis servandis, adinstar aliarum universitatum, promovere possit.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Etordium.

In apostolicae dignitatis fastigio meritis licet imparibus per ineffabilem divinae clementiae atque sapientiae abundantiam constituti, ea, quae ex circumspectâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum providentiâ ad promovenda bonarum litterarum studia, quae et Ecclesiae Dei et reipublicae exi-

nie conducibilia sunt, salubri consilio emanasse noseuntur, ut firma semper atque illibata persistent, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter corroboramus, illaque etiam interdum ampliare studemus, sicut publicae utilitati ac civitatum nobis et Apostolicae Sedi etiam quoad temporalia subditarum deceri et ornamento cognoscimus in Domino profuturum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister Sanctes de Pilastris, presbyter Cesenas, in utraq; signaturâ nostrâ referendarius, et subdaturus noster, quod (cum in provinciâ nostrâ Romandiolae unica reperiatur studii generalis universitas in civitate nostrâ¹ Cesenae consistens, in qua ab immemorabili tempore stipendiati sunt decem lectores, ex quibus sex matutinis et quatuor vespertinis horis sacros canones, leges civiles, sacram theologiam, philosophiam, logicam et medicinam publice praelegunt, et bonae memoriae Marcus Aurelius Maraldus, dum vixit, Brevium secretorum felicitis recordationis Urbani VIII et Innocentii X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum secretarius, aliam praedictis lecturam sacrorum canonum, assignato perpetuo honorario, adiunxerit, ac recolendae memoriae Iulius Papa II, etiam praedecessor noster, per suas litteras die xix iunii mdy expeditas, collegio iuristarum dictae civitatis, viginti doctoribus constanti, notarios creandi, et pie memoriae Clemens Papa VII, similiter praedecessor noster, eidem collegio duos ad id idoneos quotannis ad gradum doctoratus in utroque iure, servatis servandis, promovendi facultatem, dictus quidem Clemens praedecessor per suas litteras die x februarii mxxxiv emanatas, respective

Expositio et petitio.

¹ Edit. Main. legit *nostrae* (R. T.).

concesserint; haecque facultas, a Clemente praedecessore concessa, ad alios duos annis singulis doctoratus laurea decorandos a similis recordationis Paulo Papa V praedecessore pariter nostro per suas die III septembris MDCX desuper expeditas litteras ampliata¹, et omnes gratiae supradictae a similis memoriae Alexandro Papa VII etiam praedecessore nostro per suas litteras die III decembris MDCLVII emanatas confirmatae fuerint; necnon felicis etiam recordationis Paulus Papa III, per suas die XXX decembris MDXXXV, omnia statuta, privilegia, ordinationes et decreta praefato collegio iuristarum concessa confirmasse, ac Pius IV, Romani Pontifices praedecessores pariter nostri, per suas die XXIII iulii MDLXI, respective, expeditas litteras, collegio physicorum et medicorum civitatis praedictae quaecumque peritum et idoneum in arte medicinae recipiendi et huiusmodi collegio aggregandi facultatem concessisse reperiantur) ipse magister Sanctes, pro singulari sua erga eandem civitatem patriam suam pietate, bonique publici studio, privilegia, facultates, gratias et alia praefata, quo firmiter subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiti; et, ut iuris utriusque studiosis, post peractum utriusque facultatis huiusmodi studiorum cursum, debitum honoris praemium rependi valeat, facultatem, dicto collegio iuristarum a memoratis Clemente VII et Paulo V praedecessoribus ut praefertur concessam et ampliatam, uberius extendi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

¹ Pessime edit. Maio. legit *ampliare* (R T.).

§ 2. Nos igitur, ad ea, quae publice utilia dictaeque civitati decori fore conspiciunt, favorabiliter intendentes, ac praefati magistri Sanctes subdatarii nostri votis in praemissis peculiari charitate annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum praesentium, hac vice dimittat, consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon omnium et singularum litterarum praefatarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis² et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, privilegia, facultates, gratias, et alia supra expressa, dictae universitati seu eius collegiis praefatis a memoratis Iulio, Clemente, Paulo III, Pio IV, Paulo V et Alexandro praedecessoribus respective concessa, ampliata et confirmata, ut praefertur, expeditasque desuper illorum litteras supradictas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robar adiicimus.

§ 3. Praeterea praefato iuristarum collegio, ut non solum quatuor quotannis, sed etiam quoscumque alios, quos nimirum ad id idoneos esse duxerit, praevisio rigoroso examine, ac servatis servandis et quae in dictis Clementis et Pauli V praedecessorum litteris praescribuntur, ad gradum doctoratus in utroque iure ad instar aliarum universitatum promovere libere et licite possit et valeat, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et indulgemus.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios

Pontifex omnia supradicta privilegia auctoritate apostolica confirmat.

Insuper dictorum iuristarum collegio innotet, ut quoscumque idoneos valeat doctorare.

Decretum irritans.

et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos, eorumque vicelegatos, et alios quolibet quacumque praecminentiam et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in singulis litteris praefatis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii septembris MDCLXXV, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 28 septembris 1675, pontif. anno vi.

Registrata in Secr. Brevium, in lib. mensis octobris, part. 1, fol. 47.

CXCH.

Indultum ut puellae conservatorii sub titulo Divinae Providentiae de Urbe, licet meretricum sive mulierum inhonestarum natae vel sorores sint, nihilominus a deputatis Annunciationis B. M. V. aliarumque archiconfraternitatum et societatum Urbis ad dotes sive subsidia dotalia admitti, illaque consequi possint perinde ac si nec genitrices nec sorores tales haberent.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Paparettus, quod (cum ipse sexaginta tres puellas in domum S. Michaelis de Urbe, quam iis, qui sponte veniunt ad fidem, assignavimus, congregaverit, illisque ibidem tanquam in conservatorio sub titulo *Divinae Providentiae* de necessariis ad monachatum vel matrimonium, iuxta earum respective vocationem, ex eleemosynis et subsidiis dotalibus providere satagat, inter eas vero nonnullae reperiantur quae meretricum sive mulierum inhonestarum natae vel sorores existunt; et dilecti pariter filii deputati sive administratores et officiales Annunciationis Beatae Mariae Virginis, aliarumque confraternitatum et societatum dictae Urbis, qui dotes sive subsidia dotalia pauperibus puellis distribuere solent, puellas dicti conservatorii ad dotes sive subsidia dotalia huiusmodi admittere renuant, causati, ei rei obstare dispositiones testatorum et piorum largitorum, qui easdem dotes sive subsidia dotalia praestari ordinarunt, ac puellas, quae personarum inhonestarum natae vel sorores essent, ab illis excluderunt) idem Franciscus puellas praedictas ad dotes sive subsidia dotalia huiusmodi, tametsi ius ad illas et illa puellis, quae ex honestis parentibus

Expositio potio.

ortae sunt, acquisitum esse praetendi posset, admitti posse plurimum desiderat, cum aliunde non suppetat modus easdem puellas in religione vel matrimonio honeste collocandi, illarumque periculis occurrendi, ac peccatorum, quibus Divina Maiestas offenditur, occasiones praecidendi, atque ita et Dei honori et publicae utilitati atque decori consulendi. Nos propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indulget ut
in rubrica.

§ 2. Nos igitur, ipsius Francisci votis in praemissis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac tam testamentorum quam aliarum dispositionum quorumcumque testatorum et piorum largitorum praefatorum tenores ac alia quaecumque etiam specificam et individuan mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut puellae conservatorii praefati nunc et pro tempore existentes, licet meretricum seu mulierum inhonestarum natae vel sorores sint, nihilominus a modernis et pro tempore existentibus deputatis sive administratoribus et officialibus, tam Annunciationis Beatae Mariae Virginis, quam aliarum quarumvis archiconfraternitatum et societatum Urbis praefatae, ad dotes sive subsidia dotalia praedicta, servatis aliâs servandis, admitti, illasque seu illa consequi et obtinere

libere, licite et valide possint et valeant, in omnibus et per omnia perinde ac si nec genitricem nec sororem meretricem sive mulierem inhonestam haberent, sed ex honestis parentibus ortae reperirentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; ita tamen ut praesens gratia non transeat in exemplum.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac puellis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et a memoratis deputatis sive administratoribus et officialibus, aliisque ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios ac delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus praefatorum testatorum et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, archiconfraternitatum et societatum praefatarum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis,¹ privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac

Contrariis derogat.

¹ Desunt verba *statutis et consuetudinibus*, (R. T.).

vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum non intendimus per praesentes litteras supradictum conservatorium in aliquo approbare.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV octobris MDCLXXV, pontificatus nostri anno VI.

I. G. SLESIUS.

Dat. die 14 octobris 1675, pontif. anno VI.

Registr. in Secret. Brev., in libr. mensis novembris, parte utraq., fol. 45.

CXCIV.

*Extensio indulgentiarum, congregationi fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum concessarum, ad favorem Calceatorum eiusdem Ordinis, etc.*¹

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Aliàs nos Congregationi fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, illiusque superioribus, fratribus et personis, ac christifidelibus illorum ecclesias seu cappellas pro tempore visitantibus, inter alias, nonnullas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes auctoritate apostolicâ concessimus seu communicavimus, et aliàs, prout continetur in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, tenoris qui sequitur, videlicet *Redemptoris, etc.* (Vide supra pag. 462 huius tomi).

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Matthias de Cordona vicarius et procurator generalis totius praefati Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, in sacrâ theologiâ magister, nobis nuper exponi fecit, ipse concessionem seu communicationem in-

dulgentiarum huiusmodi ad familiam Calceatam seu de Observantiâ eiusdem Ordinis a nobis extendi plurimum desideret: nos, ipsius Matthiae vicarii et procuratoris generalis votis in praemissis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de memoratorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, concessionem seu communicationem indulgentiarum ac peccatorum remissionum¹ et poenitentiarum relaxationum² praefatae Congregationi fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, illiusque superioribus, fratribus et personis, ac christifidelibus illorum ecclesias seu cappellas pro tempore visitantibus, a nobis per litteras praesentibus factam, ut praefertur, ad totam familiam fratrum Calceatorum seu de Observantiâ eiusdem Ordinis, illiusque superiores et fratres et personas, ac christifideles illorum ecclesias seu cappellas pro tempore visitantes, ad limites praesentiarum litterarum, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem cardinalium.

§ 3. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque

¹ Vide quae notavi in Constit. *Redemptoris*, c. (al. 149) huius Pontificis.

¹ Male edit. Main. legit *remissionem* (R. T.).

² Male edit. Main. legit *relaxationem* (R. T.).

Reconsentur
Breve praecedens.

Extenditur ut
in rubrica.

Contrariis derogat.

constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in litteris praesentis concessimus non obstat; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Ceterum volumus pariter ut eandem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii octobris MDCLXXV, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 18 octobris 1675, pontif. anno vi.

Registrata in Secretariâ Brevium, in lib. mensis octobris, part. 1, fol. 291.

CXCV.

Confirmatio et innovatio Brevis Urbani VIII ab Innocentio X confirmati, quo mandatur Ordinariis locorum et generalibus Ordinum, ut saltem bis in anno necessitates sacrarum monumentorum Terraesanae populo commendari curent, etc.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et Domini Nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni qua

feri poterit maiori honorificentia recollantur.

§ 1. Cum itaque (felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessori nostro alias exposito, quod ecclesiae et alia pia loca in civitate Hierusalem et aliis locis Terraesanae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno ob impiam Turcarum haeticorum et schismaticorum tyrannidem et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur) idem Urbanus praedecessor patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis Ordinum et congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, eorundem sacrarum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et alias prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die iii februarii MDCXXXIV editis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur;

§ 2. Et, sicut pro parte dilecti filii Ludovici Mimeur, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum professoris pro Gallia commissarii generalis eiusdem Terraesanae, nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefatae Urbani praedecessoris litterae, quae a recolendae memoriae Innocentio Papa X praedecessore pariter nostro confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari et innovari desideret:

Litterae Urbani VIII referuntur.

Petitur illarum confirmatio.

1 Edit. Main. legit *duobus* (R. T.).

Pentites
praedictas Ur-
bani VI litteras
innovat et con-
firmat.

§ 3. Nos, eorundem sacrorum monu-
mentorum conservationi et mantentioni
consulere volentes, de venerabilium fra-
trum nostrorum S. R. E. cardinalium
negotii Propagandae Fidei praeposito-
rum consilio, praedictas Urbani prae-
decessoris litteras, apostolicâ auctoritate,
tenore praesentium, confirmamus pariter
et approbamus, illasque innovamus et
observari mandamus.

Præcipit Or-
dinari locum
ob eam
nam.

§ 4. Volumus autem ut patriarchae,
archiepiscopi et episcopi in relatione
status suarum ecclesiarum, quando visi-
tabunt limina apostolorum faciendâ, re-
ferant se praedictis Urbani praedeces-
soris et praesentibus litteris nostris pa-
ruisse; contrariis non obstantibus qui-
buseunque.

Fides transum-
ptorum.

§ 5. Volumus insuper ut earundem
praesentium transumptis, etiam impres-
sis, manu alicuius notarii publici sub-
scriptis, et sigillo personae in ecclesias-
ticâ dignitate constitutae munitis, eadem
prorsus fides tam in iudicio quam extra
adhibeatur, quae adhiberetur ipsis prae-
sentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-
iorem, sub annulo Piscatoris, die 2 no-
vembris MDCLXXV, pontificatus nostri an-
no VI.

I. G. SLESIUS.

Dat. die 2 novembris 1675, pont. anno VI.

*Registrata in Secret. Brev., in lib. mensis
novembris, part. utraq., fol. 25.*

CXCVI.

*Beatificatio novemdecim Servorum Dei
martyrum Gorgomiensium nuncupa-
torum.*

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sanctorum martyrum, quos a charitate
Christi non tribulatio, non angustia, non

fames, non nuditas, non periculum, non
persecutio, non gladius separavit, sed
fidei dilectionisque vigor inter crucia-
tum certamina, agonothetâ Christo ad-
iuvante, victores praestitit, et, consum-
mato passionis cursu, ad caelestis coro-
nae gloriam evehit, agones et triumphos
in sanctâ Dei Ecclesiâ celebrari, ac con-
dignis laudum praeconiis atque venera-
tionis honoribus decorari decet, ut, qui
sanguinis sui pretio immortalitatem eme-
runt, illustriaque invictae virtutis suae
exempla reliquerunt, de nostrâ sint sol-
liciti qui de suâ sunt salute securi, et
piâ potentique apud Imperatorem nos-
trum, qui in fortissimorum pugilum
suorum honoribus honoratur, et cui ipsi
in stolis candidis die ac nocte serviunt
in templo eius, intercessione, imbecilli-
tati nostrae, inter saeculi tentationes
laboranti, caelestis gratiae munera im-
petrent, quibus et nos rectum vitae cur-
sum tenere et propositum nobis aeternae
beatitudinis bravium consequi mereamur.
In hanc nos curam ex debito
pastoralis officii, quod infirmitati nostrae
credidit divina dignatio, propensis stu-
diis incumbentes, flagitantia idipsum
christifidelium vota ad exauditionis gra-
tiam libenter admittimus, sicut ad glo-
riam omnipotentis Dei, ad exaltationem
fidei, spiritualemque fidelium consolatio-
nem atque aedificationem salubriter in
Domino expedire arbitramur.

§ 1. Cum itaque mature diligenterque
discussi et propensi fuerint per Congre-
gationem venerabilium fratrum nostro-
rum S. R. E. cardinalium sacris ritibus
praepositorum processus de huius sanctae
Sedis Apostolicae licentiâ confecti
super martyrio et causâ martyrii novem-
decim Dei servorum² Gorgomiensium
nuncupatorum, undecim quidem Ordinis

Resolutio Con-
gregationis sa-
crocorum rituum.

1 Potius lege *perpensi* (R. T.).

2 Videtur deesse vox *martyrum* (R. T.).

fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, videlicet Nicolai Pichi Gorgomiensis guardiani, Hieronymi Werdani vicarii, Theodorici Emdeni Amesfortii, Nicasio Ioannis Hezii, Willeadi Dani, Godefridi Merzvellani, Antonii Werdani, Antonii Hornariensis, Francisci Rodii Bruxellensis, sacerdotum, et Petri Ascani ac Cornelii Wicani laicorum, et aliorum octo, nempe Ioannis sacerdotis Ordinis Praedicatorum, et Adriani Becani et Iacobi Lacopii Aldenardensis amborum Ordinis Praemonstratensis, et Ioannis Osterwicani canonici regularis Ordinis sancti Augustini, ac Leonardi Vecchellii Buscoducensis, Nicolai Popelii Weldani, Godefridi Dunci Gorgomiensis, et Andreae Walteri, sacerdotum et parochorum saecularium, qui omnes simul in odium catholicae fidei, primatus Romanae Ecclesiae et augustissimi Eucharistiae sacramenti post atrocissima et immanissima tormenta Brile in Hollandia anno MDLXXII interfecti palmam martyrii accepisse asserebantur, ac super signis, prodigiis ac miraculis, quae ad manifestandam mundo finalem eorum perseverantiam a Deo edita et patrata fuisse dicebantur; factâque demum coram nobis omnium, quae in hac causâ gesta sunt, plenâ et distinctâ relatione, praefata Congregatio cardinalium, auditis etiam consultorum suffragiis, censuit posse, quodcumque nobis videretur, ad solemnem eorundem Dei servorum canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri ut in universo terrarum orbe Beati nuncupentur:

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enisis carissimi in Christo filii nostri Leopoldi Romanorum regis illustris in imperatorem electi, aliorumque principum, ac diversorum praesertim Belgii antistitum, necnon ducatus Brabantiae

1 Aptius lege *censuerit* (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XVIII

et comitatus Flandriae ordinum, ac dilectorum filiorum Francisci Mariae a Cremona ministri generalis et totius Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, et signanter Ignatii de Broeyer eiusdem Ordinis professoris et secretarii generalis, ac nationis Germano-Belgicae Ordinis huiusmodi in Romanâ Curiâ negotiorum gestoris seu agentis generalis, huiusque causae procuratoris, supplicationibus nobis et huic sanctae Sedis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de memoratorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut praefati servi Dei Nicolaus Pichus, Hieronymus Werdanus, Theodoricus Emdenus, Nicatius Ioannes Hezius, Willehadus Danus, Godefridus Marzvellanus, Antonius Werdanus, Antonius Hornariensis, Franciscus Rodius, Petrus Ascanus, Cornelius Wicanus, Ioannes, Adrianus Becanus, Iacobus Lacopius, Ioannes Osterwicanus, Leonardus Vecchellius, Nicolaus Poppelius, Godefridus Duncus, et Andreas Walterus in posterum Beatorum nomine nuncupentur, eorumque corpora et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eis quotannis die felicitis eorum transitus recitetur officium et missa celebretur de communi Plurimorum Martyrum, iuxta rubricas breviarii et missalis romani.

§ 4. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in totâ Hollandia ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, ac in ecclesiis tam fratrum, seu canonicorum regula-

In quibus locis eorum officia et missa ab omnibus celebrari possit.

Pontifex dispouit ut in rubrica.

rium, quam monialium omnium Ordinum, quos memorati servi Dei suo martyrio illustrarunt, et, quantum ad missas attinet, etiam a sacerdotibus ad ecclesias huiusmodi confluentibus.

In diebus locis quando solemnitas celebrari possint.

§ 5. Praeterea, primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et quoad Indias a die quo eadem litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis Hollandiae et Ordinum praefatorum respective solemnitas beatificationis eorumdem Dei servorum, cum officio et missa, sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constituta et intra sex menses promulganda, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnitas, quam ad rem diem xxiv currentis mensis novembris assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praedictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xiv novembris MDCLXXV, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 14 novembris 1675, pontif. anno vi.

Registrat. in Secretar. Brevium, in lib. vi diversorum, fol. 184.

CXCVII.

Avocatio controversiarum inter episcopum Ampuriensem et inquisitorem seu inquisitores regni Sardiniae ex causâ processus a dicto episcopo contra Nicolaum Marinum decanum et parochum collegiatae ecclesiae de Tempio super delictis praetensis circa materiam fidei confecti.

Venerabili fratri archiepiscopo Turritano,
Clemens Papa X.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater episcopus Ampuriensis et Civitatis in regno Sardiniae, quod, cum dilectus filius Nicolaus Marinus decanus et parochus actualis ecclesiae collegiatae oppidi de Tempio Ampuriensis diocesis, ipsique episcopo omnino subiectus, delictum publicae et scandalosae inobedientiae mandatis eius in actu solenni processioneis synodalis perpetrasset, et de eo criminaliter fuisset a promotore fiscali accusatus, sicut et postea de gravibus sceleribus ad parochi, quod ipsi incumbit, officium pertinentibus, et propterea dictus episcopus praefatum Nicolaum Marinum in oppido Civitate nuncupato castri Aragonensis dictae diocesis detineret censuris aliisque poenis circumligatum; dum idem episcopus causae cognitioni intendebat, et, post duos supra viginti dies eiusmodi relaxationis, mandatis episcopalibus et censuris contemptis, ipse Nicolaus Marinus, a loco reclusionis discedens, transiit ad istam civitatem Turritanam sine consensu dicti episcopi nec eius vicarii in spiritualibus generalis, sub praetextu cuiusdam epistolae dilecti filii inquisitoris adversus haeticam pravitatem in dicto regno Sardiniae auctoritate apostolica

deputati dictum Nicolaum parochum ad se ob negotia inquisitoris (cuius commissarius appellatur) advocantis. Quo cognito praefatus episcopus Ampuriensis, epistolâ humanissimâ ad dictum inquisitorem missâ, perbeneque, rogavit ut dictum Nicolaum repeteret, cuius delicta modo nullatenus Fidei materiam nec suspicionem attingebant. Inquisitores autem, ordinariae episcopalis iurisdictionis perturbatores facti, viâ iudiciali in alienas messes falceem immittunt, comminantes aggravantesque lamentabili plebis scandalo censuras episcopo eiusque vicario generali, nisi a cognitione causae dicti Nicolai abstineant. Quibus cum pro parte curiae episcopalis Ampuriensis iuris remediis notarius occurrisset modeste, inquisitores praedicti nonnullos homines armatos agmine facto in praefatum oppidum castri Aragonensis immiserunt die 11 mensis ianuarii proxime praeteriti: quos cum a longe cives castri Aragonensis conspexissent, commoti, armisque muniti, invadere manu hostili tentabant. Ipse autem episcopus, re cognitâ, oppidi portas claudi curavit, et suorum sedatâ multitudine scandala praeoccupavit.

§ 2. Quare nos ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito scandalis et perturbationibus, quae praemissorum occasione oriri possent, mature occurrere et opportunum iam exortis remedium adhibere cupientes, ac causae seu causarum sive controversiarum huiusmodi inter episcopum Ampuriensem et inquisitorem seu inquisitores praefatos vertentium statum et merita, nominaque et cognomina ac qualitates iudicum et collitigantium seu contendantium quorumcumque, et alia quaelibet, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter

expressis ac exactissime specificatis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem huiusmodi a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, causam seu causas sive controversias praefatas, in statu et terminis in quibus de praesenti quomodolibet reperiuntur, cum omnibus et singulis illarum incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, a memoratis episcopo Ampuriensi et inquisitore seu inquisitoribus regni Sardiniae, illorumque respective vicariis, commissariis, officialibus et ministris, aliisque iudicibus et tribunalibus quibuscumque, ad nos et Sedem Apostolicam praefatam tenore praesentium avocamus.

§ 3. Ac proinde fraternitati tuae per easdem praesentes committimus et mandamus, ut avocationem causae seu causarum sive controversiarum huiusmodi a nobis ut praefertur factam eisdem episcopo et inquisitori seu inquisitoribus, eorumque respective vicariis, commissariis, assessoribus, consiliariis, promotoribus seu procuratoribus, fiscalibus, notariis, actuariis, ceterisque officialibus et ministris, ac quibusvis aliis, quibus oportuerit, seu expedire iudicaveris, auctoritate nostrâ apostolicâ quanto citius notifies et denunciis;isque et eorum cuilibet, ne tam coniunctim quam divisim in praemissis, vel eorum aliquo, directe vel indirecte, aut aliâs quomodolibet quidquam innovare vel attentare audeant quovis modo seu praesumant, dictâ auctoritate districtè inhi-beas; ac illis praecipias et mandes, ut, a quibusvis attentatis seu innovatis

Committit
archiepiscopo
Turritano ut
hanc avocationem
partibus
denunciet, eis-
que inhi-beat.

Pontifex causam et causas inter dictum episcopum et inquisitorem seu inquisitores avocavit ad se et sanctam Sedem Apostolicam.

huiusmodi humiliter abstinentes, ad nos et dictam Sedem recurrant, actaque omnia et processus hucusque factos et faciendos ad nos transmittant, dictumque Nicolaurum apud te retineas, donec a suppreinâ nostrâ et eiusdem Sedis aequitate habeatur iustitiae complementum; nos enim tibi praefata omnia, et singula alia quae in praemissis quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, faciendi, dicendi, gerendi, mandandi et exequendi, ac executioni mandari curandi quaecumque necessariam et opportunam facultatem, eadem auctoritate, harum serie, tribuimus et impertimur.

Obstantia re-
mouet.

§ 4. Non obstantibus praemissis, et apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in favorem S. Officii et inquisitorum etiam generalium, illorumque officialium et ministrorum quorumlibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clau-

1 Verbum fuerint nos addimus (R. T.).

sulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac exactissime et accuratissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxii februarii MDCLXXVI, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 22 februarii 1676, pontif. anno vi.

Registrata in Secretariâ Brevium, lib. vi diversorum, fol. 243.

CXCVIII.

Confirmatio litterarum Pauli V et decreti Congregationis episcoporum et regularium quoad abbatiarum mutationes et guberniorum pro congregatione canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Ludovicus Coci abbas generalis et Bartholomaeus Tasca procurator generalis Congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini, quod (licet in eadem Congregatione tam superiores maiores quam abbates a suis guberniis et abbatibus de triennio in triennium mutari seu transferri consueverint, et dudum felicitis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster abusum confirmandi aliquos

Consuetudo
Congregationis
canonicorum re-
gularium S. Sal-
vatoris Ordinis
sancti Augusti-
ni.

abbates in eisdem guberniis, qui tunc introductus erat, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die xii maii mdcvii expeditas sustulerit, ac per easdem litteras inter alia statuerit, ut minus nationis canonici, qui aliquas ex praelaturis dictae Congregationis obtinuisent, ad ea dem, nisi sexennio vel saltem triennio ex tunc decurso, iterum in eisdem monasteriis et locis promoveri non deberent) nihilominus nonnulli abbates Congregationis praedictae in praeteritis trienniis dispensationem sive gratiam confirmationis in eisdem abbatii et guberniis reportaverunt; illorumque exemplo, quorundam aliorum abbatum temeritas et ambitio eo processit, ut, eiusmodi gratiâ confirmationis ad sexennium continuum obtentâ non contenti, illam ad novennium extendi procurarent, et quod peius est, conquisitis favoribus, confirmationem huiusmodi, etiam in primariis eiusdem Congregationis abbatii, quae ab eiusmodi abusu innummes hactenus servatae fuerunt, sibi concedi contendant, non sine evidenti abbatum nationalium, ac praesertim meritis praestantium, praepiudicio.

Decretum sacrae Congregationis episcoporum et regularium.

§ 2. Quare Congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito procuratore generali praefato, censuit iniungendum, prout iniunxit, superioribus generalibus praefatae Congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris, ut circa praemissa ab iisdem abbatii omnino servetur dispositio praenarratarum Pauli praedecessoris litterarum, in quibus inter alia ordinatur ut abbates Congregationis canonicorum regularium huiusmodi ab iisdem abbatii per sexennium vel saltem per triennium vacent.

Confirmatio Pontificis.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expo-

sitio subiungebat, praedicti Ludovicus abbas generalis et Bartholomaeus procurator generalis, tam supradictas Pauli praedecessoris litteras, quam decretum praedictae Congregationis cardinalium super illarum observantiâ, ut praefertur, die vi septembris proxime praeteriti emanatum, apostolicae confirmationis nostrae patrocínio communi summopere desiderent: nos, specialem ipsis Ludovico abbati generali et Bartholomaeo procuratori generali gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet inodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, praefatas Pauli praedecessoris litteras die xii maii mdcvii, et decretum super earum observantiâ a memoratâ cardinalium Congregatione die vi septembris proxime praeteriti respective emanata, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor adiciamus.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

Derogatio
contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis canonicorum regularium, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio-
rum fides.

§ 6. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii februarii MDCLXXVI, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 28 februarii 1676, pontif. anno vi.

CXCIX.

Constitutio revocatoria facultatum ingrediendi monasteria monialium almae Urbis, ac Italiae et insularum adiacentium, mulieribus saecularibus concessarum.

**Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque clemen-

tiae altitudo humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, credere dignata est, salubriter exequi adiuvante Domino satagentes, religiosae sacrarum virginum et devotarum mulierum, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, divinis obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, tranquillitati consulere iugiter studemus, ut¹ illustrior illa portio gregis Christi, sublatis e medio omnibus illis quae spiritum in caelis conversantem distrahere ac Christi sponsas a virtutum studiis pietatisque exercitiis avocare possent, maiora in dies decoris atque ornamentum gratiae spiritualis, caelesti sponso donante, suscipiat incrementa.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis relatum fuit, nonnullae mulieres saeculares, quibus pro spirituali earum consolatione licentiae ingrediendi monasteria monialium, tam in almâ Urbe nostrâ quam in Italia insulisque illi adiacentibus consistentia, apostolicâ auctoritate concessae erant, eiusmodi gratiis abutentes, mulierum cuiuscumque generis et conditionis agmina secum in eadem monasteria ducere, ac moniales ab orationis aliorumque piorum operum exercitiis avertere et a divinorum contemplatione avocare, sanctaeque solitudinis spiritum ac religiosam illarum quietem atque disciplinam multipliciter perturbare veritae non fuerint, non sine gravi tam spirituali quam etiam temporali ipsorum monasteriorum ac monialium detrimento:

§ 2. Hinc est quod nos, eiusmodi malorum occasionem penitus recidere cupientes, ac felicitis recordationis Gregorii XIII et Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui Gregorius quidem per suam quae in-

Causa huius
revocationis.Pontifex omnes
licentias
antea datas in
Urbe, et totâ
Italia, ac insulis
adiacentibus,
revocat, prout
in rubrica.1 Male edit. Main. legit *et pro ut* (u. r.).

capit *Ubi gratiae, etc.*, anno incarnationis Dominicae MDLXXV idibus iunii, Paulus vero itidem per suam cuius initium *Monialium statui, etc.*, die x iulii MDCXII respective editas constitutiones similibus incommodis opportuno revocationis licentiarum huiusmodi remedio providerunt, vestigiis inherentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias ac facultates ingrediendi monasteria, domos et loca monialium, in dictâ Urbe ac in totâ Italia atque insulis Italiae adiacentibus existentia, quibusvis, etiam comitissis, marchionissis et ducissis, et aliis quibuscumque¹ status, gradus et conditionis mulieribus in hunc usque diem a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac etiam a nobis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque fortioribus et efficacioribus ac insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, ad tempus vel in perpetuum, seu aliâs quomodolibet concessas, quarum ac litterarum apostolicarum desuper expeditarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, earumdem tenore praesentium, revocamus, cassamus et irritamus, ac revocatas, cassatas et irritas esse decernimus, inhibentes proinde mulieribus praedictis, quae dictas licentias obtinuerunt, sub excommunicationis latae sententiae poenâ, a qua non nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constitutae, absolvi possint, ne monasteria praedicta praetextu licentiarum

¹ Videtur legendum esse *cuiuscumque* pro *quibuscumque* (R. T.).

huiusmodi ingredi audeant seu praesument, ipsorum vero monasteriorum abbatissis, seu priorissis, ac superioribus, sub eadem, ac privationis suorum officiorum quae obtinent, et inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto sine aliâ declaratione incurrendis poenis, ne illas in monasteria huiusmodi introducere, seu admittere, aut ingredi permittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant similiter vel praesument.

§ 3. Quocirca dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nunciis, nunc et pro tempore existentibus, ac venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon dictorum monasteriorum praelatis et superioribus harum serie praecipimus et mandamus, ut praesentes litteras publicari et praemissa omnia observari faciant: contradictores quoslibet ac praemissis non parentes per praedictas et alias sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam, quatenus opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Publicatio demandatur, prout in rubrica.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrarius derogat.

§ 5. Quia vero difficile foret has litteras ad omnia loca deferri, volumus ut earum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX

februarii MDCLXXVI, pontificatus nostri
anno VI.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 29 februarii 1676, pontif. an. VI.

*Registrata in Secretariâ, in lib. VI Brevium
diversorum, fol. 162.*

Publicatio
praesentium lit-
terarum.

*Die II martii MDCLXXVI supradictum
Breve, seu Constitutio, affixum et pu-
blicatum fuit ad valvas Curiae et in
acie Campi Florae, ac etiam in aliis
locis solitis et consuetis Urbis per me
Alexandrum Albritium cursorem apos-
tolicum.*

ANTONIUS CANUTIUS mag. curs.

CC.

*Declaratio circa celebrationem capitulo-
rum provincialium Ordinis fratrum
Minorum sancti Francisci Cappucci-
norum.*

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Clemens IX
confirmavit de-
cretum capituli
generalis fra-
trum Cappuc-
cinorum sancti
Francisci de
triennali cele-
bratione capi-
tulum provin-
cialium.

§ 1. Dudum felicis recordationis Cle-
mens Papa IX praedecessor noster quae-
dam decreta seu capitula in capitulo ge-
nerali fratrum Minorum sancti Franci-
sci Cappuccinorum nuncupatorum facta
et stabilita, et inter alia unum quo ca-
vebatur ut capitula provincialia, quae
annualia erant, in posterum tantum fie-
rent de triennio in triennium, et singu-
lis annis fieret congregatio intermedia,
auctoritate apostolicâ confirmavit et ap-
probavit, et aliâs, prout in ipsius Cle-
mentis praedecessoris litteris desuper
in simili formâ Brevis die IX septem-
bris MDCLXVII expeditis, quarum teno-
rem praesentibus pro plene et sufficien-
ter expresso et inserto haberi volumus,
uberius continetur.

Pontifex di-
ctum decretum
est moderatus.

§ 2. Verum subinde nos ad instan-
tiam bonae memoriae Federici, dum vi-

xit, S. R. E. cardinalis Borromaei nun-
cupati, dicti Ordinis apud nos et San-
ctam Sedem Apostolicam protectoris,
praedictas Clementis praedecessoris lit-
teras in nonnullis earum articulis di-
versimode moderati sumus, et inter alia
dispensavimus ut capitula provincialia
huiusmodi fierent secundum exigentiam
provinciarum, super quo posset mini-
ster generalis eiusdem Ordinis iuxta
necessitatem concedere facultatem, et,
quemadmodum dictae litterae ordinabant
ut capitula forent triennalia, in futurum
fierent de sesquianno in sesquiannum,
sublatis congregationibus intermediis, et
aliâs, prout in litteris eiusdem Federici
cardinalis protectoris desuper die XXVIII
iulii MDCLXXI emanatis dicitur contineri.

§ 3. Cum autem, sicut dilecti filii
Stephanus a Cesena minister generalis
et Bonaventura a Recineto procurator
generalis Ordinis praefati nobis nuper
exponi fecerunt (licet ipse Stephanus
minister generalis, vigore moderationis
seu dispensationis a nobis, sicut prae-
mittitur, concessae, abinde procuraverit
ut communiter omnes provinciae eius-
dem Ordinis capitula sesquiannalia, sub-
latis congregationibus intermediis, ce-
lebrarent, quippe qui id bono communi
magis expedire cognoverit) nihilominus
post obitum memorati Federici cardi-
nalis et protectoris a nonnullis super
intellectu verborum, quibus dicta mo-
deratio sive dispensatio vulgari italico
idiomate concepta fuit, mota fuerit ali-
qua difficultas, an scilicet ministri pro-
vinciales capitula triennalia cum con-
gregationibus intermediis retinere pos-
sint, an vero, post eiusmodi moderatio-
nem, fuerit et sit absolute necessaria
licentia ministri generalis ad retinenda
in provinciis capitula triennalia et con-
gregationes intermedias huiusmodi, ac
utrum minister generalis in vim mode-

Dubia exorta
super intellectu
dictae modera-
tionis.

rationis sive dispensationis huiusmodi potuerit et possit adstringere provincias ad capitula de sesquiennio in sesquiennium, sublatis congregationibus intermediis, celebranda, prout communi ipsarum provinciarum bono magis expedire indicaverit: nobis propterea Stephanus minister generalis et Bonaventura procurator generalis praefati humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declaratio
dicti decreti.

§ 4. Nos igitur, pro peculiari nostro in Ordinem praedictum paternae charitatis affectu, omnem in praemissis dubietatem, ne exinde religiosa tranquillitas perturbetur, tollere, dictorumque Stephani ministri generalis et Bonaventurae procuratoris generalis votis favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus mentis et intentionis nostrae fuisse et esse per moderationem seu dispensationem supra expressam, quam iustis ex causis animum nostrum moventibus pro communi¹ totius Ordinis praedicti bono concessimus, ministro generali eiusdem Ordinis concedere facultatem ordinandi capitula sesquiannalia, sublatis congregationibus intermediis, secundum exigentiam provinciarum; talem autem exigentiam debuisse et debere determinari ab eodem ministro generali, non autem a provinciis, ac ipsum ministrum

generalem potuisse et posse cogere easdem provincias ad capitula provincialia de sesquiennio in sesquiannum, sublatis congregationibus intermediis, celebranda, prout secundum datum sibi a Domino prudentiam, ad conservandum promovendumque in ipsis provinciis regularis observantiae rigorem¹, tollendosque, si qui irrepserint abusum, expedire in Domino indicaverit.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis eiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hae vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariarum.

§ 7. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et si-

Transumptorum fides.

¹ Male edit. Main. legit *communis* (R. T.).

¹ Forsan legendum *vigorem* (R. T.).

gillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx martii MDCLXXVI, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 30 martii 1676, pontif. anno vi.

Registrata in Secretar., in lib. Brev. mensis aprilis, part. utrâque, fol. 46.

CCI.

Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex ecclesiis tam monachorum quam monialium Congregationis Vallisumbrosae die festo S. Ioannis Gualberti abbatis fundatoris dictae Congregationis.

Clemens Papa x,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Caelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, cum ad christianae pietatis incrementum et animarum christifidelium salutem profuturos speramus, libenter elargimur.

In bulget ut in rubrica.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni abbatis generalis Congregationis monachorum Vallisumbrosae, Ordinis sancti Benedicti, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communionem receptis, qui aliquam ex ecclesiis tam monachorum quam monialium Congregationis huiusmodi hactenus erectis et in posterum quandocumque eri-

gendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo S. Ioannis Gualberti abbatis et fundatoris Congregationis praedictae, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis temporibus valituris.

§ 2. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, ^{Transumptorum fides.} etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii aprilis MDCLXXVI, pontificatus nostri anno vi.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 17 aprilis 1676, pontif. anno vi.

Registrata in Secret. Brevium, in libro vi diversorum, fol. 549.

CCII.

Declaratio quod conventus Iesu et Mariae de Urbe Congregationis Italiae fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini Excalceatorum sit conventus generalis et studii generalis, etc.

Clemens Papa X,
ad futuram rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divina dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam religiosarum congregationum in Ec-

Exordium.

clesiâ Dei pie saneteque institutarum, uberesque bonorum operum fructus adiuvante Domino proferre iugiter satagentium, curam gerentes, illarum decori et commodis, ac praesertim sacrarum eisque aemulantium bonarum¹ litterarum studiis in eis ad Dei gloriam et religionis incrementum promovendis, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Expositio facti.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius generalis et gremiales definitorii Congregationis Italiae fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, quod, licet conventus olim S. Antonii, nunc Iesu et Mariae nuncupatus, de Urbe, dictae Congregationis, aliàs a tunc existentibus superioribus ex contributione provinciarum tunc existentium ipsius Congregationis acquisitus et fundatus fuerit ad hoc ut in eo studium generale ad communem utilitatem erigeretur; in eoque subinde collegium erectum, et multorum annorum spatio sustentatum, litterarum studiis eximie floruerit; ac, ut idem conventus religiosis litterarum scientiâ conspicuis abundaret, et unaquaeque provincia unum religiosum, qui ibidem perfectioni studere seque ad exercitium cuiuscumque muneris in obsequium dictae Congregationis obeundi habilem reddere deberet, illuc mitteret, anno MDCXVIII a capitulo generali declaratum fuerit quod dictus conventus habeatur dignior omnibus conventibus, et prior illius ubique omnes priores praecederet praeter priorem localem; quinimo capitulum generale eiusdem Congregationis, anno MDCXXVIII celebratum, insuper declaraverit praedictum conventum esse conventum generalem, ita ut in eo existent de familiâ fratres ex unâquaque pro-

¹ Edit. Main. legit *bonorum* (R. T.).

vinciâ ad dispositionem vicarii generalis, atque ita diu servatum fuerit: nihilominus postmodum bonae memoriae Ioannes Baptista S. R. E. cardinalis Pallottus nuncupatus, Ordinis praefati tunc temporis apud Sedem Apostolicam protector, declarationes praedictas propter particulares considerationes revocari et annullari curavit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes experientiâ compertum habeant ad gloriam omnipotentis Dei, ac communem dictae Congregationis utilitatem et unionem, nationumque pacem expedire ut conventus praedictus in pristinum statum restitueretur, quo etiam Ss. Augustini et Thomae Aquinatis doctrina, quam fratres Congregationis praefatae ex praescripto suarum constitutionum sequi debent, ibidem facilius valeat promoveri: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur.

§ 3. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, memoratum conventum Iesu et Mariae de Urbe dictae Congregationis conventum generalem et studii generalis iuxta usum et praxim temporum praeteritorum esse et deinceps fore, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, statuimus et declaramus.

Subinde experientia monstravit expedire ut praedictus conventus in pristinum statum restitueretur.

Pontifex declarat et statuit dictum conventum Iesu et Mariae de Urbe esse conventum generalem et studii generalis.

Mandat ut prior dicti conventus ex qua libet provincia dictae Congregationis assumatur.

§ 4. Volentes ut prior ipsius conventus ex qualibet provinciâ eiusdem Congregationis, et, quatenus fieri poterit, perturnum assumatur, ad hoc ut dignior et magis conspicuus eligatur; ipse autem prior cum suo discreto, quem capitulum dicti conventus eliget, vocem non in congregatione provinciali, sed in capitulo generali Congregationis praefatae habeat, et ad eundem conventum unaquaeque provincia ipsius Congregationis mittere debeat unum vel duos studiosos ex magis idoneis a vicario generali cum consilio definitorii respective illius provinciae ac superioris provincialis eligendos.

Dictum studium generale peculiariter committi protectioni cardinalis protectoris eiusdem Ordinis.

§ 5. Porro studium generale huiusmodi protectioni dilecti filii nostri Palatii basilicae Ss. XII Apostolorum S. R. E. presbyteri cardinalis de Alteriis nuncupati, dicti Ordinis moderni et pro tempore existentis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, peculiariter committimus et demandamus.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis, ac provinciarum et conventus praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel qua

vis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDCLXXVI, pontificatus nostri anno VI.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 27 aprilis 1676, pontif. anno VI.

Registrata in Secret. Brevium, in lib. mensis aprilis, part. utraq. fol. 147.

CCIII.

Confirmatio constitutionum Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum¹.

¹ Itanc Congregationem erexit Clemens VIII in Constit. *Ad militantis Ecclesiae*, quam deinde approbavit, duoque vota praeter alia ab istis Discalceatis² emitti iussit Paulus V Constit. *Quae vitae*, ac ipsos denique a iurisdictione, superioritate et obedientiâ ministri generalis fratrum Calceatorum eiusdem Ordinis exemit Urbanus VIII Constit. *Ex quo regimen*.

Clemens Papa X,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inscrutabili divinae providentiae arcano ad pastoralis dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, execti, illa, quae feliciter gubernandis ac salubriter dirigendis Congregationibus religiosorum virorum Iesu Christi iugum sub arctioris disciplinae observantia laudabiliter portantium, ac propriae alienaeque non spirituali tantum, sed etiam corporali saluti studiosa charitate iugiter incumbentium, in Ecclesia Dei pie sancteque institutis, provide prudenterque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus, sicut ad sanctissimae et individuae Trinitatis gloriam, religionis incrementum et felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Constitutiones
exhibentur Pon-
tifici.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Didacus a Iesu, procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod fratres dictae Congregationis in suis capitulis generalibus aliquas constitutiones pro felici prosperoque ipsius Congregationis regimine et gubernio fecerunt, quas etiam nuper definitorium generale eiusdem Congregationis revidit, auxit et correxit, ac ad hanc Sanctam Sedem transmitti curavit, ut nostro et eiusdem Sedis patrocínio munirentur.

Pontifex has
constitutiones
committit exa-
mini nonnulli-
rum praelato-
rum.

§ 2. Nos vero easdem constitutiones nobis exhibitas nonnullis Romanae Curiae praelatis, quorum fides ac prudentia et sacrorum canonum peritia nobis perspecta est, discutiendas commisimus; qui, mandatis nostris prompto obsequio morem gerentes, illas mature diligenterque examinarunt, et, nonnullis sublatis, nonnullis adiectis, aliisque, ubi opus fuerit,

correctis et emendatis, constitutiones ipsas in unum volumen redigi curarunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutiones generales fratrum Discalceatorum Congregationis Hispaniae Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

REGULAE CAPUT I. — **Fratres Discalceati Ordinis SS. Trinitatis, etc.**

Caput I. — *De tribus votis essentialibus, obedientiae, castitatis et paupertatis, ac de quarto non ambiendi.*

I. Quoniam obedientiae tamquam basi § I. De voto
fundamentali omnis regularium Ordinum obedientiae.
gubernatio innititur, intelligent fratres nostrae Congregationis primum humilitatis gradum esse obedientiam sine mora; tunc enim ipsa obedientia acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si, quod iubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur: quia obedientia, quae maioribus praebetur, Deo exhibetur, ipse enim dicit, *Qui vos audit me audit*; et cum bono animo a fratribus praebere oportet, quia *hilarem datorem diligit Deus*; nam si cum malo animo obedit subditus, et non solum ore, verum etiam in corde si murmuraverit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis, et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

II. Ceterum volumus et declaramus, ut constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam lethalem aut venialem, sed ad poenam, nisi propter praeceptum vel contemptum.

III. Praeceptum autem nullum intelligi volumus et declaramus, nisi quod spectat ad tria vota essentialia et quartum non ambiendi in clericis, et non

transeundi ad statum clericalem et sacros ordines in laicis, vel quod in his constitutionibus aut a superioribus praecipitur sub poenâ excommunicationis, vel in virtute sanctae obedientiae: transgressionem vero vel omissionem aliorum, secluso contemptu, nolumus obligare nisi ad poenam impositam, vel a superioribus pro eorum prudenti arbitrio imponendam.

iv. Quod si aliquis (quod Deus avertat) quoad reverentiam superiori debitam in re gravi deliquerit, ceteri religiosi diligenter sub poenâ gravis culpae curent ut reus severe puniatur, nullaque culpa irreverentiae erga superiorem, quantumvis levis, impunita maneat.

v. Si aliquis religiosus coram superiore alicui praecepto non obedierit, vel suam inobedientiam mordicus et pertinaciter defenderit, continuo incarceretur tanquam contumax et rebellis, et voce activa et loco privatus sit pro tempore culpae proportionato ad arbitrium praelati; et eadem poenâ mulctentur qui contra superiores insurrexerint, istorum officia usurpantes, vel eorum executionem impediētes.

vi. Religiosi nihil omnino agant sine licentiâ superioris; praesertim absque illâ cum extraneis non loquantur, nec scribant, neque recipiant litteras, quin prius illas manifestent superiori, qui eas legat, et curet ne scribantur nec recipiantur quae convenientes non fuerint; poterunt tamen sine licentiâ ad suos praelatos, superiores, definitores scribere, et eorum litteras accipere.

vii. Si subditus aliquis aperuerit vel non tradiderit litteras patris generalis, definitorum generalium, vel suorum ministrorum provincialium vel conventualium, vel illas quae ad ipsos mittuntur, sit incarceratus, et voce ac loco privatus pro tempore culpae proportionato;

si vero delinquens praelatus fuerit, sit suspensus a suo officio per quatuor menses; quod si aliquis inferior aperuerit vel non tradiderit litteras quas quilibet religiosus alteri mittit, puniatur poenâ culpae gravis; et eadem poenâ mulctetur etiam quilibet praelatus, qui litteras sibi non subditorum aperuerit.

i. Si aliquis religiosus (quod Deus avertat) contra castitatem deliquerit, et de eo convictus fuerit, incarceretur per sex menses, ieiunet et flagelletur arbitrio superioris, attentâ gravitate delicti, et per spatium unius anni privatus sit officio, voce et loco; quod si delictum publicum fuerit apud saeculares, disciplinâ conventuali flagelletur, ac per integrum annum in carcere sit, et voce ac loco per triennium careat; si autem in simile peccatum relabatur, praedieta poena duplicetur.

ii. Quoniam autem de huiusmodi delictis plena probatio raro fieri valet, praecipimus praelatis, ut, religioso de ipsis diffamato, nisi famam suam prius ita purgaverit ut nullum sinistrae de se opinioni locum reliquisse videatur (quod quidem pro timorata eorum conscientia atque prudentia iudicabunt), honores denegent et gratias quae aliis concedi solent, videlicet officia, studia, ordines, lecturas, facultatem concionandi et confessiones audiendi, et a conventu exeundi, etc.; patrumque provincialium ac ministrorum conscientias oneramus ut specialem curam similium religiosorum habeant.

i. Ad paupertatis votum spectat nihil tamquam proprium aut etiam nomine conventus possidere vel tenere: quare qui secus fecerit, vel aliquid, custodiendo intra vel extra domum, praelatum celaverit, tamquam gravissime delinquens, poenâ proprietarii, ac aliis ad arbitrium superiorum puniatur. Poterunt

§ 2. De voto castitatis.

§ 3. De voto paupertatis.

tamen religiosi uti rebus necessariis sibi a religione medio superiore impertitis, quas etiam nullus, quamvis sit praelatus, extra conventum reservet sub eadem proprietarii poenâ. Quod si aliquis inventus fuerit habere pecunias sine licentiâ, etiamsi illas habeat ad emendum aliquid sibi commissum, vel ad faciendam aliquam restitutionem, vel per modum depositi, sive alio quovis praetextu, poenâ gravi afficiatur.

ii. Quilibet religiosus poterit in cellâ habere mensam parcam, et scabellum ex pino, ac imaginem Crucifixi et Beatae Virginis Mariae in pariete depictam, seu in papyro, absque tamen aliquâ illuminatione; nec auro, argento, bombyce et similibus aliquis utatur, etiamsi sit in parvâ quantitate et in ornatum reliquiarum sive imaginum; dum autem, ex rebus sibi ad usum concessis, aliquâ non utatur, eam reponat in officinâ communi, ad quam pertinet, et nullus unquam utatur verbis istis: *meum, tuum*, etc.

iii. Omnia quae et quocumque titulo obvenerint religioso, sive in communi, sive in particulari, tradantur statim praelato, ut de illis disponat tamquam de bonis propriis communitatis, et in officinâ communi reponantur.

iv. Pecunia semper sit in arcâ, quae tres habeat distinctas claves, nec superior illam habere, nec expendere, nec licentiam alicui religioso dare poterit ut illam habeat vel expendat, quin prius in dictam arcam fuerit intromissa; ab illâ autem educetur, ut ab officialibus conventus rependatur cum expressâ praelati licentiâ.

v. Nullus religiosus habeat clavem cellae, arcae, capsulae, vel alterius similis rei, excepto patre generali et eius secretario. Patres vero definitores generales, provinciales, redemptores et procuratores generales, ad custodienda scri-

pta et suorum officiorum sigilla, poterunt habere clavem alicuius capsulae seu scrinii. Patres quoque ministri conventuales clavem habere poterunt capsulae sub mensâ cellae, cuius altitudo digitorum quatuor, longitudo vero duorum sit palmorum, ac etiam habeant claves magistras pro clausurâ. Religiosi item officiales habebunt claves suarum officinarum; et etiam architecti, fabrilignarii ac caementarii habere poterunt clavem alicuius officinae vel arcae ad custodienda instrumenta suorum officiorum. Officinae tamen sint extra dormitorium nec in eis habitent nec dormiant officiales aliive religiosi. Praedictae autem claves omnium officinarum sint duplicatae, et alteram ex eis habeat minister, qui aliquoties officinas visitabit, et ab eis amovebit quae vel ad munera praedictorum officialium vel ad usum religiosorum necessaria non fuerint.

vi. Definitorium generale in necessario concedere poterit alicui religioso clavem alicuius arcae vel capsulae, necnon, praeviâ informatione patrum ministrorum, lectoribus et praedicatoribus manticas cum serulis in quibus conciones et alia scripta custodiant.

vii. Patres ministri de trimestri in trimestre visitent manticas lectorum et praedicatorum in ipsorum praesentiâ, sub poenâ suspensionis pro tempore ad arbitrium patrum provincialium. Similiter, sub poenâ suspensionis per quindecim dies, bis saltem in anno visitabunt cellas, scripta, habitus, ceteraque alia, quae religiosi ad usum habuerint suum; superfluaeque et inutilia auferent, quamvis illa habeant cum praelati superioris licentiâ, et de necessariis absque morâ providebunt fratribus indigentibus. Ad hanc autem visitationem exequendam, praecepto imposito subditos obligabunt ut omnia absque aliquâ exceptione patefaciant.

VIII. In conventibus et collegiis nostris permittimus in solemnioribus festis et funeribus personarum gravium usum dalmaticarum pro diaconis et subdiaconis, necnon collarium pro acolytis, nequaquam vero manicatum in crucibus processionalibus, nec in inferioribus partibus albarum et rochettorum ornatum qui apud Hispanos dicitur *faldon*.

§ 1. De voto non audiendi.

I. Omnes nostri religiosi ad chororum deputati, tempore suae professionis, immediate post tria vota essentialia, quartum emittant non praetendendi in nostrâ religione officia et praelaturas, videlicet ministri generalis, definitoris generalis, magistri provincialis et conventualis, visitoris, praesidentis, necnon socii in capitulo generali et procuratoris generalis Romanae Curiae vel regiae; similiter non praetendendi neque admittendi ad aliquam praelationem extra nostram religionem, iuxta formam dispositam a felicis recordationis Paulo Papa V⁴; si quis autem inventus fuerit praetendisse aliquam praelationem seu officium ex praedictis, incarcerationetur per mensem, et officio, voce et loco per triennium privatus sit.

II. Praeterea omnes fratres laici in suâ professione immediate post² tria vota essentialia quartum etiam emittant *de non transeundo ad statum clericalem et ordines sacros, et de non praetendendo directe vel indirecte dictum transitum, iuxta Breve felicis recordationis Alexandri VII; qui vero secus fecerit, ad arbitrium provincialis graviter mulctetur.*

REGULAE CAPUT II. — **Omnes res undequaque licite veniant, etc.**

Caput I. — *De redemptione captivorum.*

§ 1. De ratione et cura, qua separandum et custo-

I. Praecipimus stricte omnibus praelatis nostrae religionis ut omni cura

1 Edit. Main. legit VI (R. T.).

2 Edit. Main. legit per pro post (R. T.).

adimpleant obligationem, quam habent, separandi pro redemptione captivorum tertiam partem omnium rerum, quae iuxta sanctam regulam nostram separari debet, et oneramus conscientias patrum visitorum ut invigilent huius legis observantiae.

diendum est, quod pertinet ad redemptionem captivorum.

II. Separatio ista in quolibet conventu et collegio per ministrum, seu praesidentem, et consiliarios fiat statim ac receptum fuerit quodlibet genus fructuum aliarumve rerum, et separatim conservetur in propria specie quod ad redemptionem pertinuerit, et in libro redemptionis scribatur. Et post quamlibet visitationem dictus minister seu praeses mittat redemptori suae provinciae declarationem, ab ipso et consiliariis subscriptam, omnium rerum quae secundum hanc constitutionem pertinent ad redemptionem.

III. Quotiescumque determinate pro redemptione captivorum recepta fuerit aliqua considerabilis seu magni momenti quantitas, cuiuscumque generis sit, similis fiat declaratio a praedictis tribus subscripta, et redemptori quamprimum mittatur. De parvis autem quantitatibus pro redemptione determinate receptis, haec fiet declaratio post quamlibet visitationem, et tunc redemptori mittetur. Patres vero redemptores librum habeant, in quo distincte scribant omnia quae ex praedictis declarationibus constiterit spectare ad redemptionem in omnibus conventibus et collegiis, unusquisque videlicet pro suâ provincia.

IV. Nullus minister seu praeses etiam cum consiliariis audeat titulo aliquo sive praetextu vendere et alienare dictas species, sive ex separatis pro tertia parte iuxta tenorem regulae, sive ex datis determinate ad redemptionem, sine licentiâ provincialis, quem tam ipse quam consilarii monere teneantur tem-

pore apto de periculo, quod potest esse in conservatione rerum vel fructuum in propria specie, ut de illis disponat in maiorem redemptionis utilitatem.

v. Insuper integra pars tertia separaretur pro redemptione captivorum ex mobilibus haereditatis et bonorum a parentibus relictorum. Similiter etiam separabitur, deductis expensis in culturâ, ex fructibus et proventibus possessionum provenientibus ex bonis sive ratione legitimaе, sive haereditatis, sive donationis acquisitis. Quando autem definitorium generale, vel conventus aliquis, seu collegium, cessionem fecerit alicuius legitimaе, ad quam ius habet, nunquam cedat partem legitimaе illius ad redemptionem spectantem.

vi. Praecipimus omnibus superioribus ut in conventibus seu collegiis, in quibus non fuerit designata haec particularis arca pro custodiendâ pecuniâ pertinente ad redemptionem captivorum, illa reponatur et custodiatur in arcâ trium clavium communi conventus vel collegii, in loco tamen eius separato.

vii. In qualibet provinciâ unus sit conventus seu collegium per capitulum generale assignatum in quo erit particularis arca trium clavium deserviens dumtaxat pro custodiendis pertinentibus ad redemptionem, quae et erit communis pro pecuniis totius provinciae. Ex dictis autem clavibus, altera sit apud ministrum, altera apud redemptorem illius provinciae, vel, ad eius defectum, apud procuratorem eius conventus seu collegii, et altera apud consiliarium antiquiorem. Quod si in aliquo conventu vel collegio evenerit quod sit arca particularis pro custodiendis tantum pecuniis ad redemptionem pertinentibus, illius claves habeant praedicti minister, consiliarius antiquior et procurator conventus vel collegii; nunquam autem

praefatae arcae aperiuntur sine assistentiâ trium clavariorum, qui distincte ac perspicue scribant omnia quae recipiuntur et in negotiis redemptionis expenduntur.

viii. Redemptores captivorum bis quotannis patri generali rationem reddant in scriptis omnium ingressuum, expensarum, causarum, litium, etc., pertinentium ad bona redemptionis.

ix. Superior et consilarii cuiusvis conventus et collegii ad finem singulorum mensium conferant et summam faciant omnium quantitatum ad redemptionem pertinentium, tam ex separatis pro tertiâ parte, quam ex donatis determinate ad ipsam redemptionem, et in libro eiusdem redemptionis illa scribant, ac propriis nominibus subscribant.

x. Ad hoc ut pecunia captivorum integra et in fideli ac securâ custodiâ perseveret, mandamus in virtute sanctae obedientiae omnibus religiosis, tam praelatis quam subditis, et unicuique in singulari, ne extrahant nec expendant (quantumvis sit ratione mutui vel commodati, alioque titulo non spectante ad redemptionem) aliquid pertinens ad ipsam redemptionem captivorum, sine licentiâ in scriptis definitorii generalis. Superior autem, qui constitutioni isti contraverit, suo officio sit privatus, et quilibet alius religiosus voce et loco per triennium.

xi. Insuper praecipimus quod quilibet praelatus, expendens vel in toto vel in parte res in specie propria vini, tritici, hordei et similes iam destinatas et separatas pro captivis, suspensus sit a suo officio per mensem unum, vel amplius, iuxta qualitatem culpae: et visitator curet ut absque morâ reintegretur et restituatur quod expensum vel alienatum fuisse constiterit.

xii. Patres provinciales seu visitato-

res in suis visitationibus colligant ex arcis captivorum quod pro ipsorum redemptione inveniunt separatim iuxta rationem in libro conventus seu collegii factam, et schedulam extractae et receptae pecuniae suis nominibus subscriptam relinquant; quod idem fiat quando redemptor vel alius religiosus de consensu et dispositione dicti redemptoris vel definitoris extraxerit ex arcis aliquid ad redemptionem spectans. Quilibet autem visitator librum habeat, in quo scribat totum quod colligit et recipit, et in unoquoque conventu seu collegio, ex pertinentibus ad redemptionem, in quo et subscribant minister et consiliarii vel clavarii arcae redemptionis respective.

xiii. Praefati autem provinciales seu visitatores praedictas pecunias, pro captivis, ut dictum est, ab ipsis collectas, reponant in generali arca suae provinciae, antequam discedant a conventu ubi talis est arca, sub poenâ suspensionis ab officio per tres menses.

xiv. Praecipimus patribus redemptoribus captivorum, ne pro redemptionibus aes alienum sine licentiâ definitorii contrahant, sed observent instructionem ab ipso nostro definitorio illis iniunctam, sub poenâ privationis vocis activae et passivae per triennium.

xv. Patres provinciales ad capitulum generale deferant testimonium subscriptum a clavariis arcae generalis redemptionis captivorum, in quo scripta sint omnia illo triennio separata pro captivis in omnibus conventibus et collegiis suarum provinciarum respective.

§ 2. De modo petendi eleemosynas pro captivis.

i. Pro maiori curâ et diligentia colligendi eleemosynas et omnia ad captivos spectantia, in qualibet provinciâ sint duo vel tres religiosi procuratores redemptionis ad arbitrium et dispositionem patris provincialis, qui et designa-

bit eis terminos ad petendas et colligendas dictas eleemosynas. Insuper praecipimus patribus redemptoribus captivorum ut designent in civitatibus et oppidis syndicos et collectores saeculares, cum facultate sufficienti ad exigenda, recipienda et custodienda legata testamentorum, operum piorum (ut vocant) et omnium aliarum rerum pertinentium ad redemptionem. Quae omnia tempore apto redemptores ipsi colligant vel per se vel per religiosos procuratores, et, quando in proximo sint, pro redemptione exequenda postulent pro illâ eleemosynas a principibus ecclesiasticis et saecularibus, capitulis, communitatibus, aliisque personis gravibus.

ii. Praeterea praecipimus procuratoribus redemptionis, imo etiam generalibus et conventualibus omnibus nostri Ordinis, ut sint valde solliciti in procurandis eleemosynis pro captivis, et omnes similiter religiosi tam praelati quam subditi in districtu suarum domorum diligenter procurent eleemosynas pro redemptione, et superiores inquirent ab inferioribus, quid in hac re actum respective sit.

i. Definitorium generale, finito quolibet capitulo generali, eligat redemptores captivorum. Ili autem erunt vitae merito, doctrinâ ac sapientiâ praediti, et officio definitorum generalium seu ministrorum provincialium aliquando potiti, vel saltem capaces ut tali munere potiantur. Pro singulis provinciis singuli eligantur redemptores; mutua autem ipsorum subordinatio ab eodem definitorio designabitur.

ii. In qualibet domo nostrâ, in qua fuerint vel per quam transierint redemptores captivorum, conventualitatem habeant, et praecedant omnes non praelatos, etiam vicarios: in regimine vero et administratione domus non se intromit-

§ 3. De electione et qualitate redemptorum.

tant. Ad egrediendum tamen a domo socium postulabunt a vicario in absentia ministri, sine deoscultatione tamen scapularii, nisi praeses fuerit propter absentiam ministri ultra vigintiquatuor horas.

iii. Districte praecipimus redemptoribus captivorum, ac aliis eorum sociis proficientibus ad redemptionem, ne comportent aliquas res non conducentes ad illius effectum, nec sibi nec aliis ex infidelium regionibus in reditu similia trahant; alias gravissimae¹ et irremissibili punitioni ad arbitrium definitorii generalis subiacebunt.

iv. Redemptores captivorum, intra tres menses post reditum ab executione redemptionis, expensarum istius et aliarum rerum ad munus istud aptius in futurum peragendum rationem reddant nostro definitorio: quod si omiserint, graviter puniantur iuxta culpae qualitatem.

REGULÆ CAPUT. III. — **Omnes ecclesiae istius Ordinis, etc.**

Caput III. — *De divisione provinciarum et earum nominibus, ac de conventuum differentia, et eorum aedificiis.*

§ 1. De nomine ecclesiarum, provinciarum et domorum differentia.

i. Omnes nostrae ecclesiae intitulentur nomine SS. Trinitatis, similiterque omnes provinciae nomine alicuius mysterii vel Sancti: ideoque prima titulum habeat Spiritus Sancti, secunda Transfigurationis, tertia Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, et sic de aliis in futurum.

ii. In Ordine nostro quatuor sint differentiae conventuum. Prima novitiorum et professorum, ubi a magistris in caeremoniis, mortificatione, vitæque spirituali instruentur; secunda collegiorum, ubi iam professi philosophiam sacramque theologiam edoceantur; tertia con-

ventuum in quibus religiosi spirituali profectui tam proprio quam proximorum incumbant; quarta demum domorum in desertis, ubi soli Deo vacent.

, iii. Statuimus ne fiat nova conventus fundatio, nisi in eo numerus religiosorum a regulâ nostrâ stabilitus commode cum observantiâ et sine distractione sustentari queat.

iv. Situs conventus (si fieri possit) eligatur intra civitatem vel oppidum, in loco tamen ad religiosorum quietem opportuno, et in quo permansurus sit; nec in eo assistent ultra tres vel quatuor religiosos, qui de fabricâ curent, donec ecclesiam et habitationem cum sufficienti clausurâ construxerint.

v. Pro novâ conventus seu collegii fundatione minister eligi non possit quin tredecim sint fratres quos regula exposcit. Interim tamen gubernetur per praesidentem a patre generali seu provinciali nominatum.

i. Statuimus ne alicuius conventus seu collegii fabrica incipiat, quin praecedat illius descriptio seu exemplar delineatum ab architecto aliquo nostri Ordinis, et examinatum a patre generali, qui reformabit excessus, si qui contra constitutiones infra ponendas inventi fuerint. Semel autem a patre generali examinato, nihil sine ipsius licentiâ contra illud faciat sive per additionem sive per diminutionem. Qui vero in toto vel in parte huiusmodi constitutioni contravenerit, vel contraveniri permiserit, suspensus sit ab officio suo iuxta gravitatem culpae.

ii. Ecclesiae latitudo sit saltem viginti quatuor pedum, et ad summum viginti septem, cui latitudini correspondeat longitudo et altitudo iuxta regulas architecturae. Pinnaculum item, sive extremitas cappellae maioris humilis sit, nec extra ecclesiam opera afflabre elaborata

§ 2. De constructione et fabrica conventuum.

¹ Edit. Main. legit *gravissima* (R. T.).

et curiosis crustis ornata fiant. In sacerario vero aliquam permittimus *fasciam*, ut vocant.

iii. De pariete ad parietem claustrum in longitudinem sit saltem spatium quinquaginta et quinque pedum, non tamen ultra sexaginta; transitus autem pro latitudine novem vel decem pedes capiat.

iv. Cellae habeant undecim pedes in quadrato; illarum fenestrae ad summum altitudinis tres pedes et digitos quatuor, latitudinis pedes duos et quinque digitos. Transitus autem dormitorii sex pedes latitudinis non excedat. Cellae vero infirmariae poterunt habere sexdecim pedes in quadro.

v. Officinae, quae sunt in terrâ, duodecim tantum pedes altitudinis habeant, itaut parietes conventus a pavimento claustrum usque ad tectum non excedat altitudinem viginti et sex pedum, nisi id exigat angustia situs, vel ne religiosi de foris videantur. Solaria autem et prospectus plani sint operis et parvis expensis fabricentur.

vi. Observatâ supradictâ aedificiorum proportione, interiores officinae et mansiones disponantur iuxta arbitrium prudentis architecti. In praedictis autem mensuris, per pedem intelligimus tertiam partem ulnae castellanæ; praecipinusque dictas mensuras immutari non posse nisi per capitulum generale.

vii. In civitatibus magnisque oppidis ecclesiae et claustra pertingant et non excedant summam longitudinem et latitudinem ex supradictis. In minoribus vero oppidis attingant minorem mensuram designatam, non tamen sint infra illam. Idemque volumus, proportione servatâ, de minimâ elegantia structurae ecclesiarum, quae semper iuxta regulam nostram debent esse plani operis. Major autem cellarum et officinarum numerus in unoquoque conventu dispona-

tur iuxta maiorem vel minorem religiosorum numerum qui ibidem sustentari valent.

REGULÆ CAPUT IV. — **Fratres debent esse in unâ cohabitatione, etc.**

Caput iv. — *De numero religiosorum qui debent esse in quolibet conventu.*

In nostris conventibus et collegiis sit competens numerus fratrum iuxta prudentem patris provincialis dispositionem; nunquam tamen sint infra tresdecim, sicut praecipit regula, praeterquam in aliâ novâ fundatione, ut supradictum est.

REGULÆ CAPUT V. — **Omnibus fratribus suis, sicut sibimet, etc.**

Caput v. — *De curâ quam praelati tenentur habere erga subditos.*

In omnibus nostris conventibus et collegiis sint officinae communes, ex quibus omnia necessaria, tam de victu quam de vestitu, tam pro salute quam pro infirmitate, aequaliter ministrentur religiosis omnibus tam praelatis quam subditis, sub poenâ suspensionis ab officio superiori erga hoc negligenti. Curet tamen ut res, quae conceduntur ad usum, sint prout decet Discalceatos.

REGULÆ CAPUT VI. — **Vestimenta sint lanea et alba, etc.**

Caput vi. — *De vestitu nostrorum religiosorum.*

I. Exterior vestis seu habitus fratrum nostrorum sit ex sacco albo, nec per tres digitos ad terram perveniat, nec latitudo infima in circuitu tres ulnas excedat, eiusque manicae strictae sint et versus manum unius palmi latitudinem non excedentes. Interior vestis etiam erit ex sacco albo, brevior tamen exterioribus digitis. Scapularium similiter sit ex sacco albo, latum ad palmum et dimidium

palmi, altum vero per palmum a terrâ et duos digitos. Caputium interius sit etiam ex eodem sacco albo, et strictum, nec illius acuta extremitas ad cinctorium per quatuor digitos accedat.

ii. Cappa sit ex rudi sacco fuscî coloris, stricta, sine plicaturis, alta a terrâ per dimidiam ulnam et quatuor digitos. Caputium exterius sit etiam fuscî coloris et aequale interiori. Mensurae autem praedictae accipiendae sunt de ulnâ castellanâ.

iii. Corrigiae sint nigrae et absque aliquâ curiositate, amplae ad tres digitos et tribus longiores scapulario. Sandalia sint ex canape, seu sparto, unius soleae, et ex omni parte apertae; zoccoli ex ligno cum corrigiis angustis.

iv. Tunicae immediatae corpori sint ex stameriâ albâ et rudi; femoralia vero ex lino rudi et communi; nullusque religiosus tam illas quam ista mandanda tradat extraneae personae privatae et distinctae ab eâ, quae similia vestimenta communitatis totius abstergit.

v. Linteola pro emungendis naribus sint ex lanâ, et galeri pro itineribus faciendis nigri vel fuscî coloris.

vi. Novitii eisdem vestibus utantur, excepto quod quatuor extremitates scapularii erunt circumcisae vel retortae.

Quicumque contra statuta in hoc capitulo vel in toto vel in parte fecerit, puniatur poenâ gravi per unum aut plures dies iuxta qualitatem culpae.

REGULÆ CAPUT VII. — Faciant in laneis, etc.

Caput vii. — *De lectulis pro cubito fratrum nostrorum.*

i. Lectulus sit ex tabulis; eius latitudo trium palmorum cum dimidio, altitudo vero tertiæ partis ulnae castellanæ, cum duobus tantum stragulis sive lodicibus laneis, et cervicali imo etiam ex lanâ.

ii. Ne autem religiosum aliquem sine habitu mori contingat, praecipimus quod omnes dormiant cum scapulario parvo laneo, quod quidem infirmi in lectu cubantes nunquam dimittant.

REGULÆ CAPUT VIII. — In cappis et scapulariis fratrum, etc.

Caput viii. — *De cruce portandâ in cappâ et scapulario.*

Crux rubei et cerulei coloris, quam iuxta regulam portare debent religiosi nostri in cappâ et scapulario, sit absque curiosâ structurâ, longitudinis unius palmi, latitudinis unius pollicis.

REGULÆ CAPUT IX. — In rasurâ Ordinem S. Victoris sequantur clerici, etc.

Caput ix. — *De rasurâ nostrorum religiosorum.*

i. Fratres deputati ad chorum tonsuras clericales amplas habeant, ita ut circulus capillorum trium digitorum latitudinem non excedat, nec ad aures pertingat. Ad uniformitatem autem servandam in qualibet domo sit mensura, qua in die rasurae dicta circuli latitudo censuretur.

ii. Laici barbas crescere modeste permittant ad praescriptum regulæ. Nec illis unquam clericalis corona concedatur.

REGULÆ CAPUT X. — Asinos sive mulos liceat eis ascendere, etc.

Caput x. — *De his quae fratres debent observare quando iter faciunt, et de modo petendi eleemosynas.*

i. Muli sive mulae, quas fratres nostros ascendere regula permittit, mediocris sint statura; exhortamurque religiosos ut curent observare laudabilem Ordinis consuetudinem asinos ascendendi.

ii. Quando religiosi iter faciunt in mulis propriis religionis, non utantur ephippiis sive sellis, sed clitellis, non

§ 1. De itinerrantibus.

fraeno cum habenis corrigiatis, sed ex canape, nec stapedibus ferreis, sed ligneis. Qui secus fecerit, subiaceant[†] poenae ad arbitrium superioris.

iii. Nullus iter faciat absque licentiâ in scriptis superioris, cui competit illam concedere, in qua iste designabit tempus pro itinere, statione et reversione, et superior ac consiliarii conventus, a quo egredietur, dictam facultatem subscribent, notando diem, mensem, annum, per verba non per numeros. Qui autem ultra tempus determinatum remoratus fuerit, a superiori conventus puniatur attentâ morâ.

iv. Itinerans, ad locum dumtaxat et oppidum in licentiâ designatum et viâ rectâ pergat. Regiam curiam nullus ingreditur, nisi tamquam conventualis, nec illius ambitum per spatium unius leucaae absque patris generalis facultate, sub poenâ privationis vocis et loci per unum annum.

v. In locis, in quibus sunt conventus nostri, nullus religiosus iter faciens, sive pergat, sive veniat, saecularium domus ingrediatur absque licentiâ praelati, sub poenâ gravioris culpae per tres dies.

vi. Ad quemlibet Ordinis conventum religionis pervenerit, licentiam patentem faciat; alioquin superior illam postulet, absque exceptione alicuius personae. Quae licentia, si frater pro conventuali venerit, custodiatur in arcâ trium clavium conventus, subscripta a ministro et consiliariis post annotationem diei in quo praedictus frater pervenit; qui vero litteras patentes non ostenderit, ipso facto careat voce et loco.

vii. Nullus religiosus egrediatur ab Hispaniâ sine licentiâ in scriptis definitorii generalis, sub poenâ apostasiae et privationis officii, vocis et loci in per-

[†] Vel heic legendum *subiaceat*, vel antea *fecerint pro fecerit* legendum fuit (R. T.).

petuum. Quod si laicus fuerit, portet habitum fusei coloris per triennium, et eâdem poenâ afficiantur petentes Romam absque licentiâ requisitâ, secundum decreta felicis recordationis Clementis Papae VIII. Praelatus vero, qui, sine praedictis requisitis et facultatibus, miserit aliquem religiosum extra Hispaniam, suspensus sit a suo officio per tres menses.

viii. Pater generalis mittere poterit quemlibet religiosum quocumque expedire viderit, excepto casu posito in constitutione immediatâ; provincialis per suam provinciam et per illius ambitum ad triginta solum leucas; ministri conventuales per spatium leucarum duodecim a suis conventibus, non ultra.

ix. Provincialis provinciae ubi est curia regia ad istius conventum poterit sibi subditos mutare. Ad negotia vero seu lites non mittat sine consilio patris generalis.

x. Attento spiritu paupertatis et clausurae religionis nostrae, statuimus ut sine gravi et urgente necessitate non detur religionis facultas itinerandi nec mutandi conventualitatem, neque ad hoc ut sint extra conventus a Paschate usque ad festum SS. Trinitatis eo anno quo celebratur capitulum generale, nisi occurrat negotium speciale Ordinis quod differri non valeat.

xi. Ad patriam suam nullus pergat absque provincialis licentiâ, nec sine socio absque patris generalis concessionem, vel nisi in oppido illo sit coenobium nostrum; praelatus autem, qui secus quemquam miserit, poenae suspensionis ab officio per mensem unum subiaceat.

xii. Iter facientibus permittimus usum caligarum seu tibialium ex sago albo vel simili materiâ absque aliquâ curiositate, et in urgente necessitate usum pedulium ex eâdem materiâ; et superiores omnia itineri necessaria eis prae-

beant; itinerantes autem tennes et moderatos sumptus faciant, et in omnibus se ipsos exemplum virtutis praebeant. Quod si excessus commiserit, a praelato viciniore conventus mulctetur iuxta gravitatem culpae.

§ 2. De modo postulandi eleemosynas.

i. Religiosi nostri per areas non postulent nec quaerant eleemosynas, nec pro illis petendis ultra duodecim leucas a conventibus se extendant, absque patris generalis seu provincialis licentiâ. Nec item frater aliquis cuiuslibet conventus vel collegii quaerat sive postulet eleemosynam aliquam cuiuscumque rationis in oppido, villâ, sive districtu vel termino designato a provinciali pro altero conventu vel collegio, etiam intra praedictum spatium duodecim leucarum. Quod si nihilominus ita quaerens aliquam receperit eleemosynam, provincialis eam conferri faciat domui illi in cuius districtu quaesita fuit; et propterea¹ tam subditum quam superiorem, in toto vel in parte contravenientes contentis in istâ constitutione, arbitrato suo puniat iuxta qualitatem culpae ipsorum. Limitatio autem praefata duodecim leucarum non comprehendit procuratores redemptionis. Exhortamurque praelatos ut ad postulandum ostiatim eleemosynam non alios mittant quam fratres laicos, et semper cum sociis.

n. Nullus religiosus postulet aut recipiat eleemosynam aliquam pro suis parentibus, cognatis aut aliis personis extra religionem, absque patris generalis licentiâ, sub poenâ reclusionis iuxta gravitatem culpae; si autem aliquis parentes pauperes et egenos habeat, moneat provincialem, qui, cognitâ necessitate, sine interventu dicti religiosi, ac consideratis circumstantiis, opem feret iuxta possibilitatem et paupertatem Ordinis.

¹ Potius legerem *praeterea* (R. T.).

REGULAE CAPUT XI. — In regularibus horis morem S. Romanae Ecclesiae observent, etc.

Caput XI. — De officio divino, missâ et communionem fratrum, et de his qui sacris initiandi sunt.

i. Omnes religiosi, audito primo signo, ad chorum expediantur et se praeparant, considerantes se pergere ad angelorum officium exercendum, et, antequam secundum cymbali signum finiatur, sint in choro, sub poenâ culpae levis, vel gravis si de more habuerint.

ii. Matutinum inviolabiliter dicatur mediâ nocte, nisi urgens obstet necessitas: at vero matutinum feriae quintae in Coenâ Domini, Parasceves, Sabbati sancti, necnon festi Corporis Christi, et per totam eius octavam, dicatur horâ quintâ post meridiem; matutinum autem primae diei Paschae, et per eius octavam usque ad sabbatum in Albis, dicatur ad auroram, sive circa horam quartam diei; omnes autem aliae horae canonicae recitentur tempore constituto in caeremoniali Ordinis.

iii. Integrum matutinum cum laudibus cantetur in die Nativitatis Domini, in primo die Paschae et primo Pentecostes, in festo SS. Trinitatis et SS. Sacramenti, ac feriâ quintâ, sextâ et sabbato maioris hebdomadae, necnon in festo primi nostri patriarchae et fundatoris S. Joannis de Matha. In festis vero primae et secundae classis, quae ad colendum pronunciantur, necnon in festis Domini nostri Iesu Christi et sanctissimae eius Genitricis, ac in die octavâ SS. Trinitatis et Corporis Christi, et (si istud venerationi patenter expositum fuerit) per totam eius octavam, et in die nostri quoque patriarchae et fundatoris S. Felicis de Valois, et in festo secundo sanctae Agnetis nostri Ordinis patronae, in matutino cantatur invitatorium cum

§ 4. De diligentia et sedulitate qua convenire debent religiosi ad recitandum et concinendum officium divinum.

hymno sequenti, et hymnus quoque *Te Deum laudamus*, et in laudibus a capitulo usque ad *Ÿ. Benedicamus Domino*, et eius *Ÿ. Deo gratias* inclusive. In die vero Epiphaniæ (cum non sit invitatorium) in tertio nocturno cantabitur psalmus *Venite exultemus* cum suâ antiphonâ. In reliquis vero duplicibus et semiduplicibus solus hymnus *Te Deum laudamus*.

iv. In cantando integro matutino cum laudibus expendantur saltem duæ horæ; hora vero cum dimidiâ quando solum canitur invitatorium, hymnus et *Te Deum laudamus*, et in laudibus a capitulo, et quando officium est de dominicâ, et quando, licet sit aliud, cum eo tamen recitatur officium parvum Beatae Virginis Mariæ vel Defunctorum; in reliquis vero matutinis et laudibus hora una cum quadrante.

v. Prima canatur tantum in vigiliâ Nativitatis Domini, tertiâ in festis feriatis primæ classis, excepto die Ascensionis, in quo cantabitur nona. Item in festis secundæ classis (quamvis non feriatis) Domini nostri Iesu Christi et eius SS. Matris, necnon in festis sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, et sanctæ Agnetis secundo. In cantandâ autem qualibet minori horâ canonicâ consumatur dimidia hora; quartum vero horæ istius in illâ recitandâ; et aliquid amplius, quando coniungitur cum officio parvo Beatae Mariæ Virginis.

vi. Missa conventualis canatur omnibus diebus, quibus cantatur tertiâ, et omnibus dominicis et diebus feriatis, et in festivitatibus nostri Ordinis et Beatae Virginis Mariæ, ac in feriâ quartâ Cinerum, feriâ quintâ in Coenâ Domini, feriâ sextâ in Parasceve, Sabbato sancto, vigiliâ Pentecostes, et in die Commemorationis Defunctorum, necnon quando

fit officium de aliquo sancto martyre in conventu illo ubi corpus vel insignis reliquia asservatur. Insuper in die unâ infra octavam Omnium Sanctorum cantabitur vigilia, missa et solemne responsum pro captivis defunctis. In cantandâ autem qualibet missâ, tres partes horæ consumantur; in recitandâ vero, dimidia hora. Quod si quis celerior fuerit, a superiore puniatur poenâ culpæ mediæ, imo et gravis si de more habuerit.

vii. Primæ et secundæ vespereæ canantur in festivitatibus primæ et secundæ classis, quæ ad colendum pronunciantur, ac in omnibus Christi Domini, et illius sanctissimæ Parentis, licet non feriatis, atque etiam in diebus sanctorum patriarcharum Ioannis et Felicis, et S. Agnetis secundo. Vespereæ autem secundæ Sanctorum Omnium dicantur sine cantu, et eis finitis canantur vespereæ Defunctorum. Si tamen festum Omnium Sanctorum celebretur in sabbato, eorum secundæ vespereæ tunc cantentur in die dominicâ sequenti et¹ vespereæ Defunctorum. In reliquis vero festivitatibus Ordinis, primæ tantum vespereæ canantur. In omnibus autem vesperis cantandis tres quadrantes horæ consumantur; in recitandis vero, fere dimidia hora. Superior, qui supradicta celerius cantari vel recitari permiserit, severe puniatur.

viii. Praedicta, quæ in festivitatibus cani debent, non concinantur quando dictæ festivitates transferantur, sed tantum, quando in propriis diebus ab Ecclesiâ designatis celebrentur; non tamen propterea omittenda, sed cantanda est missa in quocumque die feriato, quavis de festo illius diei officium non fiat; nec cantanda sunt supradicta quando

¹ Coniunct. et nos addimus (u. t.).

in choro non sint saltem sex religiosi qui canere possint; missa vero et alia, quae ratione dotationis et elemosynae essent canenda, cum paucioribus, et etiamsi sint solemnitates translatae, cani debent.

ix. Totum, quod in officio divino et missa cantatur, sit in tono plano, aequali gravi et devoto, absque modulatione et harmonia, sub poena culpae gravis contravenienti, et suspensionis ab officio superiori permittenti. Quae autem recitantur, cum devotione dicantur et pausatione competenti pro insumendo spatio temporis designato.

x. Officium parvum B. Virginis Mariae in omnibus conventibus recitetur diebus in breviario assignatis, et quamvis non tanta pausatione quantam maius, non tamen minori devotione.

xi. Fratres laici assistant officiis divinis iuxta prudentem superioris dispositionem, attento uniuscuiusque labore et occupatione, et loco officii divini singuli recitent quinquagesimam orationem dominicam et totidem vicibus salutationem angelicam; nempe pro matutino quindecies, pro laudibus quinquies, et pro unaquaque alia hora etiam quinquies.

xii. Religiosus, qui matutino abfuerit sine licentia, vescatur in terra sine caputio id quod ceteris ministratur, praeter piscem vel quod in eius loco praestatur: si vero alteri cuiusque horae canonicae non astiterit, arbitrio superioris puniatur.

xiii. Tempore divinorum officiorum nullus sine urgente necessitate praesidi exprimentam, et cum illius licentia, a choro exeat, nisi ad rem ipsi choro et officio pertinentem; eademque causa et licentia praecedat quotiescunque aliquis religiosus a quolibet actu communi egressurus fuerit.

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

79

i. Omnes nostri sacerdotes singulis diebus sacrum faciant, exceptis feriis quinta, sexta, et sabbato maioris hebdomadae, et quando urgente causa impedita fuerint; in hoc tamen casu cum licentia omittant superioris; qui tamen absque istis circumstantiis rem sacram facere omiserit, pane tantum et aqua una die vescatur.

ii. Sacrificium missae peragere debent in propriis conventibus, nisi superior urgente causa et raro licentiam concedat ut nonnullus extra propriam ecclesiam sacrificet.

iii. Feriam quintam in Coenam Domini omnes religiosi recipiant sacrosanctam Eucharistiam de manu sui praelati; qui sacerdotes non sunt, caelesti se pane reficiant omnibus dominicis diebus et feriis quintis totius anni; potest tamen functio ista anteponi vel postponi propter aliquod solemne festum. Praecipimus insuper praedictis omnibus fratribus non sacerdotibus quod quotidie missae sacrificio intersint, sub poena ieiunii in pane tantum et aqua.

iv. Magister novitiorum et recenter professorum in diebus feriatis sacra faciant in ecclesia; in aliis vero diebus in oratorio suo celebrare poterunt.

v. Societates, congregationes, confraternitates saecularium, absque definitorii licentia, ne admittantur in nostris conventibus et collegiis; qui secus fecerit, ad arbitrium dicti definitorii puniatur.

i. Nullus religiosus recipiat elemosynam missarum, nisi tantum pro suo conventu; quod si itinerans pro mutatione conventualitatis aliquam acceperit, pro illo sit conventu in quem tendit conventualis futurus.

ii. Pro una missa, etsi cantata, unicum dumtaxat stipendium accipiatur, sub poena suspensionis ab officio per tres menses praelato contravenienti.

§ 2. De missa et communione religioso. u. n. 1

§ 3. De elemosyna missarum.

iii. In nostris conventibus et collegiis non recipiantur eleemosynae pro cappellaniis et missis perpetuis sine patris generalis licentiâ in scriptis, nec pro patronatu conventus, ecclesiae, cappellae maioris vel minoris, vel pro oratione, disciplinâ, aliove communitatis exercitio, absque definitorii licentiâ in scriptis, quam concedet consulto provinciali illius provinciae, cuius est conventus cui conceditur.

iv. Eleemosynae, receptae pro missis perpetuis, memoriis, cappellaniis, patronatibus dictis, et sepulturis perpetuis, nullatenus in totum vel in partem (etiam consentiente conventu) expendantur, sed ad censum annuosque redditus imponantur. Ex licentiâ tamen definitorii generalis (omnibus consentientibus suffragiis) dictae eleemosynae iam investitae converti poterunt in redditus indemniores et utiliores conventui, nunquam tamen pro eis subrogari bona aliâs antea monasterio acquisita. Ad hoc autem ut sedulo custodiatur pecunia impertita pro missis et reliquis in hac constitutione enumeratis, *praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub praeepto omnibus religiosis tam praelatis quam subditis, et cuilibet in particulari, ut, dum dicta pecunia non investitur, nihil ex eâ expendant, etiam titulo mutui aliove quocumque*; superior autem contraveniens privatus sit officio suo, alius vero quicumque frater voce et loco per triennium.

v. Pecuniae receptae pro supradictis rebus, dum non investuntur, seu in annuos redditus conferuntur, in propriâ conserventur specie: si incrementum habuerint, cedat in favorem memoriae, si vero decrementum (absque culpâ tamen conventus vel collegii) cedat contra memoriam.

vi. Ut constet de memoriis et mis-

sis perpetuis quâe sunt in quolibet conventu et collegio, iusteque adimpleantur, praeterquam quod adnotatae erunt in libro magno, cui titulus *Protocollo*, scribantur in tabulâ publico in loco.

i. Fratres nostri sacris initiandi examinentur prius de sufficientiâ suâ a ministro conventus, et aliis duobus religiosis a provinciali designatis, et postea de vitâ et moribus per secreta suffragia capituli conventualis approbentur, nec praelati superiores suas litteras concedant, donec illis constet de sufficientiâ, vitâ, moribus et aetate; nullus diaconatus aut subdiaconatus gradum recipiat qui duos integros annos professionis non habeat, nec presbyteratus ante elapsum integrum triennium a professione.

ii. In dioecesi propriâ, ubi est conventus, recipiant ordines religiosi nostri; quod si ibi non conferantur, poterunt aliam adire dioecesim, non distantem tamen a monasterio ultra viginti quatuor leucas; qui secus fecerit vel permiserit, poenâ gravi per tres dies puniatur.

iii. Sacerdos primam missam non celebret, quin prius praelato constet de ordine recepto per litteras testimoniales ei patefactas, tum etiam de sufficienti novi sacerdotis scientiâ sacrarum caeremoniarum ad iudicium ipsius praelati et aliorum duorum religiosorum ab eodem designatorum, et quin ulterius per decem dies in exercitiis spiritalibus se praeparaverit dictus novus sacerdos; qui nequiquam primum sacrum extra proprium coenobium faciat, sub poenâ gravis culpa per tres dies.

^{§ 4. De illis qui ordinandi sunt.}
1 Intelligendum est, ut patet, *nec presbyteratus gradum recipiat ante elapsum integrum triennium a professione* (R. T.).

REGULÆ CAPUT XII. — **Omnibus
secundis feriis, etc.**

Caput XII. — *De suffragiis faciendis
pro defunctis.*

§ 1. De suffragiis defunctorum in comuni.

I. Omnibus secundis feriis, ad praescriptum regulæ nostræ, dicatur missa defunctorum, in conventibus quidem cum cantu; nullumque pro eâ stipendium recipiatur. Missâ autem finitâ, fiat per claustrum processio, prout in manuali; ubi vero claustrum non fuerit, absolutio canatur in choro.

II. In omnibus conventibus, temporibus a nostro manuali designatis, quatuor fiant anniversaria pro defunctis religiosi, captivis, benefactoribus, parentibus, cognatis, confratribus, amicis, pro sepultis in nostris coenobiis, ac denique pro omnibus fidelibus defunctis. In quolibet anniversario dicatur integrum officium defunctorum, et canatur solemniter missa *de requiem*, fiatque processio per claustrum, et ubi hoc non fuerit, canatur absolutio in ecclesiâ. Idemque prorsus fiat in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

§ 2. De suffragiis pro nostris religiosi defunctis et pro aliis.

I. Quando aliquis religiosus e vitâ decesserit, devote ac solemniter sepeliatur, servato officio sepulturae in nostro manuali assignato, et superior conventus seu collegii, in quo frater obiit, scribat patri generali, provincialibus, ministris totius Ordinis ac chronistae generali, referens domum in qua mortuus fuit, tempus et causam mortis, nomen, patriam, aetatem, professionis tempus, exercitia, seu officia quae defunctus habuerit, et virtutes in quibus specialiter resplenderit. Provinciales item omnibus conventibus et collegiis suae provinciae idem denuncient ut iusta sine morâ persolvant, et ministri de receptione istarum litterarum provinciales suos moneant, et in archivio nostri Ma-

tritensis conventus una ex dictis litteris cuiuslibet defuncti servetur, ut, si forte dignus sit, de illo in chronicis commemoratio fiat.

II. In conventu seu collegio, in quo obiit religiosus, praeter vigiliam, quae cantatur in officio sepulturae, integrum officium defunctorum recitetur, et tres missae *de requiem* cum suis responsoriis in ecclesiâ canantur, et praeterea novem sine cantu dicantur. Cum illae tres canantur, in medio cappellae maioris sit tumulus altitudinis palmorum quinque, panno nigro coopertus, et supra ipsum habitum Ordinis.

III. Singuli sacerdotes conventus seu collegii pro religioso ibidem defuncto tres missas privatas celebrent, et postquamlibet recitent responsorium in tumulo; singuli quoque fratres ad chorum deputati tria integra officia defunctorum, et laici tria integra rosaria recitent, et in ipsâ die mortis, vel sequenti, eucharistiam sacram recipiant pro defuncti animâ, ac insuper pro illâ duas alias offerant communioniones.

IV. Quilibet conventus et collegium Ordinis pro animâ cuiuslibet religiosi defuncti integrum officium defunctorum recitet et missam suam cantet et responsorium circa tumulum, ut dictum est. Praeterea singuli sacerdotes duas missas privatas dicant cum responsoriis, fratres ad chorum deputati duo integra officia defunctorum, et laici duo integra rosaria; et in die quo notitia mortis pervenerit, vel in sequenti, omnes praedicti fratres simul sacram communionem pro defuncti animâ recipiant, illamque pro illâ offerant.

V. Si vitâ functus fuerit pater generalis, duplicentur in toto Ordine missarum sacrificia, officia choristarum et rosaria laicorum; si provincialis, in suâ provinciâ; si minister, in suo conventu

vel collegio; si vero defunctor fuerit, vel qui antea munus ministri generalis expleverit, omnes sacerdotes missam unam, ad chorum deputati officium unum, et laici unum rosarium recitent supra id quod pro particulari religioso tenentur; si vero defunctus fuerit redemptor captivorum, vel procurator generalis, quilibet conventus et collegium in communi recitet unum integrum defunctorum officium et unam missam *de requiem* cantet ultra praedicta; quod si defunctus aliquando defunctor generalis vel provincialis fuerit, quilibet sacerdos suae provinciae unam dicat missam privatam pro animâ illius, et fratres tam ad chorum deputati quam laici unam communionem sacram pro ipso offerant ultra praedicta pro particularibus, ad quod teneantur sacerdotes et fratres illius provinciae, pro qua defunctus officium illud ultimo exercuit.

vi. Si defunctus fuerit novitius, recitetur pro eo integrum defunctorum officium, et cantetur una missa in conventu in quo obiit, et quilibet illius sacerdos unam missam privatam, choristae unum integrum officium, et laici unum rosarium integrum pro eius animâ recitent.

vii. Ad hoc ut de istarum constitutionum adimplendo constet, sit ante chorum tabula in qua scribantur religiosi qui decesserunt et decedunt in quolibet triennio, et notetur in eâ dies in quo iusta illis soluta sunt.

viii. Religiosi nostri semper sepeliantur in claustro, vel alio in loco illis dumtaxat deputato ac segregato a saecularium sepulchris, et scribantur et signentur fratrum praedictorum sepulchrae, maxime illorum qui sanctitatis famâ decesserunt.

ix. Insuper statuimus ut in omnibus conventibus et collegiis nostris, cum notitia sit de obitu Summi Pontificis, et

domini cardinalis protectoris Ordinis nostri, et regis nostri et reginae, solemnes fiant exequiae pro illis.

x. Praeterea dum fuerit notitia de obitu parentum vel fratrum alicuius religiosi, in eo conventu vel collegio, ubi iste conventualis fuerit, una missa dicatur pro defuncto. Idemque fiat pro habente epistolam nostrae confraternitatis in eo conventu vel collegio, cuius religiosos frequentius hospitio excipiebat.

REGULE CAPUT XIII. — **Singulis diebus, si fieri possit, etc.**

Caput xiii. — *De oratione mentali, lectione, examine conscientiae, flagellatione et exercitiis spiritualibus.*

i. Singulis diebus, in qualibet domo, communis fiat ad Deum mentalis oratio per duas horas; una diluculo, in conventibus quidem, a die i martii usque ad ultimam septembris, ab horâ quintâ usque ad sextam, et a die i octobris usque ad ultimam februarii, ab horâ sextâ usque ad septimam; altera vero tempore vespertino, semper a quintâ usque ad sextam horam. Insuper post finitum matutinum et coronam Virginis Mariae, quae post illud immediate recitatur, reliquum temporis usque ad secundam noctis horam in oratione impendatur. Quod si quis absque licentiâ ab oratione mentali abfuerit, comedat in terrâ sine caputio idem quod ceteri, excepto pisce, vel quod eius vice ministratur.

ii. Ne autem fervor spiritus tepescat, imo exercitium orationis augeatur, praecipimus nostros religiosos singulis diebus saltem per dimidiam horam librorum spiritualium lectioni incumbere.

iii. Omnes in communi bis in die, nempe immediate ante prandium et post antiphonam *Benedicta, etc.*, conscientiae faciant examen per spatium fere octa-

vae partis horae. Qui autem communitati tunc adesse nequiverit, ubicumque fuerit, eadem horâ faciet examen.

iv. Omnibus feriis secundis, quartis et sextis totius anni, post completorium vel post examen nocturnum, communis fiat flagellatio, et tamdiu duret quamdiu cantetur psalmus *Miserere, etc.*, cum antiphonâ, versibus et orationibus in nostro caeremoniali assignatis. Excipiuntur vigilia et dies Nativitatis Domini cum tribus immediate sequentibus, dies etiam vespertinus et dies ipse Circumcisionis, necnon vigilia et dies ipsa Epiphaniae, dies vespertini et dies ipsi sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, ac denique feria secunda Paschae, feriaque secunda Pentecostes. Si autem in supradictis feriis venerit solemne festum, poterit in antecedenti vel sequenti die, vel in ipso festo post matutinum fieri flagellatio. Quae quidem fiat in omnibus feriis maioris hebdomadae, ita ut feriâ quintâ, quartâ et sextâ psalmus *Miserere* ter cantetur in qualibet disciplinâ cum versiculo *Christus factus est obediens, etc.* et oratione *Respice, etc.* ut in officio illorum dierum, fiatque post matutinum.

v. Omnes religiosi tam subditi quam praelati singulis annis faciant per decem dies exercitia spiritualia in cellis suis vel in aliquo loco separato ad id destinato¹; quo tempore cum communitate solum intersint matutino, primae, completorio, orationi mentali, examini conscientiae, disciplinae et refectorio.

REGULÆ CAPUT XIV. — **Singulis quoque noctibus pro statu et pace S. R. E., etc.**

Caput XIV. — *De sacrificiis et orationibus faciendis pro exaltatione sanctae catholicae fidei et pro pace inter principes christianos, pro*

¹ Edit. Main. leg^{is} destinare (R. T.).

captivis, benefactoribus, et reliquis Ecclesiae necessitatibus.

i. Strictè praecipimus omnibus nostris religiosi ut in suis sacrificiis, orationibus, communibus¹, et aliis bonis operibus, tam in communi quam in particulari exercendis, Deum orent pro exaltatione sanctae catholicae fidei et pace Romanae Ecclesiae, pro Summo Pontifice, nostris regibus et principibus, pro domino cardinali protectore nostri Ordinis, pro eiusdem Ordinis conservatione et augmento spirituali, pro benefactoribus et captivis christianis, et his, pro quibus universalis Ecclesia consuevit orare: specialiter autem pro fine isto sequentia fiant:

ii. Singulis noctibus, antequam ad somnum capiendum religiosi se conferant, omnes simul in ecclesiâ vel in choro magnâ devotione recitent antiphonam SS. Trinitatis *Benedicta sit sancta, etc.*, cum versu et oratione, prout in nostro manuali, et finito conscientiae examine, recitent similiter litaniam lauretanam sanctissimae Dei Parentis, prout in eodem manuali; et qui, legitimâ impeditus causâ, interesse ei non potuerit, illam privatim recitet.

iii. In omnibus domibus non collegiis, sabbatis totius anni, cantetur missa Beatae Virginis Mariae, illis exceptis in quibus occurrit alia missa canenda ex designatis cap. XI, § 1, n. VI, necnon vigiliâ Nativitatis Domini, octavis privilegiatis, sabbato infra octavam Corporis Christi, et sabbato in quo celebrari incipit capitulum nostrum generale. Si autem aliquo alio sabbato recurrerit obligatio canendi alias missas pro dotatione, aliove titulo, sive gratuito, sive oneroso, non ideo omittenda est praedicta missa sanctissimae Virginis, pro qua (nisi fuerit dotata) stipendium non recipiatur.

¹ Forsan *communibus* (R. T.).

Praeterea in omnibus conventibus et collegiis cantetur solemniter antiphona *Salve Regina* sabbatis totius anni et diebus vespertinis festivitatum Beatae Mariae Virginis. Qui vero, sine licentiâ, dictae missae vel antiphonae non interfuerit, semel in terrâ comedat sine caputio.

REGULÆ CAPUT XV. — **Ieiunent ab idibus septembris, etc.**

Caput. xv. — *De ieiuniis.*

I. Praeter ieiunia in regulâ nostrâ praecepta, ieiunent etiam religiosi nostri omnibus feriis sextis totius anni, necnon in diebus vespertinis SS. Sacramenti, Beatae Mariae Virginis, et sancti patris nostri Felicis, ac in die sancti Marci Evangelistae, et feriâ secundâ, tertiâ et quartâ immediatis ad festum Ascensionis Domini, nisi sollemnis festivitas intervenerit. Per sollemnes autem intelligimus festivitates nostri Ordinis et Beatae Virginis Mariae et quae ad colendam¹ pronunciantur. Ieiunium vero feriae sextae maioris hebdomadae erit in pane et aquâ tantum.

II. In ieiuniis Ecclesiae pro serotinâ refectiunculâ ministretur frustolum panis et pomum aliquod, vel quid simile. In ieiuniis vero Ordinis, cum pane nonnulla praebeantur olera, ita ut forma ieiunii non excedatur.

REGULÆ CAPUT XVI. — **Carnibus vesci liceat tantum in dominicis diebus, etc.**

Caput xvi. — *De abstinentiâ a carnibus.*

I. Si quis religiosus absque licentiâ et causâ in diebus per regulam nostram prohibitis id ediderit², quod Ecclesia in die veneris manducari prohibet, pro primâ vice ieiunet semel in pane et aquâ tantum, pro secundâ vero circula-

¹ Potius lege *colendum*, ut supra (R. T.).

² Ed. Main. legit *ediderit* pro *ederit* (R. T.).

rem recipiat flagellationem; quod si fuerit praelatus, severe puniatur ad arbitrium sui superioris; et si comederit coram saecularibus, per decem dies exercitia faciet spiritualia; superior item, qui sine necessitate praebuerit darive permiserit carnes toti magnaevae parti communitatis, suspendatur ab officio per duos menses.

II. Ad maiorem vero observantiam nostrae regulae, praecipimus in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis nostris religiosis ne comedant carnes extra domos nostrae religionis in diebus prohibitis per regulam, absque licentiâ in scriptis praelati sui, iuxta tenorem regulae ipsius; quod si aliquis in morbum inciderit, distansque fuerit a conventu, ita ut non possit facile obtinere licentiam a praelato, eis vesci poterit virtute huius constitutionis.

III. Nullus religiosus, quamvis imbecillum habeat valetudinem et frequentes indispositiones, carnem comedat vel linteo utatur absque licentiâ sui ministri, qui eam concedat, mature perpensâ necessitate, et pro tempore durationis illius.

IV. Ministri curent et charitative hortentur religiosos, qui pro infirmâ valetudine carnibus vescuntur, ut ab iis pro aliquo tempore se abstineant; experientiâ namque compertum est quamplures fere a salute desperatos recuperasse illam, vitae communi se conformantes et in Domino fiducialiter sperantes.

REGULÆ CAPUT XVII. — **Possint emere ad suum victum, etc.**

Caput xvii. — *De cibo et honestâ fratrum recreatione.*

I. Superiores suppeditent necessaria de victu religiosi iuxta indigentiam ipsorum; quod si propter negligentiam vel domus paupertatem non provideant,

§ 1. De cibo nostrorum religiosorum.

fratres tamquam veri Christi discipuli patienter ferant. Attamen, si necessitas postulaverit, humiliter ipsos moneant; quod si adhuc non subvenerint, liceat eis provinciali denunciare, qui praelatos convictos puniat.

ii. Omnes ad refectorium ad primam mensam conveniant; in illo mantilia non sint, sed pro singulis fratribus singulae parvae mappae; patinae, scutellae, paterae, et similia, alba non sint, nisi tantum pro infirmis.

iii. Omni tempore in quantitate cibi servetur uniformitas, nec superior unquam variationem quoad hoc permittat, exceptis magnis festivitatibus, in quibus extraordinaria, prout moris est, ministrabuntur.

iv. In refectorio semper meridie et sero lectio habeatur spiritualis, servatâ caeremonialis nostri dispositione.

v. In omnibus conventibus et collegiis prandium fiat post undecimam horam; quando vero ieiunatur ex Ecclesiae praecepto, post undecimam et dimidiam fiat. Coena seu refectiuncula nunquam sit ante completorium.

vi. Extra communitatem nemo comedat vel bibat absque expressâ superioris licentiâ.

vii. In refectoriis nostris non admittantur saeculares, nisi raro et benefactores sive personae graves; id quod praesertim evitari debet in festis solemnibus, professionibus, et primis sacris.

i. Omnes fratres simul in loco uno semper post prandium per unam horam recreationem habeant, exceptis feriis maioris hebdomadae; et insuper per aliam horam post coenam seu refectiunculam vespertinam a Paschate usque ad ultimam diem septembris, ac in festivitatibus solemnibus totius anni, et a vigiliâ Nativitatis usque ad Epiphaniam, atque in feriâ secundâ et tertiâ

post dominicam Quinquagesimae; attamen novitii et recenter professi, qua die sacrâ communionem refecti fuerint, post prandium non recreentur, et tam ipsi quam philosophiae scholasticae¹ cum suis magistris semper habeant recreationem distinctim a conventualibus.

ii. In recreationibus omnibus cum modestiâ et honestâ gravitate se gerant; legatur ibi res aliqua spiritualis, vel de illâ agatur, et saltem de rebus indifferentibus, non vero de genealogiis, stirpibus, nationibus, patriis, nuntiis et rumoribus inutilibus ad aedificationem et profectum animarum; verbaque iocosa, faceta, detractoria non dicant; non contentiones habeant. Ut autem supradicta observentur, superior recreationibus adesse curet, et huic constitutioni contravenientem flagellatione puniat.

iii. Quando recreationis gratiâ religiosi e conventu exierint, maneat intra illum qui eius obligationibus satisfacere valeant; si recreationis extraordinariae extra conventum fuerint in aliquâ villâ, seu suburbanâ domo, vel praedio, praelatus designet terminum ad quem religiosi accedere possint, et quem non transgrediantur absque expressâ ibidem praesidentis licentiâ.

iv. Nullo tempore religiosi nostri comoedias aliosve actus tametsi spirituales agant, nec praelati agi permittant, nec pro quovis alio ludo et oblectatione vestes saecularium deforis portent, nec propriis nudentur: qui autem contraverint vel contravenire permiserint, a provinciali severe puniantur. A vigiliâ vero Nativitatis usque ad Epiphaniam duntaxat poterunt nostri musicis uti instrumentis.

v. Nullus unquam procuret nec permittat ut in nostris ecclesiis repraesentationes etiam omnino spirituales

¹ Legerem *scholastici* (u. r.).

fiant; qui secus fecerit gravi poenâ ad arbitrium provincialis puniatur.

REGULAE CAPUT XVIII. — **Vinum sumendum a fratribus, etc.**

Caput XVIII. — *De sobrietate servandâ.*

A religiosis praesertim Discalceatis valde aliena est intemperantia et ebrietas; proptereaque quilibet in hac materia defectus magnopere reprehendi et puniri debet. Quare si quis (quod Deus avertat) ebrius aliquando deprehensus fuerit, si acciderit sine scandalo, poenâ culpae gravis puniatur per sex dies, si cum scandalo, sit incarceratus per tres menses et privatus loco et voce per annum unum; quod si fuerit laicus, habitu fuscii coloris induatur; si cum scandalo, per annum unum; si absque illo, per quatuor menses.

REGULAE CAPUT XIX. — **In civitatibus, in villis, sive castellis, etc.**

Caput XIX. — *De abstinentiâ a cibo et potu servandâ a religiosis extra conventum in oppidis ubi illum habemus.*

Qui in loco, ubi est coenobium nostri Ordinis, extra illud comedet¹, vel hospitatus fuerit, incarceretur; per quindecim dies si pernoctaverit, suspensus sit ab officio, voce et loco per sex menses; si biduo pernoctaverit, ultra dictam poenam, incarceratus existat per dies viginti; quod si amplius perduraverit, augeatur poena, attentâ gravitate culpae et transgressione regulae.

REGULAE CAPUT XX. — **Nunquam in tabernis, etc.**

Caput XX. — *De locis in quibus religiosi hospites non esse tenentur.*

Regula dirigit omnes nostras actiones ad honestatem, maioremque perfecti
1 Edit. Main. legit *comedent* (R. T.).

ctionem. Ideo maximo iure praecipit ne habitemus, comedamus vel bibamus in tabernis, popinis et huiusmodi locis minus honestis; et contravenientes subiicit poenae culpae gravis ad arbitrium ministri; quod praecipimus strictè observari.

REGULAE CAPUT XXI. — **Talis sit charitas inter fratres clericos et laicos, etc.**

Caput XXI. — *De vitâ aequali et communi, ac de consessu fratrum.*

I. Observent omnes aequalitatem praecipit a nostrâ regulâ erga victum, vestitum, etc.; qui vero absque superioris licentiâ dederit aut receperit cibum alium et diversum, in quantitate, qualitate et condimento, ab eo qui in communi ceteris ministratur, puniatur iuxta qualitatem culpae.

§ 1. De vitâ communi et aequali.

II. Nullus religiosus alium ex nostris, etiam patrem generalem, titulo appellet *reverendissime*, aut paternitatis, sed taceat dotes omnes:¹ nominentur *patres* et *reverentiae*, non sacerdotes *fratres* et *charitatis*², ratione tamen submissionis et reverentiae debitae superioribus, omnes religiosi in toto Ordine, cum sermonem agunt de patre generali praesente, nec non de eius praedecessoribus, et de definitoribus generalibus actualibus, dicant *noster pater*; eodemque pronomine *noster* decoretur provincialis ab omnibus suae provinciae, minister a subditis seu conventus seu collegii.

III. Titulus doctoris, magistri et huiusmodi nulli nostratum praestetur, tametsi ante ingressum in religionem illo gradu et titulo fruatur, nec illius intuitu aliquis immunitate libertateque in Ordine nostro gaudeat.

1. Decernimus quod pater generalis

§ 2. De con-

1 Forsan deest vox *sacerdotes* (R. T.).

2 Forsan legendum *charitates* (R. T.).

se su inter fra-
tres servando.

habeat primum locum et sedem in totâ religione, provincialis in suâ provinciâ, absente patre generali, et, his duobus absentibus, minister in suo conventu seu collegio; deinde ceteri religiosi ordine sequenti: patres definitores generales, patres provinciales hospites iuxta antiquitatem suorum provinciarum, patres ministri hospites iuxta antiquitatem suorum conventuum, patres redemptores captivorum (et si ipsi concurrant, servent inter se praecedentiam a definitorio designatam), patres procuratores generales (quibus in Hispaniâ concurrentibus, primum locum habeat hispanus, in Italiâ vero romanus), patres vicarii in suis conventibus, patres vicarii hospites iuxta antiquitatem domorum suarum, patres sacerdotes professi tam conventuales quam hospites iuxta antiquitatem suarum professionum, fratres diaconi professi iuxta antiquitatem professionis, fratres choristae iuxta antiquitatem professionis, novitii sacerdotes iuxta antiquitatem habitus, fratres laici professi iuxta antiquitatem professionis, novitii choristae iuxta antiquitatem habitus, novitii laici iuxta antiquitatem habitus.

ii. Tempore capituli generalis, vel definitorii, patres definitores capitulares locum habeant et sedem infra designatam, cap. xxxix, § 4, num. iv, et cap. xl, § 5, num. ii. Patres visitatores, dum tali munere funguntur, praesideant et praecedant alios ab ipsis visitandos.

iii. Nullus praeceminentiam vel loci praecedentiam habeat, eo quod in religione functus fuerit aliquo officio, etiam generalatu.

iv. Quando in itinere fuerint, praecedentiam et graduationem num. i assignatam observent, nisi iustâ de causâ praelatus aliquem minus antiquum in praesidem designet.

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

80

REGULE CAPUT XXII. — **Infirmi seorsum dormiant et comedant, etc.**

Caput xxii. — *De charitate erga infirmos.*

i. Superior conventus, sub poenâ suspensionis ab officio, praesto sit infirmis provideatque de omnibus necessariis pro ipsorum medelâ et curatione, quin paupertate conventus excusetur; non vero permittat quod extra conventum cibis condidatur, nisi in aliquâ gravi infirmitate, et aliquo condimento a nostris ignoto; quod si defectus aliquâ re acciderit, hortamur aegrotos ut tamquam pauperes patienter ferant.

ii. Quotidie superior visitet infirmos et curet tempore apto illis sacramenta ministrari; quod si suâ negligentia absque poenitentia, viatico vel extrema unctione aliquis decesserit, suspensus sit ab officio per unum annum, vel augetur poena arbitrio provincialis iuxta culpam; et infirmarii, si quam culpam habuerint, iuxta illius gravitatem multentur; curet insuper praelatus, ut aegroti saltem in qualibet hebdomadâ (dum infirmitatis accidentia non impediverint) caelesti reficiantur pane, et in Paschate pro adimplemento praeccepti ecclesiastici sacra Eucharistia solemniter ministretur non valentibus surgere ex lecto, prout in nostro manuali.

iii. In quocumque conventu vel collegio quis aegrotaverit quamvis sit hospes, curetur, donec salutem recuperet, nisi iustâ de causâ provincialis illum mittat in aliam domum, et istius minister et conventuales illum cum charitate recipiant, ac de necessariis provideant, sicut ceteris conventualibus.

iv. Si propter infirmorum frequentiam conventus aliquis in egestatem devenerit, provincialis illi subveniat, factâ cum licentia generalis aliquâ per conventus contributione.

v. Nullus aegrotus ex nostris curetur extra conventum, etiam in domo parentum suorum, nisi casu, quo morbus ita sit gravis, quod ab illo aliter non posse evadere prudenter iudicetur; et tunc quidem fiat cum licentiâ in scriptis patris generalis, et in oppidis in quibus coenobium nostrum non est.

vi. Balnea medicinalia nullus intret aegrotus absque patris generalis licentiâ in scriptis, sub poenâ privationis vocis et loci.

vii. Sine expressâ licentiâ sui praelati nemo medicum consulat nec medicinis utatur sub poenâ gravis culpae.

viii. Liceat infirmis cum praelati benedictione uti tibialibus et pedulibus vel aliquâ aliâ re ex sago albo vel simili materiâ, ut se protegant et foveant.

REGULÆ CAPUT XXIII. — Si qui religiosi ad hospitandum advenerint, etc.

Caput xxiii. — *De charitate exercendâ cum hospitibus religiosis et saecularibus.*

§ 1. De hospitibus religiosis.

i. Superiores benevoli recipiant hospites nostri Ordinis, et necessaria illis suppeditent, sub poenâ culpae gravis; ceteri religiosi familiariter cum illis agant, primâque nocte ipsorum pedes laventur. Ac simili charitate et benevolentia recipiatur quilibet alterius Ordinis religiosus, qui ad hospitandum in domos nostras advenerit.

ii. Hospites nostri Ordinis, transactâ primâ die, choro et aliis functionibus communitatis assistant, nisi forte per prolixitatem itineris superior longiorem illis requiem concedat.

iii. Si ultra quatuor dies in conventu remorentur, pecunias, si quas habent, superiori tradant, ut in trium clavium arcâ custodiantur, alioquin poenae culpae gravis subiaceant per tres dies, et superior illas integras restituat, sub poe-

nâ suspensionis ab officio per mensem unum.

iv. Statim ac hospites ad conventum accesserint, nisi praelati sint, ministro declarent quid curae et negotii habent, et absque licentiâ illius, quamvis ministri conventuales vel provinciales sint, non egrediantur e conventu, obediantque sicut conventuales ordinationibus et praeceptis ipsius praelati.

v. Transactis duobus diebus, hospites missas celebrent pro intentione et obligatione conventus vel collegii illius in quo hospitantur; si tamen venerint ut conventuales, a primâ die pro illo sacra faciant.

i. Etiam saeculares benevole et charitative recipiantur, non tamen in communi dormitorio, sed in loco separato hospitentur.

§ 2. De hospitibus saecularibus.

ii. Ne permittant saeculares intra cellas et officinas conventus, quamvis illius famuli sint; bene tamen aliqua persona gravis, sed raro et cum superioris licentiâ et religioso comitante.

REGULÆ CAPUT XXIV. — Nullus frater laicus sive clericus, etc.

Caput xxiv. — *De otiositate a nostris fratribus fugiendâ.*

i. Nullus religiosus, sicut praecipit regula, sit sine proprio officio, iuxta prudentem praelati dispositionem.

ii. Officia in communi tabulâ singulis hebdomadis aequaliter distribuuntur et imponantur omnibus religiosis, tam praelatis, quam subditis, at iuxta vires et occupationes uniuscuiusque, prout in nostro caeremoniali disponitur. Et sacerdotibus, qui iam triginta et octo annos ab habitu recepto expleverint, non imponantur officia legendi et serviendi in refectorio, nec infirmarii, nec pulsatoris cymbalorum, nec ultimam, nec penultimam missam celebrandi, nec in-

super fratres laici, qui eisdem triginta et octo annos habitus compleverint, cogantur pulsare mediâ nocte ad matutinum, neque in coquinam destinentur.

III. Praedictae tabulae officia curâ magnâ fratres adimpleant. Quod si quis urgenti causâ adimplere quandoque non valuerit, superiorem tempore apto moneat ut alium substituat, sub poenâ disciplinae non momenti.

REGULÆ CAPUT XXV. — Silentium observent semper in ecclesiâ suâ, etc.

Caput xxv. — *De silentio et clausurâ, et modo servando in exitu a conventu.*

§ 1. De silentio.

I. Praeter loca in quibus regula nostra praecipit semper observari silentium, etiam inviolabiliter servetur in sacristiâ et claustro, insuper in omni loco servetur facto signo post prandium ut religiosi ad cellas se conferant usque ad vespervas (vel aliud simile signum), nec non ab examine conscientiae nocturno usque ad primam diei sequentis; licebit tamen eis cum superiore his temporibus loqui super aliquo quod differre non possint.

II. Religiosi nec inter se nec cum saecularibus unquam deambulent vel confabulentur in claustro: si cui opus fuerit alterum alloqui, id faciat in aula sive loco ad id destinato a superiore, et cum illius licentiâ.

III. Omnes religiosi mutuo se honore afficiant, non tamen id fiat urbanitatibus alienis ab humilitate Discalceatorum.

§ 2. De clausura.

I. Singuli religiosi in singulis seorsim habitent cellis, a quibus non exeant sine urgenti necessitate, vel ad chorum, idque praesertim observetur tempore silentii.

II. Nullus alterius cellam (etiam superioris, absente ipso) ingrediatur, sub poenâ saltem comedendi super terram.

Quod si privative cellam de nocte intraverit, privatus sit voce et loco per mensem. Si autem in aliquo conventu defectus erga hoc reperiantur, superior, ad illum vitandum, praeceptum imponat et maiorem poenam.

III. Nullus ab alterius cellâ extrahat codices libros, vel rem aliam, sine licentiâ superioris, qui contravenientem severe puniat.

IV. Laudabilis nostri Ordinis consuetudo observetur; nempe in nocte, post litanias lauretanas, pulsantur tabellae in dormitoriis et dicatur sententia spiritualis, cuius meditatione religiosi in cellas lectulosque se conferant, ac intra quadrantem horae lucem extinguant. Qui intra illud spatium non extinxerit, pronus in terram die sequenti comedat.

V. Superior, per se, vel suum vicarium, quando expedire viderit, cellas nocturno tempore visitet; clausuram vero singulis noctibus, portas iterum obserando¹ magistrâ elavi, quam semper apud se retineat; qui autem negligens in debitâ clausurâ servandâ fuerit, suspensus sit ab officio per tres menses.

VI. Quando solitae processiones per nostra fiunt claustra, non permittatur ingressus mulierum in illa. Qui secus fecerit, graviter ad arbitrium provincialis puniatur.

I. Superiores, redemptores captivorum, procuratores, eleemosynarum quaestores, vel, loco procuratoris conventus, alius religiosus, cum suis sociis, poterunt dumtaxat ad oppidum exire; et praedicatorum similiter ad concionandum, et confessiones ad audiendas confessarii; quod si in aliquo conventu fuerint plures hospites et negocia, poterunt alii egredi cum licentiâ definitorii; superior

§ 3. De egressu fratrum a conventu.

¹ Edit. Mart. legit. *observando* R. T.).

autem huic constitutioni contraveniens, poenâ culpae gravis puniatur; ipseque ita sit assiduus in domo, quod subditi eius exemplo libenter ferant suam inclusionem, nec uno eodemque tempore minister et vicarius extra coenobium inquam sint.

ii. Nullus superior in locis, in quibus sunt conventus nostri, religiosum aliquem, etiam elemosynae quaestorem, sine socio ad oppidum mittat, sub poenâ culpae gravis, prudenterque se gerat in assignatione sociorum; quos autem designaverit, recipiant subditi absque excusatione, sub poenâ etiam culpae gravis. Qua etiam poenâ afficiantur socii, qui extra monasterium ita separantur, ut mutuo se non videant, praesertim dicti elemosynae quaestores.

iii. Ante horam orationis matutinae nullus e domo exeat absque urgente necessitate, redeantque omnes ante noctem, contraveniens autem, pronus in terram die sequenti panem et aquam comedat: nec exeant in diebus feriatis, et in illis in quibus saeculares habent ludos, et publicas laetitias, spectacula, et similia, excepta causâ gravis et ita urgentis negotii quod differri non valeat. Qui vero absque illâ licentiam dictis diebus petierit vel concesserit, poenae culpae gravis subiaceat.

iv. Quando religiosi nostri ad oppidum exeunt, in illas tantum ingrediantur domos, ad quas expressam licentiam habent, nec negocia suscipiant, nisi a superiore commissa; quod si occurrerit, in ingressu ad conventum praelato exponant. Qui vero parti alicui huius constitutionis contravenerit, poenâ culpae gravis afficiatur, vel maiore, si, ratione circumstantiae alicuius, culpa augetur.

v. Egressurus e conventu, obtentâ licentiâ, indutus cappâ, simul cum socio

benedictionem accipiat a praelato et a SS. Sacramento breviter orans, idemque faciant in ingressu; tempore autem visitationis actualis, a visitatore benedictionem accipiant, semperque eandem accipient praelati ab aliis sibi superioribus in eadem domo existentibus.

vi. Nunquam religiosi nostri simul in communi egrediantur ad funera, vel cantanda responsoria, nisi in eis locis in quibus uniens fuerit conventus vel collegium nostri Ordinis, vel ad funera et exequias regum, episcoporum, praelatorum et similium gravium personarum, quando aliae religiones concurrant. In his autem et quibusvis aliis publicis functionibus, singulari modestiâ nostri resplendeant, nec a communitate aliquis inquam separetur, sub poenâ culpae gravis per tres dies.

vii. Hortamur superiores ne permitant ut religiosi, qui pro suâ infirmâ valetudine carnibus vescuntur, aut lino sive aliâ re nostrae austeritati oppositâ utuntur, iter faciant, vel extra conventus exeant, nisi raro et iustâ de causâ.

viii. Nullus religiosus, sub poenâ gravis culpae, e domo egrediatur ad agenda negotia saecularia, etiam suorum parentum; si tamen commode excusari non possit, id liceat ei, obtentâ prius praelati superioris licentiâ.

REGULÆ CAPUT XXVI. — Iuramenta non faciant nisi magnâ necessitate, etc.

Caput xxvi. — *De circumstantiis, quae concurrere debent pro iuramento a nostris religiosis faciendis.*

Iuramenta non faciant, nisi magna occurrerit necessitas, in causis iustis et honestis, cum licentiâ sui praelati, vel iussi ab aliquo, qui id eis praecipere possit; qui autem absque istis circumstantiis iuraverit, disciplinâ conventuali plectatur.

REGULÆ CAPUT XXVII. — **Pignora non accipiant et depositum auri, etc.**

Caput xxvii. — *Prohibetur nostris religiosis acceptatio pignorum et depositorum.*

Praecipit regula nostra capite isto ne pignora nec deposita auri, argenti, vel pecuniae a nostris suscipiantur; quare qui contraverit, tamquam violator regulæ puniatur.

REGULÆ CAPUT XXVIII. — **Si quod vitium in re, quae venditur, etc.**

Caput xxviii. — *Praecipitur, quod defectus rei venditæ manifestetur emptori.*

Religiosi nostri veritatis et iustitiae amatores esse debent; ideo manifestent emptori vitium, si aliquod notum fuerit, in re quam vendere volunt, sub poenâ gravis culpae infligendae non indicanti.

REGULÆ CAPUT XXIX. — **Capitulum si fieri possit singulis dominicis diebus fiat, etc.**

Caput xxix. — *De capitulo conventuali et consiliariis conventus.*

§ 1. De capitulo conventuali.

I. Nullus, nisi sacerdotes, et post tres annos a professione, votum habeat in capitulo conventuali.

II. Quando, iuxta nostram regulam et constitutiones, res aliqua a capitulo conventuali decerni debet, superior illam communitati proponat die antecedenti, et in sequenti definiatur per secreta suffragia a praelato et consiliariis regulanda.

III. Ut semper constet quanam res definitae et determinatae sunt a capitulo conventuali, in quolibet conventu et collegio sit secretarius electus de corpore ipsius capituli et ab eodem capitulo cum consilio et assensu provincialis; qui quidem secretarius in libro ad id destinato scribat omnia decreta praedicti capituli, approbationes ordinandorum, et similia; et postquam ea

legerit ipsi capitulo, minister et consiliarii subscribant, et ipse quoque secretarius tamquam attestans.

IV. De omnibus actis ac determinatis in capitulo semper custodiatur secretum. Si quid vero aliquis aliis revelaverit religiosis non capitularibus, vel saecularibus, maxime quando praelatus secretum commendavit, ad arbitrium provincialis privetur voce activâ in capitulo conventuali, iuxta inconvenientiam ex revelatione subsequuta.

I. In quolibet conventu seu collegio pater provincialis designet quatuor consiliarios, ex quibus duo primi officium exerceant, et in eorum absentia alii duo; et cum actu exercentibus consulat praelatus omnes res ad conventus administrationem pertinentes, exceptis gravioribus maiorisque ponderis; istae enim per maiorem partem capituli conventualis decerni debent.

II. In singulis conventibus et collegiis singulae sint pro custodiendis pecuniis arcae trium clavium, quarum alteram superior, duas alias consiliarii officium exercentes habeant, et sine assistentiâ cunctorum trium nequam arca ista aperiatur.

III. In dictâ arcâ sit liber, in quo scribatur omnis pecunia quae recipitur et expenditur, et ex quo procedit; sit etiam alter liber, in quo clare et distincte scribatur quomodo satisfactum est oneribus missarum, suffragiorum, ceterarumque obligationum perpetuarum et temporalium, quae conventus habet, et qualiter etiam sit satisfactum missis et suffragiis pro nostris religiosis et defunctis; sit quoque liber alter, in quo exprimantur quantitates tritici, hordei, vini, olei, et similium, quae quocumque titulo recipiuntur, et in conventu expenduntur; ac denique sit liber alius pro redemptione captivorum, ut dictum est

§ 2. De consiliariis conventus et eorum officio.

supra, cap. II, § 1, in quo scribantur non solum quae conventus separatur pro dictâ redemptione, sed etiam omnia quae quoquo modo et titulo pro illâ recipiuntur. Et de omnibus in hoc numero dictis superior et consiliarii in fine cuiusvis mensis rationem conficiant, et in praedictis libris scribant et subscribant. Quod si in hoc fuerint negligentes, severe puniantur ad arbitrium patris provincialis.

iv. Etiam in quolibet conventu et collegio sit in arcâ trium clavium, sive in archivio, liber magnus nomine *Protocollo*, in quo clare et cum distinctione scripta sint et scribantur fundatio et status conventus, obligationes perpetuae missarum et suffragiorum, bona stabilia et immobilia, et census tam in favorem quam contra; et in eodem protocollo sit quoque index et inventarium omnium scripturarum in favorem conventus cum notatione loci, temporis et scribae a quo signatae sunt. Ac denique in dictâ arcâ vel archivio custodiantur omnes et quaecumque scripturae, instrumenta et inventaria pertinentia ad conventus vel collegii bona.

REGULÆ CAPUT XXX. — **Non solum fratibus, sed et familiae domus, etc.**

Caput xxx. — *De capitulo, collatione spiritali et exhortatione in diebus dominicis.*

1. Singulis dominicis, ante Primam, in omnibus conventibus et collegiis capitulum iuxta tenorem regulæ in aulâ capitulari fiat, in quo praelatus hortetur religiosos ad observantiam, maioremque perfectionem, illorum culpas corrigat, agatque de receptis et separatâ et separandis pro redemptione captivorum, de statu domus et eius substantiâ, audietque subditos capitulares, quae ad perfectionis¹ ipsius conventus

¹ Videtur legendum *perfectius* (B. T.).

vel collegii regimen in ipso capitulo proposuerint, et, quod expediens videatur, exequi curet. Quibus finitis, si adhuc non sit hora recitandi Primam, reliquo tempore usque ad illam, omnes in communi mentaliter orent.

ii. Primâ cuiuslibet mensis dominicâ, ante correctionem culparum, et ante omnia praedicta num. i, habeant fratres per spatium dimidiae horae collationem spiritualem de aliquo vitio extirpando, seu virtute adipiscendâ, vel de puncto aliquo orationis, et omnes suam sententiam et iudicium pronuncient; ac deinde superior brevem erga eandem rem concionem agat.

iii. Iusuper per dominicos dies, bis etiam in hebdomadâ, advertentiae culparumque correctio in eâdem aulâ capitulari fiant; a Paschate quidem usque ad primam diem octobris, immediate post vespervas; reliquo vero tempore anni, post completorium.

iv. Omnia praedicta, tam videlicet hortationes et collationes, quam culparum correctiones, solum fieri possunt a patribus generali, provinciali, ministro, praesidente vel vicario.

REGULÆ CAPUT XXXI. — **De omnibus rebus et clamoribus, etc.**

Caput xxxi. — *De correctione culparum, de earum gravitate et poenis.*

1. Singulis hebdomadis designetur sacerdos cuius officium sit zelare observantiam, et charitative ac simpliciter proponere in capitulo culpas religiosorum, infra hebdomadam quidem leviores, die vero dominicâ, quae maioris sint ponderis. Hortamurque zelatorem ut fideliter et sine personarum acceptione suum adimpleat officium; idemque faciat capituli praeses si culpam aliquam animadverterit.

ii. Ut sanctae nostri Ordinis consue-

§ 4. De modo animadvertendi culpas in capitulo.

tudines conserventur, superiores, pro culpis levioribus, flagris cedant religiosos, imponantque mortificationes ordinarias et extraordinarias per refectorium in publica mensâ faciendas; in quarum exercitio ipsi praecedant, ut eorum vestigia subditi libenter sequantur.

iii. Hortamur religiosos, quibus in capitulo nulla adscripta fuit culpa, ut ipsinet se accusent pro humilitatis exercitio.

iv. Animadversiones aequo animo ferat et humiliter poenitentiam accipiat absque satisfactione, nisi de aliquâ fuerit a praeside interrogatus, et tunc submitte et breviter satisfaciât; sit tamen semper iustitia et lenitas in corrigente, et in correcto submissio.

v. Si quis in capitulo suas vel alienas culpas absque licentiâ excusare et defendere voluerit, statim severe puniatur ad arbitrium praesidentis capituli, nisi, prudentiâ dictante, melius videatur punitionem in commodius tempus differre; nemoque de culpis animadversis conqueratur, sub penâ ieiunii in pane et aquâ tantum.

§ 2. De gravitate culparum et earum poenis.

i. Non solum generalibus gratiae Dei auxiliis, verum et specialibus religiosi muniuntur; attamen talis est humana fragilitas ut timere possint lapsus etiam graves, cum in caelo, paradiso et collegio apostolico nonnulli defecerint. Quare prudenter praevenientes, designamus omni genere culpaе (nempe levis, mediae, gravis, gravioris et gravissimae) sequentes poenas:

ii. Culpa levis est errantem in choro, in recitatione vel cantu, non statim terram osculari, praesto item non esse actibus communitatis, manducare et bibere absque licentiâ, et his similia; pro culpis istis infligatur poena nonnihil recitandi, vel faciendi in refectorio aliquam mortificationem ordinariam.

iii. Culpa media est minus decenter divinis officiis interesse, frangere aliquod capitulum praecipivum regulae, de more habere negligenter, et tarde interesse actibus et functionibus communitatis, negligentem quoque esse in adimplendo officio de communi tabulâ, vel in exequendis simplicibus mandatis superiorum, contendere immediate cum saecularibus, vagari per conventum, res ad ecclesias pertinentes irreverenter tractare, libros et alia huiusmodi communia negligenter curare; his culpis arbitrio superiorum poenae correspondeant.

iv. Culpa gravis est committere quodcumque peccatum mortale absque scandalo. Si alicui ex istis non fuerit in constitutionibus nostris peculiaris poena designata, minister (cui competit gravem culpam iudicare) delinquentem poterit in carcerem conicere, vel aliam poenam ad arbitrium imponere, attentis qualitatibus culpae.

v. Etiam reducitur ad culpam gravem ludere absque scandalo chartis pictis, taxillis, ac similibus, sumere sine licentiâ aliquas res communes ab officinis, vel eas quas fratres habent ad usum, dicere aut scribere alteri aliquod opprobrium, aut malitiosum verbum, verba quoque inhonesta proferre, aut cum mulieribus immodeste et inverecunde colloqui; pro his et similibus plectantur rei flagellis in capitulo, et ieiunio in pane et aquâ tantum, vel recludantur in cellis per aliquot dies post asperam reprehensionem.

vi. Culpa gravior est committere quodcumque peccatum mortale cum scandalo, vel quodcumque peccatum incontinentiae, contumaciae, inobedientiae vel apostasiae, etiam sine scandalo. Pro his culpis, et unâquaque illarum, reus incarcerabitur per tres menses, et privabitur

voce et loco per annum, vel in capitulo flagellabitur a praeside et a totâ communitate, et semel ieiunabit in pane et aquâ tantum, ac in cellâ recludetur pro tempore suae culpae proportionato; qua poenitentia durante, nullum reus exerceat officium; quod si sacerdos fuerit, missam non celebret; si frater ad chorum deputatus, poterit circulus coronae pro tempore carceris ei radi; si vero laicus, indui poterit vestimentis fuscis coloris; quas et similes poenas adhibere valebit provincialis pro arbitrato suo, semper tamen proportionatas cum qualitatibus culpae.

vii. Culpa gravissima est committere delictum, cui in iure poena mortis vel treremium inflicta est, verbi gratia ponere libellos infamatorios, fingere et adulterare subscriptiones vel sigilla superiorum, patrare facinus aliquod propter quod delinquens expelli debeat. Propter haec a definitorio generali gravissime puniantur rei, attentâ delicti qualitate, vel expellantur, servatâ formâ infra positâ, cap. xxxiii, § 2, num. 2; gravissimas enim culpas iudicare soli definitorio generali competit.

i. Quando in nostris constitutionibus ponitur poena suspensionis vel privationis (etiâsi inibi dicatur ipso facto) non intelligatur ante, sed post sententiam iudicis super facto; et quando absolute dicitur, quod aliquis careat voce, intelligatur de utraqûe, activâ nimirum et passivâ.

ii. Si in capitulo dominicali praesens fuerit aliquis sacerdos privatus voce, postquam egressi sunt ab illo omnes fratres laici et choristae, praeses corrigat eum, si vel ipse vel zelator aliquam notavit culpam, et statim praedictus e capitulo exeat; privatus sede seu loco, si sacerdos sit, sedeat post omnes alios sacerdotes, nisi alium inferiorem locum

illi designaverit, et, proportionem servatâ, similiter fiat cum non sacerdotibus.

iii. Quando in nostris constitutionibus designatur poena privationis officii et vocis, si delinquens officium et vocem non habeat, infligatur illi alia proportionata poenitentia.

iv. Suspensi ab officio remaneant in suis propriis domibus, nisi suspendens vel pater generalis alios conventus illis assignet pro tempore suspensionis.

v. Quando pro poenitentia imponitur ieiunium in pane et aquâ, poenitens adimpleat in refectorio ad primam mensam prorsus in terrâ absque mappâ et caputio.

vi. Volumus, quod illi, qui de more habuerint committere culpas leves, puniantur poenâ culpae mediae, et quibus mos fuerit committere culpas medias, mulcentur poenâ culpae gravis, et sic de reliquis, et dum non respiscunt, poena augeatur. E contra vero superior, qui poenitentiam imposuit, poterit prudenter, et attentis circumstantiis, minuire illam eis, qui humiliter adimplent et signa emendationis ostendunt.

vii. Culpis illis, quibus constitutiones nostrae poenas non statuunt, superiores pro suo prudenti arbitrio imponant proportionatas semper cum delictis et circumstantiis et ad similitudinem hinc designatarum.

viii. Ad puniendum delicta semper attendantur personae et circumstantiae, ut sic vel augeatur vel minuatur poena.

ix. Praelatus inferior sit obligatus fidem facere superiori, qualiter poenitentia ab ipso imposita executioni mandetur.

i. In omnibus nostris conventibus et collegiis sit locus securus ac deputatus ad custodiam reorum, non tamen adeo rigorosus ut in discrimen veniat salus religiosorum inibi inclusorum, et sint in eo compedes, vincula, aliaque necessaria

§ 3. De annullis animed-
vertendis circa
litas poenas.

§ 2. De carcere nostrorum conventuum.

ad poenam et maiorem custodiam delinquentium.

ii. Si aliquis propter sufficientem alicuius gravis delicti probationem iussus fuerit a iudice incarcerari, exuatur in ipso carcere habitu albo, et induatur vestimento fuscis coloris, poteritque (si reus fuerit ad chorum deputatus) in eodem carcere coronae circulus ei radi.

iii. Si, propter negligentiam vel malitiam custodis carceris, reus aufugerit, custos in carcerem coniciatur et iuxta gravitatem culpae puniatur.

iv. Si quis quoquo modo opus tulerit incarcerato ut aufugiat, si effectus non fuerit sequutus, incarceretur per viginti dies; si effectus sequutus, sit toto tempore in carcere, quo delinquens debebat esse. Carcerem autem confringentibus, tempus incarcerationis duplicetur.

v. Si quis sine superioris licentiâ visitaverit vel alloquutus fuerit incarceratos, poenae culpae gravis per diem unum subiaceat.

vi. Praelatus per se vel per alium curet de solatio incarceratorum, et de exhortatione ad tolerantiam, libros spirituales illis concedat, sed non atramentarium vel alia ad scribendum requisita, nisi raro, pensatis circumstantiis, et cum scientiâ eorum quae scribunt.

REGULÆ CAPUT XXXII. — **Nullus frater fratrem suum in publico accuset, etc.**

Caput xxxii. — *De poenâ contra laedentes famam aliorum.*

i. Si quis alterius famam apud religiosos nostri Ordinis laeserit et convictus fuerit, poenâ talionis puniatur, sicut praecipit regula, et ante omnia famam restituat; si vero nostrae religionis decorem et suorum religiosorum aestimationem infamiae labe denigraverit apud saeculares vel religiosos alterius Ordinis, praeter poenam supradictam,

Bull. Rom. — Vol. XVIII.

careat voce activâ per triennium, et inhabilis sit ad omnia Ordinis officia.

ii. Si quis falsum testimonium in re gravi contra alium dixerit, et convictus fuerit, praeter poenam talionis, nunquam in testem produci valeat.

REGULÆ CAPUT XXXIII. — **Si quis scandalum vel aliquid huiusmodi fecerit, etc.**

Caput xxxiii. — *De apostatis, fugitivis, incorrigibilibus, et manus violentas in alios iniicientibus.*

i. Ille reputandus habendusque est ut apostata (quantum ad poenam), qui absque licentiâ superiorum vagatur extra conventum sine habitu, habeat vel non intentionem redeundi ad claustra, aut etiam cum habitu, si per octo dies extra claustra permanserit. Iste ergo ipso facto sit excommunicatus, et pro tali promulgetur a superiore coram communitate. Item, qui de nocte sine licentiâ a conventu exierit, eodem modo sit excommunicatus et velut apostata puniatur.

ii. Si quis absque licentiâ exierit a suo conventu vel a confinio et iurisdictione sui praelati, immediate recurrrens ad superiorem praelatum, non habeatur pro excommunicato; poterit tamen arbitrio superioris puniri, si iustam causam recursus non reddiderit; si vero aliorum divertit, et viâ rectâ superiorem non adivit, severius puniatur.

iii. Statim ac sit notitia de alicuius religiosi exitu a conventu sine licentiâ, quamvis recurrat ad superiores, praelatus illius processum formet de fugâ, et certiores faciat patres generalem et provincialem de illâ, et de die et causâ ipsius fugae.

iv. Et quia felicitatis recordationis Urbanus VIII per suas litteras in formâ Brevis, sub die iv aprilis mdcxxxvii, incipientes *Allera, etc.*, post alteras quoque ab

§ 1. De apostatis et fugitivis

codem et a felicitis recordationis Paulo Papa V emanatas, praecipit ut nullus nostri Ordinis religiosus ad alium quencumque Ordinem, religionem sive congregationem (excepto Ordine Carthusianorum, petita et obtenta licentiâ a superioribus nostri Ordinis), sub apostasiae et infamiae perpetuae notâ, ac excommunicationis latae sententiae poenâ, etiam emissionis quarti voti seu perfectioris et humilioris vitae praesumptione, aut strictioris regulæ seu observantiae praetextu vel contemplatione, aut quavis iustâ, probabili aut legitimâ causâ, se transferre audeat; ideo litteræ praedictae inviolabiliter serventur.

v. Apostatae et fugitivi pro primâ vice et fugâ puniantur iuxta gravitatem culpae, et ipso facto amittant¹ antiquitatem sedis et loci, et in futurum illorum antiquitas incipiat a die regressus ad Ordinem post dictam primam fugam. Qui secundam fecerint, eadem poenâ afficiantur. Pro tertiâ vero fugâ (vel primâ, si per annum duraverit), si tales non expelluntur, poenis impositis pro primâ et secundâ fugâ plectantur, et praeterea inhabiles sint ad praelaturas Ordinis, et voce activâ careant. Si quis vero apostasiae ratione excommunicatus celebraverit, gravioribus poenis, severiusque mulctetur.

vi. Denique non solum patribus ministris, verum etiam omnibus religiosis facultatem et auctoritatem concedimus, ut in casu necessitatis possint capere ac comprehendere apostatas et fugitivos cuiuscumque provinciae et domus sint, hortamurque in Domino superiores et eorum conscientias oneramus ut curent diligenter et caute compellere et revocare fugitivos, sub poenâ gravis culpae per tres dies.

¹ Edit. Main. legit *omittent* (R. T.).

1. Ille religiosus indicandus est incorrigibilis, qui audens committere et repetere graves culpas, admittere non vult poenitentiam legitime a superiore pro illis impositam. Similiter ille, qui tribus diversis vicibus punitus pro culpis gravibus, ad meliorem vitae rationem non redit. Etiam ille cuius emendatio desperatur propter ipsius obstinationem et pravos mores.

ii. Incorrigibiles, vel perpetuo ergastulo sunt mancipandi, vel a religione expellendi, observando in omnibus decreta sacrae Congregationis Concilii publicata de mandato felicitis recordationis Urbani VIII, anno mdcxxiv, die xxii septembris; quando autem expulsio alicuius fuerit executioni demandanda, prius in capitulo conventuali sententia legatur, et flagellis caesus a communitate coram ipsâ spoliatur habitu.

iii. Nunquam pater generalis expulsi litteras testimoniales concedat, illos ad Sedem Apostolicam reiiciens, vel iubens aliam ingredi religionem, sed tantum tradat litteras fidem facientes de expulsionem factâ, iuxta dicta decreta sacrae Congregationis, et in quibus etiam exprimantur poenae expulso impositae a iudicibus in sententiâ expulsionis.

iv. Sententiae in causis criminalibus prolatae, et reis¹ intimatae, non statim executioni mandentur, quin prius revideantur, et iterum examinentur causae, si rei ipsi erga hoc supplicationem fecerint et humiliter id postulaverint.

v. Appellare a correptione et poenitentia regulari ad extremum iudicem, prohibitum est per felicitis recordationis Sixtum V, Gregorium XIII et Clementem VIII; quare, si quis ab illâ appellaverit, severe puniatur ad arbitrium defensorii.

¹ Edit. Main. legit *rei* (R. T.).

§ 3. De in-
ficiantibus ma-
nus violentas in
altos.

Si quis minatus fuerit, vel manus violentas iniecerit, vel eum percusserit, arbitrio ministri puniatur, attentâ gravitate culpae; quod si eam commiserit contra aliquem praelatum inferiorem, incarceretur et aliis poenis afficiatur a provinciali, consideratâ prudenter qualitate delicti; si vero contra provincialem, a patre generali; si autem contra generalem, a definitorio generali delinquens puniatur, attentâ semper qualitate culpae.

REGULÆ CAPUT XXXIV. — **Si quis frater in fratrem peccaverit, etc.**

Caput xxxiv. — *De inferentibus iniuriam aliis et de correctione fraternâ.*

I. Religiosus qui alteri iniuriam fecerit, sive praesenti sive absentî, iuxta arbitrium ministri puniatur, attentâ culpae gravitate.

II. Si quis scit alium commisisse aliquod peccatum, si occultum est et speratur emendatio, corripiat eum secreto iuxta Evangelium, et nulli revelet, sub poenâ carceris per tres menses, si ex tali revelatione scandalum sequatur; si vero non sequatur, afficiatur poenâ culpae gravis per sex dies, et semper ante omnia honorem restituat: si vero correctio facta non prodesset, vel si antequam illam faciat, prudenter iudicet quod nihil proderit, revelet superiori pio et cordato, ut suo consilio et efficaciore documento vel aliis convenientibus mediis reus ad meliorem se frugem recipiat.

III. Si quis contra bonum commune et honorem nostrae religionis aliquod delictum patriverit, qui de illo notitiam habuerit, denunciât superiori ut patri, et si culpae qualitas et circumstantiae exigunt, etiam ut iudici deferat, qui lapsi salutem procuret et decorem religionis recuperet.

REGULÆ CAPUT XXXV. — **Si pro necessitate domus debitum aliquod fuerit contrahendum, etc.**

Caput xxxv. — *De modo contrahendi debita, et cura in eis solvendis.*

I. Nullus, sive minister, sive praeses, sive procurator, sive particularis quilibet religiosus, audeat, imo nec valeat debitum aliquod contrahere sine consilio et assensu capituli conventualis, ut praecipit regula.

II. Nullus minister in fine sui officii relinquat domum suam oneratam debitis excedentibus quantitatem centum ducatorum absque licentiâ sui provincialis, et praecipimus ministro successorî ut curet solvere confestim debita sui antecessoris, et ante illorum solutionem nullas expensas faciat, nisi praecise pro victu et vestitu religiosorum.

III. Inhibemus conventibus omnibus et collegiis nostris ne accipiant pecuniam ad censum sive ad interesse, sine licentiâ in scriptis definitorii generalis.

REGULÆ CAPUT XXXVI. — **Si quisquam de substantiâ domus violentiam fecerit, etc.**

Caput xxxvi. — *De modo servando in litibus et negociis.*

I. Nullus, sive praelatus sive procurator, incipiat causam et litem, quin observet circumstantias, quas regula nostra disponit; et propterea inferiores provinciali prius ab eo obtineant licentiam, quod si haec facile haberi non potuerit et causa urgeat, lis inchoari poterit de consensu capituli conventualis, et statim provincialis certior fiat.

II. Stricte praecipimus omnibus religiosis ne ipsimet adeant tribunalia saecularia pro negotiis mere temporalibus agendis, nisi urgente causâ; poterunt tamen iudices alloqui et intercedere,

iii. Nullus ex nostris sine patris generalis facultate exerceat officium executoris testamentarii, sub poenâ suspensionis a suo officio, voce et loco per tres menses; si vero aliquis executor testamenti fuerit nominatus, et commode absque morâ prædicta licentia haberi non possit, et iudicio ministri et consiliariorum expediens videatur statim exercere dictum officium, illud exerceat; ita tamen ut pro executione et perfectione illius obtineat intra duos menses præfatam facultatem. Copia item testamenti subscripta a ministro et consiliariis mittatur patri generali ut iudicet an expediat vel non, et pro quo tempore ac quibus circumstantiis, talem concedere facultatem.

iv. Nulli superiori liceat indicis conservatoris munus exercere, absque speciali Summi Pontificis licentiâ.

v. Nullus item religiosus sit patronus piæ alicuius memoriae, vel administrator bonorum quæ non sint nostræ religionis, nisi casu quo patronatus et administratio annexa sit officio quo quis fungitur in religione.

REGULÆ CAPUT XXXVII. — **Sollicite vero minister provideatur, etc.**

Caput xxxvii. — *De diligentia adhibenda a praelatis erga observantiam regulæ.*

i. Hortamur in Domino omnes praelatos ut sint valde solliciti in observantiâ sanctæ nostræ regulæ, sicut ipsa disponit, ut ipsorum exemplo subditi perfectius adimpleant illius præcepta.

ii. Nullus praelatus ita se occupet in negociis, etiam causarum piarum, ut a gubernio domus et vitæ communi sequendâ impediatur, nec subditis id ipsum ullo modo permittat.

iii. Ministri a suis conventibus suisque collegiis absentiam ultra octo dies non faciant sine licentiâ sui provincialis.

REGULÆ CAPUT XXXVIII. — **Non liceat superioribus confessiones subditorum audire, etc.**

Caput xxxviii. — *De confessariis, prædicatoribus, lectoribus, studentibus, collegiis et bibliothecis.*

i. Visitatores in qualibet visitatione deputent in scriptis confessarios pro religiosis; illorumque facultas durabit usque ad sequentem visitationem, in qua, factâ designatione, cesset præterita, etiamsi concessa fuerit a praelato superiore illi qui tunc visitat, et nullus sive hospes sive conventualis audeat confessiones religiosorum audire sine prædictâ designatione pro illo conventu vel collegio in quo existit, quamvis ad munus istud deputatus sit pro alio conventu vel collegio etiam eiusdem provinciae.

ii. Patres tamen definitores generales actuales poterunt absque aliquâ limitatione audire confessiones cuiuslibet religiosi nostri Ordinis, et similiter cuiusque sacerdoti idoneo eiusdem peccata sua confiteri. Eodem modo patres ministri absque limitatione excipere poterunt confessiones suorum subditorum in casibus a regulâ dispositis, et ipsimet confiteri peccata sua cuilibet subdito suo idoneo.

iii. Magister novitiorum confessiones eorum audiat; semel tamen in quolibet mense (die a patre ministro assignandâ) permittatur illis confiteri alteri confessario approbato pro religiosis, designando etiam ab eodem ministro; recenter professi confiteantur suo magistro et alteri confessario ex approbatis, deputando etiam a ministro: idemque intelligatur de collegialibus studentibus, etc.

iv. Si in aliquo collegio deficiant sacerdotes approbati a superioribus pro excipiendis confessionibus religiosorum, minister deputet idoneos et ad id necessarios, donec sit copia approbatorum;

§ 4. De confessariis religiosorum.

poteritque tam istis quam illis (quando expedire iudicaverit) impedire ne audiant confessiones, et cuilibet ex sibi subditis poterit dare facultatem confitendi cuicumque sacerdoti idoneo sui conventus, etiam non deputato a superiore praelato, tametsi sit copia approbatorum: id tamen raro fiat.

v. Quando religiosi nostri iter faciunt, vel sunt in aliquo oppido ubi monasterium nostrum non est, nec habent confessarium nostri Ordinis approbatum, poterunt confiteri peccata sua sacerdoti simplici idoneo nostrae religionis, vel cuilibet confessario approbato, religioso vel saeculari.

vi. Decernimus quod sacerdotes nostri, non habentes facultatem audiendi confessiones religiosorum nostrorum, concessam vel per constitutiones nostras vel per superiores qui illam concedere possunt, non valeant excipere confessiones etiam sacerdotum nostrorum.

i. Nulli ex nostris liceat audire confessiones virorum saecularium sine eo quod habeat tres annos completos sui sacerdotii, et sine facultate Ordinarii ac sui provincialis; qui quidem prius simul eum ministro conventus et alio religioso docto et virtute praedito ab ipso provinciali designato illum examinet de scientiâ morali et per secreta suffragia approbent vel reprobent; si autem provincialis non potuerit interesse examini, alium pro illo deputet religiosum loco ipsius.

ii. Ad audiendas confessiones feminarum quilibet ex nostris debet habere licentiam definitorii, quam etiam petierit a patre provinciali, consulto ministro domus, ac insuper debet prius audivisse confessiones virorum saecularium laudabiliter et per duos integros annos. In quo inhibemus definitorio ne valeat dispensare.

iii. Qui sine requisitis et facultatibus expressis in duobus numeris antecedentibus ausus fuerit confessiones audire, vel examini Ordinarii sine licentiâ Ordinis se exponere, privatus sit ministerio excipiendi confessiones, nec ad illud ei unquam licentia concedatur nisi per capitulum generale.

iv. Ad hoc autem ut¹ confessarii, post obtentam facultatem excipiendi confessiones, negligentes non sint in studio, nec doctrinam moralem pro derelictâ habeant, praecipimus ut omnes confessarii tam virorum quam feminarum (exceptis qui sint vel fuerint praelati, superiores vel ministri, vel sacrae teologiae lectores) examinentur indispensabiliter in secundâ visitatione cuiuslibet triennii a visitatore, et duobus religiosis designatis in num. i huius § 2¹, qui per secreta suffragia approbent vel reprobent, et a reprobo licentiam auferat visitator: hoc autem examen semper fiat donec confessarii expleverint viginti annos laudabilis exercitii audiendi confessiones, et post viginti annos non amplius examinentur.

v. In ecclesiis nostris (praeter confessionaria in earum parietibus elaborata, quae pro parte interioris conventus habeant ingressum pro confessariis) sint etiam confessionaria alia amovibilia ex decenti ligno fabricata; nullus autem confessarius feminarum audiat confessiones nisi in aliquo ex praedictis confessionariis, nec in amovibilibus eas excipiat nisi qui actualiter sit vel aliquando fuerit praelatus, vel qui aetatis annos quinquaginta habeat, vel licentiam a suo praelato pro casu raro et expressam pro qualibet vice.

vi. In nullum ex dictis confessionariis religiosus aliquis ingrediatur, qui femi-

¹ Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

² Edit. Main. habet *1* (R. T.).

narum confessarius non sit, absque ministri licentiâ; qui secus fecerit, poenâ culpae gravis puniatur: quod si iteraverit, inhabilis maneat ad obtinendam facultatem audiendi mulierum confessiones, vel aliâ aequivalenti poenâ afficiatur iuxta statum summ.

vii. Licentiae excipiendi confessiones sive virorum sive feminarum non intelligantur absolute et in perpetuum concessae, sed dependenter a voluntate religionis, quae illas poterit limitare, abolerere et tollere, sine obligatione reddendi causam; quod non intelligitur cum illis religiosis, qui sunt vel fuerunt praelati vel qui habent quinquaginta aetatis annos: illae autem licentiae tantum iudicentur continuari et permanere, quas subscriptas relinquat visitator in suâ visitatione, vel pater generalis quando conventus perambulet; et ita non subscriptae, eo ipso cessent.

viii. In oppidis, in quibus sunt conventus nostri, non concedatur licentia ad exitum a domo pro audiendis confessionibus saecularium continuo in diebus determinatis nisi raro et cum licentiâ in scriptis procuratoris generalis.

ix. Nullus religiosus in loco aliquo officium parochi exerceat, etiam pro parte, sub poenâ culpae gravis per tres dies, nec definitorium valeat dispensare in constitutione istâ, nec fratres, qui feminarum confessarii non sint, mittant prae-fati¹ pro audiendis confessionibus ad oppida illa, in quibus non est conventus noster.

§ 3. De praedicatoribus.

i. Nullus religiosus audeat concionari, quin prius per triennium philosophiae et per aliud triennium theologiae scholasticae vacaverit, et obtentâ in scriptis licentiâ patris generalis, qui, cum examinatore supra, § 2, num. 1, as-

¹ Potius lege *praelati* (R. T.).

signatis, experiatur quid scientiae et virtutis habeat, et praesertim eum sedulo examinabit de praecipuis sanctae fidei nostrae mysteriis et de sensibus sacrae scripturae, et per secreta suffragia approbatio vel reprobatio fiat: et insuper, ut de eius genio ac ingenio constet, disponet intra tempus illi assignandum, et habebit concionem coram communitate, et (si fieri possit) coram patre provinciali.

ii. Nullus publice concionetur quin prius praesentetur Ordinario, sub poenâ privationis vocis et loci per sex menses.

iii. Praedicatores in suis concionibus solum intendant morum reformationem et virtutum augmentum. Qui vero in hoc defectuosus fuerit et a superiore aliquoties admonitus non se emendaverit, officio concionatoris privetur.

iv. In civitatibus et locis, in quibus non est conventus noster, non admittantur sermones quadragesimae, ita ut totâ vel maiore parte illius religiosus sit extra claustra absque licentiâ patris generalis.

v. Praedicatores solo titulo concionandi (etiamsi pro totâ quadragesimâ conciones habeant) carnes non vescantur: qui vero, nisi illis vescatur quadragesimae tempore, concionari non valet, cesset a concionibus, excepto casu, quo aliquis, independenter a praedicatione, pro suâ infirmâ et aegrâ valetudine carnibus vescatur; talis enim praedicando in quadragesimâ illas edere poterit cum licentiâ provincialis, caute tamen, frugaliter et exemplariter.

vi. Si superiori expediens visum fuerit, disponet ut in loco, in quo est conventus Ordinis, religiosus aliquis dominicis diebus exeat ad docendum populum doctrinam christianam.

vii. Liceat praedicatori non interesse choro (excepto tempore orationis mentalis) tribus aut quatuor diebus ante

concionem. Disponentibus vero sermones pro quadragesimâ plus temporis indulgeat superior.

viii. Pater provincialis in secundâ visitatione cuiuslibet triennii examinet prædicatores (his exceptis, qui sunt vel fuerint praelati aut lectores, vel qui per duodecim annos laudabiliter munus concionandi exercuerunt), et auferat facultatem ab illis qui in virtute et scientiâ fuerint defectuosi vel inutiles ad animarum profectum, et ab illis qui titulo prædicationis a choro et vitâ communi se eximunt, et faveat foveatque eos qui in concionibus suis doctrinam, zelum et spiritum ostendunt.

§ 4. De lectoribus.

i. Pater generalis eligat lectores, tam philosophiæ quam theologiæ scholasticæ, expositivæ et moralis, præveniatque eos sex mensibus ante cursum, ut se præparent, semperque deputet personas doctas, observantes, amantes docere doctrinam S. Thomæ, non quæstiones inutiles seu periculosas: et (si fieri possit) lectores sint ex provinciâ, in qua sunt collegiâ, et omnes semper in scriptis dictabunt.

ii. Assistant semper lectores orationi mentali et matutino Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes, festi SS. Trinitatis, SS. Sacramenti, et, si fuerit expositum, in diebus infra octavam, necnon matutino omnium festivitatum Christi Domini, et eius sanctissimæ Matris, quæ fuerint primæ classis, et nostrorum patriarcharum: assistant etiam omnibus vespersis, quæ cum cantu celebrantur, et Beatae Mariæ et Ordinis nostri, etiamsi non canantur, nisi in aliquo ex istis diebus habeant conclusiones; et etiam si habeant conclusiones in ipso die, assistant missæ solemnî, quæ in prædictis festivitibus celebratur, necnon primæ in vigiliâ Nativitatis, nonæ in die Ascensionis Domini, et tertiæ quando canitur;

insuper assistant processionibus, antiphonæ *Salve Regina*, officiis et missis quæ cantantur pro nostris religiosis defunctis, examini conscientiæ, flagellationi communi, ac denique omnibus actibus et functionibus communitatis ad eorum non pertinentibus, exceptis in istâ constitutione.

iii. Tempore cursus seu lectionum suarum non exeant lectores ad prædicandum, neque ad audiendas confessiones extra locum in quo est collegium; id tamen eis licebit in maiore hebdomadâ.

iv. Religiosus, qui habuerit licentiam in scriptis a definitorio generali pro scribendo libro qui typis mandandus sit, exemptionibus fruatur quibus gaudent lectores, dum illum scripserit, vel etiam dum excudatur, si ipse correctioni assistat; et similes scriptores teneantur quotannis præsentare ante definitorium elucubrationes suas, ut ab ipso indicetur an digni sint pro illis prædicto privilegio et exemptione.

v. Nullus religiosus percipiat redditus ex cathedrâ, nec illam petat aut prætentat, nec pro alio substituatur, neque, ut alius eam adipiscatur, suffragium ferat.

i. Pater generalis designet religiosos ^{§ 5. Ita etiam} (unum saltem annum habentes completibus vel collegis.) qui philosophiæ, theologiæ scholasticæ, expositivæ et moralis studiis vacaturi sint, illosque eligat virtute ac ingenio præditos, viribusque robustos, pro iungendo studio cum austeritate vitæ nostræ; et antequam in collegium pergant, eos examinari faciat de sufficientiâ grammaticæ a religiosis ab ipso assignandis.

ii. Collegæ nostri per triennium philosophiæ, et per aliud triennium theologiæ scholasticæ, ac denique per biennium expositivæ et morali theologiæ

operam dabunt; et tempore vacationum in suis collegiis maneat, nisi pater generalis aliud disposuerit. Dum autem artium et theologiae scholasticae studio incumbunt, non audiant confessiones, nec concionentur. In ultimo tamen anno huiusmodi theologiae scholasticae liceat eis in munere concionatorio se instruere, praedicando coram communitate in rectorio vel aula capitulari.

iii. Collegae philosophi vel theologi scholastici tempore cursus ordines sacros non recipiant, nisi illi conferantur in loco ubi est collegium, vel in oppido a collegio non distante ultra sex leucas; nec collegae isti, dum tales sunt, in patriam suam abibunt, nec alia itinera agant, nec a domo exibunt (etiamsi sint in aliquo conventu extra collegium), nisi cum communitate, vel cum suo ministro, vel cum patribus definitoribus; ad exercitia tamen litterarum poterunt exire cum suis lectoribus, designatis tamen a provinciali.

iv. Nullus collega ingrediatur cellas patrum lectorum.

v. Omnes studentes diligenter examinentur in singulis visitationibus a visitatore, ministro et lectoribus, et qui in facultate, cui vacat, culpabiliter aut inculpabiliter non profecerit, seu progressum non facturus iudicetur, a collegio excludatur per secreta examinatorum suffragia. Si tamen collegae fuerint minus observantes, vel ita fractae valetudinis, ut simul cum studio communem vitam sequi non valeant, tales visitator solus excludere poterit a collegio. Exclusus autem, vel quia culpabiliter non proficiebat, vel propter alias culpas, non egrediatur a conventu, in quem missus fuerit, per spatium temporis arbitrio superioris, nec concedatur ei facultas ut sacris initiatur, nisi transactis duobus annis ultra permissos a nostris consti-

tutionibus. Si vero iam fuerit sacerdos, facultas audiendi confessiones ei non concedatur, nisi transactis etiam duobus annis ultra requisitos pro reliquis sacerdotibus a nostrâ constitutione; semel autem exclusus, ad studia non redeat, quin prius constet cessasse causam, propter quam fuit studiis privatus vel a collegio eiectus.

vi. Stricte praecipimus ut nullus petat vel sibi procuret mediis intercessionibus extra Ordinem nostrum studia, ordines, licentias audiendi confessiones, concionandi, pergendi in patriam suam, conventualitates, et alia huiusmodi, sub poenâ inhabilitatis ad id quod petit et per talia media procurat, superioribusque iubemus ut hanc constitutionem diligenter observent.

i. In singulis provinciis nostri Ordinis duo sint collegia, unum pro philosophiâ, alterum pro theologiâ scholasticâ docendâ, et, si fieri possit, tertium quoque sit pro theologiâ expositivâ et morali. Quod si in qualibet provinciâ hoc collegium designari non potuerit, deputetur saltem unum pro toto Ordine, in quo theologiae expositivae et morali vacent per biennium collegae ex omnibus provinciis indiscriminatim, qui iam cursus suos scholasticae theologiae peregerunt. Omnia autem et singula collegia definitorium generale designet.

ii. Ministri collegiorum docti sint et observantes, qui sedulo curent ut lectores et collegae causâ studiorum non omittant orationis et mortificationis exercitia, nec observantiam nostrarum constitutionum, tam particularium pro collegiis, quam communium, quae illis non opponuntur.

iii. In collegiis philosophiae sint magistri spirituales, sub quorum disciplinâ in habitatione separatâ vivant studentes qui sacerdotes non sint. In collegiis vero

§ 6. De collegiis.

theologiae magistrorum vices obtineant vicarii.

iv. Conventuales aliquot sint in collegiis ad officia eorum agenda, ad conciones habendas et audiendas confessiones, ut sic satis temporis maneat collegis ad studium. Et quando tempore vespertino, ut moris est, conclusiones defenduntur, si conventuales tempore orationis mentalis eis non assistunt, orent in choro.

v. Cursus litterarius incipiat a die S. Lucae Evangelistae, et duret usque ad diem vigiliae Pentecostes exclusive. Huus temporis decursu singulis diebus non festivis singuli lectores philosophiae duas dictant lectiones; singuli vero theologiae unam, et quaelibet cuiuslibet lectoris lectio per unam duret horam. Similiter singulis diebus festivis expendatur una hora in conferentiâ litterariâ, et tres in conclusionibus defendendis singulis dominicis diebus, ab horâ videlicet tertiâ post meridiem usque ad sextam. Post cursum vero, tempore vacationum, bis in hebdomadâ conferentiae per spatium unius horae sint, et semel singulis mensibus conclusiones per duas horas tantum. Patres autem ministri et lectores, prout illis melius expedire visum fuerit, designabunt tempora pro dictis exercitiis, exceptis conclusionibus tempore cursus, quae in iam designato defendantur.

vi. Communis mentalis oratio tam matutina quam vespertina semper sit a quintâ horâ usque ad sextam, et finitâ matutinâ, recitentur simul prima, tertiâ, sexta et nona in spatio aliquantulum longiore dimidiâ horâ, et quandoque prolixiore, iuxta maiorem earum quantitatem, et ad initium primae et non ante incipiat celebratio missarum.

vii. In vigiliâ Nativitatis Domini cantetur prima, et in die Ascensionis nona eo modo et tempore ac in conventibus;

tertia quoque canatur immediate ante missam conventualem in die Nativitatis Domini, primâ die Paschae, ac primâ Pentecostes, necnon in festivitibus Epiphaniae, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Natalitiis Ss. Apostolorum Petri et Pauli, sancti patriarchae nostri Ioannis de Matha, ac in festo Omnium Sanctorum, in quibus diebus sexta et nona dicentur eodem tempore et pausatione ac in conventibus.

viii. Missa conventualis canatur omnibus dominicis diebus, et diebus feriatis, ac in festivitibus Beatae Mariae Virginis, et Ordinis nostri, atque etiam in die Cinerum, in feriâ quintâ, sextâ et sabbato maioris hebdomadae, in vigiliâ Pentecostes, in die Commemorationis omnium defunctorum, ac in quatuor anniversariis anni, atque etiam quando fit officium de aliquo sancto martyre in collegio illo ubi corpus vel insignis eius reliquia asservatur. Praeterea in omnibus collegiis debet cantari missa in exequiis nostrorum religiosorum defunctorum, et quando ex dotatione vel aliâ obligatione perpetuâ sive temporali ad id tenentur: secundis vero feriis a regulâ designatis dicatur missa sine cantu pro defunctis: eâ finitâ, fiat a communitate absolutio fidelium defunctorum cum cantu. In quatuor autem praedictis anniversariis et in Commemoratione omnium fidelium defunctorum post missam fiat per claustrum processio, et ubi hoc non fuerit, cantetur absolutio in ecclesiâ.

ix. Vesperae, nisi eo die habenda sit lectio vespertina, vel defendendae conclusiones, canantur, tam primae quam secundae, eo tempore et solemnitate ac in conventibus, tribus primis diebus Nativitatis Domini, tribus Paschatis, ac tribus Pentecostes, necnon in festivitibus Ss. Trinitatis, Corporis Christi, Cir-

cumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis Domini, Purificationis et Assumptionis Beatae Mariae, in Nativitate S. Ioannis Baptistae, Natalitio apostolorum Petri et Pauli, ac beatorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, et in secundo festo sanctae Agnetis virginis et martyris, nostri Ordinis patronae; in festivitate autem Omnium Sanctorum semper canantur primae vesperae, quoad secundas observetur, sicut et quoad vesperas defunctorum, quod dictum est de conventibus cap. II, § 1, num. VII; in reliquis vero festivitatibus primae aut secundae classis, quae ad colendum pronunciantur, solum vesperae secundae canantur; in recitandis autem quarta pars horae expendatur.

x. Immediate post mentalem orationem vespertinam dicatur completorium, quod fere per quadrantem horae durabit, et eo finito, cellas petant ad studendum usque ad horam octavam cum dimidiâ, nisi quies et recreatio sit habenda. Si autem fuerit nox communis flagellationis, flagellentur tempore hyemis post completorium ante studium; reliquis vero anni temporibus post nocturnum conscientiae examen.

XI. Matutinum recitetur inviolabiliter horâ noctis octavâ cum dimidiâ, nisi fuerit nox recreationis, tunc enim immediate post completorium dicetur, et recitatio eius duret fere per horam. Cantetur autem cum laudibus (tempore ac solemnitate ac in conventibus) in die Nativitatis et Resurrectionis Domini, ac in triduo maioris hebdomadae, et in festo Corporis Christi cum totâ eius octavâ; at vero in festo SS. Trinitatis, et primi diei Pentecostes, et sancti patris nostri Ioannis de Matha cantetur etiam matutinum cum laudibus horâ quintâ post meridiem.

xii. Circa religiosorum numerum, qui

requiritur ad canendum omnia praedicta in solemnibus, et quid, quando celebrantur non in propriis diebus, observetur quod dictum est de conventibus, cap. XI, § 1, num. VII.

xiii. Insuper praecipimus ut in quatuor anni anniversariis recitetur in omnibus nostris collegiis integrum officium defunctorum sicut in conventibus, et omnes collegiorum religiosi, qui coronam Beatae Mariae Virginis non recitaverint in communi cum collegis, illam recitent privatim.

xiv. In recreationibus nocturnis a Paschate usque ad Pentecostem solum poterunt perseverare usque ad horam nonam, et in residuo tempore aestivo ad summum usque ad dimidiam post nonam.

xv. Non admittantur in collegiis nostris externae personae ad lectiones, conclusiones vel alia litteralia exercitia; nec religiosi nostri extra proprias domos publice arguant vel defendant. Qui autem constitutioni isti omnino vel partim contraverint, privatus sit voce et loco iuxta gravitatem culpae.

I. In unoquoque conventu ac collegio nostro sit communis bibliotheca, cuius incrementum ac in dies augmentum ministri procurent. In eâ sint libri ad studia religiosorum, spiritualium ipsorum profectum, et proximorum salutem; sit deputatus a provinciali religiosus qui eam mundatam clausamque habeat et libros suo ordine iuxta ipsorum diversas facultates dispositos, qui etiam necessarios religiosis ad lectionem studiumque distribuât cum licentiâ praelati; et sit quoque in ipsâ bibliothecâ inventarium recto ordine alphabetico dispositum omnium librorum conventus et collegii.

II. Ut autem libri non diminuatur nec deficiant, praecipimus in virtute san-

§ 7. De bibliotheca.

ctae obedientiae omnibus et singulis religiosis ne praebeant, nec alienent, nec ad alium conventum vel collegium portent vel mittant librum aliquem, quinterna, codices aut eodicem, aliave manuscripta existentia in bibliothecâ alterius conventus vel collegii, sive ad illam pertinentia, etiam illa vel ex illis libris, quinternis, codicibus, seu manuscriptis, quae religiosi habent in cellis, vel alio in loco ad studium, lectionem et usum suum; nec similiter commodent praedictos libros, codices, quinterna, manuscripta, aut portent extra conventum vel collegium ad quod pertinent: minister vero poterit libellum aliquem spirituales praebere alicui personae devotae seu benefactori: poterit etiam aliquos libros sui conventus vel collegii commodare aliquibus personis, prout expedire viderit. Semper tamen in bibliothecâ remaneant scripti a bibliothecario libri, qui, et personae, quibus commodantur, cum annotatione diei, mensis et anni: non poterit tamen minister, etiam capitulo conventuali consentiente, alienare aliquem vel aliquos libros, nisi sint inutilis, et pro utilibus permutentur; quod si secus fecerit, poenae gravis culpae subiaceat.

III. Pater provincialis, quando illi conveniens visum fuerit, potest concedere licentiam religioso ut secum habeat et portet ad usum librum aliquem spirituales, biblia parva et compendium casuum conscientiae; nec libros alios poterit quisquam secum portare, nisi de licentiâ definitorii vel patris generalis.

IV. Codices aliisque manuscripta defunctorum religiosorum in bibliothecâ domus illius, in quâ decedant, vel in archivio generali Ordinis deponantur: nullus etiam praelatus, sub poenâ culpae gravis, illa sibi reservare audeat, nec alteri concedere.

v. Denique sub eodem praecepto, ut supra num. II, praecipimus ut nullus extrahat e bibliothecâ aliquem vel aliquos libros, quinterna, codices vel manuscripta absque licentiâ praelati: religiosus autem extrahens, notitiam praebeat bibliothecario, et similiter illum praemoneat ut colligat et in bibliothecâ reponat libros, et cetera ad illam spectantia, quando ipse religiosus longam absentiam a conventu facere intendit, vel in alium migrat.

REGULAE CAPUT XXXIX. — **Generale capitulum de triennio in triennium celebratur, etc.**

Caput XXXIX. — *De capitulo generali, et formâ illud celebrandi.*

1. Capitulum generale de triennio in triennium celebratur sabbato ante dominicam quartam post Pascha, nisi iustâ de causâ (iudicio definitorii omnibus votis praeter unum concurrentibus) differatur, et tunc die designando ab ipso definitorio celebratur. Si vero instante tempore, quo, iuxta regulam, capitulum generale celebrari debet, pater generalis infirmetur, ita ut assistere non valeat, tunc ipsemet poterit capitulum differre per unum mensem tantum.

II. Generale capitulum semper celebratur extra curiam regiam, in conventu designato a definitorio, et in eo non admittantur hospites nec alii religiosi praeter necessarios pro capituli et conventus servitio.

III. Provinciales et socii in domum capitularem non intrent per duos menses ante celebrationem capituli, excepto provinciali illius provinciae ubi capitulum celebratur, cui solum per quindecim dies ante celebrationem prohibetur intrare in dictam domum, et excepto etiam socio eiusdem provinciae, quando casus occurrerit quod sit minister ipsius do-

§ 1. De tempore et loco in quo celebrandum est capitulum generale.

mus capitularis. Praedicti igitur vocales convocati tempore apto a patre generali congregentur in praedicta domo, simul cum definitorio generali iam inibi praesistente, feriâ sextâ ante dominicam quartam post Pascha, et non antea, sub poenâ ad arbitrium definitorii infligendâ contravenienti: si vero propter causas num. i dictas capitulum differatur, tunc congregabuntur die assignato a definitorio vel a patre generali respective.

iv. Si aliquod negotium tanti ponderis occurrat, quod, iudicio definitorii, conveniens sit habere congregationem generalem, definitorium, concurrentibus ex septem suffragiis sex, poterit convocari ad illam, in qua dumtaxat habeant suffragium qui in capitulo generali illud habent.

§ 2. De praeside et electoribus in capitulo generali.

i. In capitulo generali praesideat pater generalis, expiret vel non in ipso capitulo eius officium; quod si congregato iam capitulo, ipse aegrotaverit, vel propter aliam causam ad capitulum non accesserit, tunc totum capitulum eligat praesidentem generalem in primâ eiusdem capituli sessione; qui in absentia dicti ministri generalis eiusdem auctoritate et praecipientis praesideat; cuius praesidentis officium solum durabit usque ad finem dicti capituli quod tunc celebratur. Si autem congregato capitulo generali etiam contigerit ministrum generalem e vitâ discedere, electo prius praeside, ut dictum est, fiat electio ministri generalis in illo capitulo in quo hoc evenerit, sicut disponit felicis recordationis Urbanus Papa VIII per suas litteras in formâ Brevis expeditas die xxii augusti anno mdcxxxiii incipientes *Iniuncti nobis*, etc.

ii. In dicto capitulo suffragium tantum habeant sequentes, videlicet: pater generalis, expiret vel non eius officium in illo capitulo; quod si loco eius eliga-

tur praeses capituli iuxta dicta numero praecedenti, talis etiam suffragium habeat; similiter illud habeat novus minister generalis, quando in eodem capitulo eligitur, et in eadem domo capitulari reperitur, vel a die quo ad illam pervenerit; item definitores generales, ministri provinciales et singuli socii pro singulis provinciis, quorum videlicet officia tunc expirant: nullusque poterit suffragium suum compromittere.

iii. Si quis ex capitularibus aliquâ ex causâ fuerit inhabilis, vel activâ voce privatus, seu dubium super hoc fuerit, ad definitorium spectet id determinare vel declarare, cui determinationi vel declarationi omnes stent, sub poenâ privationis vocis activae et passivae in illo capitulo.

iv. Quando contigerit praelatum aliquem superiorem proferre sententiam suspensionis ab officio vel privationis vocis contra praelatum sibi inferiorem suffragium habentem in capitulo generali vel in definitorio, effectum non habeat quin prius consulatur idem definitorium, casu quo in vim dictae sententiae impediatur dictum suffragium praefato reo; quod intelligatur etiam quando sententia tantum est declaratoria praedictae poenae impositae, videlicet ipso facto a iure vel a Bullis seu Brevibus Pontificiis vel a nostris constitutionibus.

v. Nullus, sive in capitulo generali, sive in definitorio, audeat subornare electores, directe vel indirecte, vel precibus, pollicitationibus, minis, aliove modo illos inducere ut alteri praestent vel negent suffragium, et contraveniens tamquam pacis perturbator puniatur poenâ privationis officii, vocis et loci per triennium.

i. In capitulo generali suffragium habeat pro qualibet provinciâ socius unus, qui simul cum provinciali vocem pro-

§ 3. De sociis provincialium, eorum officio, qualitatibus et electione.

vinciae ad capitulum adducat pro electionibus faciendis, et ceteris ad ipsum spectantibus: debet autem socius esse minister alienius conventus vel collegii suae provinciae, praeditusque doctrinâ, observantiâ et experienciâ in regimine, nullusque poterit esse socius in duobus capitulis immediatis.

ii. Factis in capitulo generali omnium praelatorum electionibus, ex ministris noviter electis eligantur per secreta suffragia et canonice socii pro capitulo generali immediate sequente, et ad uniuscuiusque electionem tantum concurrant quinque, nimirum pater generalis, duo definitores provinciae pro qua socius eligitur, provincialis eiusdem provinciae, et socius illius qui tunc expirat.

iii. Quod si per mortem, inhabilitatem aut aliam iustam causam socius electus non possit interesse capitulo immediate sequenti, pro quo fuit electus, tunc fiat electio novi socii ante capitulum, tempore sufficiente ut illi nota fiat electio et adire possit ad capitulum; ad hanc autem electionem concurrent canonice et per secreta suffragia solum pater generalis, duo definitores et provincialis illius provinciae pro qua eligitur socius, iuxta Breve felicis recordationis Alexandri VII expeditum die iv februarii anno MDCLX incipiens *Ad pastorale fastigium*, etc.

iv. Si quis minister vel alter religiosus aliquid animadvertendum vel notatione dignum habeat remittendum ad capitulum, tradat socio suae provinciae vel suo provinciali, ut unus vel alter portet.

i. Feriâ sextâ ante dominicam quartam Paschae ad vesperam praeses capituli congreget omnes capitulares, et imponat illis ad praeceptum in scriptis iubendo quod, si quis sciverit alicuius capitularis impedimentum propter quod non debeat admitti ad capitulum, illud

manifestet statim ante ipsam. Quod si factâ sufficienti probatione, impedimentum aliquid inventum fuerit, ad definitorium pertinebit declarare inhabilem esse habentem tale impedimentum, et illum a capitulo excludat. Deinde deputet definitorium duos capitulares ad legendas epistolas et advertentias ad capitulum missas, quas fideliter suo tempore referent, et manifestent etiam vocalibus graduationem domorum ab ipso factam praecise ad eligendos ministros pro illis.

ii. Sequenti die sabbati, nempe primâ capituli, diluculo cantetur, assistentibus omnibus religiosis, missa sollemnis de Spiritu Sancto, cum commemoratione Beatae Mariae Virginis et sanctorum nostrorum patriarcharum; idemque etiam fiat in omnibus conventibus et collegiis Ordinis pro felici capituli eventu, ac propterea¹ in omnibus domibus toto tempore capituli communis et particularis fiat oratio ut Deus illuminet capitulares ad hoc ut conformiter omnia faciant et operentur ad maiorem Domini gloriam et religionis utilitatem et incrementum.

iii. Finitâ missâ, praeses capituli (etiâsi forte aliquis vel aliqui ex vocalibus non pervenerint) iubeat fieri signum cum cymbalo ad capitulum generale, et omnes gremiales congregati in aulâ capitulari sequenti ordine sedeant:

iv. Primo loco pater generalis, vel praeses capituli in eius deœctum, deinde definitores ordine suae electionis, postea provinciales iuxta antiquitatem suarum provinciarum, ac denique iuxta eandem socii praefatarum provinciarum, qui quidem ordo observabitur toto tempore capituli extra aulam capitularem tam in sedibus quam in praesidentis,

¹ Forsan legendum *praeter* (R. T.).

§ 4. De formâ celebrandi capitulum generalis.

quavis praesens sit provincialis provinciae et minister conventus ubi celebratur capitulum.

v. Illico praeses capituli concionem habeat spiritualem hortando vocales ut in omnibus actionibus et electionibus prae oculis habeant maiorem Dei gloriam et religionis incrementum.

vi. Exhortatione finita, ut sine scrupulo ad electiones procedatur, genuflexis omnibus, praeses ad cautelam illos absolvat ab omnibus et quibuscumque censuris, formam sequenti: Omnes dicent confessionem generalem, et praeses capituli prosequetur dicens: *Misereatur vestri, etc.; Indulgentiam, etc. Si tenemini aliquo vel aliquibus vinculis excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, in quantum se extendunt gratiae et privilegia Ordini nostro indulta mihi commissa et vobis concessa, ego absolvo vos ad effectum electionum faciendarum, et restituo vos sacramentis Ecclesiae, communioni et unitati fidelium. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen. Item eadem auctoritate ego absolvo vos ab omnibus aliis de quibus fieri consuevit absolutio in consimilibus capitulis, ut sitis absoluti hic et in tribunali Domini nostri Iesu Christi, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum. Amen.*

vii. Capitularibus sic absolutis et adhuc genuflexis ante imaginem Crucifixi (quae debet esse supra primam et principalem mensam aulae capitularis) gratiam Spiritus Sancti invocabunt devote dicentes hymnum *Veni Creator Spiritus etc.*, quo finito, praeses capituli, ceteris respondentibus, prosequitur: *†. Emitte spiritum tuum, et creabuntur, †. Et renovabis faciem terrae. †. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu. †. Laudemus et superexaltemus eum in saecula. † Emitte eis auxilium de San-*

cto. †. Et de Sion tuere eos. †. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix. †. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. †. Exultent iusti in conspectu Dei. †. Et delectentur in letitia. †. Domine exaudi orationem meam. †. Et clamor meus ad te veniat. †. Dominus vobiscum. †. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Praeruditus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Omnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentiam maiestatis adorare unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Defende, quaesumus Domine, Beatam Mariam semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Deus qui per sanctos patres nostros Iohannem et Felicem Ordinem SS. Trinitatis ad redimendum de potestate Saraccenorum captivos caelitus instituere dignatus es, praesta, quaesumus, ut eorum suffragantibus meritis a captivitate corporis et animae, te adiuvante, liberemur.

Omnipotens sempiternus Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos et super congregationes illis commissas spiritum gratiae salutaris, et ut in veritate tibi complacent, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde.

Deus, largitor pacis et amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus quae nos pulsant tentationibus liberemur. Per Christum, etc.

viii. Rogatione finitâ, electores omnes ante supradictam imaginem Crucifixi faciant iuramentum, quo se obligent ad eligendum digniores et aptiores respectu officiorum, quae proponuntur, et quod prae oculis habebunt in omnibus electionibus maiorem Dei gloriam et progressum religionis iuxta tenorem nostrae regulae. Idem quoque iuramentum facient electores sociorum et definitores in definitorio, vel in qualibet aliâ congregatione, quando facienda est electio alicuius praelati vel socii. Formula iuramenti talis est:

Formula iuramenti eligentium.

« Ego frater N. de N. iuro et promitto Deo Omnipotenti, Beatae Mariae semper Virgini, et beatis patribus nostris Ioanni et Felici, me electurum illos, quos iuxta meam conscientiam credam digniores et aptiores futuros esse Ordini nostro, eius provinciis et conventibus, tam quoad spiritualia quam quoad temporalia ».

ix. Facto iuramento, capitulares sedentes eligant per secreta suffragia secretarium capituli de eius corpore, et per maiorem suffragiorum partem electus pronuncietur a praeside capituli, in cuius manus secretarius electus faciet iuramentum fidelitatis et servandi secretum sequenti formâ:

Item secretarii capituli.

« Ego frater N. iuro et promitto Deo Omnipotenti, Beatae Mariae semper Virgini, ac beatis patribus nostris Ioanni et Felici, me in omnibus ad meum officium spectantibus fidelitatem et secretum servaturum ».

x. Confestim capitulum eligat per secreta suffragia tres capitulares in scrutatores ad regulandum suffragia in electionibus. Isti autem (si aliud visum non fuerit capitulo, quod per secreta suffragia determinabit) semper erunt praeses capituli, et duo definitores immediate sedentes ad dexteram et ad

sinistram illius; qui quidem scrutatores statim faciant coram capitulo iuramentum fidelitatis et secreti sequenti formâ:

« Ego frater N. de N. iuro et promitto Omnipotenti Deo, Beatae Mariae semper Virgini, et beatis patribus nostris Ioanni et Felici, me scrutatoris officium fideliter facturum, et secretum semper servaturum, non revelando¹ personas, quae suffragia praestiterunt vel negarunt hic vel alteri ».

Item secretarii capituli.

xi. Deinde capitulum per secreta quoque suffragia eligat ex scrutatoribus unum, qui officium faciat secretarii praecise in scrutiniis. Et electus faciat, statim ac pronuncietur a praeside, iuramentum in manus istius, eâ formâ, quae posita manet num. ix pro secretario capituli.

xii. Rursus capitulum eligat per secreta suffragia unum ex vocalibus, qui, post regulata suffragia in electionibus, nomine ipsius capituli faciet et pronunciet electiones, formâ assignandâ § sequenti, et pro casu, quo suffragia concurrant pro aliquo officio in ipsum electorem, seu pronunciatorem, capitulum eligat alterum qui eius electionem pronunciet; quod si aliter visum non fuerit capitulo (quod per secreta suffragia determinabit), semper primus scrutator elector erit seu pronunciator, et pro casu electionis suae secundus scrutator.

xiii. Eâdem formâ, idemque totum, quod tribus numeris antecedentibus dictum est erga scrutatores et secretarium scrutinii et electores sive pronunciatores electionum, servetur omnino quotiescumque in definitorio, sive in aliâ quacumque congregatione extra vel intra capitulum generale, facienda sit aliqua electio canonica praelati vel socii.

¹ Edit. Main. legit *revelando* (R. T.).

xiv. Praedictis igitur praeambulis finitis, procedat capitulum ad electiones, et procedant omnes, fiatque ante prandium electio patris generalis, si facienda est in illo capitulo; generalis autem recens electus, si praeses sit, sedeat immediate post patrem generalem qui expirat, sive post praesidem capituli; non tamen praesideat, nec officium exerceat usquequo finiatur capitulum; nihilominus omnes, tam capitulares quam ceteri religiosi conventus, statim ac electio facta sit, pergant processionaliter cum electo in ecclesiam cantantes hymnum *Te Deum laudamus*, et ibi accipiant ab eo benedictionem, et omnia fiant iuxta formam dispositam in nostro manuali; tamen si generalis electus praesens non fuerit, illum non expectet capitulum, sed prosequatur.

xv. Si in capitulo illo non sit facienda electio ministri generalis, eodem sabbato ante prandium incipiant fieri ceterorum praelatorum electiones, et prosequantur in reliquis sessionibus, tam vespere¹ eiusdem sabbati, quam mane et vespere sequentium dierum, hoc ordine: prius eligantur definitores generales, quorum prior electus, sit definitor, secundo electus, secundus, et sic de ceteris, servata prioritare electionis; deinde eligantur ministri provinciales iuxta antiquitatem suarum provinciarum; postea ministri conventuales secundum graduationem domorum a definitorio factam et vocalibus iam manifestam, ut num. i dictum est, propter quam graduationem non intelligatur conventus amittere antiquitates suas. Quando autem facta fuit electio ministri generalis eodem mane nullae aliae fiant, sed vespere post prandium fieri incipiat ordine dicto.

¹ Edit. Main. legit *vesperae* (R. T.).

xvi. Finitis electionibus, prosequantur sessiones necessariae ad agendum de observantia, progressu, bonoque communi nostrae religionis, et ante omnia ac praecipue de eius instituto, redemptione nimirum captivorum. Quibus conclusis, capitulum per secreta suffragia eligat octo ex nostris noviter electis, ad hoc ut priores quatuor vel quinque concurrant simul cum definitivis (sicut praecipit regula) ad correctionem vel depositionem patris generalis, si in illo triennio opus fuerit; reliqui vero ministri ad hoc deputati iuxta ordinem suae electionis succedant primis, si ex istis aliquis defecerit mortis, renunciationis aut alia quavis causa. Declaramus autem quod ad istam correctionem vel depositionem possint eligi ministri provinciales.

xvii. Insuper idem capitulum eligat sex patres ex gravioribus religionis, quorum consilio et assensu pater generalis (quando casus occurrerit) eiiciat ab Ordine aliquem vel aliquos, instructo processu et plene probatis causis expulsionis iuxta decretum sacrae Congregationis Concilii, et propterea eligat quoque capitulum ad eundem effectum alios quatuor vel sex patres subrogandos ordine suae electionis in defectum alicuius vel aliquorum ex sex prius electis.

xviii. Deinde eligantur socii provinciarum pro capitulo immediate futuro, iuxta supradicta in isto cap. § 3, n. ii. Quibus electionibus factis, legantur coram toto capitulo decreta sanctae Romanae et generalis Inquisitionis, et praeses capituli hortetur gremiales ad illorum strictam obedientiam et observantiam.

xix. Decretis lectis, idem praeses capituli continuo imponat praeceptum vocalibus omnibus et singulis, ut intra

spatium viginti et quatuor horarum revelent ante ipsum et manifestent impedimentum, si quod forsan fuerit, ratione cuius aliquis ex praelatis noviter electis non possit nec debeat confirmari in suo officio. Quod si aliquod impedimentum inventum fuerit, ad definitorium spectat iudicium de illo. Nullo autem invento, capitulum totum confirmet electionem patris generalis iuxta Breve felix recordationis Urbani Papae VIII, expeditum die III decembris anno MDCXXXVI, incipiens *Exponi Nobis, etc.* Deinde definitorium generale confirmet electiones definitorium generalium, ministrorum provincialium et conventualium: et electores sociorum electiones illorum confirmet.

xx. Illis expeditis, quilibet provincialis, secundum antiquitatem suae provinciae, surgat, et coram capitulo legat catalogum religiosorum qui illo triennio in sua provincia decesserunt; deinde surgat secretarius capituli, et coram etiam toto capitulo legat electiones omnes, statuta, decreta et cetera omnia acta et disposita in ipso capitulo, quae cuncta debent esse scripta in libro capituli generalis, cum annotatione in qualibet praelatorum electione numeri suffragiorum concurrentium ad illam. Et his lectis, subscribant in eodem libro omnes vocales. Quo facto dissolvitur capitulum.

xxi. Iam perfecto dissolutoque capitulo, definitorium generale novum visitet patrem generalem et definitores, qui suo iam munere functi sunt, formam infrascriptam, cap. XLI, § 1, et receptis depositionibus capitularium contra illos, visitationeque conclusam (nisi forte insinuentur culpa, quae maiorem inquisitionem atque examen requirant; nam tunc fiet quod citato cap. et § dispo-

1 Edit. Main. legit *numero* (R. T.).

nitur), missa sollemnis *de requiem* pro defunctis religiosis et benefactoribus Ordinis et concio habeatur; qua functione peracta, capitulares se mutuo charitate fraternam amplectantur, et in suos conventus proficiscantur.

I. Nec pater generalis, nec alius superior nostri Ordinis habeat ius nominandi vel proponendi aliquam personam determinatam ut eligatur; poterit tamen quandoque definitorium, si illi expedire visum fuerit, aliquas personas proponere, relinquendo tamen electores liberos ut suffragia sua illis vel aliis praestent.

II. Postquam omnes sua suffragia dederunt in qualibet electione, scrutatores illa ante omnia numerent, attendendo an respondeant et aequalia sint numero vocalium: quod si ita est, primus scrutator illa reponat in urnam, et postea singillatim extrahat et legat, legendaque praebeat duobus aliis scrutatoribus, et secretarius scrutinii illa singillatim scribat et numeret; si vero, quando schedulae numerantur, non ascendunt ad numerum vocalium, vel excedunt, comburantur statim, sine eo quod legantur, et iterum de novo suffragia ferantur. Ceterum si aliqua schedula vacua seu alba inventa fuerit, vel cum suffragio sub conditione vel alternativam, vel praestito personae incapaci secundum ius, inhabilitate utique redente nullam ipso iure electionem, tunc eo casu talis schedula pro nulla et pro non suffragio reputanda est: ideoque separetur, et regulatio et numeratio aliorum suffragiorum fiat, et illis solum attendatur ad videndum an sit electio vel non.

III. Si in primo vel secundo scrutinio non sit electio, scrutatores consulant definitorium, et istud (si illi expedire visum fuerit) iubeat quod suf-

§ 3. De modo servando in electionibus faciendis.

fragia publicentur, et quae quisque habeat manifestetur, ut ita vocales facilius ad electionem conformentur.

iv. Scrutinio facto, pronunciator ad id a capitulo electus, iuxta dicta § antecedente, num. xii, faciat et pronunciet electionem pro illo qui habet omnia suffragia, vel plus quam medietatem, declarando numerum determinatum sequenti formâ, quamvis suffragium electo non dederit:

« Ego frater N. de N. nomine meo et omnium electorum praesentium per decem suffragia (*verbi gratia*¹) eligo in maiorem ac generalem ministrum nostrae religionis (*vel* in definitorem generalem, *vel* in ministrum provincialem provinciae N., *vel* in ministrum conventus vel collegii N., *vel* in socium provinciae N.) patrem fratrem N. de N. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

v. Forma ista faciendi seu pronuncianti quamlibet electionem semper observetur, tam in capitulo, quam in definitorio, vel aliâ quavis congregatione: schedulae autem esse poterunt scriptae propria suffragantis manu vel alienâ. Quae igne comburantur in ipso capitulo vel definitorio vel congregatione antequam vocales surgant.

vi. Omnes controversiae et difficultates ortae in vel super electionibus, etiam patris generalis, determinentur per definitorium generale, cuius resolutioni nemo contradicat, sub poenâ ad arbitrium ipsius definitorii infligendâ.

§ 6. De modo aliquod proponendi et decernendi in capitulo generali.

1. Ut maturiori consilio determinetur, quod in capitulo generali propositum fuerit, liceat ipsi capitulo (si illi expedire videbitur) decisionem differre usque in sequentem diem.

II. Quotiescumque iudicio trium capitularium conveniens sit proponi vel determinari rem aliquam in capitulo,

1 Edit. Main. habet *U. G.*, (R. T.).

praeses teneatur illam proponere, ut decidatur: dum tamen non sit novam condere constitutionem; ad hoc enim proponendum et conferendum maior capituli pars debet petere et instare.

III. Praecipimus ut nullo praetextu a Summo Pontifice postuletur immutatio seu mutatio in re aliquâ sanctae nostrae regulae, nisi hoc fiat per capitulum generale, concurrentibus omnibus votis, nemine discrepante, et contraveniens¹ huic constitutioni ipso facto privatus sit officio suo, et inhabilis perpetuo ad quaecumque alia; similiter ne postuletur a Sede Apostolicâ, nisi per capitulum generale, et consentientibus tribus ex quatuor partibus suffragiorum, innovatio, alteratio seu abrogatio, quoad totum vel quoad partem, alicuius constitutionis ex confirmatis ab ipsâ Sede Apostolicâ.

IV. Ut aliqua constitutio de novo condatur², eius convenientia in tribus capitulis generalibus sedulo ac diligenter expendi et agitari debet hoc ordine: Postquam in capitulo actum est de re aliquâ, si a maiori parte suffragiorum approbata fuerit, statim vim habeat ordinationis, et executioni mandari incipiat usque ad sequens capitulum: in quo mature examinata secundo, si a duabus partibus ex tribus suffragiorum non approbetur, omnino extincta maneat dicta ordinatio; si autem approbetur a dictis duabus partibus, perseveret eius executio usque ad tertium capitulum: in hoc autem iterum atque iterum expensis convenientibus vel inconvenientibus repertis in eius executione, si adhuc approbetur a tribus ex quatuor partibus suffragiorum, habeat deinceps vim constitutionis; aliâs non concurrentibus dictis tribus suffragiorum partibus,

1 Edit. Main. legit *conveniens* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *concedatur* (R. T.).

eo ipso revocata et penitus extincta maneat praefata ordinatio. Declaramus autem, quod, quando tres vel quatuor partes suffragiorum aequales esse non possunt, non attendatur, nec ratio habeatur de votis superabundantibus ad tres vel quatuor partes aequales.

v. Ad hoc autem ut aliqua constitutio ex non confirmatis in specie a Sede Apostolicâ quovis modo alteretur vel abrogetur et ad hoc ut fiat constitutio contraria alicui ex eis, eodem modo in tribus capitulis generalibus examinanda est eius convenientia vel inconvenientia, ita tamen ut quamvis in primo capitulo consentiat maior pars suffragiorum, non statim executioni mandetur, nec suspendatur per illud triennium constitutio antiqua. Quod si in sequenti capitulo consentiant duae partes ex tribus suffragiorum, tunc suspendatur per triennium antiqua constitutio, et executioni mandetur nova ordinatio, alioquin ista prorsus extincta maneat. Quod si in tertio capitulo, re diligenter perpensâ, consentiant tres partes ex quatuor suffragiorum, aboleatur antiqua constitutio quoad id in quo per novam alteratur, innovatur, mutatur, seu in contrarium disponitur, cum indulto tamen Sedis Apostolicae; si vero in hoc capitulo non consentiant dictae tres partes suffragiorum, praefata ordinatio eo ipso nulla sit et omnino maneat extincta. Ad capitulum generale pertinet dispensare in¹ constitutionibus, dummodo non sint ex confirmatis a Sede Apostolicâ: ita tamen quod si non pertineant ad universale Ordinis regimen, sufficiat maior pars vocalium; si autem pertineant ad praedictum regimen, dum non sint confirmatae a Sede Apostolicâ, fieri debet consentientibus duabus ex tribus capituli partibus.

¹ Praeposit. in nos addimus (R. T.).

vi. Ad facienda quaecumque statuta, nullatenus tamen nostris constitutionibus contradicentia, quae vim¹ habeant decretorum capituli generalis, sufficiat maior pars suffragiorum; et ex tunc executioni mandetur²; si autem in capitulo immediate sequente expresse non confirmentur, eo ipso extincta maneat; et quamvis approbentur nedum a maiori, sed etiam a duabus partibus ex tribus suffragiorum, non ideo censeantur in viâ ad constitutiones, nisi ab initio facta fuerint tamquam ordinationes capituli in eum finem.

vii. Omnia, quae in capitulo deciduntur per secreta suffragia, determinentur calculis albis et nigris.

i. Ad capitulum generale spectat private facere omnes electiones praelatorum Ordinis, admittere renunciationes praelatorum quae in ipso fiunt, condere constitutiones iuxta dicta § antecedente, num. iv, impetrare a Sede Apostolicâ, concurrentibus omnibus suffragiis, immutationem nostrae regulae in re aliquâ.

§ 7. De pertinentibus private ad capitulum generale.

n. Ad illud quoque private pertinet, consultâ prius Sede Apostolicâ, dividere provincias, dummodo pro aliquâ de novo constituendâ sint saltem octo conventus, ac, itidem consultâ eâdem Sanctâ Sede, relinquere et desertas facere foundationes conventuum iam admissas et possessas, ac etiam dispensare, consentiente saltem maiori parte vocalium, in constitutionibus a Sede praefatâ non confirmatis nec spectantibus ad universale Ordinis gubernium; quod tamen raro fiat et maturo consilio.

iii. Denique ad ipsum attinet dispo- nere, agere, stabilire omnia, quae secundum nostram regulam et constitutiones ipsi reservantur.

¹ Perperam edit. Main. legit enim pro vim (R. T.).

² Potius lege mandentur (R. T.).

REGULE CAPIT. XL. — **Electio maioris ac generalis ministri de sexennio in sexennio, etc.**

CAPIT. XL. — *De qualitate eligendorum in praelatos, ac de eorum et aliorum officiis, iure et potestate.*

§ 1. De his qui eligi debent in praelatos.

I. Nullus eligatur in ministrum conventualem, quin prius per triennium fuerit vicarius, vel praeses alienius novae foundationis, vel magister novitiorum aut recenter professorum, vel secretarius praelati superioris, vel procurator generalis, vel lector sacrae theologiae, vel concionatus fuerit tribus quadragesimis, ita ut in qualibet hebdomadâ uniuscuiusque tres habuerit conciones, et titulo praedicationis nec carnes comederit nec lineis usus fuerit.

II. Deinde in superiorem praelatum nullus eligi possit, qui prius per tres annos non fuerit minister conventualis, vel per integrum sexennium secretarius patris generalis, vel lector theologiae sacrae, vel qui per sex iam annos officium procuratoris generalis laudabiliter non exercuerit, vel qui octo quadragesimis concionatus non fuerit, laudabiliter etiam et cum conditionibus et circumstantiis numero antecedente expressis; qui vero propter fractam aegramque valetudinem dicta officia exercere non potuit, si tamen sit persona aetatis propectae, ac virtute, doctrinâ et consilio praedita, eligi poterit in definitorem.

III. In ministrum generalem, provinciale et conventualem eligi non possit, qui propter fractam valetudinem choro interesse non valet, vel carnibus vescitur, lineisque utitur; poterit tamen esse definitor, si qualitatibus numero antecedente designatis praeditus fuerit, et cum conditione etiam quod tantum sit unus definitor qui vitae communis austeritatem sequi non valeat.

IV. Decernimus quod nullus eligatur

ad duas praelaturas simul, nec praelatus aliquis sit simul procurator generalis, excepto ministro nostri conventus Curiae Romanae, nec similiter sit aliquis simul praelatus et redemptor captivorum.

V. Pater generalis in capitulo, in quo expirat, non possit reeligi in generalem neque in aliam praelaturam definitorii, videlicet provincialis vel ministri conventualis, usque ad definitorium celebrandum mense septembris anni immediate sequentis ad celebrationem capituli in quo expiravit; similiter, nec eligi possint usque ad praedictum definitorium definitores generales in officium definitorum, provinciales in officium provincialium, nec ministri conventuales in ministros earundem domorum, si per triennium vel maiorem partem triennii functi sunt officio suo. Possunt tamen isti eligi in alia officia vel in alia monasteria. Per maiorem autem partem triennii intelligimus, quando electi fuerint ante definitorium generale mensis septembris anni immediate sequentis ad celebrationem capituli antecedentis.

VI. Qui per sex annos continuos et integros superiore praelaturâ functus fuit, non valeat in capitulo generali, in quo expirat, eligi in definitorem, vel provincialem, vel in ministrum conventualem. Poterit tamen id fieri in definitorio mensis septembris anni immediate sequentis ad capitulum illud. Similiter qui per sex annos continuos et integros minister conventualis fuit, vel uno triennio minister et alio triennio etiam integro praelatus superior, non possit eligi in ministrum conventualem nisi alicuius domus ex duabus matricibus designatis a capitulo generali pro qualibet provinciâ. Poterit tamen eligi in definitorem vel in provincialem pro primâ vice tantum. In generalem vero

eligi poterit quilibet ~~ex~~ contentis in hac constitutione. Per officia autem continua et integra intelligamus¹ illa quae non vacarunt per tres menses continuos, sive sit in principio triennii vel sexennii, sive in medio, sive in fine. In prohibitionibus his non repetendi electiones non comprehenditur minister nostri conventus romani.

vii. Insuper duo fratres germani non possint sibi immediate succedere in eodem officio ministri generalis, definitoris, provincialis vel socii, iuxta Breve sanctissimi domini nostri Clementis X expeditum die xv decembris anno MDCLXX, incipiens *Exponi nobis, etc.*, nec possint etiam dicti duo fratres germani simul seu in eodem tempore et triennio habere officia quibus annexum sit votum in capitulo generali.

viii. Eligendus in ministrum generalem, debet habere aetatis quadraginta et quatuor annos, habitus vero sexdecim; in ministrum conventualem, aetatis triginta et tres annos, habitus quatuordecim.

i. Omnes obediant submisce et humiliter patri generali, tamquam patri et pastori totius nostrae religionis, in quo residet potestas et iurisdictio respectu totius Congregationis; sicut in provinciali respectu suae provinciae, et in ministro respectu sui conventus. Habet praeterea potestatem et iurisdictionem sibi concessam, sive iure communi, sive privilegiis nostrae religioni concessis, exceptis illis quae limitantur per nostras constitutiones. Quare, cum illi competat regimen totius Ordinis, vigilare et curare maxime debet perfectam regularis disciplinae observantiam.

ii. Hortamur tamen patrem generalem ne se in officia aliorum superiorum intromittat, nisi negligentia vel culpa il-

lorum id exigat, aut aliquando ratio et prudentia suadeat, semper vero debent omnes illi obedire. Quod si excesserit in dicta intromissione, a definitorio submisce et reverenter moneatur.

iii. Nunquam aliquid disponat, determinet aut praecipiat contra id quod a provincialibus dispositum, determinatum aut praecipitum fuit, quam¹ prius id notum provincialibus fuit².

iv. Ad patrem generalem pertinet praesidere in tota religione, in definitorio et in capitulo generali, proponere tam in isto quam in illo quae in eis agenda vel determinanda sunt, et executioni mandare quod in³ ipsis decretum est, et facere quod observentur disposita in nostris constitutionibus.

v. Item ad ipsum spectat semel saltem in suo sexennio videre omnia monasteria totius Ordinis, et inquirere ac visitare quemcumque conventum vel collegium, prout ipsi conveniens visum fuerit.

vi. Ad ipsum quoque pertinet religiosos ab una in aliam transferre provinciam, nominare et designare lectores et collegas tam philosophiae quam theologiae scholasticae, expositivae et moralis, licentiam praestare lectoribus ad itinera facienda, deputare in qualibet provincia, cum consilio provincialis respective, magistros novitiorum, recenter professorum, et collegarum philosophiae, et concedere epistolas confraternitatis ubicumque et cuicumque expediens illi videbitur, et cetera omnia quae nostrae constitutiones ei concedunt et curae ipsius committunt.

vii. Si officium patris generalis ante finitum sexennium vacare contigerit mortis, renunciationis, depositionis aut alia

1 Legerem *quin* (R. T.).

2 Legerem *fiat* vel *faciat* (R. T.).

3 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

§ 2. De officio patris generalis, et his quae ad ipsum attinent.

quavis causâ, statim primus definitor generalis convocet ceteros definitores generales et ministros provinciales, et dicto primo defensore generali presidente, omnes simul canonicè eligant unum vicarium generalem, qui eandem auctoritatem, praecminentiam, vocem et locum ac minister generalis habet, eiusque vicarii generalis officium huiusmodi duret usque ad finem primi subsequentis capituli generalis, in quo electio ministri generalis fieri debet, prout omnia disponit felicis recordationis Urbanus Papa VIII in suo Brevis expedito die xxii augusti anno mdcxxxiii, incipiente *Inivincto nobis, etc.* Sigilla autem Ordinis in praedicto casu custodiat secretarius qui fuit pater generalis, et cum primo congregatum fuerit definitorium, illa ipsi defensorio tradat, et simul clavem archivi generalis, de qua § sequenti, num. xviii.

§ 3. De defensorio generali.

i. Quolibet anno, die iii mai et xiii septembris, patres definitores generales congregentur ad celebrandum definitorium generale in conventu vel collegio iam ab ipso defensorio antecedente deputato, nec ad istud sit necessaria convocatio, nec admittatur aliqua excusatio, nisi aliquâ infirmitate aut aliâ causâ inevitabili sit impeditus, nec liceat patri generali aliquem definitorem occupare vel impedire, ita ut dictis temporibus assistere non valeat defensorio.

ii. Si pater generalis absens fuerit, infirmus vel taliter impeditus ut dictis defensoriis adesse nequeat, congregentur praefatis temporibus definitores, et, praesidente primo ex eis, celebrent defensoria, nunquam tamen absente patre generali aliqua fiat electio, vel admittatur renunciatio, vel nova conventus fundatio.

iii. Congregari etiam poterit definitorium semper ac patri generali visum

fuerit, qui et illud congregare quoque tenebitur quando maior pars defensorum id postulaverit.

iv. Quotiescumque definitorium celebretur, praesente patre generali, si vacans fuerit aliquod officium defensoris, ante omnia eligatur defensor, idemque fiat casu quo in ipsâ actuali defensorii celebratione tale officium per mortem, renunciationem aut aliam iustam causam vacaverit; et si electus absens est, prosequatur definitorium, nulla tamen fiat electio donec novus defensor perveniat, sine ipsius consensu, si fuerit intra Hispaniam, secus si extra illam fuerit.

v. Defensorii tempore congregentur definitores semel saltem in die per spatium unius horae, durabitque defensorii celebratio diebus necessariis pro expeditione rerum et negotiorum ad arbitrium ipsius defensorii.

vi. Semper ac celebretur definitorium, teneatur pater generalis proponere officia tunc vacantia et ad definitorium pertinentia, ut eorum electiones fiant, et similiter negotia occurrentia quae determinationem defensorii expectant, et per eius decreta et decisiva suffragia iudicentur.

vii. Quilibet ex defensoribus poterit proponere quamlibet rem ex attinentibus ad definitorium, et si maiori illius parti expedire videatur, per secreta suffragia decidetur.

viii. Res graves, quales sunt electiones, renunciationum admissiones, et similia, proponantur pridie ante decisionem.

ix. Quando aliquid determinatum est in defensorio, non agatur iterum de illo, absente aliquo ex eis qui primo decreto astiterunt, imo etiam omnibus praesentibus non controvertatur iterum, nisi concurrentibus tot suffragiis, quot necessaria sunt ad dispensandum.

x. Epistolae ad definitorium missae

non aperiantur nisi coram ipso, et ibi publice legantur, nisi aliter eidem definitorio visum fuerit.

xi. Definitorium poterit mittere aliquem ad curias romanam et regiam, et quo' illi expediens visum fuerit pro aliquo gravi negotio ad bonum commune religionis pertinente, dum tamen in hoc convenient omnes qui fuerint in definitorio, uno dempto.

xii. Poterit etiam aliquem ex definitoribus in quolibet gravi negotio occurrente occupare et mittere quocumque illi conveniens visum fuerit, etiam extra Hispaniam.

xiii. Non poterit definitorium vires suas concedere patri generali seorsim, nisi quando adierit aliquam provinciam vel conventum videndum, vel in simili casu raro, et semper cum limitatione ad ea tantum quae probabiliter iudicio ipsius definitorii occurrere possunt, designando casus speciales, qui et in libro definitorii scripti manebunt.

xiv. Deputet definitorium in suum secretarium unum ex patribus definitorii, qui, statim ac electus fuerit, iuramentum emittat servandi secretum et fidelitatem formâ praescriptâ pro secretario capituli generalis, supra, cap. xxxix, § 4, num. ix.

xv. Quod actum decisumque fuerit a definitorio, in eius libro scribatur, et in electionibus canonicis in ipso factis annotetur numerus suffragiorum, et, antequam finiatur definitorium, legantur coram ipso, et postea subscribatur a patre generali, primo defensore et secretario.

xvi. Pater generalis determinationes et decreta definitorii executioni breviter mandari curet, quod si remisse in hoc se gesserit, et reverenter monitus non se emendaverit, defensores primus

1 Videtur forsan legendum *quot* pro *quo* (R. T.).

et secundus exequi faciant, ea subscribendo simul cum secretario et siglando definitorii sigillo.

xvii. Si (quod Deus avertat) pater generalis se gereret cum magno saecularium scandalo, vel religionem regeret notabili relaxatione, et observantiam in rebus gravibus negligeret, tunc primus defensor convocet omnes alios, qui omnes simul uniti, et non aliter, ac re mature consideratâ, convocent quatuor vel quinque ministros per capitulum generale deputatos, et simul cum illis humiliter et reverenter, vel in scriptis vel oretenus, bis moneant et corrigant patrem generalem, qui si adhuc ab excessibus et culpis non cessaverit, omnes dicti praelati, defensores utique et ministri simul congregati, et maiori illorum parte consentiente, et causâ cognitâ, iudicent an mereatur deponi, et ita sententibus et iudicantibus, deponatur, et in tali casu, dum causa agitur, poterunt omnes simul in toto Ordine cui vel quibus necessarium fuerit imponere praecepta et censuras, quae, et alia quaecumque mandata subscripta a primo et secundo defensore et referendata a secretario, fidem faciant et obligent, et in tali casu poterunt dicti praelati iubere etiam patri generali praeceptis vel censuris, aliisque mediis opportunis, ne, dum causa ipsius agitur et concluditur, officium suum exerceat, nec in' alio sit conventu praeter sibi ab eis designatum.

xviii. Omnes processus et causae criminales custodiantur in archivio generali Ordinis, et patres provinciales et visitatores remittant dictas causas iam absolutas, ut in archivio reponantur, imo et etiam remittant inceptas et nondum finitas, si ab ipsis absolvendae non sunt; idemque faciant patres nostri de causis ab ipsis inchoatis et formatis, vel

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

illas remittant ad suum provincialem, ut de illis iudicet. Quo facto, ipse eas mittet ad praedictum generale archivium in quo conserventur sub clavi, quae apud patrem generalem vel eius secretarium sit.

XIX. Et ne decursu temporis libri Ordinis, bullae, brevia, privilegia ceteraque scripturae disperdantur, decernimus quod in nostro conventu Matritensi sit archivium generale, in cuius parte separatâ omnia praedicta reponantur et custodiantur sub duabus clavibus, quarum altera sit apud patrem generalem, altera vero apud unum ex definitoribus designandum a definitorio, et similiter ad eundem effectum in conventu nostro Curiae Romanae sit aliud archivium, cuius claves habeant pater minister et pater procurator generalis istius Curiae; quando vero utrumque munus minister exerceat, alteram ex his clavibus habeat consiliarius antiquior.

§ 4. De spectantibus ad definitorium generale.

I. Primum pertinet ad definitorium, servatis aliâs servandis, novas conventionum foundationes admittere, ex uno situ in alterum iam factas transferre, conventus unius provinciae alteri provinciae designare et adscribere, consulendo tamen in praedictis provinciales illarum provinciarum in quibus aliquid ex dictis faciendum sit.

II. Etiam pertinet ad ipsum punire culpas gravissimas, ut dictum est supra, cap. XIII, § 2, n. VII, facere statuta (quae *acta* communiter dicuntur) pro reformatione totius Ordinis, illa revocare ac in illis dispensare, declarare dubia erga nostras constitutiones occurrentia, dispensare in eisdem constitutionibus ad universale Ordinis regimen non spectantibus, excepto quando id in constitutionibus definitorio prohibetur (quod tamen raro fiat), et, consentientibus omnibus suffragiis praeter unum, etiam attinet

ad ipsum dispensare in statutis seu decretis capituli generalis.

III. Ad definitorium quoque spectat designare tempus et locum in quo celebrandum est capitulum generale, destinare etiam locum in quo celebranda sunt definitoria mense maio et septembri.

IV. Ad ipsum definitorium etiam spectat admittere renunciationem patris generalis, si actualiter tunc non celebratur capitulum generale, ad cuius admissionem omnia suffragia concurrere volumus, admittere etiam renunciationes extra capitulum generale factas aliorum praelatorum, eligere et nominare procuratores generales, ac deputare religiosos qui redemptionem captivorum exercere debent, et qui ad sacramenta ministranda captivis profecturi sunt, et tam his quam illis instructiones praestare quas observare debent, facultatem concedere religiosis ut Romam petant vel quemlibet alium locum extra Hispaniam.

V. Insuper praebere consensum ut a Summo Pontifice vel eius sacris Congregationibus licentia obtineatur ut aliquis seu aliqui religiosi nostri transitum faciant ad alias religiones, licentiam concedere ut libri typis mandentur, sine qua nemo id audeat facere, sub poenâ privationis officii, vocisque activae et passivae per triennium.

VI. Item facultatem concedere conventibus, ut haereditates, seu legitimas, renuncient, exceptâ tamen parte ad redemptionem captivorum spectante, et cum conditione quod si persona, in cuius favorem facta fuerit renunciatio, absque haerede necessario decesserit, ad religionem legitima¹ redeat. Ista autem renunciations in libro conventus renunciantis scriptae in memoriam maneat. Deinde potest etiam definitorium, et ad ipsum spectat, licentiam concedere ut

¹ Male edit. Main. legit *legitimam* (R. T.).

conventus cum partibus componatur, et ut ad consensum¹ sive ad damnum pecunias recipiant, obtentâ tamen prius super praemissis debitâ Sedis Apostolicae licentiâ.

vii. In electionibus faciendis extra capitulum a defnitorio quando concurrunt tantum sex electores, si post tres sessiones, in quarum singulis tria scrutinia habita sint, electio canonica non sequatur, tunc concurrat cum defnitorio, et suffragium habeat, ad illius electionis effectum, provincialis provinciae cuius est officium vacans.

viii. Praecipimus omnibus religiosis, tam praelatis quam subditis, ne recurrant ad defnitorium pro expeditione rerum ad alios superiores pertinentium; qui autem sine debitis circumstantiis recurrerit, iuxta gravitatem culpae puniatur.

ix. Defnitorium nihil poterit facere ultra concessum a regulâ et nostris constitutionibus, nec negotium aliquod vel causam ad ipsum non pertinentem poterit sibi arrogare, nisi in casu raro, et omnibus suffragiis concurrentibus.

x. Pater generalis, et etiam defnitorium, quando illis expediens visum fuerit, mittant aliquam instructionem patribus provincialibus, quae et pro bono regimine et reformatione provinciarum, et pro ipsorum subditorum profectu deserviat.

i. Patres generalis et defnitores, dum post suam electionem primo in defnitorio congregabuntur, faciant ante omnia in ipso defnitorio iuramentum servandi perpetuum secretum de rebus in eo agendis; quod iuramentum tunc obliget, quando maior pars defnitorii declaraverit debere servari secretum in tali vel tali casu; qui autem illud fregerit, ab eodem defnitorio severe puniatur.

ii. Patres defnitores generales sex

¹ An recta lectio, indicet sciis (R. T.).

Bull. Rom. — Vol. XVIII. 84

debent esse iuxta Breve felicis recordationis Alexandri VII expeditum die xxx ianuarii mdcxviii, singulique duo in singulis provinciis eligantur: omnes autem sint aequales in potestate et praeminentiis, ut, ubicumque fuerint, immediate patri generali subiiciantur, et in conventu in quo capitulum generale vel defnitorium celebratur, dum haec durant, sedeant immediate post patrem generalem, et omnibus aliis praesideant, etiam provinciali illius provinciae in qua sunt.

iii. Habitent in conventibus a patre generali designatis, aptis tamen ut opportune et scribere et recipere epistolas possint ad suum munus spectantes; et in omnibus conventibus et collegiis ubi fuerint, suffragium habeant sicut ceteri conventuales, et absente ministro, si ibi non fuerit praeses assignatus per patrem generalem vel defnitorium, praesideant in actibus et functionibus communitatis, signumque faciant, ut moris est; nunquam vero se intromittant in regimen domus, nisi absentibus ministro et vicario; tunc enim quoad omnia praesides erunt conventus, et omnes religiosi semper et ubique eandem observantiam et reverentiam praesent, ac suis ministris.

iv. In quolibet conventu, ubi fuerint simul cum patre generali, ab ipso licentiam, socium et benedictionem accipiant ad exeundum e domo. Si autem pater generalis ibi non est, dicatur ministro, et cum socio ab ipso designato exeant; socius tamen ipse a ministro benedictionem accipiat.

v. Epistolas quibuscumque religiosis et saecularibus scribere et ab illis missas recipere liceat defnitoribus absque alicuius etiam patris generalis impedimento vel examine, etiamque eis liceat sine aliquâ licentiâ alloqui quascumque personas; observando tamen quod regu-

la et constitutiones disponunt quoad loca et tempora tacendi et loquendi.

§ 6. De officio patrum provincialium.

i. Omnes humiliter et prompte suo provinciali obediant tanquam patri et pastori, qui et ideo magnâ sollicitudine suae provinciae invigilet, et in totâ illâ eandem habeat potestatem quam ministri in suis conventibus; in eorum tamen officia non se intromittat, nisi illorum negligentia et culpa exigente, vel necessitate et prudentiâ postulante.

ii. Ad patrem provincialem spectat concedere licentiam ut in religione recipiantur qui ad chorum destinantur; item ut tam isti quam laici existentes in anno probationis seu novitiatus recipiantur suo tempore ad professionem; similiter praestare litteras (vulgo *reverendas*) ut religiosi sacris initiarentur, facultatem ut conecionentur, et licentiam ut confessiones audiant virorum, et petere a definitorio licentiam ut religiosi confessiones feminarum audiant. Pro his autem omnibus hortamur patres provinciales, et eorum conscientias oneramus, ut, antequam dictas facultates concedant, certam et plenam notitiam habere eurent de virtute illorum, quibus eas concedunt, ac de ipsorum aetate, scientiâ et ceteris ad ea requisitis tam a iure quam a Bullis pontificiis et nostris constitutionibus, et insuper, dum a definitorio postulaverit licentiam ut aliquis religiosus feminarum excipiat confessiones, mittat petitionem proprii ministri eiusdem religiosi, in qua tam minister quam consiliarii eiusdem conventus vel collegii testificentur de annis aetatis, habitus et presbyteratus talis religiosi, et quanto tempore confessiones virorum laudabiliter ac prompte audiverit.

iii. Pertinet etiam ad provincialem suspendere et tollere, quando conveniens iudicaverit, facultates et licentias praedicandi et audiendi confessiones

tam virorum quam feminarum, deinde impertiri in suâ provinciâ benefactoribus et aliis personis epistolas confraternitatis, quibus participes fiant suffragiorum ceterorumque bonorum operum suae provinciae, et facultatem praestare conventibus ad perpetuo alienandas sepulturas ecclesiarum, non vero cappellae maioris vel minoris.

iv. Rursus singulis annis semel saltem visitare omnes conventus et collegia suae provinciae. Si vero pater generalis aliquam illius provinciae domum visitavit, tunc provincialis non teneatur eam pro illo anno visitare. Quod si contigerit aliquem fratrem germanum provincialis esse ministrum alicuius domus suae provinciae, non visitet domum illam ipse pater provincialis, vel de eius commissione alter religiosus. Deinde si pater provincialis, infirmitate vel aliâ iustâ causâ impeditus, non valeat visitare per se, suumque officium exercere, poterit vices suas alteri religioso provinciae suae committere; nunquam tamen nominare seu instituere vicarium provincialem, sive pro totâ sive pro parte suae provinciae; hoc enim ad definitorium atineat.

v. Praeterea ad provincialem spectat suos religiosos ab uno in alium conventum transferre, et praebere eis (exceptis lectoribus et studentibus) licentias ad itinera facienda, necessitate exigente, et servatis his quae dicta manent supra, cap. x, § 1.

vi. Suspendere quoque ab officio ministrum, qui gubernare nescit, vel qui, suâ malitiâ aut negligentia vel defectu capacitatis, permittit, ansam praebet, et causa est quod omnes et plerique subditorum vivant irreligiose, laxè vel sine pace, aliaque inconvenientia tam in oppido quam in convntu sequantur; quacumque ergo ex istis causis potest pro-

vincialis suspendere aliquem ministrum quantumvis aliis bonis moribus ornatum, consuletque definitorium ut, si expediverit, praedictus minister deponatur.

vii. Ad provincialem etiam pertinet nominare et designare simul cum ministro vicarios omnium conventuum suae provinciae et collegiorum, necnon illos suspendere, imo et, consulto patre generali, eos privare, tam in casibus expressis in nostris constitutionibus, quam si propter alias culpas id mereantur, sine obligatione reddendi causam et rationem cur ita fiat, nisi sacrae Congregationi aut generali, quando requisitus fuerit. Item admittere renunciationes officiorum quorum designatio ad ipsum pertinet, tametsi cum ministro nominatio facta fuerit.

viii. Ad ipsum etiam spectat culpas punire usque ad graviores inclusive, absolvere a censuris ad limites facultatis ei concessae per ius commune vel pontificia privilegia.

ix. Habeat provincialis librum in quo scribat facultates quas concedit ad concionandum, ad virorum confessiones audiendas, et ordines recipiendos, et in eodem notet diem, mensem et annum et nomen religiosi, sed etiam eius patriam et conventualitatem.

x. Non liceat provinciali absque expressa licentia patris generalis contributionem imponere in sua provincia; possit tamen licentiam concedere alicui ministro ut de consensu maioris partis capituli conventualis opem ferat alteri conventui vel collegio indigenti. Super quo hortamur omnes ministros et conventus ut mutuo se adiuvent, ut religiosa et fraterna charitas ita exerceatur et conservetur.

xi. Provincialis expirans, rationem in capitulo generali reddat patri generali de omnibus expensis ab ipso factis in illo

triennio, et in quibus eas fecit: quod si non reddiderit, pater generalis eam exigat.

xii. Si provincialis obierit, vel alia de causa eius officium cessaverit, praedecessor immediatus sit ipso facto vicarius provincialis, nisi inhabilis vel impeditus sit; nam tunc vicarius provincialis erit definitor primus illius provinciae, et in istius defectum secundus, donec definitorium eligat provincialem.

xiii. In casu mortis alicuius provincialis, eius secretarius, et minister et consiliarii conventus in quo obiit, vel vicinioris (si forte extra clavium ponant¹ et custodiant manticas, codices et scripturas ac alia similia, quae penes defunctum et ad ipsum attinentia inventa fuerint, et claves manticarum apud secretarium sint, qui etiam unam ex tribus clavibus arcae habeat, donec vicarius provincialis vel provincialis de novo electus accedat, cui omnia cum sigillis et formulario officii tradentur, nisi pater generalis aliter disposuerit. Et praecipimus in virtute sanctae obedientiae praedictis ministro, secretario, ei², et consiliariis, et omnibus et singulis aliis religiosis, ut nunquam aperiant nec aperire permittant dictas manticas, nec videant seu legant scripta, quae apud se provincialis defunctus habebat.

1. Hortamur in Domino visitatores ut scopus ac finis suarum visitationum semper sit conservare in suo rigore et perfectione observantiam nostrae regulae, constitutionum sanctarum consuetudinem³ et caeremoniarum, pacem statuere, culpas et negligentias corrigere et punire.

¹ Ita edit. Main. cum signo aperiente parentheses, cui nunquam subditur signum claudens; sed nullus sensus eruitur: forsitan legendum *'si forte extra conventum obiit)*, in arca trium clavium ponant, etc. (R. T.).

² Vox *ei* redundat, vel lege *eius* (R. T.).

³ Potius lege *constitutionum, sanctarum consuetudinum*, etc. (R. T.).

§ 7. De modo servando in visitationibus conventuum.

ii. Pro initio visitationis iubeat signum fieri ad capitulum, et omnibus simul iunctis ac genuflexis, incipiat antiphonam *Veni, Sancte Spiritus*, quam omnes prosequantur, et post eam dicat versiculum *Emitte Spiritum tuum*, etc., et orationes *Deus qui corda fidelium; Defende, quaesumus, Domine, Beatâ Mariâ*, etc.; *Deus, qui per sanctos patres nostros Ioannem et Felicem*, etc.; postea omnes sedeant, et visitator faciat brevem concionem spiritualem ad intentum pro suâ visitatione.

iii. Quo facto, imponat praeceptum et censuram, ut omnes ante ipsum dicant et denuncient quidquid correctione dignum animadverterint, tam in praelato quam in subditis, omni affectione, amore, odio seclusis, atque an quaerendis, separandis et custodiendis elemosynis pro redemptione captivorum observentur exacte quae leges nostrae disponunt, et ad hoc ut ante ipsum quoque manifestent omnia quaecumque penes ipsos fuerint, sive pro suo usu, sive pro alio fine, quovisve titulo; et insuper sub praedicto praecepto et censurâ iubeat ab omnibus custodiri silentium in pertinentibus ad ipsam visitationem, tam inter se quam inter alios quoscumque, et tam verbis quam scriptis. Durabit dictum praeceptum et censura per dies necessarios, sed non pauciores quam quinque.

iv. Ante examen religiosorum visitet sanctissimum Eucharistiae sacramentum, altaria, oleum sanctum, ornamenta, ceteraque alia ad cultum divinum pertinentia.

v. Postea vocando singillatim religiosos, visitet, examinet, ac diligenter inquirat ab eis: primo, quomodo observentur mandata Dei et praecepta sanctae Ecclesiae, necnon quatuor vota, regula, constitutiones et sanctae consuetudines

Ordinis; item an fuerit vel sit aliquod scandalum, vel quid habens speciem peccati, tam intra quam extra conventum; an sit pax inter religiosos; an observetur regularis disciplina in officio divino, oratione, silentio, vitâ communi, clausurâ, ceterisque obligationibus; an abusus introducatur in vestitu, aliisque rebus; an praelatus necessaria religionis, praesertim infirmis, suppeditet, et an ipse regulam, ceteraque alia observet.

vi. Ut visitatores haec adimpleant, necesse est calleant ea quae ad correctionem fraternam attinent, et ad regulam, constitutiones et consuetudines. Ideoque oportet eos habere summarium principalium statutorum quae observari debent, ut iuxta illud facilius interrogent et examinent religiosos.

vii. Cellas visitent et videant, quae ad usum religiosi habeant, et, quae paupertati observantiaeque nostrae convenientia non fuerint, amoveant, et necessaria subditis ministrari faciant.

viii. Officinas etiam visitent, et animadvertant si in illis sint necessaria pro religionis, tam valentibus, quam male habentibus, vel aliquid superfluum et indecens nostro statui. Carcerem quoque visitent, et notent si in eo sint quae debent, iuxta disposita supra, cap. xxxi, § 4; bibliothecas quoque videant, et examinent an iuxta eas et eius libros observentur supra dicta, cap. xxxviii, § 7.

ix. Similiter diligenter visitent libros conventus, tam illos, in quibus bona stabilia et census continentur, quam illos in quibus notantur recepta et expensae in quacumque specie, pecuniae, tritici, hordei, vini, olei, etc., necnon libros redemptionis captivorum, et receptoris ad habitum et professionem ab ultimâ visitatione usque ad illam. Et praelatus¹ contra bullas et decreta pontificia sive

¹ Potius lege *praelatum* vel *praelatos* (R. T.).

in toto sive in parte recipiens¹ ad habitum vel professionem aliquos novitios, poenis impositis in illis, et aliis ad suum arbitrium provinciales afficiant.

x. Deinde visitent tabulam seu catalogum religiosorum defunctorum, librum etiam in quo scribuntur missae et alia suffragia obligationesque perpetuae conventus, et videant an illis sit satisfactum: quod si invenerint aliquem defectum, statim eurent plene satisfieri, et severe puniant superiorem negligentem.

xi. Praeterea examinent confessarios, concionatores et in collegiis studentes, iuxta supra dicta suis locis.

xii. Insuper coram communitate attente videant habitus, scapularia, cappas et capitia religiosorum, et eurent quod exacte observent² mensurae dispositae a nostris consuetudinibus, severe puniendo praelatum in hac parte remissum et negligentem et religiosos excedentes.

xiii. Illis peractis, iterum in aulam capitularem religiosos convocari iubeant, et exhortationem faciant spiritualem, laudandi³ virtutes et observantiam, et corrigendo defectus et culpas omnium in communi, et singulorum in particulari. Ac deinde religiosi, quibus nulla culpa imposita est, defectus suos ipsimet, ut moris est, confiteantur.

xiv. Si minister aliquam commiserit culpam maiori parti communitatis ignotam, visitator illam in publico non reprehendat, sed secreto coram aliquibus ex observantioribus et notitiam habentibus: similiter secreto corripiet secretas culpas ceterorum, et publice publicas ac notorias; et quando gravitas delicti virgam iustitiae exigat, semper visitator simul misericordiam utatur: hortamurque

¹ Potius lege *recipientem* vel *recipientes* (R. T.).

² Legendum *observentur* (R. T.).

³ Lege *laudando* (R. T.).

illum in Domino, ne impunitas relinquat culpas, itaut exinde maioribus excessibus occasio et ansa praebatur.

xv. Correctione culparum finita, praecipuum imponat visitator, ut pro tempore iuxta prudens eius iudicium necessario omnes et singuli de actis in illa visitatione, et ad eam pertinentibus, strictum silentium observent, tam inter se quam inter alias quascunque¹, et tam verbis quam scriptis. Deinde omnes in communi leviter flagellis cedat, et postea sequenti absolvat formam, videlicet: omnes prostrati dicant confessionem generalem, postea visitator *Misereatur vestri, etc., Indulgentiam, etc.*, et confestim: *Auctoritate, qua fungor in hac parte, in quantum possum, absolvo vos ab omni sententia excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis vel interditi. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti. Amen.*

xvi. Si visitatori expediens visum fuerit aliqua facere statuta, vulgo *acta*, rebus exigentibus, et maturo consilio perpensis, illa in scriptis faciat, et in arca trium clavium custodiantur. Durabunt autem tantum usque ad sequentem visitationem, si in ea denuo approbata non fuerint. Omniaque praecepta et censurae cessent, cessante officio provincialis qui ea imposuit, et solum maneant tamquam simplicia mandata, usque ad sequentem visitationem: monemusque provinciales, ut in primis suis visitationibus scire eurent praecepta, censuras, acta et mandata suorum praedecessorum, et denuo illa approbent si expedire viderint.

xvii. Si in aliquo conventu visitatores aliquam invenerint culpam excedentem suam iurisdictionem, statim definitorio notitiam praebant, mittentes processum (si factus fuerit) vel informantes de de-

¹ Potius lege *alios quoscunque* (R. T.).

licto; quod si hoc tale fuerit quod remedium praesentaneum exigit, apponat necessarium, quanvis delictum (ut dictum manet) iurisdictioni suae non subsit.

xviii. Decernimus quod quilibet praelatus possit punire et puniat quoslibet culpas ad suam iurisdictionem pertinentes, procedendo in earum cognitione sine strepitu et figura iudicii, solâ facti veritate inspectâ, iuxta concessionem motu proprio factam Ordini nostro a felicis recordationis Paulo Papa V die xvii augusti anno mdcxi incipiente *Circumspecta Sedis Apostolicae, etc.*

xix. Visitatores et alii quicunque indices in causis, quas formaverint, non manifestent reis nomina testium, nec circumstantias aliquas, per quas in illorum cognitionem venire possint.

xx. Denique visitatores post finitas singulis annis visitationes, rationem reddant definitorio de statu conventuum et collegiorum.

§ 8. De patribus visitatoribus delegatis.

I. Qui per delegationem patris generalis vel definitorii visitaverint totam nostram religionem vel aliquam illius provinciam, teneantur in quolibet conventu visitando manifestare commissionem quam portant; obedientia tamen eis praestabitur statim ac primo illam in aliquo conventu patefecerint et possessionem acceperint.

ii. Visitatores praedicti praesideant in omnibus conventibus, ad quos iurisdictionis sua se extendit, omnibus aliis religionis, tam praelatis quam subditis, eadem auctoritate, potestate ac praecellentia, qua fungitur qui eos delegavit.

iii. Quando vero aliquis pro conventu Curiae Romanae visitando designatus fuerit, tantum praesidebit religionis illius a die qua illis per se ipsum notitiam fecerit suam commissionem, quae solum durabit usque ad finem visitationis, et hac peractâ cessabit officium, sub-

ditusque manebit ministro dicti conventus, et, eo absente, procuratori generali, nisi forte visitator aliâs superior sit; idemque omnino intelligatur respective de visitatore delegato alterius vel aliorum conventuum in particulari.

iv. In reliquis omnibus visitator delegatus servet formam visitandi in § antecedente positam, nisi aliquid ei in commissione limitetur, et instructionem etiam sibi datam a delegante, sub poenâ iuxta gravitatem culpae ei intelligendâ.

i. Pater generalis in sui secretarium eligat sacerdotem, qui suo consilio, prudentiâ et viribus valeat illum in sui muneris onere portando adiuvare. Illum in scriptis designet praebendo ei litteras patentes sui officii, et secretarius, statim ac eas recipiat, iuramentum emittat in manibus ipsius patris generalis de servando secretum et fidelitatem iuxta formam praescriptam pro secretario capituli generalis, supra, cap. xxxix, § 4, num. ix.

§ 9. De patribus secretariis praelatorum superiorum.

ii. Similiter quilibet provincialis eligat sibi secretarium eisdem qualitatibus praeditum, et ei litteras patentes tribuat, ac secretarius in manibus ipsius praedictum praestet iuramentum, statim ac nominatus fuerit.

iii. Idem omnino faciat visitator delegatus in electione secretarii, et iste in emissionem iuramenti, excepto casu quo delegans in commissione designavit visitatori secretarium, vel iste¹ litteras patentes dedit; tamen etiam in isto casu secretarius iuramentum faciet in manibus delegati, si in delegantis prius non emisit illud.

iv. Praedicti omnes secretarii in quolibet conventu vel collegio iurisdictionis praelatorum, quorum secretarii sunt, in quo simul cum ipsis fuerint, dum eo-

¹ Videtur legendum *isti* pro *iste* (n. r.).

rum officium duraverit, conventuales sint cum voce et loco, et ad exeundum a domo a suis tamen praelatis, quorum secretarii sunt, licentiam socium et benedictionem accipiant.

§ 10. De officio patrum ministrorum.

i. Patri ministro humiliter et reverenter sui obediant subditi. Ad ipsum spectat immediate conventus vel collegii regimen, principalis cura, scopusque illius sit spiritualis subditorum profectus, praeunte semper ipso doctrinâ et exemplo: quapropter pater generalis non poterit ministrum aliquem eximere a vitâ communi.

ii. Ad ipsum etiam attinet hortari frequenter subditos ad observantiam regulae, constitutionum, sanctarum consuetudinum et caeremoniarum, applicando contravenientibus, sine exceptione personarum, poenas per constitutiones nostras impositas, nec permittat subditos se intromittere in negotia saecularia. Ministrum autem in executione huius constitutionis remissum pater provincialis ad arbitrium suum puniat.

iii. Disponat et praecipiat minister in suo conventu quidquid illi conveniens visum fuerit ad maiorem observantiam et subditorum reformationem ac correctionem. Quod ut melius ac plenius exequi valeat, decernimus quod faciat et substantiet processus et informationes culparum ac delictorum commissorum a religiosis in suo conventu, vel alio in loco sui confinii, quamvis delicta excedant suam iurisdictionem, puniatque usque ad culpam gravem inclusive; nam graviore, et quibus annexum est scandalum, provinciali et definitorio reservantur. Ceterum si contigerit, quod aliqua culpa suam excedens iurisdictionem brevi indigeat remedio, opportunum adhibeat, illamque puniat, ac statim, sub poenâ suspensionis ab officio per unum mensem, moneat superiorem, ad quem

cura spectat, et ceteras informationes culparum, quas ipse non punierit, mittat praelato, cui competat sententiam proferre. Nullus autem minister poterit sui conventus visitationem generalem facere imponendo praecepta et censuras; hoc enim proprium est provincialis.

iv. Sit etiam minister in temporalibus valde providus, et omnibus suis subditis nihil ex necessariis de victu et vestitu deficiat; ad quae distribuenda non expectet religiosorum petitiones, quando necessitas patuerit, sed eas pastorali sollicitudine praeveniat, et amore paterno aequaliter omnibus iuxta cuiuslibet indigentiam subveniat, et sic religiosi, relicta omnium temporalium curâ, spiritualibus magis intenti sint; et severe puniatur a provinciali minister in hoc deficiens.

v. Disponat etiam et distribuat in suo conventu officia, vel per se solum, vel simul cum provinciali aut capitulo conventuali, iuxta ea quae in diversis partibus harum constitutionum statuuntur, constituendo in illis personas idoneas; officiales autem omnia sibi a principio tradita iuxta eorum inventarium suis successoribus vel consiliariis tradant.

vi. Curet minister quod in omnibus officinis sui conventus sint inventaria, seu libri, in quibus scripta inveniantur omnia quae sunt in dictis officinis; et bis quotannis cum consiliariis et officialibus respective illas et libros visitet, ut incrementa scribantur, et de necessariis, quae defuerint, diligenter provideatur.

vii. Quando superior praelatus miserit litteras patentes pro transferendo aliquo religioso in alterum conventum, non eas subscribant minister et consilarii, donec talis religiosus in procinctu sit ad

iter arripiendum; eo autem ipso quod subscribantur, statim cesset eius conventualitas, et deinde tamquam hospes habeatur.

viii. Si conventus aliquis pecuniam habeat (etiam obligationum seu missarum perpetuarum) conferendam in censum, minister (adhuc suffragante capitulo conventuali) id facere non valeat sine patris provincialis facultate.

ix. Nullus minister vel particularis religiosus, quamvis sit procurator conventus, seu administrator bonorum et facultatum ipsius, destruat, demoliatur aliquam domum vel possessionem, nec radicitus evellat vineas, oliveta, arbusta; imo nec religiosus agricola aut hortulanus arborem (nisi aridam) succidat sine consensu communitatis et licentiâ in scriptis praelati superioris, qui illam concedet maiore utilitate inspectâ; nec similiter sine praefato consensu et licentiâ valeat aliquis ex dietis vendere aut alienare aedificiorum dirutorum reliquias et materias, nec etiam emptas aut alio titulo receptas pro novâ fabricâ, aut reparatione conventuum seu possessionum eorum.

x. Nullus item minister, aut praeses valeat in toto cuiuslibet anni spatio vendere aut alienare triticum, hordeum, oleum, vinum et similia, sive sint in propriis praediis collecta, sive empta, sive pie oblata, ultra quantitatem et valorem quadraginta ducatorum ex unâ-que specie, sine consensu maioris partis capituli conventualis, et semper in libro expensarum scribatur quantitas et qualitas venditorum seu alienatorum, et etiam notetur in eo dictus consensus capituli conventualis, quando intervenerit. Contravenientes autem tam isti quam praecedenti constitutioni, severe puniantur ad arbitrium patris provincialis iuxta qualitatem culpae.

xi. Patres ministri simul cum consiliis faciant rationum summas (vulgo *cartuquensas*) status suorum conventuum vel collegiorum, incrementi eorum, provisionis, debitorum, aliarumque rerum; idque tempore apto disponant, ita ut dictae rationum summae, a ministro utrinque et consiliariis subscriptae, mittantur, et perveniant simul cum libro seu rationibus missarum ad manus secretarii definitorii quindecim diebus ante capitulum generale, ut praedictum definitorium tempus habeat ad eas videndas; istarum autem copia et transumptum de verbo ad verbum, subscriptum etiam a ministro et consiliariis, maneat in conventu in libro deputato ad hunc tantum effectum; quod si aliquis minister tempore dicto et determinato non miserit dictam rationem, puniatur ad arbitrium definitorii; at vero si aliqua rationum summa facta inveniatur absque debitâ fidelitate, subscribentes privati sint voce et loco per annum.

xii. Minister ante finem sui officii provideat conventui seu collegio suo de omnibus rebus necessariis usque ad mensem septembris immediatum post capitulum generale, successorique ministro ac consiliariis per inventaria et transumptum, de quo in numero antecedente, rationem reddat status conventus et augmenti vel detrimenti, ut noviter electus minister sciat quod sit in conventu, et quid ipsi traditur.

xiii. Minister non socius in suo conventu vel collegio maneat tempore capituli generalis, et illum regat et gubernet, ac in eo praesideat, etiam post capitulum, donec novus minister accedat, possessionemque accipiat, nisi aliud illi iubeatur.

xiv. Denique statuimus quod, quando pater generalis vel definitorium designaverit aliquem in praesidem alicuius con-

ventus vel collegii, seu novae fundationis, eandem habeat potestatem et praerogativas ac si esset minister.

§ 11. De patribus vicariis et eorum officio.

I. In quolibet nostri Ordinis conventu et collegio sit unus vicarius qui ministrum adiuvet in onere sui officii; debet autem vicarius eligi confessarius virorum et feminarum, et persona prudens et capax ascendendi ad ministerium, et qui habeat aetatis saltem triginta annos et habitus duodecim; poterit tamen definitorium in aetate dispensare.

II. Munus vicarii non duret ultra mensem unum, postquam accessit ad suum conventum possessionemque accepit minister denuo sive in capitulo generali sive in definitorio electus, quamvis, si solum per triennium officium exereuit, poterit reeligi in eodem conventu vel collegio; non vero si ultra biennium¹, nisi dispensante definitorio.

III. Praecipuum vicarii munus est diligenter curare omnia quae attinent ad officium divinum, et quod exacte observentur sacri ritus et Ordinis caeremoniae, ac cuncta quae disponit nostrum manuale; quare omnia, quae circa chorum, altare, processiones, et alia ad officium et cultum divinum pertinentia, vicarius ordinaverit, executioni mandentur, nisi aliud minister disponat; est enim vicarius magister caeremoniarum.

VI. Curet etiam vicarius quod quilibet religiosus adimpleat ministerium in quod ab obedientia est destinatus; et ubi magister novitiorum seu professorum non fuerit, officia tabulae singulis hebdomadis vicarius distribuat.

V. Singulis dominicis diebus iuxta praeceptum regulae familiam sive famulos domus pro capacitate sua vicarius hortetur divertere a malo bonumque facere, eosque simpliciter moneat quid cre-

¹ Vel heic lege *triennium*, vel paulo ante legendum *biennium* pro *triennium* (R. T.).

dere aut agere debent pro salute animarum suarum et vita aeterna adipiscenda.

VI. In absentia ministri, quoad regimen conventus, praesideat vicarius, et in defectum istius, definitior antiquior praesens, et in definitiorum absentia, redemptor captivorum, et in istius absentia, procurator generalis, et isto deficiente, sacerdos antiquior in professione, quando minister iusta de causa sacerdotem minus antiquum non deputaverit; nullus autem ex praedictis aliquid innovet; si tamen minister absens fuerit ab oppido ubi est coenobium ultra viginti quatuor horas, poterunt praedicti tunc imponere praecepta, et accipere novitios ad habitum et professionem; adhuc tamen in isto casu vicarius non praecedat in sede definitores, nec isti ab illo socium petant ad exitum e domo.

VII. Quamvis in aliquo conventu vel collegio sit vicarius actu exereens suum officium, poterit pater provincialis, pro absentia ministri a domo sua, nominare et eligere praesidentem ubi et quando expedire viderit.

VIII. Quando aliquis praelatus superior deputaverit praesidem alicuius conventus seu collegii, duret eius officium, quamvis cessaverit officium superioris qui illum nominavit, usque ad possessionem ministri vel alterius novi praesidis; et idem intelligi volumus de praesidentibus (sive sint vicarii, sive alii) deputatis, tempore quo celebratur capitulum generale, pro conventibus sive collegiis quorum ministri sunt socii, vel pro aliis quibuscumque.

I. Praelati sunt pastores et patres subditorum, ideoque debent spiritualia pasce eis ministrare, ignorantes docendo, remissos fovendo, iacentes erigendo. Haec exerecere tenentur singulari amore et benevolentia erga omnes et singulos eorum. Quod ut aptius faci-

§ 12. De gaudio spirituali et paterno praelatorum.

liusque adimpleant, oportet ipsos agnoscere mores, conscientiam et vires uniuscuiusque, viam et profectum spirituales, orationem, virtutum in operibus si se exerceat, mortificationes quibus utitur, gratias quas a Deo accepit, et quid ex his et sacrae communionis frequentia utilitatis et fructus percipiat: hoc est enim pastorem perfecte cognoscere gregem suum.

ii. Expedi igitur quod hoc paternum regimen omni cura teneatur et diligentius observetur a maioribus superioribus. Quapropter pater generalis et definitores maximopere invigilare debent profectui subditorum, mittendo quandoque in totum Ordinem litteras pastorales et exhortationes ad maiorem observantiam et extinctionem abusus, si aliquis introducatur, et illius auctorem puniendo.

iii. Provincialibus utpote ordinariis visitatoribus specialibus¹ competit haec cura suorum subditorum. Quare in visitationibus observabunt quae dicta sunt § 7 huius cap., nec sibi satisfaciant cum correctione exteriori, sed hominem interiori dirigere praesertim curent: pro quo epistolas spirituales etiam mittant (quando illis expedire visum fuerit) per totam suam provinciam, et alias exhortatorias ad progressum et correctionem subditorum.

iv. Ministris conventualibus immediate hoc regimen incumbit, ab illis praecipue subditorum salus spiritualisque utilitas pendet, de qua in extremo iudicio strictissimam rationem reddent. Ideirco, ut suae obligationi satisfaciant, tenentur spiritualem illorum vitam exemplo suo alere et doctrinam suam perficere, illam omnibus et singulis pro uniuscuiusque statu et capacitate proponendo, et de quadrimestri in quadrimestre affabiliter cum unoquoque in particulari agendo et com-

¹ Forsan legendum *specialius* (R. T.).

municando omnia quae ad directionem animarum suarum spectant.

i. Definitorium generale eligat procuratores generales Curiae Romanae et Hispaniae religiosos virtuosos, zelatores, prudentes, in rebus gerendis industrios, quibus amplum mandatum et potestatem dabit pro occurrentibus negotiis tam totius Ordinis quam alicuius particularis conventus, et confestim ac electi fuerint, faciant iuramentum fidelitatis in manibus patris generalis vel alterius de eius commissione.

ii. Eorum officium duret per triennium, et vacent quando noviter electi possessionem acceperint; si tamen definitorio benevisum fuerit, poterit illos reeligere, commutare et officiis abdicare, sine obligatione reddendi causam cur hoc faciat¹, nisi sacrae Congregationi quando requirantur.

iii. Procuratores generales poterunt e domo exire semper, si negotia id exigant, socio assignato a praelato, et ab isto benedictione accepta. In quocumque conventu, ubi fuerint, conventuales sint cum voce, etc., et in actibus et functionibus communitatis, praesideant omnibus quos in sede praecedunt, etiam vicario, a quo, in absentia ministri, socium postulabunt, sed ab eo benedictionem non accipient, nisi forte vicarius sit simul praeses propter absentiam ministri ab oppido ultra vigintiquatuor horas, et nunquam se intromittant in regimen conventus, nisi quando competat praesidentia per absentiam ministri, vicarii, definitoris et redemptoris captivorum.

iv. Litteras eorum, quas scribunt et quas recipiunt, nullus praelatus aperire, videre, seu impedire audeat, excepto patre generali, cui dicti procuratores notitiam omnium negotiorum Ordinis

¹ Edit. Main. legit *faciant* (R. T.).

§ 13. De patribus procuratoribus generalibus et conventualibus ac de eorum officiis.

praestabunt, et praesertim procurator generalis Hispaniae id faciat singulis semestribus per librum, in quo cunctorum rationem scriptam habeat, et in absentia prioris generalis notitiam illam et rationem praebeat definitori antiquiori existenti in curia regia; et ante fines suorum officiorum uterque rationem accepti et expensi in executione eorum patri generali fideliter reddant.

v. Hortamur patres procuratores generales et etiam conventuales ut semper ac commode fieri possit per saeculares procuratores negocia expediri faciant, ut sic frequentes eorum egressus e conventu vitentur.

vi. Pater procurator generalis Curiae Romanae non valeat sine licentia capituli generalis impetrare a Sede Apostolica litteras pertinentes ad regimen universale Ordinis, nec favorem vel auxilium aliis ad id praestare: quod si aliquo modo et via ei constiterit aliquem religiosum id quomodocumque intendere, teneatur, sub praestito fidelitatis iuramento, patefacere definitorio, et in omnibus negotiis religionis servet semper institutionem vel dispositionem definitorii, et nihil absque eius licentia operetur.

vii. Quilibet religiosus, nisi fuerit definitor, per Romam petens, vel in Italia existens, subdatur ministro, et in eius absentia procuratori generali Curiae Romanae, et illi licentiam manifestet et causam viae suae declaret tamquam superiori, cui in omnibus obedire tenetur; quod si aliquis absque debita licentia illuc profectus fuerit, minister remittat in Hispaniam ad procuratorem generalem vel ad suum provincialem, nisi, attentis circumstantiis, videatur propter culpas in carcerem inicere, vel alio remedio uti.

viii. Pater procurator generalis Hispaniae

mae sit valde vigilans in expeditione negotiorum sibi a praelatis commissorum, quae quidem tenetur agere et expedire. At vero sine consensu patris provincialis nunquam saecularium negotia vel propria personalia vel alicuius particularis religiosi gerat; super difficultatibus autem, quae in executione sui officii occurrerint, consulat patrem generalem.

ix. Conventuales procuratores eligantur a conventibus seu collegiis, consulto et approbante patre provinciali. Officium procuratoris conventualis expiret transacto mense integro post acceptam a ministro denuo electo illius possessionem conventus et collegii quod mandatum procuratoris dedit; si vero patri provinciali et communitati visum fuerit, poterit reelegi cum licentia definitorii; quod quidem, antequam illam concedat, notitiam curet habere de moribus dicti procuratoris et a¹ sedulitate in executione sui officii. Totum autem in hac constitutione expressum quoad procuratores conventuales, prorsus et in omnibus intelligi volumus de administratoribus quorumcumque facultatum seu bonorum cuiuscumque conventus et collegii.

x. Procuratores conventuales in civitatibus seu oppidis ubi sunt cancellariae, regiaque consilia seu audientiae, teneantur suscipere, gerere et expedire lites et negotia Ordinis ad dicta regia fora concurrentia, et patres ministri huiusmodi conventuum non occupent suos procuratores itaut praedicta Ordinis negotia agere non valeant.

xi. Procuratores omnes conventuales et administratores bonorum et facultatum cuiuslibet conventus seu collegii, singulis quadrimestribus rationem reddant suis ministris et consiliariis de executione suorum officiorum, et de acceptis et expensis pro eorum expeditione.

¹ Praeposit. a redundat (R. T.).

In quem effectum sit liber in arcà trium clavium, in quo dictae rationes scribantur, et debita pro et contra conventum, cum annotatione diei, mensis et anni, personarum a quibus et finem¹ in quem contracta sunt; et librum istum, quando et sicut ceteros monasterii, visitet provincialis, et procuratorem vel administratorem non reddentes rationem amoveat ab officio, reddentem vero, sed non fideliter, arbitrato suo puniat.

§ 14. De sigillis in Ordine nostro utentibus.

i. Pater generalis habeat tria sigilla. Primum magnum ad signandum negotia gravia, secundum medioere ad ordinaria, et tertium parvum pro litteris. In primo sculpta sit imago SS. Trinitatis, et in circuitu verba ista: *Signum primitivum Discalceatorum SS. Trinitatis et Captivorum*. In duobus aliis incisum sit scutum Ordinis, et in circuitu verba haec: *Pater minister generalis*.

ii. Definitorium generale habeat etiam suum sigillum, in quo incisum sit Ordinis scutum cum inscriptione istà per circuitum: *Definitorium generale Discalceatorum SS. Trinitatis et Captivorum*. Cum hoc autem signabuntur negotia quae pater generalis nomine definitorii expedierit, addendo etiam in illorum corpore: *De consensu nostri definitorii generalis*; per haec enim verba et sigillum distinguenda sunt negotia definitorii ab expeditis a patre generali solo.

iii. Singuli patres definitores singula habeant sigilla parva pro epistolis suis, et in illis sit scutum Ordinis et inscriptio haec: *Definitor generalis*.

iv. Quilibet provincialis duo habeat sigilla; unum medioere, et alterum parvum. In utroque sculptum sit Ordinis scutum, et per circuitum in maiore verba ista: *Provincia Spiritus Sancti*, vel alterius titulus, si altera fuerit provincia; in minore vero *Provincialis pro-*

¹ Aptius lege *finis* (n. r.).

vinciae Spiritus Sancti (verbi gratià), et sic de ceteris.

v. Quilibet etiam minister conventualis habeat sigillum parvum pro epistolis et negotiis occurrentibus, et in illo scutum sit Ordinis, et per circuitum titulus sui conventus vel collegii, verbi gratià, *Minister conventus Matritensis*.

vi. Visitatores delegati habeant etiam sigillum cum scuto Ordinis et istà inscriptione *Visitor generalis*, vel, *Visitor provincialis*, sigilla autem ista sint penes patrem generalem et provincialem respective, ut ea suo tempore tradant visitoribus ab eis delegatis, qui et finitã suã commissione reddent illa delegantibus.

vii. Insuper patres redemptores captivorum et procuratores generales pro negotiis et epistolis sigilla habeant parva cum scuto Ordinis insculpto et inscriptione per gyrum *Redemptor Captivorum*, vel, *Procurator generalis*.

viii. Praecipimus quod nullatenus excedatur a disposito in hac §, nec ullus alius extra praedictos (cuiuscumque status vel conditionis sit) sigillo utatur, sub poenã gravis culpae.

REGULAE CAPUT XLI. — Postquam vero definitores generales, etc.

Caput XLI. — De visitatione et depositione praetorum.

i. Pater generalis, finito capitulo generali intermedio in quo eius officium non expirat, statim post confirmationem electionum visitetur per definitores noviter electos, et quatuor vel quinque ministros, quos disponit nostra regula; pro quo definitor primus, et isto absente secundus, imponat praeceptum omnibus capitularibus, ut intra viginti quatuor horas coram ipso definitore solo, qui imposuit praeceptum, manifestent si quid animadverterunt seu notarunt in

§ 1. De formã visitandi patrem generalem et definitores.

patre generali erga eius mores, regimen, observantiam nostrae regulae et constitutionum, ac sui officii executionem. Quod si aliquae culpae apparuerint, praedictus definitor convocet ceteros definitores ac ministros, et ab ipsis iudicetur, et proportionata applicetur poenitentia. Si vero, ex depositionibus factis a capitularibus vel ab aliis religiosis per epistolas, expedire videatur eis maiorem facere culparum inquisitionem, praecipimus dictis definitoribus et ministris in virtute sanctae obedientiae, ut, intra tres menses post celebratum capitulum generale, omni secreto et diligentia fiat dicta inquisitio vel ab ipsis definitoribus et ministris a provincialibus, vel ab aliis religiosis idoneis deputatis ab ipsis iudicibus. Causa autem conclusa, sententiam proferant recte et prudenter, et nullo respectu omittatur quaelibet diligentia necessaria et conveniens.

ii. Quando in capitulo generali novus eligatur generalis, statim ac confirmentur electiones, praeteritus generalis, qui in illo capitulo expiravit, visitetur eodem modo, dumtaxat tamen per novum definitorium.

iii. Definitores, qui expirarunt, visitentur etiam, finito capitulo generali ipso, per novum definitorium; inquisitio autem solum fiat circa executionem suorum officiorum. Circa mores enim visitatio et inquisitio reservatur patri generali, qui ante praedictum capitulum illam tenetur facere, et simul cum definitorio iudicare, quando in aliquo ex definitoribus culpa alicuius ponderis apparuit.

iv. Si quis religiosus habuerit aliquid contra patrem generalem vel definitores, id manifestet illorum visitoribus respective, certiores illos faciendo, vel per litteras, vel per provincialem, vel socium, vel alio convenienti medio.

i. Quando ante capitulum generale patres provinciales non fuerint visitati a patre generali vel ab alio de eius commissione, visitentur a successoribus in prima visitatione suorum conventuum et collegiorum, imponendo praeceptum ut omnes declarent si quid in eis adverterunt seu notarunt circa vitam et mores ac suorum officiorum executionem; quod si opus fuerit, informationem faciant prudenter et secreto, et audito praedecessore; finitaque, perfecta et conclusa praedicta causa, qui fecit mittat illam ad definitorium ut sententiam ferat.

ii. Insuper si forte aliquis provincialis defecerit in observantia et bonis moribus, ac sui officii executione, vel remissus fuerit in rebus gravibus, quando hoc constiterit patri generali vel definitorio, mittant religiosus qui visitet eum, et iste, causa perfecta, tradat vel mittat illam definitorio, ut de opportuno remedio provideat.

i. Definitores excessus patris generalis seorsum corrigant et emendent, qui coram ipsis humiliter se prosternens veniam petat, et stans de suis excessibus se accusat; quod si praevicator Ordinis fuerit aut contemptor, aut adeo negligens et remissus ut Ordinis dissolutionem et visitationem inducat, moneatur a definitoribus ut officio generalatus cedat; alioquin eum deponendi liberam habent facultatem.

ii. Reliqui autem officiales amoveantur a suo officio si commiserint peccatum aliquod contra tria vota essentialia et quartum non ambiendi, vel manifeste de ipsis fuerint vehementer suspecti. Item si aliis negotiis dediti non adimpleant suum munus, si ter moniti negotia non relinquunt, vel si inutiles aut ita negligentes fuerint ad gubernandum et se-

1 Potius lege ut pro et (u. r.).

§ 2. De forma visitandi patres provinciales.

§ 3. De causis propter quas praefati debent deponi.

quatur grave detrimentum regulari observantiae, vel si iniis, publicationibus, fraudibus, aut alio simili modo procurerent alteri officium intra vel extra religionem, aut si accipiant pecunias vel rem pretiosam ad hoc ut faciant vel expediant aliquid quod ratione officii expedire tenentur; ceterum tam contra patrem generalem, quam contra alios praelatos et officiales ad certum tempus canonice electos, definitores ad sententiam depositionis minime procedant, nisi prius ex actis legitime constet respective de causis superius expressis, vel aliis quae ex canonicis sanctionibus et nostris constitutionibus ad depositionem requiruntur.

REGULAE CAPUT XLII. — **Si quis huius Ordinis frater esse voluerit, etc.**

Caput XLII. — *De novitiatibus, receptione, educatione et approbatione novitorum.*

§ 1. De conventibus in quibus educandi sunt novitii.

I. Pater generalis, cum consensu provincialis, in qualibet provinciâ designet domos novitorum necessarias pro educatione novitorum; et semper sint segregatae a frequentia et concursu saecularium, et semel designatae non relinquuntur sine gravi causâ. Ministri autem dictarum domorum prudentes sint et observantes, et qui iam fuerint (si fieri possit) magistri novitorum vel professorum.

II. Similiter pater generalis eligat magistrum novitorum cum consilio provincialis pro cuius provinciâ eligatur, et sit persona spiritualis, prudens, docta et potens viribus ad rigorem vitae communis sustinendum.

III. Superiores curent quod religiosi conventuales novitiatum sint valde observantes et exemplares.

IV. Omnes novitii statim ac sanctum nostrae religionis habitum susceperint, deducantur ad novitiatum sub poenâ

gravis culpae infligendâ superiori qui illos detinuerit.

I. Non admittantur ad nostrum habitum qui infirmitatem contagiosam habeant, nec qui sit vel fuerit mancipium, nec qui saeculari veste indutus nostrum habitum petierit, si fuerit professus (sive valide sive invalide) in aliâ quacunque religione vel congregatione nostri Ordinis, verbi gratiâ in patribus nostris Caleccatis, aut etiam in Discalceatis vel Reformatis eiusdem Ordinis non subditis nostrae iurisdictioni; nec etiam admittatur neophytus, nec qui descenderit per lineam rectam (in quolibet gradu) a iudaicis, haereticis, mauris vel mauriticis, nec ullus, cuius praedecessores per lineam etiam rectam, ac in quolibet etiam gradu, ob haeresis, vel iudaismi, vel sectae mahometanae crimina puniti fuerit ab haereticae pravitatis inquisitoribus. Quod si aliquis ex dictis in hac constitutione, celans aliquod ex praenarratis impedimentis, professionem haberit apud nos, statim ac detegatur tale impedimentum, eiiciatur, quia religio non praestat suum consensum ad talem professionem. Quapropter omnes in publico coram communitate moneantur ante receptionem habitus, et etiam ante professionem, quod si habent aliquod ex impedimentis in hoc numero enarratis, professio (etiamsi fiat) invalida et nulla est, quamvis pluribus annis in religione sint. Admonemus tamen ad praedictam eiectionem professi procedi non posse nisi infra quinquennium a die professionis, et deductis causis coram superiore suo et Ordinario, ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, quod ex sententiâ sacrae Congregationis vindicat sibi locum non modo quando subditus vult deducere causas nullitatis suae professionis, sed etiam quando superior vult illum eiicere tanquam nulliter professum.

§ 2. De personis non admittendis ad sanctum nostrum habitum.

II. Praeterea non admittantur religioni professi aliorum Ordinum, religionum, congregationum vel societatum, absque licentiâ capituli generalis, concurrentibus duabus partibus ex tribus suffragiorum vocalium, et eam non concedat quin prius perpendat privilegia dictorum Ordinum et causam transitus, et concurrant alia requisita sacrorum canonum.

III. Insuper nec recipiatur ad chorum, qui non habeat aetatis quindecim annos; nec ad statum laici, qui non habuerit viginti, vel qui excesserit trigessimum quintum annum, nec aliquis eunuchus, nec uxoratus, si uxor maneat in saeculo, nec irretitus aliquâ irregularitate, quae difficiliter dispensari possit, nec habentes notabilem deformitatem, nec religiosus professus apud patres nostros Calceatos, vel apud aliam nostri Ordinis Congregationem, nec aliquis ex comprehensis in interrogatorio pro informationibus novitiorum infraposito § sequenti. Nullus ex praedictis in hoc num. III recipiatur absque licentiâ definitorii generalis, et in casibus in quibus illam concedere potest iuxta ius commune et nostras constitutiones, et nunquam illam concedat, ut iterum recipiatur, qui fuit antea novitius nostrae religionis vel alterius, sine praevio examine causae sui egressus. Volumus tamen quod si aliquis ex dictis et prohibitis in his duobus numeris nempe II et III huius § habitum receperit et professionem fecerit sine licentiâ et facultate requisitâ et expressâ in praedictis duobus numeris, talis professio sit firma et valida, dum non sit ex comprehensis num. I.

IV. Denique praecipimus, quod nulla femina admittatur ad nostrum habitum, ut fiat nostri Ordinis mantellata, seu tertiaria, vulgo *beata*, absque licentiâ patris generalis, nec permittatur sine

eâdem licentiâ quod emittat votum in manibus alicuius praelati ex nostris, vel alterius religiosi, sub poenâ privationis officii praelati¹ et vocis et loci per triennium subdito contravenienti.

I. Antequam ad nostrum sanctum habitum quisquam admittatur, religiosus designatus a patre provinciali faciat ex commissione ipsius informationem iuridicam et plenariam de genere, moribus et vitâ, iuxta Bullas Summorum Pontificum, recipiendo iuramenta a testibus, factaque illa² per sequens interrogatorium.

§ 3. De formâ faciendi informationes pro admittendo ad nostrum habitum.

II. Primo, interroget si testis est propinquus, si est habilis secundum ius ad testificandum, si movetur amicitia, vel odio, vel zelo iustitiae, vel si comprehensus invenitur sub aliqua ex generalibus interrogationibus, vel quare moveatur ad deponendum, et quot aetatis annos habeat.

III. Secundo, si cognovit illum qui praetendit nostrum habitum, et eius parentes, avos et ascendentes, et a quanto tempore illos cognoscit.

IV. Tertio, si scit dictum praetendentem descendere a iudaeis, haereticis, mauris et mauriticis, vel a poenitentibus per tribunal S. Inquisitionis ob crimen haeresis, vel iudaismi, vel sectae mahometanae, vel si audivit aliquem ex parentibus seu ascendentibus eius habere aliquem ex praedictis defectibus.

V. Quarto, si scit praetendentem esse neophytum, seu noviter conversum ad fidem, vel aliquid erga hoc audivit.

VI. Quinto, si scit quod dictus praetendens, parentes eius vel avi sint notati aliqua infamia.

VII. Sexto, si scit quod sit filius legitimus, ac ex legitimo matrimonio, et uti talis iudicatus et repntatus.

¹ Potius lege *praelato* (R. T.).

² Legerem *faciatque illam* (R. T.).

viii. Septimo, si scit quod sit liber, idest quod non sit nec fuerit servus seu mancipium.

ix. Octavo, si scit quod dictus praetendens non sit ligatus vinculo matrimonii vel fide sponsalium, itaut de sua personâ disponere non possit.

x. Nono, si scit quod habeat aliquam infirmitatem contagiosam.

xi. Decimo, si scit quod habeat aliqua debita quae solvere non possit, vel si teneatur reddere rationem ex qua ipsi vel Ordini nostro aliqua vis seu molestia subsequi valeat.

xii. Undecimo, si scit quod praetendens fuerit novitius vel professus in nostrâ religione vel in aliquo quocumque Ordine, congregatione seu societate, etiam in nostris patribus Calceatis vel in Discalceatis seu Reformatis nostri Ordinis non subiectis nostrae iurisdictioni.

xiii. Duodecimo, si scit quod praetendens et petit et accipere vult habitum sponte et proprio affectu ac voluntate allectus, non vi, metu, fraude, aut alio humano respectu.

xiv. Decimotertio, si scit quod parentes praetendentis sint pauperes, itaut ad sustentationem suam indigeant adiutorio illius, vel religionis si recipiatur ad eam.

xv. Decimoquarto, si scit verum esse omne quod deponit, itaut si aliquid esset in contrarium sciret vel audivisset.

xvi. Si in aliquâ regione vel provinciâ opus fuerit strictioribus aliquibus interrogationibus, superiores illas apponant in interrogatorio, et informantes adimpleant.

xvii. Insuper stricte praecipimus quod quilibet informans, sub poenâ gravis cul-pae, per dies proferat fidem baptismi praetendentis, et illam inserat infor-mationi, ut de baptismo et aetate constet, inseribatque in libro in quo eius recep-tio et professio scribenda est; praela-

tus autem, qui non fecerit testimonium baptismi scribi in libro, et qui aliquem ad professionem admiserit sine dictâ baptismi fide, severe puniatur.

xviii. Factâ informatione et clausâ, ipse informans curet illam quamprimum tradere patri ministro conventus vel collegii in quo praetendens habitu nostro indutus est; et dictus minister ac consiliarii et magister novitiorum vel profes-sorum, vel, si ibi minister non est, vica-rius, omnes itaque simul videant infor-mationem et approbent vel reprobent, et rationem fideliter reddant capitulo conventuali de contentis in eâ; et one-ramus conscientias examinatorum dictae informationis et religiosorum capitula-rium super secreto.

xix. Si informatio fieri commode non possit antequam praetendens accipiat habitum, saltem superior conventus vel collegii, vel eius nomine alius¹ religiosus ab ipso deputatus, coram examinatoribus destinatis pro informationibus videndis clare et distincte legat interrogatorium praetendentis, et per ipsum singillatim interroget, accepto ab eodem iuramento de veritate dicendâ, et an comprehenda-tur in aliquo ex ibi contentis, et postea, quamprimum possibile sit, fiat informa-tio iuridica et plenaria, quam approbent vel reprobent minister, consiliarii et no-vitiorum magister.

i. Quicumque recipiendus ad habitum nostrum, examinetur prius de suâ voca-tione a praelato vel ab aliquo religioso experto ab ipso designato, et animad-vertat si est bonae indolis, et docilis et virium sufficientium ad portandas reli-gionis austeritates.

ii. Ad chorum non recipitur nisi qui latinitatem sufficienter calleat ad alias scientias addiscendas; quod ut constet,

¹ Edit. Main. legit *alias* (n. r.).

pater minister, si voluerit, et quatuor religiosi deputati a patre provinciali, vel aliquo ex istis deficiente, alius loco eius designatus a ministro, examinent praetendentem, et per maiorem partem suffragiorum secretorum declaretur eius sufficientia; liceat tamen patri generali iustâ de causâ aliquid in defectu grammaticae supplere, maxime quando praetendens ingenii acumine pollet.

III. Post haec, visâ et approbatâ informatione iuridicâ vel recepto iuramento, ut dictum manet § antecedente, proponatur capitulo conventuali, cui competit receptio, et fideliter illi significantur dotēs praetendentis, et solum recipiatur qui maiorem partem suffragiorum capituli conventualis habuerit.

IV. Nullus ad chorum recipiatur absque licentiâ in scriptis patris provincialis, nec fratres laici sine licentiâ procuratoris generalis, quam concedit consulto prius patre provinciali illius provinciae ubi est domus in qua recipiendi sunt, et si gaudeant integrâ valetudine et viribus ad laborem corporalem, in quo ratione sui status versari et exerceri debent; ideoque ante receptionem capiatur experientia per aliquot dies de perseverantiâ in vocatione, et de salute ac viribus; nec plures laici admittantur, nisi quot prudenter iudicaverint superiores necessarios esse pro servitio religionis.

V. Laici perpetuo conservent nomen, statum et ministerium laicorum, nec ullo tempore ad clericalem statum admittantur. Et superiores contrafacientes, privationis officiorum et vocis activae et passivae poenam incurrant, prout statuit in motuproprio Ordini nostro concessio felicis recordationis Paulus PP. V die XVII augusti MDCXI, incipiente *Circumspecta Sedis Apostolicae, etc.*; nec illis unquam concedatur corona, nec littera-

rum studia, sub poenâ privationis officii et vocis activae et passivae per sexennium superiori contravenienti.

VI. Ad habitum donati seu oblati nullus recipiatur sine approbatione capituli conventualis, et obtentâ licentiâ patris provincialis; et qui recipiendi sunt, habeant aetatis saltem viginti annos et amplius, et non excedant trigesimum secundum, polleantque integrâ salute et viribus ad laborem corporalem in quo sunt exercendi; semel autem recepti non expellantur sine consensu patris ministri et consiliariorum. De eorum educatione curet pater vicarius conventus vel collegii, et nunquam permittantur e domo exire ante expletum quadrimestre post eorum receptionem ad habitum. Praedicti non utantur lineis nec calceamentis. Concurrant ad orationem mentalem, ad matutinum cantatum, ad flagellationem et communionem communitatis, et ad exhortationem spiritualem, quae dominicis diebus fieri solet, ubi eorum defectus ante religiosorum culpas a zelatore vel praeside advertantur ac corrigantur, et statim a capitulo exeant; officia tabulae illis, sicut et laicis, singulis hebdomadis distribuantur; et cum obierint, funeralia et officia fiant pro eis, sicut et pro novitiis.

I. Patres ministri domorum novitiatus nihil pertinens ad novitios vel ipsorum directionem iubeant vel disponant inconsulto magistro illorum.

II. Religiosi conventuales novitiatuum non loquantur cum novitiis, sub poenâ gravis culpae, nec audeant illos reprehendere; si vero aliquem defectum in novitio aliquo viderint, dicant praelato vel magistro, vel in capitulo culpam admadvertant.

III. Novitiis nunquam iniungantur officia, nec imponantur occupationes, quae occasionem illis praebent tractandi

§ 5. De educatione novitorum.

cum saecularibus, nec permittatur quod visitentur adhuc a parentibus et cognatis, nisi in casu raro, consentiente et praesente magistro.

§ 6 De approbationibus novitiorum.

I. In anno approbationis, novitii ter proponantur capitulo conventuali, ut iudicet, an, attentis eorum vitâ et moribus, digni sint ut ad professionem admittantur; ad quam nullus frater laicus approbetur nec recipiatur, qui aliqua ex officiis propriis sui status et ministerii recte non didicerit. Post quartum mensem a receptione habitus, proponantur primâ vice a capitulo, secundâ post octavum, tertiâ post decimum mensem.

II. Ut novitius censeatur approbatus debet habere maiorem partem suffragiorum secretorum capituli conventualis, quod si eam non habuerit, statim habitu spoliatur et modeste dimittatur. At semel approbatus a capitulo, habitu non spoliatur nisi de consensu ipsius capituli conventualis, vel saltem consentientibus et convenientibus ministro et magistro et patre generali vel provinciali; quod si ad neutrum ex his duobus facilis sit recursus, suppleat illius defectum consensus duorum religiosorum iam antea ad hunc effectum deputatorum a patre provinciali.

III. Oneramus conscientias conventualium cuiuscumque novitatus, ut in approbationibus novitiorum, utpote cum sit magni ponderis res, singulari prudentiâ et religionis zelo se gerant, seclusâ omni affectione et humano respectu.

IV. Bona actualiter novitiorum, etiam ipsis consentientibus et petentibus, non distribuuntur adhuc inter pauperes nec alio modo consumantur, et praelatus, qui aliter fieri permiserit, poenâ culpae gravis per tres dies puniatur.

1 Praeposit. a forsan delenda (R. T.).

REGULAE CAPUT XLIII. — **Ad professionem vero aliquis non recipiatur, etc.**

CAPUT XLIII. — *De professione novitiorum, de repetitione¹ illius per professos, de recenter professis, et eorum domibus ac bonis.*

1. Peracto integro probationis anno, novitius cum licentiâ patris provincialis admittatur ad professionem, quam faciat iuxta regulas et constitutiones nostrae sacrae religionis, tenore sequenti:

« Ego frater N. de N. facio meam professionem, et promitto obedientiam, castitatem et paupertatem SS. Trinitati et Beatae Virgini Mariae, et sanctis patribus nostris Ioanni et Felici, necnon et nostro reverendo patri fratri N. de N. ministro generali, aliisque meis superioribus Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, eorumque successoribus, secundum regulam primitivam dicti Ordinis a felicis recordationis domino nostro Papa Innocentio III stabilitam, et a pia memoriae domino Papa Urbano VIII ad perfectiorem formam redactam, et secundum constitutiones eiusdem Ordinis sine mitigatione usque ad mortem ».

II. Continuo, destinati ad chorum emittant quartum votum non ambiendi, iuxta Breve felicis recordationis Pauli Papae V expeditum die x februarii anno MDCX incipiens *Quae piae et sanctae*: illud faciant sequenti formâ:

« Praeterea promitto, me, directe vel indirecte, per me aut per alios, intra nostram Congregationem, praelationem aliquam, aut officium per constitutiones praetendi prohibitum, mihi nunquam praetensurum; et pariter iuxta² nostram Congregationem, neque directe neque indirecte, per me aut per alios, ullam praelationem praetensurum, vel obla-

1 Male edit. Main. legit *receptione pro repetitione* (R. T.).

2 Forsan legendum *intra* pro *iuxta* (R. T.).

§ 1 De professione novitiorum ac de repetitione illius per professos.

Formula trium votorum essentialium.

Formula voti non ambiendi pro clericis.

tam accepturum, nisi praecepto eius, qui mihi praecipere poterit, adstringar ».

iii. Fratres laici (quando faciunt professionem, quam vulgari linguâ facere debent), post emissionem trium essentialium votorum, continuo emittant quartum non transeundi ad statum clericalem, nec sacros ordines suscipiendi, iuxta praeceptum felicis recordationis Alexandri VIII per suas litteras in formâ Brevis, expeditas die XIII ianuarii anno MDCLXIII, incipientes *Pastoralis officii, etc.*, fiatque sequenti modo et linguâ etiam vulgari:

Formula
quarti voti non
transeundi ad
statum clericalem
pro laicis.

« Praeterea promitto me nunquam transitorum ad statum clericalem, recipiendo primam tonsuram, nec receptorum ordines maiores vel minores, videlicet ostiarii, lectoris, exorcistae, acolythi, subdiaconi, diaconi et presbyteri, praetensurum omnes nec quemlibet in particulari, nec etiam praetensurum directe vel indirecte dictum transitum, vel receptionem dictorum ordinum omnium vel cuiuslibet in particulari ».

iii. Professio facta, scribatur in libro professionum, notando quod fuit facta, praevisâ et approbatâ informatione iuridicâ de genere, moribus et vitâ, iuxta tamen Bullarium Summorum Pontificum et nostrarum constitutionum, et subscribatur a religioso qui professionem fecit, a praelato domus, a magistro novitiorum et ab aliis duobus religiosis, qui praesentes professioni fuerunt, et ab illo etiam, in cuius manibus illam fecit profitens, si forte distinctus fuit a praelato, et confestim informatio igne comburatur.

v. Insuper omnes et singuli nostri religiosi professi, tam ad chorum destinati, quam laici, tam praelati quam subditi, semel et singulis annis in die assignato a definitorio generali repetant et denuo confirment suam professionem, unoquo-

que iterum singillatim faciente et renovante quatuor vota quae primo in suâ professione emisit, iuxta formam praescriptam in hac §, omnesque illam repetant coram communitate in manibus praelati seu praesidis communitatis ipsius, et ante omnes ipse praeses coram ipsâ communitate. Initio vero formam supra positam mutant verbum *Facio*, in verbum *Repeto*, et pater generalis, loco verborum ad ipsum attinentium, in eadem formâ dicat: *Necnon sanctorum domino nostro Papae N., eiusque et beati Petri Apostoli legitimis successoribus.* Quod si aliquis propter infirmitatem aliamve legitimam causam assistere non valuit functioni isti, repetat professionem quamprimum possit coram communitate etiam.

i. In qualibet provinciâ sit una, vel duae domus, ubi recenter professi cum suo magistro in habitatione separatâ et clausâ vivant, et perseverent, saltem per triennium post professionem vel quousque ad aetatem sacris ordinibus sufficientem pervenerint, in spiritualibus exercitiis, quibus instructi fuerunt in anno probationis; interea vero etiam studiis litterarum operam dare possint et debeant iuxta praescriptum decretorum sanctae memoriae Clementis VIII.

ii. Cum magistro professorum, quoad eius assignationem et reliqua omnia, observetur totum quod in diversis partibus harum constitutionum dictum expressumque manet de magistro novitiorum, et quod ministri nihil disponant erga professos inconsulto dicto ministro.

iii. Dicti recenter professi destinati ad chorum, donec annum professionis adimpleverint, non exeant ad oppidum nec aliorum nisi cum communitate, nec propriam patriam adeant (nisi ibi conventus sit, et pro conventualibus eiusdem designentur) donec sacerdotes sint,

§ 2. De recenter professis et eorum domibus.

postquam autem a dietâ habitatione separata et clausâ recenter professorum exierint, quousque sacerdotio initientur, disciplinae vicarii subiaceant, praeterquam collegio artium ubi sunt magistri.

iv. Si quis iam sacerdos nostrum habitum accipiat, sub institutione magistri sit etiam per integrum annum post professionem, et non amplius, nec a domo egrediatur, nisi post expletum dictum annum, nec in propriam patriam pergat, donec quatuor annos post professionem expleverit, nisi ibi sit conventus noster et pro conventuali in eum adeat.

v. Fratres laici similiter sub disciplinâ magistri recenter professorum sint primo anno post professionem, et insuper duobus aliis annis sub ipsius magistri, vel, ubi iste non sit, sub vicarii institutione, nec primo dicto anno e conventu exeant nisi in communione, nec in patriam pergant nisi post quatuor annos transactos a professione, vel nisi in eâ sit conventus Ordinis et pro conventualibus mittantur.

i. Decernimus quod dona illorum, qui in nostrâ religione profitentur, dividantur, et medietas detur conventui in quo professionem fecit, et altera medietas sit collegii in quo recepit habitum, vel a quo directus et missus fuit ut habitum reciperet: quod si non fuit in aliquo collegio receptus, nec ab eo directus sive missus, talis bonorum medietas deserviat pro expensis a definitorio designandis: si vero aliter factum fuerit, declaramus deberi in conscientia reddi ac restitui dicto collegio vel definitorio. Hoc autem tantum intelligatur, quando noster professus non fecit testamentum ante professionem in favorem alicuius personae extra nostrum Ordinem: si enim fecit, eius ultima voluntas adimpleatur.

ii. In exigendis nobis¹, per fratres in nostrâ religione professos relictis nobis, vel ad nos pertinentibus, maxima servetur charitas, ac prae oculis habeatur indigentia et qualitas fratrum et sororum religiosi, et specialiter hoc observetur cum eius patre vel matre, quando per mortem alterutrius hereditas obvenit nobis; tunc enim (si charitas exigit) volumus ne talium bonorum fructus excipiantur vel petantur, donec alter superstes moriatur.

Hucusque Constitutiones.

§ 3. Quare praefatus Didacus procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit ut constitutiones huiusmodi apostolicae confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolica dignaremur.

§ 4. Nos igitur, ipsius Didaci procuratoris generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas constitutiones praeinsertas, et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, si qui in praemissis principaliter

Preces dicti procuratoris generalis.

Pontifex dictas constitutiones approbat et confirmat.

§ 3. De donis et hereditatibus profitentium et professorum.

¹ Legendum *bonis pro nobis* (R. T.).

vel accessorie aut aliàs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censi vel praetendi possent, penitus et omnino supplemus et sanamus.

Decretum pro observantia.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras et constitutiones praecursas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiendum esse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis latissime derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, seu quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis et litteris apostolicis etiam Congregationi et Ordini praedictis, illorumque superioribus fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clau-

sulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, seu aliis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficiente derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.


Files transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 iulii MDCLXXVI, pontificatus nostri anno VII.

I. G. SLUSIUS.

Dat. die 1 iulii 1676, pontif. anno VII.

Registrata in Secretariâ Brevium, in libro mensis iulii, part. II, fol. 152.



INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT, *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Abbas generalis Congregationis Vallisumbrosae potest deferre mozzettam, mantellettam, pileum et biretum praelatitium etiam coram Pontifice, 259 *a* et *seq.*

Abbates canonici regulares S. Salvatoris ordinis S. Augustini ab earumdem abbatiarum regimine per sexennium vel per triennium vacent, 605 *a* et *b.*

Abbates Cistercienses Hispani a sex electoribus, totidem definatoribus et generali reformatore eliguntur, 293 *a* et *b*; praedicti, si intra triennium abbatia vacavit, infra duos dies eliguntur a monachis conventualibus, aliàs a reformatore generali, 293 *b*; 294 *a*; praefati in capitulis faciunt eam partem in paritate suffragiorum praevalere, cui adhaeserint, 345 *b* et *seq.*; abbatum et monachorum Cisterciensium in Hispania reformator generalis est abbas de Palazuolos, 162 *a* et *b*; *vide* Monachi Cistercienses.

Abbates praefatae Congregationis, ut ad alternationes admittantur, sint quadraginta annis maiores, nec consanguinei in primo vel secundo gradu abbatum alternationes facientium, 234 *b* et *seq.*; insuper debent fuisse officiales in monasteriis, in quibus saltem viginti monachi resident, 235 *a*; huiusmodi alternationes in praeiudicium officialium monasterii Montis Oliveti maioris non admittuntur; *vide* Olivetanorum Congregatio.

Abbates titulares Cassinenses tam in regressu quam egressu tenentur se praesentare abbati regiminis, 525 *a*; iidem tenentur adire refectorium et chorum sicut

- ceteri monachi, *ibid.*; eorum privilegia et onera, quae a Pontifice confirmantur, *ibid.*; titulares in praefata Congregatione Cassinensi qui possunt eligi, 580 *a* et *seq.*; *vide* Cassinensium Congregatio.
- Abbatas titulares in Congregatione Montis Oliveti suppressi fuerunt ab Urbano VIII, 67 *a*; iterum restituantur cum quibusdam limitationibus a Clemente X, 67 *b*, et 168 *b*; *vide* Olivetanorum Congregatio.
- Abbreviatores litterarum apostolicarum maioris praesidentiae quibus privilegiis fuerint ab Urbano VIII donati, 102 *a*; abbreviatores praedicti post quinquennium possunt transferre pensiones usque ad summam centum ducatorum auri de camera, item gestare habitum praelatitium violacei coloris, etc., 103 *a*.
- Absolvere non possunt regulares per *more magnum* et quaecumque privilegia a casibus episcopo reservatis, 58 *a*; absolvi possunt nonnulli familiares Papae per confessarium eligendum a quibusvis poenis ecclesiasticis etiam in Bulla Coenae contentis semel tantum in vita et mortis articulo, excepta percussione episcopi vel alterius superioris praelati, in aliis autem casibus semel in anno, 91 *a*; absolvere a casibus in Bulla Coenae contentis aliter quam forma ibi tradita nemo potest, et contrafacientes excommunicantur, 181 *a*; absolvendi a casibus Apostolicae Sedi reservatis indulta extra Urbem iubilaei anno suspenduntur, 480 *b*; absolvuntur nonnulli canonici ecclesiae Bisuntinae a censuris ob electionem decani contra Alexandrum VII mandata, 511 *b* et *seq.*; 575 *b* et *seq.*
- Academia S. Lucae pictorum sculptorum et architectorum de Urbe, 62 *b*.
- Adducentes necessaria ad Romanam Curiam qui impediunt, excommunicantur, 177 *a* et *b*.
- Advocare et procurare possunt cappellani Pontificis, licet sint presbyteri, in ecclesiasticis tamen et civilibus causis, 118 *a*.
- Advocatos, procuratores, agentes ad Romanam Curiam recurrentium qui percutiunt, excommunicantur, 177 *b*.
- Æmilii de Alteriis, *vide* Clemens X.
- Alcantara (de) Petrus, *vide* Petrus (S.) de Alcantara.
- Alienandi certa bona immobilia facultatem dedit canonicis regularibus Lateranensibus Paulus V et Alexander VII, 331 *b*; confirmat Clemens X, 334 *a*.
- Aloysia Maria dum vixit Portugalliae regina pro eximia sua pietate et singulari erga Ordinem S. Agustini devotione monasterium monialium Discalceatarum eiusdem Ordinis in valle de Xabregas prope muros civitatis Ulyssiponensis fundavit, 536 *a*; item pro earum directione conventum fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis fundare cupiebat, *ibid.* et *seq.*
- Aloysius cardinalis Cornelius olim S. R. E. camerarius, 383 *b*; ipsius decretum refertur, *ibid.*
- Alphonsus de Marco procurator generalis provinciarum Hispaniae et Indiarum Societatis Iesu, 328 *b*.
- Alteriis (de) Æmilii, *vide* Clemens X.
- Alternationes abbatum in Congregatione Montis Oliveti, *vide* Abbates.
- Alumni et convictores collegii Germanici in Urbe tenentur iurare se, expletis studiis, statim in Germaniam reversuros, 358 *b*; alumnos inter et convictores eiusdem

- collegii admitti non possunt qui non sint nati et educati in provinciis in Bulla expressis, 543 *b* et *seq.*; alumnos inter et convictores in collegiis Graecorum, Maronitarum, Scotorum, Hibernorum et Anglorum aequalitas omni-modi praescribitur, 590 *a* et *seq.*
- Ambitus Theatinis sub gravibus poenis prohibetur a Gregorio XV, 27 *a*; confirmatur a Clemente X, *ibid.*; ambitum monachis Cassinensibus sub quibus poenis vetuit Gregorius XIII et Urbanus VIII, refert et confirmat Clemens X, 405 *a* et *seq.*; ambitum monachis Montis Oliveti pro assequendis dignitatibus prohibet Pontifex, 467 *a*; ambitus Cappuccinis, pro consequendis Ordinis officiis ad externos recurrentibus, interdicatur, 261 *a*.
- Ampuriensem inter episcopum et inquisitores Sardiniae causa ad Sanctam Sedem avocatur, 602 *b* et *seq.*
- Andreas Birus ab Hispello magister generalis Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium, 98 *a*.
- Andreas a Nativitate Beatae Mariae procurator generalis congregationis fratrum Discalceatorum nationis Gallicanae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 922 *a* et *seq.*
- Anglorum collegium de Urbe, *vide* Collegii Graecorum, etc.
- Annatas et quindennia non solventes Eugenius IV absolvit, fructusque solventes remisit, 269 *a*; sed indultum revocavit Paulus IV, *ibid.*; annatas solventes esse singulis quindecim annis plures Pontifices declararunt, 269 *a* et *seq.*; annatas in universalis dominii recognitionem introductas esse asseruit Pius V, 270 *b*; annatas, communia, quindennia solventi quaecumque exemptiones revocantur, 274 *a* et *b*; annatas solventes esse ab omnibus iis, in quorum favorem uniones beneficiorum factae sunt, licet se in Camera non obligaverint, declaratur, 275 *a*; annatas non solventium poenae a Julio II, Pio ac Sixto V et Urbano VIII statutae confirmantur a Pontifice, 275 *b* et *seq.*
- Annexio custodiae palliorum collegio auditorum Sacrae Rotae, 441 *a*; *vide* Auditorum Sacrae Rotae.
- Annexum habens beneficium ecclesia tenetur solvere quindennium, 269 *b* et *seq.*
- Anni sancti tempore, et per duos annos antea, pensiones domuum in Urbe augeri non possunt, 383 *b* et *seq.*; *vide* Inquilini Urbis.
- Anni sancti tempore quid fieri debeat ad indulgentias lucrandas, *vide* Iubilaeum.
- Antonius a Conceptione minister generalis Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 409 *a*.
- Antonius archiepiscopus Bisuntinus, 544 *b*; pacem in ecclesia Bisuntina restituere curat, 515 *b*.
- Antonius Vieyra Societatis Iesu eximitur a quacumque iurisdictione S. Officii in Portugallia et subiicitur Inquisitioni Romanae, 573 *b* et *seq.*
- Apostatae a christiana fide vel ab obedientia Romani Pontificis se subtrahentes, excommunicationem incurrunt, 476 *a*.
- Apostolicae Sedis sicut est condere, ita in dubio est interpretari regularium privilegia, 58 *b*; Apostolicae Sedis iurium praeservatio super provisionibus ecclesiarum Portugalliae, 447 *a* et 368 *b* et *seq.*; Apostolicae Sedis beneplacitum necessario requiritur ad firmandas pactiones supra rebus ecclesiasticis, 519.

- Appellantes recurrentes ad curias saeculares, etiam instante fisci procuratore, et citationes, monitoria et similia iudicium apostolicorum impediri facientes, excommunicantur, 178 *a et b*.
- Appellatio ab Inquisitione Portugalliae ad Sedem Apostolicam et Inquisitionem generalem Urbis, 287 *b*; appellatio contra sententiam collectoris spoliorum in Portugalliae et Algalbiorum regnis ad iudices saeculares reprobatur, 368 *a et seq.*, 487 *b*; appellatione praefata secuta, quid decreverit Sancta Sedes et Urbis Inquisitio, 488 *a et seq.*
- Applicatio conventuum Minorum Conventualium pro erigenda custodia S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano, 409 *a et b*.
- Applicatio spoliorum canonicorum regularium Lateranensium defunctorum capsae communi facienda, 300 *a et seq.*
- Applicationibus (in), unionibus et concessionibus debet exprimi verus valor, 271 *b et seq.*
- Approbatio quarundam constitutionum Congregationis Missionis, 35 *a et seq.*, *vide* Missionis Congregatio; item nonnullarum constitutionum capituli generalis Cassinensium, 84 *b et seq.*, *vide* Cassinensium Congregatio; item aliquarum constitutionum capituli generalis Minorum Conventualium, 98 *a et seq.*, *vide* Ordo Minorum Conventualium; approbatio privilegiorum fratrum Discalceatorum B. M. de Mercede redemptionis captivorum, 134 *a et seq.*; approbatio et confirmatio constitutionum Summorum Pontificum super solutione amatarum et quindenniorum 274 *a et seq.*; item approbatio constitutionum Congregationis Hispaniae Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 613 *a et seq.*
- Approbatio sententiae Ordinarii Giennensis super cultu ab immemorabili exhibito S. Petro Paschasio, 79 *a*; item approbatio cultus immemorabilis B. Ludovicae Albertoniae exhibiti, 258 *a*.
- Arbitrio personae nominatae distribuuntur bona non disposita per cappellanos Pontifices inter familiares, deficientibus haeredibus sanguinis, 120 *b et seq.*
- Archiconfraternitates, *vide* Confraternitates.
- Archiepiscopi Ianuensis cum Republica conventio de collocanda sede archiepiscopali a cornu epistolae reprobatur, 338 *b et seq.*; archiepiscopo praefato sub gravibus poenis praecipitur ut intra triduum sedem praedictam a cornu epistolae amoveat, 340 *a*.
- Archivium erigitur Romae in aedibus Datariae, 449 *a et b*; archivii praedicti manuscripta extrahi non possunt absque licentia in scriptis datarii vel subdatarii, 450 *a*; sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, 450 *b*; ad archivium praefatum documenta ubilibet existentia transferendi facultas conceditur cardinali prodatario, *ibid.*
- Argentario ab monte usque ad Terracinam praedones maris, piratae et latrunculi excommunicantur, 176 *b*.
- Arma deferentes vel transmittentes hostibus quibus illi catholicos offendunt, illisque quomodolibet faventes, excommunicantur, 477 *a*.
- Auditoris Camerae Apostolicae notarii, *vide* Notarii auditoris Camerae Apostolicae.

- Auditorum Sacrae Rotae privilegia a Julio II, Leone X, Clemente VII, Paulo III, Alexandro VII concessa confirmantur, 139 *b*; auditorum praefatorum litterae apostolicae gratis expediuntur, 140 *a*; etiam per viam secretum expeditae gratis conficiuntur, 141 *a*; auditorum praedictorum collegio, in locum subdiaconorum apostolicorum aboliti collegii subrogato, palliorum custodia demandatur, 141 *a*; et scuta octo mensurae, quae dabantur canonicis altaristis S. Petri, ipsis assignantur, 141 *b*; auditorum Sacrae Rotae eorumque locatentium numerus e quatuordecim ad duodecim a Sixto IV reducitur, 264 *a*; iterum ab Alexandro VII ad minorem numerum reducitur, 265 *b*; quod confirmat Clemens X eos ad quatuor tantum limitans, 266 *a* et *seq.*; *vide* Notariorum auditorum S. Rotae officia.
- Augentes pedagia in terris suis, vel novas gabellas non permissas imponentes, sunt excommunicati, 176 *b*.
- Augustini (S.) eximia omnisque humanae laudis praeconium longe supergressa merita celebrantur, 290 *a*; Augustini (S.) Ordo, *vide* Ordo fratrum eremitarum S. Augustini, *vel* Canonici regulares.
- Avenionensis civitatis causae trahi non possunt ad Urbem, nisi certam summam excedant, 280 *b*; et statuta eiusdem civitatis referuntur, *ibid.*; iudices curiae ordinariae saltem viginti quinque annos aetatis et tres practicae debent complevisse, *ibid.*; civitatis praedictae privilegia concessa universitati studii generalis confirmantur, *ibid.*; civitatis praedictae foundationes septem collegiorum iuxta primam institutionem accurate servari debent, 281 *a*; in civitate praefata nominatio ad officia pertinet ad consilium, admissio, ad cardinalem legatum, *ibid.*; in civitate Avenionensi nemo est immunis ab impositionibus, praeter legatum, vicelegatum et archiepiscopum, *ibid.*

B

- Barberinus (card.) Carolus, *vide* Carolus.
- Barberinus (card.) Franciscus, *vide* Franciscus.
- Bartholomaeus episcopus Laudensis cardinalium protectorum Collegii Germanici de Urbe iurisdictionem perturbat, 569 *b* et *seq.*
- Bartholomaeus Tascia procurator generalis Congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini, 604 *b*.
- Beatificatio servi Dei Pii Papae V eiusque missae et officii diversis in locis concessio, 304 *b*; beatificatio servi Dei Ioannis de Cruce, eiusque diversis in locis officium et missa, 527 *a* et *seq.*; beatificatio servi Dei Francisci Solani, et quibus in locis eius recitari officium et missa possit celebrari, 528 *b* et *seq.*; beatificatio novemdecim servorum Dei martyrum Gorgomiensium, 601 *a* et *seq.*
- Beatos eligi in patronos vetuit sacra Rituum Congregatio, 463 *b*.
- Benedicti (S.) abbatis merita, 291 *a*; ipsius regula discretione praecipua, sermone luculenta, 291 *b*.
- Benedicti (S.) religio, *vide* Monachi, *vel* Cassinensium Congregatio

- Benedictionem petere tenentur ab episcopo regulares in sui Ordinis ecclesiis praedicare volentes, 55 *a* et *seq.*
- Beneficia cuiuscumque generis, capitularibus mensis, universitatibus, ecclesiis quorundam Ordinis unita, tenentur solvere quinquennia, 270 *b* et *seq.*; beneficia sic unita, quorum fructus excedant summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera, quinquennia solvunt, 271 *b* et *seq.*
- Beneficia duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis possunt retinere cappellani Pontificis, 417 *b*; *vide* Cappellani, Conclavistae, etc.
- Bernardi (S.) Congregatio reformata monachorum Ordinis Cisterciensis, 491 *a*; conservationi bibliothecae monasteriorum ipsius Congregationis reformatae providet Pontifex, *ibid.*
- Bernardi Ptolomaei (B.) cultum immemorabilem sacra Rituum Congregatio constare declaravit, 422 *b*; eius officium et missam recitari et celebrari posse in Congregatione Montis Oliveti et in monasterio Turris Speculorum de Urbe conceditur, *ibid.*
- Bibliothecae monasteriorum Congregationis reformatae monachorum S. Bernardi Ordinis Cisterciensis conservationi providet Pontifex, 591 *a* et *b*.
- Bisuntinae ecclesiae controversiae cum Sede Apostolicae circa electionem decani eiusdem ecclesiae, 541 *b* et *seq.*; 576 *a* et *seq.*
- Bona conclavistarum sicut et dapiferorum non subsunt spoliis, sed de illis disponunt, ita ut in illis eorum haeredes etiam ab intestato succedant, 27 *a* et *b*; item bona cappellanorum Pontificis, 119 *a* et *seq.*; bona cappellanorum praefatorum per ipsos non disposita deveniunt ad haeredes sanguinis integra, et, illis deficientibus, ad familiares, *ibid.*; excipiuntur bona altaris et divino cultui destinata, de quibus non possunt cappellani Pontificis testari, 119 *a*.
- Bonaventura a Recineto, procurator generalis Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum, 540 *b*.
- Bonorum suorum tertiam partem tradere monasterio convertitarum tenentur meretrices Urbis, 130 *b*.
- Borromaeus Federicus, *vide* Federicus.
- Bullam in Coena Domini publicavit Pontifex Clemens X anno MDCLXXI, 175 *b*; bullam praedictam quilibet Ordinarius, rector, curatus et confessarius penes se debet habere, 182 *a*; casus in bulla Coenae Domini reservati referuntur, 176 *a* et *seq.*; a quo possint absolvi, *vide* Iubilaeum.

C

- Caesar cardinalis Fachinettus, protector Congregationis monachorum Montis Oliveti, 67 *b*.
- Caesar cardinalis Destrées procurat et signat concordiam inter fratres Cappucinos et fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanae, 541 *a* et *seq.*
- Caesaraugustana ecclesia metropolitana vacante, iudices laici temerario ausu officiales ipsius nominant, 499 *b*; omnes actus huiusmodi irritat Pontifex, 500 *a* et *seq.*
- Caesena universitati privilegia a pluribus Pontificibus concessa referuntur, 594 *a*;

- eiusdem universitatis iuristarum collegio datur facultas quoscumque idoneos ad doctoratus gradum promovendi, 595 *a*.
- Caietanus (S.) Thienaeus, Clericorum Regularium fundator, Sanctorum albo adscribitur, 233 *b*; eius festo die indulgentia plenaria conceditur in omnibus sui Ordinis ecclesiis, *ibid.*; ipsiusque officii recitatio praecipitur, 392 *b*.
- Camaldulensium eremitarum Congregatio Montis Coronae, 69 *b*; in eorum ecclesiis non possunt locorum Ordinarii ipsis invitis divina celebrare, 70 *a*; egressus a monasteriis et inconsultae vagationes coërcentur, 107 *b* et *seq.*; unio eremitarum Etruriae, Montis Coronae et Pedemontium dissolvitur, 361 *a*; eamque iterum tractare interdicitur, 363 *a*; coronae per Camaldulenses dispensari solitae privilegia et indulgentiae, 462 *b* et *seq.*, *vide* Eremitae Camaldulenses.
- Cameneccia, quae non semel infensissimorum christiani nominis hostium conatus colibuerat et fregerat, expugnatur a Turcis, 364 *a*.
- Camerae apostolicae clerici, *vide* Clerici Camerae apostolicae.
- Cameralium onerum quorumcumque et aliorum tam realium quam personalium exemptiones revocantur, etiamsi nepotes et consanguinei vel affines Papae fuerint, 125 *a*; cardinalium, praelatorum et aliorum officialium exemptiones sunt immunes a revocatione, 125 *b*.
- Canonici Bisuntini ob electionem decani contra mandata Alexandri VII excommunicati absolvuntur, 514 *b* et *seq.*; 576 *a* et *seq.*
- Canonici regulares Lateranenses ad curam animarum in ecclesiis saecularium absque Sedis Apostolicae indulto admitti non possunt, 173 *b*, 174 *a*; sed, qui ante S. Congregationis decretum fuerint admissi, possunt ibi continuare, 176 *b*; habeant secum unum socium ex suo Ordine, *ibid.*; canonicorum praefatorum congregatio quot debitis sit gravata, 330 *b*; praescribuntur plures ordinationes ad ea solvenda, 331 *a* et *seq.*; et approbantur, 333 *a* et *seq.*; canonicorum eorundem capitulum generale, cui intersunt soli abbates regiminis et titulares, de sexennio in sexennium celebratur, 333 *b*; canonicorum praedictorum abbates determinatis temporibus non solventes, quas poenas incurrant, 334 *b*.
- Canonici regulares Praemonstratenses, 411 *a*; in ipsorum ecclesiis indulgentia plenaria in festo S. Norberti abbatis conceditur, 411 *b*.
- Canonici regulares S. Salvatoris Ordinis S. Augustini 605 *a*; ab earundem abbatiarum regimine per sexennium vel per triennium vacant, 605 *b*.
- Canonizatio S. Petri de Aleantara a Clemente IX, et litterarum expeditio a Clemente X, 1 et *seq.*; canonizatio S. Mariae Magdalenae de Pazzis a Clemente IX, et litterarum expeditio a Clemente X, 11 *b*; canonizatio S. Rosae de S. Maria, Virginis Limanae Ordinis S. Dominici, 187 *b* et *seq.*; canonizatio S. Ludovici Bertrandi Ordinis Praedicatorum, 227 *a*; canonizatio S. Caietani Thienaei clericorum regularium Theatinorum fundatoris, 233 *b*; 392 *b*; canonizatio S. Francisci Borgiae Societatis Iesu, 236 *b*; canonizatio S. Philippi Benitii Ordinis Servorum B. M. V. propagatoris, 373 *b*.
- Capitula provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrandi facultatem obtinet minister generalis Cappuccinorum, 608 *a* et *seq.*

- Cappellani Clementis X declarantur notarii apostolici sine praeiudicio participantium, comites, equites et cives cuiuscunque civitatis Status Ecclesiastici, quam elegerint, licet habitum et rocchetto non deferant, 416 *a*; cappellani praedicti, durante servitio, pro eorum et familiae usibus, sunt exempti a gabellis et aliis oneribus, exceptâ subventione contra infideles, 416 *b*; possunt retinere duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis, 417 *a*; non tenentur residere nisi in parochialibus, *ibid.*; cappellanorum praedictorum confessarii possunt eos ab omnibus censuris absolvere, sed a reservatis in Bulla Coenae semel tantum in anno (exceptâ manuum iniectio in episcopos et alios superiores praelatos), 418 *a*; cappellanorum eorundem confessarii possunt eorum vota commutare, exceptis ultramarino, visitandi limina Apostolorum, castitatis et religionis, 418 *b*; cappellani praefati possunt transferre pensiones usque ad summam centum ducatorum, *ibid.*; possunt disponere de proventibus et pensionibus non exactis, non obstante constitutione declaratoria, qua forsitan non exacti spectarent ad successores, 419 *b*, 420 *a*; cappellanorum eorundem bona per ipsos non disposita deveniunt ad haeredes sanguinis, et, illis deficientibus, ad familiares arbitrio nominatos; eorum testamenta et quaecumque dispositiones quantumcumque non solemnes valent, *ibid.*
- Captivorum redemptio bis in anno commendatur a praedicatoribus, Adventus scilicet et Quadragesimae temporibus, 522 *b*.
- Cardinalium exemptiones non comprehenduntur sub constitutione revocatoria, 425 *a*; cardinales excipiuntur a solutione trium decimarum, 468 *a* et *b*.
- Carolus cardinalis Barberinus protector Congregationis regularis canonicorum Lateranensium, 331 *b*.
- Carolus Emmanuel dum vixit Sabaudiae dux et Pedemontis princeps tractatum inivit pacificationis cum civitate Genensium, 518 *b* et *seq.*; quidam illius articuli laesivi iurium Ecclesiae irritantur a Pontifice, 519 *b* et *seq.*
- Carolus Hispaniarum rex catholicus, 464 *a*; 337 *a*; eximia ipsius erga Sedem Apostolicam reverentia, 532 *a*.
- Casus reservati, 58 *a*; a casibus episcopo reservatis per quaecumque privilegia absolvere non possunt regulares, *ibid.*; a casibus reservatis in Bulla Coenae Domini absolvi possunt familiares Papae semel tantum in vita et in mortis articulo, 91 *a*; facultas praefata excipit manuum iniectio in episcopos et alios superiores praelatos, *ibid.*; casus reservati in Bulla Coenae Domini referuntur, 476 *a* et *seq.*; casibus reservatis Apostolicae Sedi iubilaei anno extra Urbem nullus potest absolvere, 480 *b*; excipiuntur moniales, infirmi, aliique impediti, 530 *a* et *seq.*
- Cassinensium Congregatio Ordinis S. Benedicti, 84 *a*; capitulum generale non singulis, sed altero quoque anno celebretur, *ibid.*; procurator generalis sit unus ex abbatibus regiminis est alius ab abbate S. Pauli, 85 *a*; conditiones circa electionem et administrationem sui officii, *ibid.*; abbatiam de regimine non administrat, sed sola titulari et insignitus, 85 *b*; eorundem computator a definitorio eligitur, 86 *a*; eius officium, *ibid.*; sit decanus de regimine, *ibid.*; ambientes voce activa et passiva privantur a Gregorio XIII, 105 *a*; excommu-

- nicantur ab Urbano VIII, *ibid.*; etiam abbates ipsos promoventes ad instantiam cardinalium, regum et imperatorum, *ibid.*; praefatae poenae confirmantur, 106 *b*; praecipitur ut bis in anno publice legantur, 107 *a*; monachorum eorundem decani numerum trecentum non excedant, 580 *a*; condiciones pro decanatu, *ibid.*; confirmantur constitutiones quoad abbatum titularium et decanorum electionem et numerum, *ibid.*; poenae in transgressores, 581 *a* et *b*.
- Catenularum quarundam usus aliaque spectantia ad confraternitates SS. Sacramenti B. M. V. et S. Iosephi sub titulo Gregis Boni Pastoris prohibentur, 440 *b* et *seq.*
- Causae civitatis Avenionensis trahi non possunt ad Urbem, nisi summam mille scutorum monetae romanae, aut redditum scutorum centum excesserint, 28 *a* et *seq.*
- Causarum vel negotiorum occasione recurrentes ad Romanam Curiam qui percutiunt, seu talia delicta procurant, sunt excommunicati, 177 *b*.
- Causas beneficiales decimarum et alias spirituales seu annexas qui avocant, sunt excommunicati, 178 *b*.
- Censurarum revocationem et absolutionem compellentes, impediens executionem litterarum apostolicarum, etiam praetextu, donec ad informandum Romanum Pontificem supplicaverint, excommunicantur, 179 *a*.
- Census et contractus facere quando possint meretrices Urbis, 131 *a*; censibus huiusmodi sine licentia protectoris monasterii convertitarum contractis, et tertia parte monasterio eidem non relicta, quomodo sit procedendum, *ibid.*
- Chordigerorum confraternitas *vide* Confraternitas.
- Christiani Novi in Portugallia nuncupati, 496 *b*; ipsorum patrocinium adversus officium Inquisitionis sumit Pontifex, *ibid.*
- Cincturatorum confraternitates, *vide* Confraternitas.
- Cisterciensium Ordo, *vide* Monachi Cistercienses.
- Civitas Avenionensis, *vide* Avenionensis civitas.
- Civitatis Maioricensis studium in universitatem arbitrio episcopi possit erigi, 395 *b* et *seq.*
- Civitatis Urbini studium in universitatem erigitur et privilegiis augetur, 184 *b* et *seq.*
- Clarae (S.) officium recitari potest die non impedita cuiuslibet mensis sub ritu semiduplici a Cappuccinis, 241 *a* et *b*.
- Claudius Franciscus Dorival canonicus ecclesiae Bisuntinae a censuris absolvitur, 511 *b* et *seq.*
- Claudius Reud canonicus ecclesiae Bisuntinae, specialis nuntius mittitur ad Alexandrum PP. VII, 512 *a*.
- Clavium contemptus, 256; inhabilitas ex ipso proveniens non cadit sub facultate dispensandi favore conclavistarum, *ibid.*
- Clemens X, Romanus, Æmilius de Alteriis antea dictus, Romae Summus Pontifex pronuntiatur die xxix aprilis MDCLXX, et ii maii eiusdem anni coronatur, 4 *a*; promulgat bullam canonizationis S. Petri de Aleantara, 1 *a*; et S. Mariae Magdalenae de Pazzis, 41 *b* et *seq.*; gratias concedit conclavistis, 22 *b* et *seq.*; nec non dapiferis conclavis in quo electus fuit Summus Pontifex, 42 *b* et *seq.*

iubilaeum indicit ad implorandum divinum auxilium initio sui pontificatus, 52 *a et seq.*; de regularium privilegiis plura statuit, 55 *b et seq.*; formam decernit examinis testium de statu libero contrahentium matrimonium, 82 *a et seq.*; suis familiaribus plura concedit, 88 *a et seq.*; Montis Pietatis creditorum securitati providet, 113 *a et seq.*; suis cappellanis privilegia clarigitur, 115 *b et seq.*; revocat exemptiones a vectigalibus aliisque publicis oneribus, 123 *a et seq.*; confirmat et amplificat privilegia auditorum Sacrae Rotae, 159 *b et seq.*; iura Sedis Apostolicae circa provisiones ecclesiarum regni Portugalliae tuetur, 146 *b et seq.*; archivium Datariae erigit, 149 *a et seq.*; litteras processus in die Coenae Domini promulgat, 175 *b*; studii eremitarum S. Pauli I eremitaе providet, 182 *b*; erigit universitatem studii generalis in civitate Urbini, 182 *b*; bullam edit canonizationis S. Rosae de Lima, 187 *b et seq.*; item S. Ludovici Bertrandi, 215 *b et seq.*; indulget nobilibus Status Ecclesiastici mercaturas et commercia exercere, 229 *b et seq.*; erigit montem Ursinum quintae erectionis, 246 *a et seq.*; officia notariorum sacri palatii apostolici reducit, 263 *b et seq.*; renovat et confirmat constitutiones pontificias de annatis et quindennis solvendis Camerae Apostolicae, 269 *b et seq.*; nonnullos suos familiares eximit a spolio, 287 *a et seq.*; plura statuit circa extractionem reliquiarum ex coemeteriis Urbis, 296 *a et seq.*; indicit iubilaeum universale pro divina ope imploranda contra Turcas, 364 *a et seq.*; violatores immunitatis et libertatis ecclesiasticae coërcet, 368 *a et seq.*; prohibet ne quis edat libros de missionibus sine speciali licentia Congregationis de Propaganda Fide, 393 *a et seq.*; universitati Loveniensi restituit facultatem conferendi beneficia, 428 *b et seq.*; cura statuit in favorem vicariorum apostolicorum apud Sinas et alias partes orientales et pro missionariis in illis partibus, 442 *a et 482 b et seq.*; tres decimas imponit supra bonis ecclesiasticis in Italia et insulis adiacentibus, 467 *b et seq.*; indicit iubilaeum universale anni sancti MDCLXXVI, 476 *b et seq.*; coërcet inquisitores S. Officii Portugalliae et novos christianos adversus illos tuetur, 496 *b et seq.*; erigit hospitium in Urbe pro noviter conversis ad fidem, 545 *a et seq.*; confirmat privilegia universitati studii generalis Caesenae, 594 *a et seq.*; revocat facultates mulieribus saecularibus concessas visitandi monasteria monialium in Italia et insulis adiacentibus, 606 *a et seq.*; approbat constitutiones Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 613 *a et seq.*

Clerici regulares Congregationis Scholarum Piarum habent terminum ad deliberandum an profiteri velint vel discedere a Congregatione, 132 *b*; clerici praefati minoribus tantum ordinibus initiati et laici dimittuntur et a iuramenti vinculo per praepositum genearle eximuntur et absolvuntur, 131 *b*; 133 *a*; clerici iidem in sacris ordinibus initiati, si patrimonium habeant, et solemniter nolint profiteri, ut discedant indulgetur, 133 *a*; quod si non habeant, et velint discedere, ab ordinum exercitio suspenduntur, *ibid.*; clerici regulares Congregationis Matris Dei ad Congregationem clericorum de Somascha, nec Congregationis de Somascha ad clericorum Matris Dei Congregationem possunt transire, 423 *b et seq.*

- Clerici regulares Theatini, *vide* Theatini.
- Clerici reverendae Camerae apostolicae possunt ubique gestare galeri redimiculum coloris violacei, 60 *a*.
- Clerus saecularis in regnis Castellae et Legionis non comprehenditur in decretis super associatione cadaverum et ingressu ad regularium ecclesias, 425 *a* et *b*.
- Collector generalis spoliiorum quae passus fuerit a iudicibus saecularibus in Portugalliae et Algarbiorum regnis, 368 *a*; collectoris praefati iurisdictio censuris aliisque poenis ab Urbano VIII vindicatur, 368 *b* et *seq.*; collectoris praedicti iura in eisdem regnis iuxta Urbani VIII constitutionem confirmantur, et iudicium saecularium sententia annullatur, *ibid.*
- Collegii Graecorum, Maronitarum, Scotorum, Hibernorum et Anglorum in Urbe alumnos inter et convictores in victu et vestitu omnimoda aequalitas praescribitur, 590 *a*.
- Collegium Germanicum et Hungaricum de Urbe, 152 *a*; ipsius exemptiones a vetigalibus concessae a Gregorio XIII, 153 *b*; confirmantur, 153 *a*; 155 *a*; collegii praedicti alumni et convictores tenentur iurare se, expletis studiis, statim in Germaniam reversuros, 358 *b*; collegii praefati alumnos inter et convictores admitti non possunt, qui non sint nati in provinciis in Bullâ expressis, 543 *b* et *seq.*; collegii praedicti monasterium S. Petri Laudiveteris subditur immediatae iurisditioni cardinalium protectorum, 566 *a*; collegii praefati monasterio praedicto Laudiveteris exemptiones ampliantur a Clemente VIII, 566 *b*; confirmantur a Clemente IX, 568 *b*; lites inter ipsius ministros et episcopum Laudensem, 569 *a* et *b*; Pontificis sententia, 573 *b* et *seq.*
- Concilium futurum appellantes eorumque fautores excommunicantur, 176 *b*.
- Concilium universitatis Lovaniensis non debet excedere numerum quadraginta et octo personarum, *vide* Universitas Lovaniensis.
- Conclavistae, qui inservierunt S. R. E. cardinalibus in conclavi in quo ad pontificatus apicem fuit erectus Clemens X, donantur summa decem milium scutorum auri, 22 *b*; conclavistae clerici, seu militiae clericali adscribendi, sunt Sedis Apostolicae notarii sine praeiudicio participantium, commensales Papae, comites, nobiles et cives civitatis quam elegerint, et cum iure successionis ad haeredes, et eximuntur a solutione omnium onerum, 22 *b*, 24 *a*; absolvuntur a censuris ob contraventiones contentorum in constitutionibus super creatione Romani Pontificis, et omnes defectus provisionum, dignitatum a censuris provenientes sanantur et in foro conscientiae revalidantur, 24 *a* et *b*; ipsis remittuntur fructus ecclesiastici indebite percepti; legitimantur et habilitantur ad successionem, exceptis bonis feudalibus, emphyteuticis, ecclesiasticis, et sine praeiudicio venientium ab intestato, 25 *a*; conclavistae iidem sunt dispensati ad ordines sacros, beneficia, dignitates, exceptis maioribus post pontificalem ac principalioribus in collegiatis, et excepta cumulatione negata a Concilio Tridentino; et gratis litterae expendantur, 25 *b*; conclavistae si fuerint equites S. Ioannis Ierosolymitani vel alterius militiae, dummodo quinquennalem residentiam in conventu habuerint, habilitantur ad quascumque commendas etiamsi fuerint absentes, *ibid.*; non tenentur gestare habitum et tonsuram etiamsi gaudeant ducentorum ducatorum pensione, 27 *a*; possunt

- transferre pensiones ad summam centum ducatorum, 26 *a* et *seq.*; eximuntur a spoliis cum facultate testandi, 27 *a* et *b*; ipsorum privilegia sunt exempta ab insinuatione in camera, 27 *b*; conclavistarum predictorum procurator praefatis privilegiis gaudet excepta participatione decem millium scutorum, 28 *a*.
- Confessarii tempore Iubilaei habent facultates absolvendi a casibus reservatis ac dispensandi et commutandi vota, 54 *a*; confessarius, etiam regularis, in una dioecesi approbatus, non potest in alia confessiones audire, 56 *b*; confessarius approbatus ad audiendas confessiones saecularium, non intelligitur approbatus ad audiendas confessiones monialium, 57 *a*; confessarius semel deputatus et approbatus ad confessiones monialium debet approbari toties quoties deputationis casus contigerit, *ibid.*; confessarius absque nova licentia potest quovis tempore infirmorum confessiones audire, 57 *a*; tenetur tamen parochum, saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam, certiozem reddere, 57 *b*; confessarius regularis absque temporis praefinitione ab episcopo (secus si ab eius vicario vel antecessoribus) approbatus, iterum ab ipso non est examinandus aut suspendendus absque nova causa ipsas confessiones concernente, 57 *b*.
- Confessiones saecularium, qui sint vere de familia et continui commensales, audire possunt praelati et confessores regularium, 57 *a*; confessiones ad audiendas idonei aut non idonei reperti regulares, quomodo ad eas ab episcopo sint admittendi, *ibid.*; a confessionibus audiendis quando sint suspendendi regulares, 57 *b*; confessionum audiendarum facultas non potest ab episcopo omnibus simul eiusdem conventus adimi inconsultâ Sede Apostolicâ, 58 *a*.
- Confraternitas B. Mariae de Monte Carmelo, 295 *a*; indulgentiae ipsi concessae ampliantur, 296 *b*.
- Confraternitas Cincturatorum S. Augustini et S. Monicae sub invocatione B. Virginis de Consolatione erecta Bononiae in ecclesia S. Iacobi, 552 *b*; indulgentiae confratribus et consororibus concessae referuntur, *ibid.* et *seq.*; confraternitatis praedictae confratres benefactores participant omnia bona, quae fiunt in Ordine S. Augustini et in tota Ecclesia militante, 561 *a*; confraternitati praefatae communicantur omnes indulgentiae eiusdem Ordinis, 561 *b*.
- Confraternitates sacri Scapularis ubivis locorum instituere possunt superiores generales Carmelitarum, 408 *a*; ipsarum erectio de praeterito validatur et sanatur, 494 *b* et *seq.*
- Confraternitates Chordigerorum ubique erigere datur facultas ministro generali Minorum Conventualium, 413 *a*; et etiam ministro generali de Observantiâ in locis ubi non sint ecclesiae Minorum Conventualium, 413 *b* et *seq.*
- Confraternitates SS. Sacramenti, B. Mariae Virginis, et S. Iosephi, sub titulo Gregis Boni Pastoris, supprimuntur, 440 *b*.
- Confraternitati SS. Trinitatis redemptionis captivorum indulgentiae concessae a Paulo V referuntur, 387 *b* et *seq.*; et confirmantur, 390 *a*; ubique possunt erigi a ministro seu procuratore generali Ordinis, 391 *a*, et 408 *b* et *seq.*
- Confraternitatis SS. Rosarii indulgentiae nonnullae ad non confratres et consorores extenduntur, 164 *a* et *seq.*
- (*De his confraternitatibus vide plura sub verbo Indulgentiae.*)

- Congregatio Cassinensis, *vide* Cassinensium Congregatio.
- Congregatio Discalceatorum Ordinis S. Augustini in Lusitania, *vide* Ordo fratrum eremitarum S. Augustini.
- Congregatio Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti, *vide* Olivetanorum Congregatio.
- Congregatio particularis pro quindenniorum exactione in Urbe erigitur, 276 *b*.
- Congregatio sacrarum reliquiarum extractioni, custodiae et distributioni praeposita, 296 *a*.
- Congregationis Missionis superior generalis est in officio perpetuus, 35 *a*; eidem adiunguntur tres vel quatuor assistentes, et admonitor, 35 *b*; his exceptis potest omnes superiores et officiales instituere vel destituere, *ibid.*; in quibuscumque conventibus duo fert suffragia cum praerogativa in paritate non secretorum, *ibid.*; potest idoneos admittere et indignos post emissa vota cum assistentium consensu dimittere, 36 *a*; ius non habet condendi leges contrarias decretis conventuum generalium, licet hi potestatem habeant eiusdem statutis vim detrahendi vel addendi, *ibid.*; dignitates ecclesiasticas absque consensu conventus generalis acceptare non potest, nisi Summus Pontifex in virtute sanctae obedientiae praecipiat, 36 *b*; congregationis praedictae conventus generalis est superiore generali superior et in quibus casibus potest in eum animadvertere 36 *b*; ob plures causas celebratur, *ibid.*; a quo debeat cogi, quis habeat ius suffragii, quae debeant proponi, 37 *a*; in congregatione praedicta superior generalis eligitur per suffragia mediam partem excedentia, 37 *a* et *b*; quid si post quinque scrutinia electio facta non fuerit *ibid.*; poena excommunicationis latae sententiae contra ambientes generalatum vel electionis libertatem impediens, *ibid.*; in congregatione Missionis si interim vel statim dissoluto conventu generali contingat obitus superioris generalis aut admonitoris vel alicuius ex assistentibus, quomodo providendum, 38 *a*; in congregatione praefata vota emissa dissolvi non possunt vigore Iubilaei, Bullae Crucatae, etc., sed a solo Romano Pontifice et superiore generali, 61 *a* et *b*; congregationis praedictae presbyteri approbati in dioecibus propriae residentiae possunt ubique locorum excipere confessiones quorumvis aliorum eiusdem congregationis una cum ipsis iter agentium, 240 *a*; congregationis praefatae superior generalis per se vel per alios superiores deputare valet in qualibet domo ex confessariis iam approbatis certum numerum, cum facultate aperiendi et exequendi litteras Poenitentiarum Apostolicae, *ibid.*
- Conservatores in synodo dioecesanâ non designati possunt eligi a fratribus Minoribus de Observantiâ in Hispaniâ, 301 *b*.
- Conservatorii *Divinae Providentiae* de Urbe puellae quaecumque ad dotalia subsidia possunt admitti, 597 *a*.
- Conservatorum universitatis Lovaniensis abusus privilegiorum in conferendis beneficiis, 430 *b*; eorum ius ea conferendi suspenditur a Clemente IX, *ibid.*; conservatores praedicti quibus, quo tempore, quot et quae beneficia iisdem personis valeant conferre, 431 *a* et *b*; *vide* Universitas Lovaniensis.
- Convertitarum monasterium in Urbe, *vide* S. Mariae Magdalenae de Poenitentia monasterium.
- Coronam D. N. I. C. per Carmaldulenses dispensari solitam deferens, et diebus fe-

stivis quinquies *Pater et Ave* recitans, si fuerit legitime impeditus, defectum praecepti audiendi sacrum supplet, 493 *b*; coronam praedictam habens, quinquies *Pater et Ave* recitans, supplet omnes mentis vagationes dum interfuit sacrificio, dummodo dedita opera non fiat, *ibid.*; *vide* Indulgentiae pro gestantibus et recitantibus coronam Camaldulensium.

Cortesanis Urbis ad intestato decedentibus succedit monasterium S. Mariae de Poenitentia in Urbe, 130 *a*; ipsae habent facultatem testandi, dummodo praedicto monasterio quartam vel quintam partem relinquunt, *ibid.*; ipsis dictam summam non relinquentibus succedit praefatum monasterium in integrum, vel per viam testamenti, seu per donationem causam mortis disposuerint, *ibid.*; statuitur quod deinceps cortesanae Urbis nequeant census vitalitios facere, licentiam non obtentam a protectore et deputatis monasterii Convertitarum Urbis, 130 *b*; praefata licentia ipsis denegatur, nisi tertiam partem suorum bonorum vel aliam certam summam deutorum arbitrio praedicto Urbis monasterio tradiderint vel hypothecaverint, *ibid.*; si ipsae census sine licentia celebraverint, post earum obitum monasterium praedictum contra earum bona procedere potest ac si tales census non inierint, 131 *a*.

Cultus ab immemorabili B. Petri Paschasii, 78 *a* et *b*; B. Ludovicae Albertoniae, 158 *a*; B. Ferdinandi regis, 159 *b*; B. Bernardi Ptolomaei, 422 *b*; et de casu excepto a decretis Urbani VIII constare declaratur, *ibid.*

Custodia fratrum Minorum de Observantia sub nomine Immaculae Conceptionis in novam provinciam erigitur, 585 *a* et *seq.*

Custodia S. Petri de Alcantara erigitur in regno Neapolitano a Clemente IX; confirmatur ab hoc Pontifice, 409 *b* et 325 *b*; custodia praedicta tenetur ad observantiam constitutionum fratrum Discalceatorum Hispaniae, *ibid.*; custodia eadem non subiacet commissario generali Italo, sed vel procuratori generali vel commissario Hispano, *ibid.*; custodia eadem non subest visitoribus de Observantia reformatis, sed tantum Hispaniae, *ibid.*; custodiae praedictae custos intervenire potest et debet congregationi generali, quando ista celebratur in Hispania, *ibid.*; in custodiam praefatam nihil potest attentari nisi prius admoniti fuerint custos et diffinitores eiusdem, *ibid.*; ipsius stabilimenti et gubernio providetur, 344 *a* et *seq.*; custodia praedicta in provinciam erigitur, 532 *b*; eidem pro prima vice providet Pontifex de idoneis ministro provinciali et diffinitoribus, 533 *b*; custodiae praefatae pro felici regimine et manutentione nonnulla alia statuuntur, 534 *a* et *seq.*

D

Dapiferis conclavis in quo electus fuit Summus Pontifex Clemens X declarantur familiares et commensales Papae, 42 *b*; necnon comites sacri palatii et aulae Lateranensis, eiusque civitatis, quam in Statu Ecclesiastico eligent, cives, et militiae clericali adscripti vel adscribendi sunt notarii apostolici sine participantium praeiudicio etiamsi habitum et rocchetto non deferant, et ius

- civitatis ad eorum haeredes transit, 43 *a*; dapiferi paedicti sunt exempti a decimis ecclesiasticis aliisque publicis oneribus; remittuntur eis fructus indebite percipi; dispensantur super omni inhabilitate, etiamsi celebraverint censuris ligati, dummodo non in contemptum elavium, 44 *a*; legitimantur et dispensantur ad ordines sacros beneficia et dignitates, exceptis maioribus post pontificalem, ac principalioribus in collegiatis, seu cumulative negatis a Concilio Tridentino, 44 *b*; ipsis litterae expediuntur gratis, et datur facultas transfere-
 rendi pensiones usque ad summam centum ducatorum, 45 *a*; ipsorum bona etiam militiae S. Ioannis Hierosolymitani adscriptorum non subsunt spoliis 46 *a*; ipsorum privilegia sunt exempta ab insinuatione, 46 *b*.
- Datariae apostolicae archivium erigitur, 149 *a*; *vide* Archivium.
- Decanorum numerus in congregatione Cassinensi praescribitur, 580 *a*, et qui debeant eligi, *ibid*.
- Defunctorum super cadavera in ecclesiis regularium sepelienda ab ipsismet regularibus functiones sunt expediendae, 300 *a* et *seq.*; exceptio pro clero saeculari regnorum Castellae et Legionis, 425 *a* et *b*.
- Denunciandi delicta quae ad sacram Inquisitionem spectant obligatio, 342 *a*; quae-
 nam huiusmodi delicta referuntur, *ibid.*; denunciandi obligationis negligens quibus poenis afficiatur, 343 *a*.
- Destrées Caesar cardinalis, *vide* Caesar.
- Destrees dux pro Ludovico rege christianissimo apud Sedem Apostolicam orator, 541 *a*.
- Didaci (S.) festum celebrari et officium recitari posse xiii die novembris, ob impeditum xii eiusdem mensis, fratribus de Observantiâ conceditur, 165 *b*.
- Didacus a Iesu procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 613 *a*; postulat confirmari a Sede Apostolica constitutiones generalis ipsius Congregationis, *ibid*.
- Didacus de Mendibil commissarius generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, 301 *b*.
- Dionysius Mantilla procurator generalis Congregationis S. Bernardi Hispaniae monachorum Ordinis Cisterciensis, 292 *a*; et per substitutionem etiam Galliae, 345 *b*.
- Dispensare conceditur ad tempus nonnullis vicariis apostolicis in partibus orientalibus super quibuscumque gradibus consanguinitatis, excepto primo, 447 *a* et *b*.
- Domini domorum Urbis augere non possunt pensiones domorum durante anno sancto, imo et per duos annos antea, 383 *b* et *seq.*; domini domorum praefati expellere non possunt inquilinos nisi iurent se pro suo usu domos habere velle, *ibid.*; domini domorum, si, expulsis ut supra inquilinis, easdem domos ante annum expletum alteri locent, deperdunt duos annos pensionis, *ibid.*; domini domorum possunt expellere subinquilinos, finita locatione eorum auctoris, *ibid*.
- Dominicus Tafurius procurator generalis Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 390 *a*; 408 *b*.

E

- Ecclesiastica immunitas et libertas, 368 *b*; decretum contra eos qui in Portugalliae et Algarbiorum regnis illam perturbant, *ibid.*; ecclesiasticam immunitatem perturbantes quot poenis subdantur, *ibid.*
- Electio decani ecclesiae Bisuntinae irritatur, et eligentes excommunicantur et absolventur, 511 *b*; 575 *b* et *seq.*
- Eleemosynam maiorem petere non possunt parochi ab iis qui sepeliri volunt in ecclesiis regularium, quam si in parochiali sepelirentur, 298 *b* et *seq.*
- Eleemosynam pro Terraesanae necessitatibus et redemptione captivorum bis in anno tenentur commendare praedicatores verbi Dei, 599 *a* et *seq.*
- Emmanuel a Costa Susarte clericus Portalegrensis, 487 *b*; ipsius causa ab Inquisitione Portugalliae ad Inquisitionem Romanam advocatur, *ibid.* et *seq.*
- Episcopi dioecesani benedictio a regularibus petenda est in ecclesiis sui Ordinis vel alibi praedicare volentibus, 55 *b* et *seq.*; quando et quas ob causas episcopus licentiam praedicandi regularibus concessam suspendere valeat, 56 *b*; episcopus generatim prohibere non potest regularibus ne in ecclesiis suorum Ordinum praedicent, *ibid.*; neque omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus inconsultâ Sede Apostolica adimere facultatem audiendi confessiones, 58 *a*.
- Episcopi in ecclesiis eremitarum Camaldulentium Montis Coronae celebrare ipsis invitatis non possunt, 70 *a*.
- Episcopi Indiarum exacte observent constitutiones apostolicas et decreta congregationis de Propaganda Fide, 482 *b* et *seq.*; nullam habent iurisdictionem in vicarios apostolicos, eorumque operarios, nec tamquam Apostolicae Sedis delegati, 484 *a* et *seq.*, et 486 *a* et *b*.
- Episcopi vicarii apostolici Sinarum, etc., eximuntur a iurisdictione Inquisitionis Goanae, 442 *a* et *b*; et a iurisdictione Ordinariorum in Indiis, 484 *a*.
- Episcopi et generales quorumvis Ordinum regularium saltem bis in anno Terraesanae necessitates et redemptionem captivorum commendari curent, 599 *b* et *seq.*
- Episcopo Maioricensi committit Pontifex ut studium suae civitatis in universitatem erigat, 395 *b* et *seq.*
- Episcopum consecrandi, cum assistentiâ duorum simplicium sacerdotum vel sine, datur facultas ad tempus nonnullis vicariis apostolicis, 445 *a*.
- Erectio novorum locorum sub titulo *Montis Ursini quintae erectionis*, 247 *a*; erectio novorum officiorum *militum piorum*, 376 *b* et *seq.*; erectio hospitii in Urbe pro noviter ad fidem conversis, 545 *a* et *seq.*
- Eremitae Camaldulenses Montis Coronae, 70 *a*; ipsis invitatis episcopi locorum Ordinarii in eorum ecclesiis divina celebrare non possunt, 70 *a*; priores, sine speciali licentia toties quoties impetranda, eremis egredi et pernoctare extra illas non possunt, 107 *b* et *seq.*; eremitae designantur in qualibet eremo, qui ob urgentem necessitatem per spatium quinquaginta milliarium possint

- egredi, *ibid.*; eremitae praedicti priores solis oblati possunt concedere facultatem egrediendi, 408 *a*; eremitae Camaldulenses priores, quae per oblatos extra eremum facere possunt, faciant per ipsos, *ibid.*; eremitae praedicti Etruriae, Montis Coronae ac Pedemontium nationis uniuntur ab Urbano VIII, 360 *a*; hanc unionem Clemens IX dissolvit et in pristinum statum restituit, 364 *a*; eamque iterum tractare sub gravibus poenis interdicatur, 363 *a*.
- Examini episcopi absque ullâ praefinitione temporis approbantis ad confessiones non est iterum subiiciendus regularis, 56 *b* et *seq.*
- Excommunicantur qui vulnerarunt Iacobum patriarcham Antiochenum, item complices scientes et non revelantes, 373 *a* et *seq.*; regulares emendicantes ab episcopis gradum vicarii generalis apud Sinas et alias infidelium partes, 455 *b* et *seq.*; edentes libros ad missiones spectantes absque licentiâ Congregationis de Propagandâ Fide, 393 *b*; impediens accessum missionariorum ad Japoniam et alia regna Indiarum, 485 *a* et *b*; contravenientes decretis declarantibus fratres Excalceatos sancti Augustini esse vere filios sancti Augustini, et gaudere privilegiis Calceatorum, 465 *b*; extrahentes libros ex bibliothecis Cisterciensium Reformatorum, 594 *a* et *b*.
- Excommunicationem incurrunt usurpantes, invadentes loca Sedi Apostolicae subiecta, 179 *b*; haeretici, eorum defensores, retinentes libros de haeresi tractantes, legentes et imprimentes, 176 *a*; offendentes S. R. E. cardinales, patriarchas, episcopos, 177 *b*; imponentes onera ecclesiasticis sine licentiâ Romani Pontificis, 179 *b*; falsarii litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevium, 177 *b*; ambientes Cassinenses, 405 *a*; Olivetani, 167; Cappuccini, 261 *a*; Theatini, 427 *a*.
- Exemptiones quaecumque a vectigalibus et aliis publicis oneribus irritantur, 123 *a*; item exemptiones a solutione subsidii triennalis, *ibid.*; item exemptiones consanguineis Pontificum a vectigalibus concessae, 125 *b*.
- Eximuntur a spoliis nonnulli familiares Papae etiamsi ab intestato decesserint, 92 *b* et *seq.*, 287 *a*; item conclavistae et dapiferi, *vide* Conclavistae, etc.
- Extractio Reliquiarum ex coemeteriis Urbis, a quo et quomodo fieri debeat; *vide* Reliquiae.

F

- Familiares nonnulli Clementis X constituuntur notarii Apostolicae Sedis sine participantium praedictio, sacri palatii et aulae Lateranensis comites, equites, nobiles romani, et cives cuiusque civitatis Apostolicae Sedi subiectae, etiamsi habitum et rocchettum non deferant, vel eas civitates nunquam incoluerint, 88 *b* et *seq.*; familiares praedicti, quamdiu inserviunt, a solutione vectigalium aliorumque onerum eximuntur, 89 *b*; et a personali residentia per quaecumque obtenta beneficia dispensantur, 90 *a*; familiares praefati quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium possunt retinere, dummodo illa omnia personalem residentiam non requirant, *ibid.*; familiaribus iisdem indultum ut

- tribus dominicis vel aliis festivis diebus etiam extra tempora sacros ordines recipiant, 90 *b*; familiares praedicti absolvi possunt a quocumque confessario ab omnibus censuris etiam contentis in Bullâ Coenae semel tantum in vita et in mortis articulo, aliisque quibusvis casibus semel in anno, excepta percussione episcopi vel alterius praelati, ac omissione recitationis officiorum, 91 *a*; familiarium eorundem vota commutari possunt, exceptis ultramarino, visitationis liminum Apostolorum, castitatis et religionis, *ibid.*; familiares praefati possunt transferre pensiones usque ad summam trecentorum ducatorum, 91 *b*; eximuntur a spoliis cum facultate testandi, 92 *b* et *seq.*; 287 *a* et *seq.*; familiaribus nonnullis omnes gratias a praedecessoribus concessas confirmat et novas addit Pontifex, 316 *b* et *seq.*
- Federicus cardinalis Borromaeus dum vixit Ordinis Minorum S. Francisci Cappucinorum protector, 608 *a* et *b*.
- Ferdinandus de Andrade et Castro, olim archiepiscopus Giennensis, 78, *a*.
- Ferdinandi III (B.) regis Castellae cultus ab immemorabili approbatur, 159 *b*; ipsiusque missam celebrari et officium sub ritu duplici recitari in omnibus Hispaniarum regnis indulget Pontifex, *ibid.* et 415 *b*.
- Filii veri S. Augustini sunt fratres Discalceati eiusdem Ordinis, 465 *b* et *seq.*
- Filios duodecim habentium privilegia moderantur, et ad terminos iuris communis ac ad formas constitutionis Pii IV reducuntur ab Urbano VIII et ab isto Pontifice, 126 *a*.
- Flavius cardinalis Chisius, unus e protectoribus collegii Germanici de Urbe, 543 *b*.
- Flavius Ursinus, modernus dux Brachiani, 246 *b* et *seq.*
- Formula nova communicandi indulgentias confratribus et consororibus SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, 391 *b*.
- Francisci (S.) Borgiae canonizatio, 296 *b*.
- Francisci (S.) fratres Minores, *vide* Ordo Minorum.
- Francisci (S.) Solani servi Dei beatificatio, 528 *b* et *seq.*
- Francisci Xaverii (S.) officium sub ritu duplici in romano calendario apponitur, 51 *b*.
- Franciscus card. Barberinus sacri cardinalium collegii decanus, 62 *b*; ipsius decretum in favorem pictorum academiae S. Lucae, *ibid.*; confirmatur a Pontifice, 65 *a*; protector Ordinis Minorum Discalceatorum, 325 *b*; item Ordinis S. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, 419 *a*; protector collegii Germanici de Urbe, 543 *b*.
- Franciscus a Stephano, procurator generalis Ordinis Beatae Mariae redemptionis captivorum, 134 *a*.
- Franciscus de S. Marco procurator generalis Ordinis Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, 417 *a*, 588 *a*.
- Franciscus de Sausa comes de Prado et marchio de las Minas, orator Petri principis gubernatoris regnorum Portugalliae et Algarbiorum, 145 *a*.
- Franciscus de Villegas procurator generalis ecclesiarum Castellae et Legionis, 425 *b*.
- Franciscus Maria a Bononia prior generalis Minorum de Observantiâ, 413 *b*.
- Franciscus Maria a Cremona minister generalis Ordinis Minorum de Observantiâ, 601 *b*.

- Franciscus Maria Rhini a Politio, minister generalis Ordinis Minorum de Observantiâ, 302 *b*, 309 *b*.
- Franciscus Maria Sarubbius de Neapolis abbas Congregationis Montis Oliveti, 422 *b*.
- Franciscus Pallu, episcopus Eliopolitanus, 444 *a*, 460 *a*.
- Franciscus Perinet canonicus ecclesiae Bisuntinae absolvitur a censuris, 575 *b* et *seq.*
- Franciscus Scannapiccus prior generalis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, 494 *b*.
- Fratres diversorum Ordinum, *vide* Ordo, *vel* Monachi, *vel* propria ipsorum nomina.
- Fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanae oblato post octo annos ad capitulum et statum laicalem possunt admitti, 306 *b* et *seq.*; fratrum praedictorum ius conferendi habitum Tertii Ordinis personis saecularibus communicatur etiam Cappuccinis, et revocantur contraria decreta, 540 *b* et *seq.*; *vide* Tertii Ordinis.
- Fratrum Minorum de Observantiâ rectorum pro electione praefectarum et priorissarum in provinciis Germano-Belgicis iurisdictio, 282 *a* et *seq.*; *vide* Ordo Minorum de Observantia.

G

- Gabellas seu pedagia non permissa imponentes sunt excommunicati, 176 *b*.
- Galeatus archiepiscopus Corinthi, Sedis Apostolicae in Hispania nuntius, 504 *b*; illi committitur facultas deputandi officiales ecclesiae Caesaraugustanae sede vacante, 505 *a* et *seq.*
- Gaspar cardinalis Carpineus vicarius in spiritualibus generalis Clementis X et prodatarius, 296 *a*.
- Gevenenses inter et ducem Sabaudiae pacificatio inita reprobatur, 518 *b* et *seq.*
- Germanicum collegium, *vide* Collegium Germanicum.
- Goanensis Inquisitionis ministri nullam habent iurisdictionem in episcopos vicarios apostolicos Sinarum, 442 *a* et *b*.
- Gorgomienses novemdecim martyres beatificantur, et nomina referuntur, 604 *a* et *b*.
- Graecorum collegium, *vide* Collegium Graecorum.
- Guglielmus Humbertus a Praecipiano illegitime eligitur a canonicis ecclesiae Bisuntinae in decanum ipsius ecclesiae, 512 *b* et *seq.*; 576 *a* et *seq.*
- Guido Ascanius cardinalis Sfortia, olim S. R. E. camerarius, 383 *b*; eius decretum refertur, *ibid.*
- Gundisalvi (B.) de Amarante Ordinis Praedicatorum officium et missa extenditur ad universam S. Dominici religionem, 237 *b* et *seq.*

H

- Habitus sacri scapularis gestantes quot indulgentias consequantur, V. *Indulgentia confraternitatum sacri scapularis*.
Bull. Rom. — Vol. XVIII. 89

- Habitus seu scapularium SS. Trinitatis redemptionis captivorum suscipientibus indulgentiam plenariam concessit Paulus V, 388 *a*.
- Habitus Tertii Ordinis S. Francisci personis saecularibus conferendi ius convenit etiam Cappuccinis, 540 *b* et *seq.*
- Hibernorum collegium de Urbe, *vide* Collegii Graecorum, etc.
- Hospitium erigitur in Urbe pro noviter ad fidem conversis, 545 *a* et *seq.*; hospitium praedictum declaratur membrum palatii apostolici, *ibid.*; committitur ipsius administratio particulari congregationi cum facultate statuta condendi, 547 *b*; hospitio eidem et hospitibus conceduntur omnia privilegia, quibus gaudent palatium apostolicum et illi qui Romanis Pontificibus pro tempore inserviunt, 568 *a*; hospitio in eodem decedentes, et certa praestantes, item recipiendis hospitibus destinati ministri, alique in dicto hospitio degentes, in ipso ingressu, indulgentiam plenariam consequuntur, *ibid.*
- Humbertus Praecipianus, *vide* Guglielmus.
- Hungaricum collegium, *vide* Collegium Germanicum et Hungaricum de Urbe.

I

- Iacobus cardinalis Rospigliosius procurat et signat concordiam inter fratres Minores Cappuccinos et fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanae, 541 *a* et *seq.*; est unus e cardinalibus protectoribus Collegii Germanici de Urbe, 543 *b*.
- Iacobus patriarcha Antiochenus lethaliter a nonnullis iniquitatis filiis vulneratus in Urbe, 372 *b*; percussores excommunicantur, 373 *a* et *seq.*
- Iacobus Quintana a Iesu Maria frater professus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ, commissarius et procurator familiae Terrasanctae, 39 *b*; 66 *a*.
- Ianuensis ecclesiae iura tuetur Pontifex, 338 *b* et *seq.*
- Ignatius Cipres in officialem causarum piarum ecclesiae Caesaraugustanae irrito propositus conatu a iudicibus laicalibus sede vacante deputatus, 500 *a* et *seq.*
- Ignatius Valente conventum civitatis Lyciensis Ordinis S. Augustini haeredem instituit, 351 *b*.
- Immunitas et libertas ecclesiastica, 368 *b*; contra illarum perturbatores decretum Urbani VIII refertur, 369 *a* et *seq.*; confirmatur, *ibid.* *b* et *seq.*
- Impedientes accessum missionariorum ad Iaponiam et alia regna Indiarum excommunicantur, 486 *b*.
- Impetrationibus ne quis utatur, seu ne impetret a Romanâ Curiâ, prohibentes seu impedientes excommunicantur, 177 *b* et *seq.*
- Indiarum Orientalium, Chinae, aliorumque locorum missionarii non tenentur Lusitaniam pertransire, 457 *a* et *seq.*
- Indictio universalis Iubilaei initio pontificatus Clementis X, 52 *a* et *seq.*; item ad divinam opem implorandam contra Turcas, 364 *a* et *seq.*; nova Iubilaei indictio anni sancti MDCLXXV, 476 *b* et *seq.*
- Indulgentia in ecclesia sancti Angeli Custodis de Urbe transfertur a secunda dominica ad diem secundam octobris, 327 *b* et *seq.*

- Indulgentia plenaria Iubilaei anno Romanis per triginta, exteris per quindecim dies, confessis et communione reffectis, quatuor basilicas Romae visitantibus, 478 *b*; indulgentia eadem pro iis qui in via, vel etiam in Urbe, morbo, vel alia de causa ab earundem visitatione impediuntur, *ibid.*; ceterae indulgentiae omnes Iubilaei anno suspenduntur, 480 *b*.
- Indulgentia plenaria pro destinatis ad recipiendos noviter ad fidem conversos in Urbis erecto hospicio, pro ministris, aliisque ibidem degentibus et decedentibus, 545 *a* et *seq.*
- Indulgentia pro iis qui intersunt missae et processioni de SS. Rosario, 164 *a* et *seq.*
- Indulgentia in ecclesiis Carmelitarum in festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis, 75 *b*, et in festo B. M. de Monte Carmelo et Ss. Andreae Corsini, Angeli et Alberti, 308 *b* et *seq.*; item in ecclesiis Minorum Conventualium die 11 augusti, 112 *a*; item in ecclesiis Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum in festis Ss. Ioannis de Matha et Felicis de Valois, 144 *a* et *seq.*; item in ecclesiis Ordinis S. Dominici in festis Ss. Ludovici Bertrandi et Rosae de S. Maria, 232 *b*; item in ecclesiis clericorum regularium Theatinorum in festo S. Caietani, 233 *b*; item in ecclesiis Societatis Iesu in festo S. Francisci Borgiae, 236 *b* et *seq.*; item in ecclesiis regnorum Hispaniae pro iis qui intersunt missae de SS. Nomine B. M. V., 262 *a* et *b*; item in ecclesiis Ordinis B. M. de Mercede redemptionis captivorum in festo S. Petri de Nolasco, 286 *a*; item in ecclesiis Ordinis sancti Augustini in festis eiusdem sancti Augustini et Ss. Monicae, Nicolai Tolentinatis et Thomae de Villanova, 290 *a* et *b*; item in ecclesiis Ordinis divi Benedicti in festis eiusdem S. Benedicti ac Ss. Scholasticae, Placidi et Mauri, ac in die commemorationis omnium Sanctorum Ordinis praedicti, 291 *a* et *b*; item in ecclesiis Servorum B. M. V. in festo S. Philippi Benitii, 373 *b*; item in ecclesiis Praemonstratensium in festis Assumptionis B. M. V., Ss. Augustini, Norberti, et die commemorationis Sanctorum eiusdem Ordinis, 411 *a* et *b*; item in ecclesiis Excalceatorum B. M. de Mercede in festis Ss. Petri Nolasci, Raymundi, Iosephi, Apparitionis S. Michaelis Archangeli, ac dominica proximioris kalendis augusti, 452 *b* et *seq.*; item in ecclesiis monachorum Vallisumbrosae Congregationis in festo sancti Ioannis Gualberti, 610 *a* et *b*.
- Indulgentiae archiconfraternitati Cincturatorum S. Augustini concessae, 552 *b*; cincturati gaudent indulgentiis Ordini eremitarum S. Augustini concessis tredecim *Pater* et *Ave* et semel *Salve Regina*, vel quinquies *Ave* recitantes, 553 *a*; indulgentiae abrogatae ob clausulam manus adiutrices porrigendi, restituntur a Gregorio XIII si loco porrigendi manus adiutrices recitent cincturati quinquies *Pater* et *Ave*, 553 *b*; indulgentiae ipsis concessae in festis Domini, 554 *a* et *seq.*; item in festis B. M. V., 555 *a*; et apostolorum, 556 *a*; item in festis Sanctorum Ordinis, 556 *b*; in aliis diebus anni, 557 *b*; in processionibus, 559 *b*; in exercitio bonorum operum, 560 *b* et *seq.*; indulgentiae procuratoribus confraternitatis, 561 *a*; benefactores confraternitatis participant omnia bona quae fiunt in tota Ecclesia militante, *ibid.*; indulgentias directe vel per communicationem concessas Ordini participant cincturati, 561 *b*; aliae indulgentiae et privilegia vivae vocis oraculo eidem confrat-

ternitati concessa referuntur, 562 *a* et *seq.*; indulgentias prae dictas confirmat Clemens X et indulgentiam plenariam ingredientibus confraternitatem concedit, 564 *b*; pro iis qui non possunt interesse processioni prima dominica Adventus, transfertur indulgentia plenaria ad dominicam primam post festum divi Augustini, 565 *a*.

Indulgentiae Ordini Carmelitarum concessae sub onere porrigendi manus adiutrices, revocatae a Pio V, restituntur a Gregorio XIII, et, loco elemosynas elargiendi, substituit septem *Pater* et *Ave*, vel vesperarum pro defunctis recitationem, vel habitum dicti Ordinis gestare, aut ante SS. Christi Corpus terram osculari, 402 *a* et *b*.

Indulgentiae plures in favorem Ordinis Carmelitarum recensentur, 402 *b* et *seq.*; indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum et relaxatio tertiae partis peccatorum visitantibus ecclesias Ordinis Carmelitarum in certis festis, *ibid.*; indulgentia triginta annorum et totidem quadragenarum dictas ecclesias quater in anno visitantibus, 403 *a*; indulgentia quadraginta dierum quocumque die in ecclesiis dicti Ordinis dicentibus semel *Pater* et *Ave*, *ibid. b*; indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum iis qui Ordinem et fratres Carmelitas Ordinem et fratres B. M. V. de Monte Carmelo dixerint, *ibid. b*; indulgentiae Ordini concessae confirmantur et ampliantur a Nicolao V, Sixto IV, 403 *b* et 404 *a*; indulgentia die sabbati post obitum, pro animabus purgatorii, quae vel habitum Ordinis gestarunt vel confraternitatis scapularium, *ibid. a*; indulgentiae centum dierum iis qui feria quinta missae, item centum iis qui praedicationi in ecclesiis dicti Ordinis interfuerint, *ibid. a* et *b*; indulgentia plenaria confessis et communione relictis visitantibus dictas ecclesias in festo S. Teresiae, *ibid. b*; indulgentia plenaria iis qui interfuerint orationi quadraginta horarum in dictis ecclesiis, *ibid.*; indulgentia quinquaginta dierum pro salutantibus *Laudetur Iesus Christus*, et respondentibus *In saccula, Amen*, vel *Semper*, concessit Sixtus V, *ibid.*; indulgentia quinquaginta dierum pro reverenter nominantibus nomen Iesu et Mariae, et plenaria in articulo mortis, dummodo habuerint consuetudinem sic salutandi et nominandi, 404 *b* et 405 *a*; indulgentia plenaria fratribus Carmelitis recitantibus litanias Sanctorum ubi non sit erecta confraternitas vel non fiat processio S. Scapularis, 406 *b* et 407 *a*; indulgentia plenaria visitantibus eorum ecclesias in festis B. M. V, 407 *b*; indulgentia centum dierum convenientibus ad antiphonam *Salve Regina*, quae post completorium quotidie in praefatis ecclesiis decantatur, *ibid.*; indulgentiae tot conceduntur visitantibus ecclesias Ordinis in diebus stationum ecclesiarum Urbis, quot si ecclesias Urbis visitassent, *ibid.*

Indulgentiae pro confraternitate S. Scapularis Carmelitarum, 405 *a*; indulgentia plenaria confessis et communione relictis die primo ingressus ad confraternitatem, *ibid.*; indulgentia plenaria iisdem confratribus et consororibus confessis et communicantibus die decimasexta iulii vel dominica immediate sequente, *ibid.*; indulgentia plenaria iisdem, ut supra, in articulo mortis nomen Iesu ore, vel corde, si non potuerint ore invocantibus, *ibid. b*; indulgentia plenaria iisdem, ut supra, si processioni fieri solitae in una domi-

nica cuiuslibet mensis interfuerint, *ibid.*; indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum summentibus cum habitu dietae confraternitatis semel in mense eucharistiam; item ipsam ad infirmos delatam comitantes, *ibid. b*; indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum iisdem confessis, ut supra, in cappellis confraternitatis in festis B. M. V., *ibid.*; indulgentia centum dierum associantibus corpora defunctorum ad sepulturam, *ibid.*; indulgentias praefatas applicari posse animabus fidelium per modum suffragii concessit Clemens X, 406 *a*; indulgentias praefatas communicandi et confraternitates ubique erigendi facultas priori, et, ipso absente, vicario generali tribuitur, *ibid.*; indulgentia centum dierum recitantibus officium B. M. V., 406 *b* et 407 *a*; indulgentia centum dierum exercentibus varia opera charitatis et pietatis, *ibid.*; item plenaria si impediti confraternitatis cappellam visitaverint, vel, si visitare nequiverint, officium B. M. V. vel quinquagies *Pater* et *Ave* recitaverint, *ibid.*

Indulgentiae pro confraternitate SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 387 *b*; indulgentia plenaria confratribus et consororibus die primo ingressus et communione reffectis, 388 *a*; indulgentia plenaria iisdem, ut supra, nomen Iesu, sin minus, corde invocantibus in articulo mortis, et scapularium deferentibus, *ibid.*; indulgentia plenaria iisdem, ut supra, in festo SS. Trinitatis visitantibus ecclesias vel cappellas Ordinis vel confraternitatis, *ibid.*; indulgentia plenaria eisdem, ut supra, proficiscentibus ad partes infidelium pro captivorum redemptione, *ibid.*; indulgentia plenaria pro captivis redemptis, si intra mensem post reditum eadem egerint, 388 *b*; indulgentia septem annorum iisdem sexies in die *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* recitantibus et scapularium gestantibus, 388 *b*; indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum iisdem visitantibus Ordinis vel confraternitatis ecclesias vel cappellas in festis Nativitatis et Resurrectionis Iesu Christi, Assumptionis B. M. V. et S. Agnetis secundo, *ibid.*; indulgentia septuaginta annorum et totidem quadragenarum iisdem intervenientibus processioni scapularii, item pro captivorum constantia et liberatione quotidie per annos tres; *Pater* et *Ave* et semel *Gloria Patri* recitantibus; item recipientibus et associantibus redemptos ad cappellam confraternitatis; item pro redemptione captivorum pie se exercentibus, *ibid.*; indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum eisdem Eucharistiam dum ad infirmos defertur comitantibus; item centum dierum corpora defunctorum ad sepulturam associantibus, 389 *a*; indulgentia centum dierum eisdem assistentibus missae in oratoriis confraternitatis, pauperes hospitio suscipientibus, vel quodcumque pietatis opus exercentibus, *ibid.*; indulgentias praedictas communicandi et confraternitates ubique erigendi facultas ministro vel procuratori generali defertur, 389 *a* et *b*; indulgentia plenaria iisdem, ut supra, quoties intervenerint processioni semel in mense fieri solitae, 389 *b*; indulgentiae praefatae confirmantur a Clemente X, 390 *a*; indulgentia plenaria iisdem, ut supra, cappellas vel ecclesias confraternitatis vel Ordinis visitantibus in festis Nativitatis et Purificationis B. M. V., Inventionis S. Crucis, S. Michaëlis Archangeli et S. Clementis Papae, 390 *b*; indulgentiae tot conceduntur visitantibus ecclesias vel

- cappellas praedictas quot si Urbis ecclesias visitassent, *ibid.*; indulgentiarum praefatarum communicationis nova formula praescribitur, 391 *b*; indulgentiae praefatae confirmantur pro Congregatione Hispaniae, 409 *b*.
- Indulgentiae pro confratribus et consorioribus confraternitatis Chordigèrorum S. Francisci, 412 *a*; indulgentia plenaria ipsis confessis et communiōe re-
fectis die primo eorum ingressus, *ibid.*; item in festo principali confrater-
nitatis eiusdem ecclesiam seu oratorium visitantibus, *ibid. b*; indulgentia ple-
naria eisdem in mortis articulo saltem nomen Iesu ore, sin minus, corde
iuvocantibus, *ibid.*; aliae indulgentiae iisdem concessae referuntur, *ibid.*; indulgentias praefatas animabus defunctorum applicari posse inducit Paulus V,
413 *a*; indulgentias praedictas communicare posse cuilibet confraternitati in
ecclesiis Minorum Conventualium erectae, eorum ministro generali et com-
missario generali Minorum de Observantiā, in locis tamen ubi non sint Con-
ventuales, concessit Sixtus V, 413 *b*.
- Indulgentiae pro gestantibus et recitantibus coronam Camaldulensium, 492 *b*; in-
dulgentia plenaria eam recitantibus, ut supra, per mensem singulis diebus,
493 *a*; indulgentia plenaria occumbentibus in bello contra infideles, si cam-
ter in hebdomadā recitaverint, 493 *a*; aliae indulgentiae referuntur, *ibid.*;
indulgentiae praefatae applicari possunt pro animabus purgatorii, 494 *a*.
- Indulgentiae fratribus Ordinis Minorum de Observantiā in partibus Terraesantae
degentibus, easdemque visitantibus concessae, confirmantur, 39 *b*; indulgen-
tia plenaria in articulo mortis pro interpretibus eorumdem Hierosolymis,
Bethlehem et Nazareth existentibus, 40 *a*.
- Indulgentiae Discalceatorum B. M. de Mercede redemptionis captivorum ad favo-
rem Calceatorum eiusdem Ordinis extenduntur, 286 *a* et *b*; 598 *a* et *seq.*
- Indulgentiam centum dierum lucrantur confratres sanctissimi Corporis Christi co-
mitantes cadavera ad sepulturam, 387 *a*.
- Infirmorum confessiones quovis anni tempore possunt regulares audire et ad quid
teneantur, 57 *a*.
- Inquilinis Urbis pensionem domus per duos annos antea et ipso anno sancto au-
geri prohibetur a Pontifice, 383 *b* et *seq.*; Inquilini vel subinquilini Urbis,
tam durante, quam finitā locatione expelli non possunt, nisi prius dominus
iuraverit pro suo usu domum velle, *ibid.*; inquilinis sic expulsis a domo, si
dominus eam intra annum alteri locet, deperdat pensionem duorum anno-
rum, *ibid.*; inquilinorum privilegio non gaudet subinquilinus finitā locatione
sui auctoris, *ibid.*
- Inquisitionis instructio pro examinandis testibus ad probandum statum liberum
contrahentium matrimonium, 82 *a* et *seq.*; inquisitionis edictum delicta re-
censens quae debeant denunciari, 342 *a* et *seq.*; inquisitionis edictum prae-
fatum praecipitur ut publicetur in Urbe et ad notitiam deducatur vicinorum
episcoporum ubi non sit Inquisitio, 343 *a* et *b*.
- Inquisitionis Portugalliae causae avocantur ad Inquisitionem Urbis, 487 *b* et *seq.*;
496 *b* et *seq.*
- Inquisitores Sardiniae inter et episcopum Ampuriensem causa ad Sedem Apostoli-
cam avocatur, 602 *b* et *seq.*

- Ioannes Baptista cardinalis Pallottus Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini protector, 611 *b*.
- Ioannes Baptista Sauvage canonicus ecclesiae Bisuntinae absolvitur a censuris, 575 *b* et *seq.*
- Ioannes Bernardinus a S. Elpidio, procurator generalis Ordinis S. Francisci Conventualium, 98 *a*.
- Ioannes Cassignet canonicus ecclesiae Bisuntinae absolvitur a censuris, 511 *b* et *seq.*
- Ioannes de Watenille in decanum ecclesiae Bisuntinae ab Alexandro VII instituitur, 515 *b*; 576 *a*.
- Ioannes, dum vixit, cardinalis Bona, 552 *b*.
- Ioannes Everardus cardinalis Nidhardus regis catholici orator, 337 *a*.
- Ioannes Iacobus Fauche de Dompriel decanus ecclesiae Bisuntinae in archiepiscopum eiusdem ecclesiae praeficitur ab Alexandro VII, 511 *b* et *seq.*; 576 *a* et *seq.*
- Ioannes Paulus Oliva praepositus generalis Societatis Iesu, 590 *a* et *b*.
- Ioannis (B.) de Cruce primi Carmelitae Excalceati beatificatio, eiusque officii et missae diversis in locis concessio, 527 *a* et *seq.*
- Iosephus Eusanius episcopus Porphyriensis sacrarii apostolici praefectus, 552 *a*.
- Iosephus Peralta in officialem maiorem et iudicem metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae illegitime a iudicibus laicis deputatus, 499 *b* et *seq.*
- Iubilaeum universale indicit Clemens X ad divinam opem implorandam pro felici Ecclesiae regimine initio sui pontificatus, 52 *a*; eius occasione indulgentias certa facientibus elargitur, *ibid.*; eius tempore omnes fideles etiam regulares confessarium quemcumque adprobatum possunt eligere, 53 *a* et *b*; eodem tempore datur facultas confessariis absolvendi a casibus etiam in Bulla Coenae contentis, et commutandi vota, religionis et castitatis exceptis, etc.; 53 *b* et 54 *a*; iubilaeum universale ad implorandam divinam opem contra Turcas, 364 *a* et *seq.*; iubilaei universalis anni sancti MDCLXXV indictio, 476 *b* et *seq.*; eodem anno, Romani per triginta, externi per quindecim dies, quatuor Romae basilicas visitantes, indulgentiam plenariam obtinent, 478 *b*; qui in via, vel etiam in Urbe, morbo, vel alia de causa a visitatione earumdem impediuntur, indulgentiam consequuntur, *ibid.*; praeter praefatas, indulgentiae omnes suspenduntur, 480 *b* et *seq.*; iubilaei praedicti anno moniales, alique designatas basilicas visitare impotentes, si certa praestent eandem indulgentiam consequuntur, 530 *a* et *seq.*; et sic impediti possunt a casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvi, *ibid.*
- Iudices curiae ordinariae S. Petri civitatis Avenionensis saltem viginti quinque annorum aetatis et tres practicae debent explevisse, 280 *a* et *b*.
- Iudices quicumque ac magistratus saeculares, personas ecclesiasticas ad sua tribuna-
lia trahentes, excommunicantur, 179 *a*; iudices ac magistratus saeculares beneficiales causas a iudicibus ecclesiasticis avocantes excommunicantur, *ibid.*; iudices saeculares se interponentes in causis criminalibus ecclesiasticorum excommunicantur, *ibid.* *a*.
- Iuliani (S.) episcopi officium recitandi tam die festo, quam commemorationis eius-

dem, Conchensi dioecesi Clemens VIII et Paulus V facultatem concessere, 386 *a*; eiusdem sancti officium extendit Pontifex ad omnia Hispaniarum regna, *ibid.* *b*.

Iuramentum quale teneantur praestare cappellae Pontificiae cappellani, 122 *b*.
Iurare quomodo debeant Cistercienses Hispani antequam ad aliquam electionem abbatis deveniant, 162 *b*.

L

- Laelius Ursinus, Vico Varronis princeps, 256 *b*.
Laudiveteris monasterium collegio Germanico de Urbe annexum *vide* Collegium Germanicum.
Lauream doctoralem possunt fratribus sui Ordinis conferre superiores generales Minorum Conventualium, 313 *a*; Ordinis S. Pauli I Eremitae, 99 *b*; Carmelitarum, 183 *b*; item idoneis quibuscumque universitates Urbini, 186 *a* et *b*; Avenionensis, 280 *b*; Maioricensis, 295 *b* et *seq.*; Cesenae, 595 *b*.
Laurentius Brancatus a Laurea, procurator generalis Ordinis S. Francisci Conventualium, 112 *a*.
Leodiensis civitatis et dioecesis beneficia conferendi facultas suspenditur, ac sub certis conditionibus suspensio relaxatur, 430 *a*.
Leopoldus Romanorum rex illustris in imperatorem electus, 601 *a*; postulat pro beatificatione novemdecim martyrum Gorgomiensium, *ibid.*
Libri ad missionem spectantes edi non possunt absque licentiâ Congregationis de Propagandâ Fide sub poenâ excommunicationis latae sententiae reservatae Papae, 393 *b*.
Litaniae SS. Nominis Iesu approbatae, 405 *a*; item B. M. V., *ibid.*
Lites super taxa rerum ad pharmaciam spectantium in Urbe impensis Camerae fieri debent, 506 *a* et *seq.*
Litterae apostolicae pro conclavistis, dapiferis et cappellanis gratis sunt expediendae, *vide* Conclavistae, etc.
Litterarum apostolicarum executionem impediennes excommunicantur, 173 *b*.
Lovaniensis universitatis privilegia quoad collationem beneficiorum suspenduntur, et cum certis conditionibus suspensio relaxatur, 430 *a* et *seq.*, *vide Universitas Lovaniensis*.
Lucae (S.) academia pictorum, confraternitas et ecclesia, 62 *b*.
Ludovica (B.) Albertonia 158 *a*; cultus ab immemorabili illi exhibitus probatur, necnon de casu a decretis Urbani VIII excepto constare declaratur, *ibid.*; ipsius officium et missam recitari et celebrari posse etiam a confluentibus ad ecclesiam S. Francisci ad Ripam indulgetur, *ibid.* *b*.
Ludovicus (S.) Bertrandus Ordinis Praedicatorum, 215 *b*; natus est Valentiae in Hispania honestis parentibus die primâ ianuarii MDVI, 216 *b*; Ordini Praedicatorum in Valentino conventu nomen dedit, 217 *b*; prior electus, *ibid.* *b*; dicere solebat religiosum debere *spernere se, spernere nullum, spernere mun-*

- dum, et spernere se sperni*, 218 *b*; sclopum sui aggressoris in crucifixum commutat, *ibid.*; hispanica lingua conciones habens, absque interprete intelligebatur ab Indis, 219; ultimâ infirmitate detentus illud dictum Augustini repetebat: *Domine hîc ure, hîc seca, hîc non parcas, ut in aeternum parcas*, 223 *a*; obiit vii idus octobris anno MDLXXI aetatis suae quinquagesimo quinto, 224 *a*; eius miracula post mortem recensentur, 224 *b*; Beatorum albo adscribitur a Paulo V, 226 *a*, et a Clemente IX ad solemnem ipsius canonizationem deveniri posse decernitur, 226 *b*; inter Sanctos annumeratur a Clemente X, 227 *a*; eius festum diei x octobris accensetur, *ibid.*; eius sepulchrum die eius festo visitantibus indulgentiae conceduntur, *ibid.*
- Ludovicus Coci abbas generalis Congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini, 604 *b*.
- Ludovicus cardinalis Ludovisius fundator collegii Hibernorum de Urbe, 590 *a*; illius curam committit praeposito generali Societatis Iesu pro tempore existenti, *ibid.*
- Ludovicus Francorum rex christianissimus, 541 *a*.
- Ludovicus Kelléri, commissarius generalis provinciarum Germano-Belgicarum Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum, 282 *a*.
- Ludovicus Magnus a Cantu procurator generalis Ordinis Minorum Conventualium, 284 *a*.
- Ludovicus Mimeur Ordinis fratrum Minorum de Observantia, commissarius generalis Terrae sanctae, 599 *b*.

M

- Maioricensis civitatis studium in universitatem erigi posse conceditur, 395 *b* et *seq.*
- Magistratus, notarii, iudices se interponentes in causis criminalibus contra ecclesiasticos sunt excommunicati, 478 *b* et *seq.*, *vide* Iudices.
- Marcellus cardinalis Sanctacrucius, 347 *b*.
- Marcus de Valimbert ecclesiae Bisuntinae canonicus a censuris absolvitur, 511 *b* et *seq.*
- Maria Magdalena (S.) de Pazzis Sanctarum catalogo adscribitur a Clemente IX, sed Bullam canonizationis expedit Clemens X, 41 *b* et *seq.*; orta est Florentiae anno MDLXVI, 42 *a*; virtutes eius recensentur, 42 *b* et *seq.*; anno aetatis xvi in monasterio S. Mariae de Angelis Ordinis Carmelitarum adscribitur, 43 *a*, et ibidem anno xvii solemnem professionem emittit, 43 *b*; non semel Iesu Christi manu Eucharistia reficitur, 45 *b*; annulo, corona spinea et stigmatibus a Christo donatur, *ibid.*; obiit xxv maii MDCVII, aetatis suae quadragesimo primo, 46 *b*; miracula ipsius recensentur, 47 *a* et *seq.*; Beatae titulo insignitur ab Urbano VIII, viii maii MDCXXVI, 48 *a*; eiusdem dies festus xxv maii celebrandus statuitur, 20 *a*.
- Mariae (S.) Magdalенаe de Poenitentia monasterium de Urbe, 130 *a*; ius habet ad tertiam partem bonorum de quibus disponunt meretrices vel cortesanae, *ibid.*

- Mariae (B.) de Monte Carmelo Ordo, *vide* Ordo Carmelitarum.
- Marianna Hispaniarum regina catholica, 164 a; eius praeclara merita, 262 a; 395 b;
- Maronitarum collegium in Urbe, *vide* Collegii Graecorum, etc.
- Matrimonia in gradibus prohibitis, primo excepto, contracta in quibusdam partibus infidelium validantur, 447 a et b.
- Matrimonium contrahere volentium status liber quomodo comprobandus, 81 b; instructio refertur pro examine testium ad hoc adhibendorum, 82 a et seq.
- Matthaeus Orlandus, prior generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, 437 b; 308 b; 401 b.
- Matthias de Cardona vicarius et procurator generalis Ordinis B. Mariae redemptionis captivorum, 286 a; 578 b; 598 a.
- Mediolanensis archiepiscopus, 569; ad ipsum recursus habetur contra attentata episcopi Laudensis, *ibid.*; ad ipsum spectare decernitur iurisdictio in ecclesia monasterii Laudiveteris, 570 b et seq.
- Mercaturas et commercia exercentes nobiles Romani et Status Ecclesiastici incolae nullum praeiudicium nobilitati inferunt, 229 b.
- Michaël Marta Gomez et Mendoza in vicarium capitularem civitatis et dioecesis Caesaraugustanae irrita electione a iudicibus laicis deputatur, 499 b et seq.
- Michaël rex Poloniae petit celebrari officium de S. Stanislaw Kostka, 257 a.
- Meretricum sorores et natae in *Divinae Providentiae* Conservatorio Urbis degentes ad subsidia dotalia habitantur, 597 a, *vide* Cortesanae.
- Militiae de Calatrava domus prior habet usum insignium et indumentorum episcopaliū, 172 b.
- Militia S. Ioannis Hierosolymitani excipitur a solutione trium decimarum, 467 b.
- Militum piorum collegium, *vide* Notarii auditoris Camerae apostolicae.
- Missam SS. Rosarii celebrantes et audientes quas consequantur indulgentias, *vide* Rosarium.
- Missam celebrare seu celebrari facere in eorum cappellis, abbreviatoribus litterarum apostolicarum conceditur, 103 a.
- Missam solemnem de Nomine B. M. V. xvii septembris in ecclesiis provinciarum et regnorum regis Hispaniarum audientes, plenariam indulgentiam consequuntur, 262 a et seq.
- Missionarii regulares curam animarum exercentes apud Chinas, aliasque partes infidelium, subduntur quoad functiones parochiales vicariis apostolicis, 448 b; missionarii praefati non exhibentes vicariis apostolicis litteras patentes, possunt ab iisdem ab officio prohiberi *ibid.* b et seq.; missionariis praedictis prohibetur catechistas voto obedientiae erga se ipsos, privative quoad vicarios apostolicos, obstringere, 449 b et seq.; missionariorum accessum ad Iaponiam et alia regna Indiarum Orientalium impediētes excommunicantur, 485 a et b; missionarii Chinam et Indias orientales profecturi olim tenebantur Lusitaniam pertransire, 497 a et seq.; quamcumque viam possunt suscipere ex indulto Pauli V, Urbani VIII et Clementis X, *ibid.*; missionarios praefatos, aliam viam quam per Lusitaniam aggredientes, qui impediunt, excommunicantur, *ibid.*
- Missionis Congregatio, *vide* Congregatio Missionis.

- Monachi Cassinenses in abbates titulares non eligantur, nisi abbates regiminis vel priores claustrales fuerint, 580 *a*, *vide* Cassinensium Congregatio.
- Monachi Cistercienses, 114 *a*; praeceptum fuerat ut in singulis ipsorum provincis duo designarentur monasteria unum pro novitiatu, alterum pro professorio, 114 *a*; deinde quod in monasteriis novitiatus saltem viginti quinque monachi degerent, 114 *b*; excipiuntur ab hoc decreto monasteria, in quibus perpetua stabilitas promittitur, 115 *a*; monachi Cistercienses Hispani, oriundi ex terris sitis ultra ac citra montes Castellam veterem a novâ separantes, aequaliter ad abbatias promoveantur, 160 *a* et *seq.*; monachorum Cisterciensium Hispaniae abbates elapso triennio non possunt iterum immediate in abbates eligi, 292 *a* et *seq.*; monachorum praefatorum abbates a generali reformatore, sex definitivis et sex electivis eliguntur, 293 *a* et *b*; monachorum praedictorum aliqua abbatia vacante, monachi conventuales intra duos dies abbatem eligant, *ibid.*; aliâs ad generalem reformatorem electio abbatis devolvitur, 294 *a*; monachorum praefatorum capitulis ea pars in paritate suffragiorum praevalet, pro qua stat abbas, 345 *b* et *seq.*
- Monachorum Cisterciensium Congregatio reformata S. Bernardi, 591 *a*; prohibetur extrahere libros ex bibliothecis ipsius, *ibid.*
- Monachorum Montis Oliveti abbati generali et definitorio prohibitum ab Urbano VIII ne abbates titulares eligerent, 67 *a*; indulgit deinde Clemens X praedictis pro duodecim abbatum titularium electione, 67 *b*; monachorum Montis Oliveti ad favores principum pro consequendis dignitatibus recurrentium poenae, 167 *a*; monachorum praedictorum duodecim abbates titulares eligantur, duo ex sex provinciis quibus Congregatio constat, 168 *b*; quae qualitates debeant in eis praefulgere *ibid.*; de B. Bernardo Ptolomaeo eiusdem Congregationis fundatore, *vide* B. Bernardi Ptolomaei.
- Monachorum Silvestrinorum congregatio, ac ceterae congregationes a S. Pio V ex titulo oneroso exemptae, trium decimarum solutione obstringuntur, 467 *b* et 473 *a*.
- Monasteria monialium in Italia et insulis adiacentibus ingrediendi facultates, mulieribus saecularibus concessae, revocantur sub poenâ excommunicationis latae sententiae, 606 *b* et *seq.*
- Monicae (S.) genitricis S. Augustini laudes, 290 *b*.
- Monte Argentario (ab) usque ad Terracinam praedones maris, piratae et latrunculi excommunicantur, 176 *b*.
- Montis Oliveti congregatio *vide* Olivetanorum Congregatio.
- Montis pietatis debitores obligatione camerâli ad ipsius favorem obstringuntur, 112 *b* et *seq.*
- Montem non vacabilem Ursinum tertiae erectionis locorum quatuor millium, reddentium scuta quinque pro quolibet loco, crexit Paulus V, 246 *a*; alia loca addiderunt alii Pontifices, 246 *b*; montem non vacabilem Ursinum quintae erectionis creat Clemens X, locorum trium millium reddentium quatuor sectorum pro quolibet loco, 247 *a* et *seq.*; montis huiusmodi creditoribus, emptoribus, depositariis securitati providetur, 248 *a* et *seq.*; montis praefati, ab erectione elapsis viginti annis, tenetur dux Ursinus extinguere quolibet anno scuta quindecim millia, 248 *b*.

N

- Naufragorum bona in littore maris inventa rapientes excommunicantur, 176 *b*.
- Nicolaus a S. Mauro abbas generalis Congregationis reformatae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, 591 *a*.
- Nicolaus Marinus, decanus et parochus ecclesiae collegiatae oppidi de Tempio Ampuriensis dioecesis, 602 *b*; delictum publicae et scandalosae inobedientiae erga episcopum committit, *ibid.*; ipsius causa enarratur, *ibid.* et *seq.*
- Nobiles Romani vel incolae Status Ecclesiastici commercia exercere possunt sine nobilitatis praeiudicio, 229 *b*; nobiles praedicti commercia et mercaturas exercentes, dummodo merces minutatim per se ipsos non vendant, admittuntur ad militiam S. Iohannis Hierosolymitani, ac S. Stephani, aliorumque Ordinum militarium, 230 *a*.
- Nominis (SS.) Iesu litaniae commendantur, 405 *a*.
- Noberti (S.) abbatis die festo indulgentia plenaria in ecclesiis sui Ordinis, 411 *a* et *b*.
- Notarii auditoris camerae apostolicae, 375 *a*; in ipsorum utilitatem Paulus V centum officia vacabilia militum piorum de novo erigit, 375 *a* et *seq.*; alia undecim erexit Urbanus VIII, 378 *b*; notariorum praefatorum qui se obligaverint ad solutionem fructuum pro praedictis officiis crectis, 379 *a*; notariorum praedictorum in utilitatem alia quinquaginta quatuor officia huiusmodi erigit Clemens X, 379 *b*; officiorum eorundem dotem assignat ex massa tam distribuenda, quam apud eos remanente, 380 *a*; in notarios praefatos, solutionis tempore transacto, pro omnibus dietis officiis decernitur manus regia, 381 *a*; notarii praedicti debent singulis annis deponere pretium unius ex quinquaginta quatuor officiis ad creditum Datariae, 382 *a*.
- Notariorum auditorum Romanae Rotae quadraginta et octo officia reducuntur, 264 *a* et *b*; Clemens X notarios huiusmodi ad quatuor tantum limitat, 266 *a* et *seq.*; notariorum officia sic reducta, primum ad Romanum Pontificem, secundum ad vicecancellarium, tertium ad camerarium, quartum ad auditores S. Rotae pertinere declaratur, *ibid.*; notarii suppressi quomodo eorum officia vendere teneantur, 266 *a*; recusantibus vendere officia, quomodo fuerit provisum, 266 *b*; notarii ut supra suppressi in Rotae tribunalis causis sese immiscere non valent, *ibid.*; ad scripturarum consignationem quatuor praedictis notariis faciendam compelluntur, *ibid.*; notariis quatuor sic electis eadem onera et privilegia, quibus quadraginta octo notarii gravabantur et fruebantur, communicat, *ibid.*

O

- Officia militum piorum, *vide* Notarii auditoris Camerae apostolicae.
- Olivetorum Congregatio Ordinis S. Benedicti, 67 *a*; satuitur quod abbas generalis cum definitorio possit creare duodecim abbates titulares, 67 *b* et 168 *b*; abbas regiminis in praedicta Congregatione alternatim potest gubernare cum abbate

- titulari, 169 *a*; sed solum actu gubernans in capitulo generali suffragium habet, *ibid.*; quoad reliqua, *vide Abbates*; *vide etiam* Monachi Montis Oliveti.
- Ordinariorum iurisdictioni subiacent clerici et laici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum discedere volentes a religione per dispensationem certis non sequutis, 133 *a*.
- Ordines sacros conferendi linguam latinam ignorantes datur facultas nonnullis vicariis apostolicis, 444 *b* et 460; ad ordines sacros sic promotis commutari potest recitatio divini officii in alias preces propria lingua, *ibid.*
- Ordo Camaldulensium, *vide* Eremitae.
- Ordo Carmelitarum, 40 *b*; prior generalis ad aliud sexennium confirmatur, 41 *a*; expensae pro capitulo generali et assistentium sustentatione faciendae, in extinctionem aeris alieni erogantur, 41 *b*; fratres Carmelitae Discalceati faciunt cum Calceatis unum Ordinem Carmelitarum, 137 *b*; ideo fratribus praedictis omnia tam de iure quam ex privilegio Ordinem Carmelitarum attinentia communia sunt, *ib. d. b*; 138 *a*; fratribus et monialibus Carmelitis Calceatis communicantur omnes gratiae et privilegia iam concessa et in futurum concedenda fratribus Discalceatis, *ibid. b*; fratrum Carmelitarum in septem ultramontanis provinciis priores et officiales non a conventuum communitatibus, sed in provincialibus definitoriis eliguntur, 244 *a*; fratrum praedictorum officialibus extra tempus capituli vacantibus, novi a congregatione annua definitorii provinciae substituuntur, *ibid.*; fratrum praedictorum priori generali datur facultas lauream doctoralem fratribus sui Ordinis conferendi, 312 *b* et *seq.*; fratribus Carmelitis Discalceatis prohibetur aedificium conventus in oppido de Bilbao, 399 *a* et *seq.*; fratres Carmelitas qui vocaverint fratres B. M. V. de Monte Carmelo tres annos et totidem quadragenas indulgentiarum consequuntur, 403 *b*; fratrum praedictorum priori generali datur facultas confraternitates sacri Scapularis instituendi, 408 *a*; fratribus praedictis indulget Paulus V et Gregorius XV ut ubique conventus valeant erigere de solâ Ordinariorum licentia, 528 *a* et *seq.*; fratrum praedictorum conventus Iesu et Mariae de Urbe est generalis, et studium generale, 611 *a* et *seq.*
- Ordo Cisterciensium, *vide* Monachi Cistercienses.
- Ordo fratrum eremitarum S. Augustini, 155 *b*; fratribus praedictis Hispaniae nullum ius competere super monasterio Ulissiypnae erecto declaratur, 156 *a* et *seq.*; 170 *a* et *seq.*; fratribus praefatis novorum conventuum in regno Lusitaniae erectio prohibetur, *ibid.*; prior generalis, et assistentes vitam communem in nonnullis conventibus introducunt, 351 *b* et *seq.*; constitutiones particulares ad eiusdem conservationem, 352 *a* et *seq.*; auctoritate apostolicâ confirmantur, 355 *b*; fratrum eremitarum Calceatorum S. Augustini privilegia communia sunt Discalceatis eiusdem Ordinis, 465 *a* et *seq.*; fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum Congregationem instituit capitulum generale anno MDCXII, 465 *b*; ut germana S. Augustini Congregatio a Clemente VIII fuit habita, *ibid.*; declaratur esse praefatos fratres veros S. Augustini filios, ipsorumque Congregationem omnibus Calceatorum privilegiis gaudere, *ibid.*; fratrum praedictorum in regno Portugalliae nova decem conventuum congregatio erigitur, et decreta prohibitiva revocantur, 537 *b* et *seq.*;

- fratrum eorundem congregationi conceduntur omnia indulta, quibus gaudet congregatio Italiae, 538 *b*; fratrum praedictorum laicis prohibetur transitus ad statum clericalem etiam vigore indultorum apostolicorum sine licentiâ generalis et provincialis, 583 *b*; fratrum praedictorum conventus Iesu et Maria de Urbe est generalis, et studium generale, 641 *b* et *seq.*
- Monialium regularium Ordinis Discalceatorum S. Augustini monasterium fundatur in valle Xabregas prope muros Ullyssiponae pia liberalitate Mariae Aloysiae Portugalliae reginae, 536 *a*.
- Ordo fratrum S. Pauli I Eremitae, 183 *a*; monasteria aliqua pro studiis generalibus horum fratrum deputantur, *ibid.*; superiori generali ad doctoratum promovere posse studentes religiosos indulsit Pontifex, 183 *b*; et praelaturas obtinere non posse, nisi sint doctoratus laurea insigniti, *ibid.*; numerum doctorum stabiliendum esse statuitur, 184 *a*.
- Ordo Iesuitarum, *vide* Societas Iesu. —
- Ordo Minimorum S. Francisci de Paula, 76 *a*; statuitur quod procurator generalis eiusdem, quem zelosum vocant, votum habeat in capitulo generali, ubicumque istud fiat, 77 *a*.
- Ordo Minorum Cappuccinorum fratres Cappuccini et moniales eiusdem Ordinis cuiuslibet mensis die non impedita officium S. Clarae sub ritu semiduplici possunt recitare, 241 *a* et *b*; fratres Cappuccini ad personas extra Ordinis recurrentes ad obtinenda quaecumque munera Ordinis excommunicantur, 261 *a*; fratres Cappuccini prohibentur ne conventum erigant in loco Vianae, 347 *b* et *seq.*; neque in civitate Maioricensi, 396 *b* et *seq.*; fratribus Cappuccinis denegatur facultas conferendi mulieribus habitum Tertii Ordinis sancti Francisci, 357 *b*; demum ipsis aequae ac Tertiariis Gallicanae Congregationis conceditur, 540 *b* et *seq.*; fratrum praedictorum minister generalis facultatem obtinet ordinandi capitula provincialia de sesquianno in sesquiannum, sublatis congregationibus intermediis 608 *a* et *seq.*
- Ordo Minorum Conventualium, 98 *a*; provinciales in conventibus etiam de mensa reverendissimi iurisdictionem habent et possunt ibi leges ferre, licet inconsulto ministro non possint ferre sententiam, 98 *b*; iidem provinciales titulares in capitulis generalibus a diffinitorio eligantur quolibet triennio; infra triennium autem, eliguntur a generali ministro cum assistentium consilio, *ibid.*; guardiani munus recusantes, per triennium ab officio vacent, obedientiales advenarum fratrum litteras propriis oculis examinent, quibus carentes carceribus mancipent, *ibid.*; lectores seu regentes qui per novem annos in studiis primae, secundae et tertiae classis legerint, ad regentias in Urbana constitutione designatas promoti et ad collegia intelligantur assumpti, 99 *a*; quid debeant praestare, ut ad paternitatem provinciae ascendant, *ibid.*; perpetui diffinitores in quibuscumque electionibus suffragium ferant, 99 *a* et *b*; debitis autem carentes requisitis, ab ingressu diffinitorii excludantur, remanentes cum ceteris praerogativis, *ibid.*; concionatores illi ad provinciarum paternitates admittantur qui per duodecim annos in primoribus Ordinis templis conciones quadragesimales, non autem annuales habuerint, *ibid.*; baccalauri doctiores ad examen eligantur, et idonei certis collegiis deputentur, *ibid.*; quod si elapso

triennio theses et examen egregie sustinuerint, doctorali laurea a ministro generali donentur, 400 *a*; collegiales, qui parum profecerint, si alio triennio in eodem collegio probati nullam spem profectus dederint, ut simplices baccalauri habeantur, *ibid.*; baccalauri non sacerdotes nequeunt ad collegia concurrere, multo minus ad illa admitti, *ibid.*; praecedentia inter collegiales et magistros regulatur, *ibid.*; ad concionatoris munus nemo promoveatur nisi a provinciae diffinitorio acceptatus, quamvis a generali ministro patentes litteras obtinuerit, *ibid.*; filiationes de conventu in conventum transferri prohibetur sine expressa et raro concedenda ministri generalis auctoritate, 400 *b*; novitii eruditi ac liberalibus disciplinis apti probatique spiritus eligantur, et magistris piis et prudentibus eorum commendentur, *ibid.*; alterius Ordinis alumnus non admittatur, qui a generali diffinitio non fuerit acceptatus, *ibid.*; fratres Minores Conventuales reformati extinguntur a Clemente IX in quinque conventibus regni Neapolitani, 409 *a* et *b*; et ipsis indultum fuit ut inter fratres S. Petri de Alcantara incorporarentur, *ibid.*; sed conventuales contra allegarunt praedictos conventus ad se spectare, *ibid.*, iterum Clemens X praedictos conventus tribuit fratribus Discalceatis S. Petri de Alcantara, 410 *a* et *seq.*; in ecclesiis Minorum Conventualium indulgentiae plenariae die xx augusti conceditur, 412 *a*; fratrum praefatorum diffinitores perpetui, seu patres provinciae, in quinque species distinguuntur, 284 *a* et *seq.*; exprovincialium praeminentiis gaudent, *ibid.*; inter ipsos et exprovinciales sola attenditur antianitas paternitatis provinciae, *ibid.*; fratrum eorundem minister generalis in omnibus sui Ordinis ecclesiis potest erigere confraternitates Chordigerorum, 413 *a* et *b*.

Ordo Minorum Discalceatorum provinciae S. Petri de Alcantara, 409 *a*; fratres huiusmodi obtinent quinque conventus Minorum Conventualium reformatorum in regno Neapolitano, 409 *b*; fratribus praedictis incorporantur a Clemente IX Minores Conventuales reformati, extincta horum reformatione, *ibid.*; fratrum Minorum Discalceatorum praedicti quinque conventus in novam custodiam eriguntur, 410 *a* et *b*; fratrum praedictorum praefata custodia iterum confirmatur, 325 *b*; et pro felici eiusdem regimine et manutentione plura statuuntur, 344 *a* et *seq.*; et 418 *b* et *seq.*; fratrum eorundem praedicta custodia demum in provinciam erigitur, 532 *b* et *seq.*

Ordo Minorum Reformatorum. Fratres Minores Reformati ultra quindecim dies, si non sint de familia, commorari non possunt in conventibus Ss. Francisci et Petri in Monteauereo de Urbe sub gravibus poenis, 242 *a* et *seq.*; fratres praefati tantisper secedentes, et in eandem Urbem regredientes, eisdem poenis subiiciuntur una cum superioribus, eiusmodi elusoriis conatibus non obstantibus, *ibid.*

Ordo Minorum S. Francisci de Observantia, 39 *b*; fratribus in Terrasancta commorantibus privilegia confirmantur, *ibid.*; ipsis conceditur ut medicinae et chirurgiae periti etiam sacerdotes possint exercere huiusmodi artes, 66 *a*; provinciales nationis Germano-Belgicae debent singulis trienniis dare electionem liberam praefectarum in omnibus sui Ordinis Monialium monasteriis, 282 *a* et *b*; fratres praedicti obtinent a Pontifice decretum in eorum favorem

- circa cadavera, quae in eorum ecclesiis sepeliuntur, 298 *b* et *seq.*; 300 *a* et *b*; fratres praefati in Hispania possunt eligere conservatores non designatos in synodo dioecesana, 301 *b*; fratrum Minorum de Observantia ministro generali subditur conventus S. Bonaventurae Lugdunensis, 302 *b* et *seq.*; controversiae supprimuntur cum deputatione suorum officialium, 310 *a* et *seq.*; fratres praefati provinciae S. Antonii Brasiliae absoluntur a censuris, et dispensantur ab irregularitate, 310 *b*; fratres praefati obtinent ne Cappuccini conventum seu domum erigant in loco Vianae, 347 *b* et *seq.*; fratres praedicti et reformati obtinent passim per abusum indulta voti perpetui, et privilegia personalia, quae revocantur, exceptis confessariis imperatorum et regum, 349 *b* et *seq.*; neque in civitate Maioricensi, 396 *b* et *seq.*; fratrum praedictorum minister vel commissarius generalis potest erigere confraternitates Chordigerorum in ecclesiis Ordinis, in locis tamen ubi non sint Minores Conventuales, 413 *a* et *b*; 414 *a.*; fratres praefati custodiam sub nomine Immaculae Conceptionis in novam provinciam erigunt cum dismembratione provinciae S. Antonii Brasiliensis, 585 *a* et *seq.*
- Ordo Praedicatorum seu S. Dominici, 164 *b*; fratribus et consororibus etiam tertiariis huius Ordinis conceditur ut missam Rosarii audientes obtineant indulgentias quas luerantur recitantes totum Rosarium, *ibid.*; huius Ordinis fuit S. Rosa de Lima, *vide* S. Rosa de Lima; item S. Ludovicus Bertrandus, *vide* Ludovicus; item B. Gundisalvus de Amarante, 235 *b.*
- Ordo Redemptionis Captivorum sub titulo B. Mariae de Mercede, 433 *b*; fratribus Discalceatis huius Ordinis communicantur privilegia ab Urbano VIII iam concessa Congregationi Discalceatorum SS. Trinitatis, 434 *a* et *seq.*; Discalceati nequeunt transire ad Calceatos eiusdem Ordinis, 447 *b*; nec ad Carthusianos, *ibid.*; fratrum praedictorum ecclesiae gaudent indulgentia plenaria in certis festis, 462 *b* et *seq.*; fratres praedicti tam Calceati quam Excalceati possunt ubique celebrare festum omnium Sanctorum Ordinis XIII novembris, 550 *b*; et novos conventus erigere de sola Ordinariorum licentia, 588 *b* et *seq.*
- Ordo Redemptionis Captivorum sub titulo SS. Trinitatis, 388 *a*; ministro vel generali procuratori datur facultas ubique confraternitates sui Ordinis instituendi et indulgentias communicandi, 388 *a* et *seq.*; fratribus praedictis in communicatione praefatarum indulgentiarum praescribitur nova formula, 391 *b*; fratribus praedictis non licet habere imagines B. Petri Paschastii cum eorum habitu depictas, 578 *b* et *seq.*; fratrum praedictorum Discalceatorum Congregationis Hispaniae constitutiones referuntur et approbantur, 613 *a* et *seq.*
- Ordo S. Benedicti, *v'de* Monachi Cistercienses, *vel* Cassinensium Congregatio.

P

- Pacificatio inter Genevenses et ducem Sabaudiae, tamquam laesiva iurium Apostolicae Sedis et cathedralis Genevensis, reprobatur, 518 *a* et *seq.*
- Palutius cardinalis Alterius, unus a cardinalibus protectoribus collegii Germanici de Urbe, 543 *b.*

- Parochi non possunt plus percipere ab haeredibus pro defunctis qui sepeliuntur in ecclesiis fratrum Minorum de Observantia, quam in parochiali vel alia cleri secularis ecclesia, 298 *b* et *seq.*; parochi non possunt se intromittere in functionibus funerum super cadavera defunctorum in regularium ecclesiis sepeliendorum exercendis, 300 *a* et *seq.*; parochi associantes cadavera ad ecclesias regularium non ingrediantur, sed dimittant ea ad ianuas ecclesiae, *ibid.*; parochi ita dimittentes cadavera ad ianuas ecclesiarum ea possunt benedicere, *ibid.* parochi ab eodem ingressu, et functionibus, et maiori solutione percipienda abstinere debent, etiamsi cadavera ad ecclesias Societatis Iesu deferantur, 328 *b* et *seq.*; parochi in regnis Castellae et Legionis associantes cadavera in ecclesias regularium possunt ingredi et alia munia obire, 425 *a* et *b.*
- Patriarcham Antiochenum qui lethaliter vulnerarunt, declarantur excommunicati, campanis pulsatis et candelis accensis in omnibus ecclesiis Urbis, eiusque districtus, 373 *a* et *seq.*
- Pauli (S.) primi eremitaе fratres, *vide* Ordo.
- Petri (S.) Nolasco die festo indulgentia plenaria in ecclesiis sui Ordinis, 462 *b* et *seq.*
- Petrus (S.) de Alcantara natus est Alcantarae in Baeturia anno mcdxcix, 2 *a*; virtutes et vita ipsius recensentur, *ibid.*; novam Ordinis Minorum reformationem instituit, eiusdemque a Paulo IV commissarius generalis eligitur, 4 *b*; in reformatione Carmelitarum S. Teresiam adiuvit, *ibid.*; miracula ipsius referuntur, 5 *a* et *seq.*; non iacens, sed in genua erectus moritur anno mdlxii, aetatis sexagesimo tertio, *ibid.*; Beati titulo insignitur a Gregorio XV mdcxxii, 7 *b*; Sanctorum albo adscribitur a Clemente IX, 9 *a*; canonizationis Bullam expedit Clemens X, 9 *b.*
- Petrus (S.) Paschasius episcopus Giennensis et martyr Ordinis B. M. de Mercede, 78 *a*; sententia Ordinarii Giennensis super cultu ab immemorabili ipsi exhibito refertur, 78 *b*; et confirmatur, 79 *a* et *b*; huius sancti imagines cum eorum habitu depictas non licet habere fratribus SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 578 *b* et *seq.*
- Petrus cardinalis Octobonus Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum protector, 550 *b.*
- Petrus de Consentia procurator generalis seu zelosus Ordinis fratrum S. Francisci de Paula Minimorum, 76 *a.*
- Petrus de Segorbe et Cardona, regni Neapoli prorex, 109 *a*; 154 *a.*
- Petrus episcopus Berytensis, 444 *a*, 460 *b* et *seq.*
- Petrus Mercier minister generalis Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 390 *a*; 408 *b.*
- Petrus princeps gubernator regnorum Portugalliae et Algarbiorum, 145 *a.*
- Pharmacopolarum Urbis lites super taxis rerum ad ipsos spectantium sustinentur ex adverso a protomedico et collegio medicorum impensis Camerae Urbis, 507 *a* et *seq.*
- Philippus (S.) Benitius Ordinis Servorum B. M. V. propagator, Sanctorum albo adscribitur, 373 *b.*
- Philippus a Iesu procurator generalis Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 409 *a.*

- Philippus Louvet canonicus ecclesiae Bisuntinae absolvitur a censuris, 611 *b* et *seq.*
- Philippus Tanus Romanus, Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, 523 *b*; abbas titularis creatur, 524 *a*; ipsius controversiae cum abbate monasterii S. Pauli extra moenia Urbis definiuntur, 524 *b* et *seq.*
- Pictorum in favorem aliorumque academiae S. Lucae decreta referuntur, 62 *b* et *seq.*; et confirmantur, 65 *a.*
- Pius (S.) Papa V Beatorum catalogo adscribitur, 304 *b* et *seq.*; eius multis in locis missae et officii recitatio, 305 *b.*
- Poenitentiariae apostolicae litteras aperire et exequi possunt confessarii Congregationis Missionis a superiore generali per se vel alios superiores deputati, 140 *a.*
- Poloniae, Lituaniae et adiunctarum provinciarum patronus eligitur B. Stanislaus Kostka, 563 *b* et *seq.*
- Poloniae regnum olim florentissimum, formidabili Turcarum potentia atque inimitate in discrimen summum adductum, 364 *a*; pro ipso iubilaeum universale indicitur, 365 *a* et *seq.*
- Portugalliae regni iuribus per innovationes factas circa provisiones ipsius ecclesiarum, Algarbiorum, etc., post decessum Sebastiani et Henrici regum, nullo modo praedictatum fuit, 145 *b*; sed ipsa iura quoad praefatas innovationes in eo statu permanere, quo erant tempore dictorum regum, declaratur, *ibid.* Portugalliae et Algarbiorum regnis attentatum contra collectorem spoliatorum, 368 *a* et *seq.*; Portugalliae nonnullae causae ad Inquisitionem spectantes avocantur ad Inquisitionem Urbis, 487 *b* et 496 *b* et *seq.*
- Praedicare volentes regulares in ecclesiis sui Ordinis tenentur ab episcopo benedictionem petere, 55 *b*, 56 *a*; praedicare tamen ibidem possunt etiamsi benedictionem non obtinuerint, 56 *b*; praedicantes regulares in sui Ordinis ecclesiis, episcopo contradicente, ab ipso tamquam Sedis Apostolicae delegato possunt puniri, *ibid.*; praedicationem regularibus generatim in ecclesiis suorum Ordinum prohibere non potest episcopus, 56 *b.*
- Praedicatoribus bis in anno tenentur commendare loca Terrae sanctae, 599 *b*; redemptionem captivorum, 522 *b* et *seq.*
- Praedicatoribus commendantes recitationem litaniarum SS. Nominis Iesu, trecentorum dierum, et B. M. V., ducentorum indulgentias consequuntur, 405 *a*; praedicatoribus commendantes ut sic salutetur *Laudetur Iesus Christus* et respondeatur *In saccula* vel *Amen* vel *Semper*, quinquaginta dierum indulgentiae lucrantur, *ibid.*
- Privilegia conclavistarum, dapiferorum familiarium Papae, abbreviatorum litterarum apostolicarum, cappellanorum, auditorum S. Rotae, universitatis Lovaniensis, Caesenae, Urbini: *vide* in propriis horum coetuum nominibus.
- Privilegia concessa guardiano Montis Sion, fratribus, et locis Terrae Sanctae confirmantur, 39 *b*; privilegia ab Urbano VIII Discalceatis B. M. de Mercede redemptionis captivorum concessa confirmantur, 134 *b* et *seq.*; privilegia Carmelitis Discalceatis concessa ad favorem etiam Calceatorum emanata censentur, 138 *a* et *seq.*; privilegia eremitarum Ordinis S. Augustini communia sunt Discalceatis eiusdem Ordinis, 465 *b* et *seq.*
- Privilegia exemptionum a vectigalibus et aliis Camerae oneribus ecclesiasticis per-

- sonis concessa ad iuris terminos reducuntur, 425 *a*; privilegia consanguineis Pontificum quoad exemptiones a vectigalibus concessa revocantur, *ibid.*; privilegia et indulta in praedictum Sedis et Camerae Apostolicae revocantur, *ibid.*
- Privilegia regularium, si sint ambigua, non a metropolitano, sed ab Apostolica Sede sunt interpretanda, 58 *a* et *b*.
- Propaganda (de) Fide Congregatio, 393 *a*; sine ipsius licentia edi non possunt libri de missionibus tractantes, *ibid.*
- Protomedicus et medicorum collegium in Urbe non tenentur ad expensas litium super taxa rerum ad pharmaciam spectantium, sed Camera Urbis ad illas expensas sustineudas tenetur, 506 *a* et *seq.*
- Provincia declaratur custodia S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano, 532 *b*; item custodia fratrum Minorum de Observantiâ nomine Immaculae Conceptionis B. M. V., 585 *a* et *seq.*
- Puellae quaecumque conservatorii *Divinae Providentiae* de Urbe ad dotalia subsidia possunt admitti, 597 *a*.

Q

- Quadragesimae et Adventus temporibus praecipitur praedicatoribus ut redemptionem captivorum populo commendent, 522 *b* et *seq.*; item Terraesanae necessitatem, 599 *b*.
- Quindennia et annatae, 270 *a*; ad quindenniorum solutionem teneri quascumque ecclesias pro beneficiis unitis, voluit Pius V, Urbanus VIII, 270 *b* et *seq.*; quindenniorum solutio introducta est ne Camerae Apostolicae ex beneficiorum unione quae amplius vacare non sperantur detrimentum inducatur, 271 *b*; quindennia solvi debere pro beneficiis perpetuo unitis a locis quantumvis privilegiatis, etiamsi sint manualia et de iurepatronatus, dummodo excedant valorem viginti quatuor ducatorum auri de Camera, statuit Sixtus V, *ibid.*; quindennia, annatas et alia onera Camerae debita non solventes, quas poenas incurrant, 273 et *seq.*; quindennia non solvendi exemptiones et privilegia revocantur, 274 *a*; pro ipsorum exactione particularis congregatio erigitur, 276 *b*.

R

- Regulae et generales constitutiones fratrum Discalceatorum congregationis Hispaniae Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, 614 *a* et *seq.*
- Regulares petere debent benedictionem ab episcopo pro verbi Dei praedicatione, 55 *a* et *seq.*; et approbationem ab ipsius pro confessionibus excipiendis, 56 *b*, 57 *a*; semel approbati, ob scandalum suspendi possunt, 57 *b*; regulares absolventi facultatem a casibus Sedi Apostolicae reservatis habentes, a casibus episcopo reservatis non habent, 58 *a*; item vigore horum privilegiorum absolutos etiam satisfactâ parte in foro poenitentiali non possunt absolvere in iudicio contentioso, *ibid.*; eadem regularium privilegia quoad absolutionem a casibus episcopo reservatis non reviviscunt per confirmationem privilegiorum a Sede Apostolica obtentam post Concilium Tridentinum, *ibid.* *a*; regulares

eiusdem conventus non possunt omnes simul a confessionibus audiendis ab episcopo suspendi, inconsultâ Sede Apostolicâ, *ibid. a*; regularium privilegia exhibita episcopo qui iudicat illa non suffragari, non a metropolitano, sed a Sede Apostolicâ examinanda sunt, *ibid. a et b*; regulares tenentur quolibet anno legere decretum, quo prohibetur impressio librorum ad missiones spectantium absque licentia congregationis de Propaganda Fide, 393 *b et seq.*; regulares accipientes ab episcopis litteras deputationis in vicarios generales ad exercendam iurisdictionem in China et aliis locis commissis vicariis apostolicis, excommunicantur, 455 *b et seq.*; regulares in Chinam et alia loca mittendi possunt per alias vias, quam per Lusitaniam proficisci, 457 *a et seq.*; regulares praefatos aliam viam suscipientes impediuntur excommunicantur, *ibid.*; regularibus praecipitur stricta observantia constitutionum apostolicarum et decretorum Congregationis de Propaganda Fide quoad partes Orientales, 482 *b et seq.*

Regularium iura circa cadavera, quae in eorum ecclesiis tumulantur, 298 *b et 300 a et seq.*, *vide* Parochi; regularium praefata iura circa cadavera vim non habent in regnis Castellae et Legionis, 425 *a et b*.

Regularium controversiae, gravioribus exceptis, possunt apud Sinas aliasque infidelium partes a vicariis apostolicis dirimi, 448 *b et seq.*; a regularibus iisdem possunt iisdem vicariis exigere rationem executionis priorum voluntatum, *ibid.*; regularibus praedictis non licet aperire ecclesias ubi alii missionarii ecclesias habent, *ibid.*; regulares praefati in defectu sacerdotum saecularium tenentur curam animarum exercere, *ibid.*; regulares curam animarum apud Sinas aliasque infidelium partes exercentes subduntur quoad functiones parochiales Vicariis apostolicis, *ibid.*; regulares praedicti prohibentur catechistas voto obedientiae erga seipsos privative quoad vicarios apostolicos obstringere, 449 *b*.

Reliquiae sacrae extrahi non possunt e coemeteriis Urbis et locorum circumvicinorum sine licentia cardinalis Vicarii Papae, 296 *a*; non possunt effodi aliter quam coram sacerdote a cardinale vicario deputando sub poena excommunicationis latae sententiae, *ibid.*; sic extractae deferantur ad Urbem rectâ custodiendae vel a praefecto sacrarii apostolici vel a sacerdote per dictum vicarium deputando; ad cultum non exponantur, nisi prius a dicto cardinale vicario approbentur, 296 *b*; nec in privatis aedibus, nec apud laicos homines asserventur, *ibid.*; praedictae qua cautela sint distribuendae, *ibid.*; reliquiis Sanctorum ne alia adscribantur nomina praeter imposita a cardinale vicario sub gravibus poenis prohibetur, 297 *a*; reliquias tradentes, si aliquod etiam modicum quocumque praetextu accipiant, excommunicantur, 297 *a et b*.

Renatus Almeras superior generales Congregationis Missionis, 239 *b*.

Rotae (S.) auditores, *vide* Auditorum Sacrae Rotae.

Rosae (S.) de S. Maria Limanae officium et missam sub ritu duplici peragere concessit Clemens IX clero civitatis et dioecesis Limanae et universi Ordinis S. Dominici, 71 *b*; item clero Americae et Indiarum, 68 *b*, 72 *a*; et totius Hispaniae, 68 *b*; domuique Austriacae subiectis regionibus, 69 *a*; quod confirmat Clemens X, 72 *b*; extenditur concessio ad regnum Poloniae, Lituaniae, etc., *ibid.*; a Clemente IX eligitur in patronam totius regni Peruani, 73 *b*; ipsius

patrocinium extenditur ad singulas provincias Americae, Philippinarum et Indiarum, 74 *b* et *seq.*; indulgetur ut de ipsa celebrari possit missa ex voto vel devotione in toto terrarum orbe, 97 *b*; bulla canonizationis ipsius, 187 *b* et *seq.*; S. Rosa de S. Maria Limae in regno Peruano nascitur 1 maii MDLXXXVI, 189 *a*; annum quintum agens, virginitatem suam Deo dicavit, 189 *b*; habitum S. Dominici Tertii Ordinis aetatis vigesimo suscepit, 191 *b*, ieiunium per octo dies sola Eucharistiae communione contenta protraxit, 201 *a*; eius virtutes et miracula recensentur, 200 *b* et *seq.*; obiit Limae, 208 *b*; Beatarum catalogo adscribitur a Clemente IX, 212 *a*; et a Clemente X Sanctarum albo accensetur, 213 *a* et *seq.*

Rosarii missam celebrantes, ipsique assistentes, tot indulgentias consequuntur, quot confratres et consorores totum Rosarium recitantes, 164 *a* et *seq.*; fratres moniales, etiam tertiariae, Ordinis Praedicatorum, et praefati eam audientes, easdem obtinent indulgentias, *ibid.*; missam celebrantes vel audientes tot lucrantur indulgentias quot confratres et consorores qui processioni SS. Rosarii prima dominica cuiuslibet mensis intersunt, 165 *a*.

S

- Sabaudiae ducem inter et Genevenses pacificatio inita reprobatur, 518 *b* et *seq.*
 Sacerdotes linguam latinam ignorantes ordinandi conceditur facultas nonnullis vicariis apostolicis, 444 *b*; eisdem loco officii divini substitui possunt aliae preces in eorum lingua, *ibid.*
 Sanctes de Pilastris in utraque signatura referendarius et subdatarius, 594 *b*.
 SS. Sacramenti B. Mariae Virginis et S. Ioseph, sub titulo gregis Boni Pastoris, confraternitates supprimuntur, 440 *b* et *seq.*; ipsarum constitutiones, folia, imagines et quarundam catenularum usus prohibentur, *ibid.*
 Scapularium confraternitatis SS. Trinitatis redemptionis captivorum deferentes quot lucentur indulgentias; *vide* Indulgentiae pro confraternitate redemptionis captivorum SS. Trinitatis.
 Scapularis (S.) Ordinis Carmelitarum festum, si celebrari non possit xvi iulii vel dominica immediate sequente, transferri potest in aliam eiusdem mensis, 408 *a*; S. Scapularis confraternitates prius erectae validantur, 495 *a* et *seq.*; *vide* Indulgentiae pro confraternitate S. Scapularis.
 Scholae Piaae, *vide* Clerici regulares Congregationis Scholarum Piarum.
 Scholares universitatis Lovaniensis quando sint capaces beneficiorum, 435 *a*; scholares praefati quot, quae et a quibus beneficia consequi possint, *ibid.* et *seq.*
 Scholasticae (S.) sororis S. Benedicti laudes, 292 *b*.
 Seotorum collegium de Urbe, *vide* Collegii Graecorum, etc.
 Sedis Apostolicae iuribus praeiudicatum non fuit per innovationes circa provisiones ecclesiarum regni Portugalliae Algarbiorum, Indiarum et conquistarum post decessum regum Sebastiani et Henrici, 147 *a*; ipsa iura adversus dictas provisiones in integrum restituuntur, 476 *b*.
 Sedes archiepiscopalis cum baldachino in ecclesia metropolitana Ianuensi semper stetit a cornu evangelii, 338 *b* et *seq.*; sedem praedictam a cornu epistolae

- collocari fecerunt dux et gubernatores Reipublicae Ianuensis, *ibid.*; eiusmodi situs ratus habitus est ab archiepiscopo Ianuensi, *ibid.*; sedem praedictam a cornu epistolae removendam, et ad cornu evangelii reponendam statuitur, 340 a.
- Sinarum, aliorumque locorum infidelibus subiectorum vicarii apostolici eximuntur a iurisdictione Inquisitionis Goanensis, 442 b; et a iurisdictione Ordinationem, 484 a, 486 b; clericos absque patrimonii perpetui titulo sacerdotes ordinare posse eis indulsit ad tempus Alexander VII, Clemens IX et X, 444 a; item clericos latinam linguam ignorantes ordinare possunt sacerdotes, et loco officii divini substituere alias preces in eorum lingua, *ibid.*
- Sinarum, Indiarum Orientalium, aliorumque locorum missionarii non tenentur Lusitaniam pertransire, 497 a et seq.
- Societas Iesu, 80 b; in ecclesiis ipsius officium et missa B. Stanislai Kostkae recitari et celebrari potest in Polonia, Lithuania et alibi a quibuscumque, 80 b; quomodo hoc indultum sit intelligendum declaratur, 257 b; ecclesias Societatis circa cadavera, quae ibi sepeliuntur, conveniunt eadem iura ac ceteris regularibus, 328 b et seq.; praepositus generalis facultatem habet professos e Societate emittendi, et non modo ad Carthusiensem, sed quorumvis regularium Ordines transferendi, 592 b; professi sic translati nequeunt denuo ad alium Ordinem, Carthusiensi excepto, transire absque Romani Pontificis licentiâ, aliâ annullatur nova professio, et sic transeuntes ut apostatae habentur, 593 a et seq.
- Somascha (de) Congregationis clerici regulares non possunt transire ad congregationem Matris Dei Scholarum Piarum, nec vicissim, 423 b et seq.
- Stanislaus (S.) Kostka Societatis Iesu, 80 b; ipsius officium et missa celebrari potest, *ibid.*; item, 257 b; eligitur patronus Poloniae, Lithuaniae, licet sacrorum rituum Congregatio vetet Beatos in patronos eligere, 463 b et seq.; eius festum in praefatis regnis dominica proxima post xiii novembris potest celebrari, *ibid.*
- Stephanus card. Durazius ecclesiae Ianuensis praesul, 338 b; ipsius renunciatio acceptatur, *ibid.*

T

- Taxa in Urbe super rebus ad pharmaciam spectantibus stabilitur a protomedico et medicorum collegio Urbis, 506 b; lites occurrentes super ipsa sustineri debent a protomedico impensa Camerae, 506 b et 507 a.
- Taxae in favorem academiae S. Lucae, earundemque pro annatis decursis et non solutis reductiones, 35.
- Terraesanae necessitatem tenentur populo commendare bis in anno praedicatores, 599 b et seq.
- Terramsanctam incolentes fratres Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, 39 b; ipsis privilegia confirmantur, *ibid.*; artes medicinae et chirurgiae valent exercere, etiamsi sint sacerdotes, 66 a.
- Terramsanctam incolentes et visitantes quot lucentur indulgentias, 39 b.
- Tertii Ordinis S. Dominici privilegia et indulgentiae *vide* Ordo Praedicatorum, *vel* Rosarii; huius Ordinis fuit S. Rosa de Lima, *vide* S. Rosae de Lima.
- Tertii Ordinis sancti Francisci Congregatio Gallicana, 306 a; indulta ab Ur-

- bano VIII concessa oblatis, *ibid.*; eorum extensio et confirmatio, 307 *b* et *seq.*; habitum mulieribus conferendi ius fratribus Tertii Ordinis Congregationis Gallicanae pertinere declaratur exclusis Cappuccinis, 357 *b*; extenditur eadem facultas Cappuccinis, 540 *b* et *seq.*
- Theatini possunt quotannis officium de Purificatione B. M. V. celebrare cum octava, 245 *a*; ipsis ambitus interdicitur, *vide* Ambitus; clerici praedicti, ad favorem principum pro consequendis officiis recurrentes, excommunicationem latae sententiae Papae reservatae incurrunt, 427 *a*.
- Theodorus Baldinus abbas generalis Congregationis Vallisumbrosae S. Benedicti, 259 *a*.
- Tres decimae infra quinquennium solvendae imponuntur super bonis quibuscumque ecclesiasticis Italiae, 467 *b* et *seq.*; trium decimarum a solutione excipiuntur S. R. E. cardinales ac militia S. Ioannis Hierosolymitani, 468 *a* et *b*; trium decimarum ad solutionem tenentur omnes regulares, 468 *b* et *seq.*; etiam duodecim congregationes exemptae, 473 *a*; tres decimas statuto tempore non solventium poenae, 470 *a* et *b*; exactorum fraudantium poenae, 474 *a*; trium decimarum debitores invitantur ad compositionem cum Camera Apostolica, 473 *b*; trium decimarum, cessante infra quinquennium causa, cessat eo ipso solutio, *ibid.*
- Turcarum attentatus et minae contra Poloniae regnum, 364 *a* et *b*; eos clades quantumvis magna et memorabilis ad Tyram annum accepta irritavit potius quam fregit, 478 *a*.
- Tyras annis, 478 *a*; prope istam clades magna et memorabilis a Turcis accepta, *ibid.*

U

- Universitas studii generalis Avenionensis, 280 *b*; illi confirmantur omnia privilegia, *ibid.*
- Universitas studii generalis Caesenaе, 594 *b*; illi privilegia confirmantur, addita facultate iuristarum collegio idoneos quoscumque ad gradum doctoratus promovendi, 595 *b* et *seq.*
- Universitas Lovaniensis erigitur a Martino V, 429 *a*; a Romanis Pontificibus pluribus privilegiis decoratur, *ibid.*; universitatis praefatae abusus Sedis Apostolicae iura laedentes in beneficiorum collatione, 429 *b*; universitati praedictae suspenditur facultas beneficia conferendi in civitate, patria ac dioecesi Leodiensi, 430 *a*; universitatis praedictae et conservatorum acta iudicialia in beneficiorum collatione et provisione durante huiusmodi suspensione irritantur, 430 *b* et *seq.*; collatio beneficiorum vacantium in mensibus universitatis a Clemente IX S. Sedi reservatur, *ibid.*; eiusdem conservatoribus praecipitur, ne credentes se habere ius ad beneficia Sedem Apostolicam appellare impediantur, 432 *b* et *seq.*; conservatores eligant iustitiae ministros, 433 *a*; nullum ius habent super coadiutoriis a S. Sede factis, 433 *b*; acta a decano contra personam a Sede Apostolica provisam nulla declarantur, 434 *a*; universitatis concilium quadraginta octo personis constare statuitur, 434 *b*; universitas praedicta potest nominare ad beneficia curata intra mensem a die eorum vacationis, salvo exa-

mine ab Ordinariis faciendo, 435 *a*; universitatis praedictae alumni plura beneficia incompatibilia obtinere non possunt, *ibid.*; quid si beneficium fuerit tenuis redditus, *ibid.*; universitas praefata, vacantibus sedibus episcopalibus, potest nominare ad beneficia vacantia post sex menses a die earum vacationis, 436 *b*; universitatis praedictae facultas suspensa a Clemente IX conferendi beneficia in civitate, patria et dioecesi Leodiensi, restituitur a Clemente X, *ibid.*

Universitas Maioricensis erigitur, 395 *b*.

Universitas Urbini erigitur, et privilegiis augetur, 184 *b* et *seq.*

Ursinorum familia de Sede Apostolica benemerita, 241 *a*; in ipsius favorem erigitur Mons Ursinus quintae erectionis, *ibid.*

V

Vicarii apostolici apud Sinas, aliasque partes Orientales eximuntur a iurisdictione Goanae Inquisitionis, 442 *a* et *b*; Sinarum, aliorumque locorum infidelium, possunt ordinare suos sacerdotes etiam idioma latinum ignorantes, dummodo illud legant, 444 *b*, et 460 *a* et *seq.*; item ipsis loco officii alias preces in eorum lingua substituere, *ibid.*; ipsis defunctis, si unus supersit, potest simplicem sacerdotem in episcopum vicarium apostolicum consecrare cum assistentia duorum sacerdotum vel sine, 445 *a*; eisdem conceditur facultas dispensandi super quibusvis gradibus consanguinitatis vel affinitatis, excepto primo, et hanc facultatem communicare suis provicariis, 447 *a* et *b*; ipsis debent regulares suas litteras patentes exhibere, 448 *b* et *seq.*; vicariorum eorundem visitationi et correctioni regulares missionarii curam animarum exercentes quoad functiones parochiales subduntur, *ibid.*; possunt cogere regulares ad exercendam curam animarum, 449 *a*; iisdem renitentibus non possunt regulares aperire ecclesias in locis, ubi alii missionarii eas habent, *ibid.*; possunt controversias inter religiosos ortas decidere, exceptis gravioribus ad Sedem Apostolicam deferendis, *ibid. b*; ipsis subduntur catechistae etiam obstricti voto obedientiae erga regulares, *ibid.* et *seq.*; alia vicariorum praefatorum privilegia et facultates referuntur et confirmantur, 450 *a* et *seq.*; et a iurisdictione Ordinariorum, 484 *a*; 486 *a* et *b*.

Vicarii capitularis Caesaraugustanae ecclesiae electio a iudice laico facta irritatur, 499 *b* et *seq.*; ipsius actus iurisdictionales exerciti in utroque foro annullantur, 500 *a* et *b*; ipsius licentiâ monasteria monialium ingressi excommunicati declarantur, 502 *b*; novi vicarii electio ut a nuntio fieri debeat, si suffraganeus antiquior suo tempore eam non fecerit, decernit Pontifex, 504 *b* et *seq.*

Virginus cardinalis Ursinus, 256 *b*.

Virginus Ursinus, olim dux Brachiani, 248 *a*.



INDEX INITIALIS.

A

Ad apostolicae vocis oraculum . . .	476
Ad favorem inquilinorum	383
Admonet nos cura pastoralis officii	149
Ad pastorale fastigium	245
Ad pastoralis dignitatis fastigium .	359
Ad pastoralis dignitatis fastigium .	392
Ad Romani Pontificis	314
Ad uberes honorum operum	137
Aequitatis et iustitiae ratio	112
Aeternae sapientiae concilio	184
Agni immaculati, qui sacras	75
Agrum Ecclesiae, quam	157
Aliàs emanarunt a Congregationis .	155
Aliàs emanarunt a felicis	460
Aliàs emanarunt a nobis	262
Aliàs felicis recordationis	60
Aliàs felicis recordationis	68
Aliàs felicis recordationis	128
Aliàs felicis recordat. Clemens IX .	312
Aliàs felicis recordationis	347
Aliàs nos Congregationi fratrum . .	598
Aliàs nos omnibus et singulis	286
Aliàs nos, supplicationibus	408
Aliàs, piis enixisque carissimi	257
Aliàs, postquam felicis recordationis	514
Aliàs, pro parte dilecti filii	487
Aliàs, pro parte tunc existentis . .	298

Apostolatus officium, quod	336
Apostolatus officium, quod	606
Apostolicae servitutis officium	109
Apostolicae servitutis officium	550
Apostolici muneris	239
Apostolici muneris, quod ineffabilis	422

C

Caelestis pater familias, cuius	187
Caelestium munerum thesauros	112
Caelestium munerum thesauros	164
Caelestium munerum thesauros	308
Caelestium munerum thesauros	411
Caelestium munerum thesauros	610
Caeli terraeque conditor	215
Christianae religionis catholicaeque	486
Circumspecta Romani Pontificis	88
Commissa nobis divinitus	404
Commissae nobis a Domino nostro	291
Conservationi et manutentioni	591
Constantis fidei et sincerae	280
Creditae nobis caelitus	393
Creditae nobis divinitus	401
Crescente in dies mirabili	97
Cum ad notitiam nostram	330
Cum aliàs per sacram	81
Cum dilecti filii Christiani Novi	496
Cum dudum felicis recordationis	485
Cum dudum felicis recordationis	592

Cum, ex Apostolicae Sedis	338
Cum felicis recordationis	432
Cum felicis recordationis	473
Cum felicis recordationis	242
Cum inscrutabilis divitiarum	52
Cum nos aliàs per quoddam	506
Cum nos hodie, motu proprio	146
Cum nos nominationem	504
Cum nos nuper sancti iubilaei	480
Cum nos, per quasdam nostras	575
Cum, sicut accepimus	295
Cum, sicut accepimus, dilecti	358
Cum, sicut accepimus	465
Cum, sicut accepimus, ad rectam	589
Cum, sicut dilectus filius Andreas	522
Cum, sicut dilectus filius Iacobus	66
Cum, sicut dilectus filius procurator	465
Cum, sicut nobis nuper exponi	243
Cum, sicut non sine gravissimo	372
Cum, sicut pro parte dilectissimi	144

D

Decret Romanum Pontificem	471
Decret Romanum Pontificem	220
Decret Romanum Pontificem	258
Decret Romanum Pontificem	443
De mandato sanctissimi	152
De salute gregis dominici	492
Dudum felicis recordationis	130
Dudum felicis recordationis	412
Dudum felicis recordationis	608

E

Ecclesiae catholicae regimini	78
Ecclesiae catholicae regimini	104
Emanavit nuper a Congregatione	425
Erigit apostolicae servitutis	413
Essendo a noi per la continua	342
Ex commissae nobis caelitus	296
Ex commissae nobis caelitus	387
Ex commissae nobis divinitus	168
Ex commissi nobis divinitus	423
Ex debito pastoralis officii	292
Exigit iniunctae nobis caelitus	418
Ex iniuncti nobis divinitus	84

Ex iniuncto nobis caelitus	260
Ex iniuncto nobis caelitus	387
Ex iniuncto nobis caelitus	551
Ex iniuncto nobis divinitus	35
Ex iniuncto nobis divinitus	169
Ex iniuncto nobis divinitus	182
Ex iniuncto nobis divinitus	244
Ex iniuncto nobis divinitus	284
Ex iniuncto nobis divinitus	368
Ex iniuncto nobis divinitus	428
Ex iniuncto nobis divinitus	463
Exponi nobis fecit dilectus filius	166
Exponi nobis nuper fecerunt	62
Exponi nobis nuper fecerunt	114
Exponi nobis nuper fecerunt	325
Exponi nobis nuper fecerunt	356
Exponi nobis nuper fecerunt	595
Exponi nobis nuper fecerunt	523
Exponi nobis nuper fecerunt	604
Exponi nobis nuper fecit dilectus	76
Exponi nobis nuper fecit dilectus	282
Exponi nobis nuper fecit dilectus	302
Exponi nobis nuper fecit dilectus	582
Exponi nobis nuper fecit dilectus	596
Exponi nobis nuper fecerunt dilecti	327
Exponi nobis nuper fecit dilectus	345
Exponi nobis nuper fecit dilectus	494
Exponi nobis nuper fecit	602
Exponi nuper fecit dilectus	98
Exposuerunt nobis nuper	543
Exposuerunt nobis nuper	564


G

Gloriosissima caelestis Hierusalem	158
Grata familiaritatis obsequia	113

I

Ilius, qui charitas et Deus	455
In apostolicae dignitatis fastigio	80
In apostolicae dignitatis fastigio	483
In apostolicae dignitatis fastigio	594
In eminenti Principis Apostolorum	51
In gravissimis rerum omnium	123
Iniuncta nobis divinitus	69
Iniunctae nobis caelitus	160

Iniuncti nobis caelitus pastoralis	306	Redemptoris et Domini nostri	232
Iniuncti nobis caelitus pastoralis	457	Redemptoris et Domini nostri	233
Inscrutabili divinae providentiae	613	Redemptoris et Domini nostri	236
In supremo militantis Ecclesiae	40	Redemptoris et Domini nostri	313
In supremo militantis Ecclesiae	579	Redemptoris et Domini nostri	402
Inter alia gravissima onera	545	Religionis zelus, sacrarum	573
Inter gravissimas multiplicesque	364	Romani Pontificis consuetudo	439
M		Romanorum gesta Pontificum	4
Militantis Ecclesiae regimini	587	Romanum decet Pontificem	246
N		Romanus Pontifex, aequi bonique	518
Nos volentes dilectos filios	22	Romanus Pontifex, gratiarum	287
Nos volentes dilectos filios	42	Romanus Pontifex in sublimi	499
Nuper, ad instantiam dilecti filii	578	Romanus Pontifex in supremo	265
Nuper emanarunt ad favorem	234	Romanus Pontifex in supremo	375
Nuper, pro parte dilecti filii	300	Romanus Pontifex, supremus	59
Nuper pro parte dilecti filii	301	S	
Nuper, pro parte dilecti filii	328	Sacrosancti apostolatus cura	73
Nuper, pro parte dilectorum	396	Sacrosancti apostolatus officium	237
Nuper, pro parte dilectorum	399	Sacrosancti apostolatus officium	309
P		Sacrosancti apostolatus officium	349
Pastoralis officii, pro catholicae	584	Sacrosancti apostolatus officium	416
Pastoralis officii, quod auctore Deo	344	Sacrosancti apostolatus officium	531
Pastoralis officii, quod auctore	440	Salvatoris Domini nostri	235
Pastoralis Romani Pontificis	175	Salvatoris et Domini nostri Iesu	599
Piis christifidelium votis	39	Sanctorum martyrum, quos	600
Pontificia sollicitudo, quavis	530	Sollicitudo pastoralis officii	67
Postquam nonnullae a diversis	268	Sollicitudo pastoralis officii	351
Q		Sollicitudo pastoralis officii	442
Quae a Romanis Pontificibus	71	Sollicitudo pastoralis officii	535
Quemadmodum caelestis imperator	528	Sollicitudo pastoralis officii	540
Quoniam ea, quae ex solità	482	Sollicitudo pastoralis officii	610
Quoniam nemo debet assumere	426	Spiritus Domini, qui triumphantem	526
R		Superna magni patris familias	55
Rationi consonum et	41	U	
Redemptoris et Domini nostri	144	Ubi primum divina elementia	467
Redemptoris et Domini nostri	133	Unigeniti Dei Filii Redemptoris	290
		Unigenitus Dei Filius, in quo	304
		Ut in Congregatione eremitarum	407



INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

CLEMENTIS PAPAE X

AB ANNO PRIMO AD ANNUM SEPTIMUM ET ULTIMUM.

- I. Canonizatio S. Petri de Alcantara Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum, 1.
- II. Bulla sive litterae decretales canonizationis S. Mariae Magdalenae de Pazzis Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, quam Clemens IX Pontifex Maximus unâ cum B. Petro de Alcantara Sanctorum catalogo adscripsit, a SS. Clemente X expedita, 11.
- III. Indulta, gratiae et privilegia conclavistis, qui in conclavi adfuerunt, quando ad pontificatum fuit evectus concessa, 22.
- IV. Confirmatio quarundam constitutionum pro Congregatione Missionis in conventu generali dietae Congregationis factarum, et a particulari congregatione praelatorum iussu SS. Clementis IX revisarum et emendatarum, cum illarum insertione, 34.
- V. Confirmatio privilegiorum et indulgentiarum pro fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia in Terrasancta, aliisque qui dictam terram incolunt, aut eò devotionis causâ peregrinantur, 39.
- VI. Confirmatio prioris generalis, et decretum de assistentibus Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo mandat suspendi usque ad aliud futurum capitulum generale, 40.
- VII. Privilegia, exemptiones et indulta dapiferis, qui in conclavi suae assumptionis S. R. E. cardinalibus inservierunt, concessa, 42.
- VIII. Indultum de officio sancti Francisci Xaverii in Breviario sub ritu duplici apponendo, et ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, de praecepto recitando, 51.
- IX. Indictio iubilaei universalis ad implorandum divinum auxilium initio sui pontificatus pro salutari sanctae Ecclesiae catholicae regimine, 52.
- X. Constitutio in qua regularium privilegia, quoad praedicationem verbi Dei et sacramenti Poenitentiae administrationem, declarantur, 55.
- XI. Indultum concessum clericis camerae apostolicae, tam praesentibus quam futuris, gestandi galeri redimiculum, *cordone* vulgariter nuncupatum, coloris violacei in quibuscumque functionibus et actibus publicis et privatis, 59.

- XII. Declaratio quod vota in Congregatione Missionis, post illius apostolicam confirmationem emissa et emitenda, ab aliis quam a Summo Pontifice et superiore generali eiusdem Congregationis in actu dimissionis ab eadem Congregatione licite et valide dispensari, commutari aut dissolvi non possint, 60.
- XIII. Confirmatio decretorum S. R. E. cardinalis Barberini in favorem pictorum et aliorum academiae S. Lucae legitime aggregatorum emanatorum, pro exactione taxae, eiusdemque pro annatis decursis et non solutis reductione, 62.
- XIV. Licentia ut fratres Ordinis sancti Francisci de Observantia, etiam presbyteri, medicinae et chirurgiae periti, de suorum superiorum licentiâ, artes huiusmodi, ad commodum et utilitatem christianorum in Terrasanta existentium, possint exercere, 66.
- XV. Indultum concessum generali et definitorio Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti, pro tempore existentibus, utendi facultate creandi abbates titulares eis per constitutiones Ordinis attributâ, etc. 67.
- XVI. Extensio concessionis officii et missae B. Rosae de S. Maria Tertii Ordinis sancti Dominici pro universo clero regnorum Poloniae, ducatu Lithuaniae, etc., 68.
- XVII. Confirmatio privilegii Leonis X favore Congregationis eremitarum Camaldulensium Montiscoronae, ut, invitis monachis seu eremitis, in eorum ecclesiis episcopi locorum Ordinarii divina celebrari non possint, 69.
- XVIII. Alia extensio concessionis officii et missae B. Rosae de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici pro regnis et dominiis serenissimo regi catholico subiectis, necnon augusto imperatori et domui Austriacae, 70.
- XIX. Confirmat decretum electionis B. Rosae in regni Peruani patronam a Clemente IX emanatum, quod ad singulas provincias, regna et regiones terraefirmae totius Americae, Philippinarum et Indiarum extendit, 73.
- XX. Indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis fratrum et monialium B. Virginis Mariae de Monte Carmelo pro festo S. Mariae Magdalenae de Pazis, 75.
- XXI. Decretum, quod procurator generalis seu zelosus totius Ordinis Minimorum interveniat in comitiis generalibus ubique locorum, et in illis suffragium ferat, 76.
- XXII. Confirmat sententiam Ordinarii Giennensis latam super cultu ab immemorabili tempore exhibito sancto Petro Paschasio de Valentia, martyri Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, episcopo Giennensi, ac decretum sacrorum rituum Congregationis illam approbans, 77.
- XXIII. Indultum de missâ et officio in Polonia, Lithuania et alibi a patribus Societatis Iesu, et aliis, in honorem beati Stanislai Kostkae die xiii novembris recitandis, 80.
- XXIV. Decretum emanatum in congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo domino nostro domino Clemente divinâ providentiâ Papa X ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haeticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis, 81.

- XXV. Confirmatio nonnullorum decretorum capituli generalis Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti de conditionibus circa electionem et administrationem officii procuratoris generalis observandis, 84.
- XXVI. Privilegia, indulta, gratiae et exemptiones nonnullis Sanctitatis Suae familiaribus concessae, 87.
- XXVII. Concessio ut in toto orbe terrarum celebrari possit missa B. Rosae ex voto vel devotione, 97.
- XXVIII. Confirmatio quorundam decretorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium in congregatione generali dicti Ordinis anno MDCLXVIII editorum, cum insertione eorundem decretorum, 98.
- XXIX. Ampliatio indulgentiarum abbreviatoribus litterarum apostolicarum maioribus praesidentiae a sanctae memoriae Urbano VIII concessorum, 101.
- XXX. Confirmatio et extensio litterarum Gregorii XIII et Urbani VIII de monachis Ordinis sancti Benedicti, ad favores principum et aliorum, pro assequendis praelaturis, dignitatibus et aliis officiis, recurrentibus, 104.
- XXXI. Decretum pro Congregatione eremitarum Camaldulensium Montisconronae, quomodo possint egredi a suis monasteriis, 107.
- XXXII. Erectio custodiae S. Petri de Alcantara Minorum Discalceatorum sancti Francisci in regno Neapolis, 109.
- XXXIII. Indulgentia die 11 augusti pro ecclesiis Ordinis sancti Francisci Minorum Conventualium ubique locorum erectis vel erigendis, 112.
- XXXIV. Statutum in quo declaratur omnes generaliter Montis Pietatis debitores in formâ Camerae esse obligatos, et tamquam tales ad eidem Monti satisfaciendum teneri, 112.
- XXXV. Declaratur statutum Alexandri VII et Clementis IX circa reformationem Ordinis Cisterciensis non afficere nec obligare monasteria dicti Ordinis in quibus monachi perpetuam stabilitatem promittunt, 114.
- XXXVI. Concessio privilegiorum pro suis cappellanis communibus, 115.
- XXXVII. Constitutio revocatoria exemptionum a vectigalibus aliisque publicis oneribus, 123.
- XXXVIII. Indulgentiam plenariam concessam a Clemente IX quibuscunque personis, qui visitaverint aliquam ex ecclesiis fratrum Minorum de Observantia, ac Reformatorum Discalceatorum et Recollectorum, necnon Conventualium et Cappuccinorum nuncupatorum, ac monialium Ordinis sancti Francisci die festo sancti Petri de Alcantara, nempe die XIX octobris, extendit ad omnes ecclesias Tertii Ordinis, tam erectas quam erigendas, 128.
- XXXIX. Innovatio declarationum nonnullorum Pontificum de curialibus meretricibus et cortesanis, in qua census vitalitii et contractus cum earum vitâ perituri in praedictum monasterium monialium S. Mariae Magdalenae de Poenitentia in Urbe ipsis prohibentur, 129.
- XL. Breve in quo dispensatur cum clericis et laicis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei, etc., qui in dictâ Congregatione tamquam in statu regulari et sub titulo religionis solemniter profiteri non intendunt, 132.
- XLI. Confirmatio et extensio indulgentiarum, gratiarum et privilegiorum Congregationi fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede

- redemptionis captivorum ab Urbano VIII concessorum, 133.
- XLII. Communicatio privilegiorum et gratiarum Congregationi Carmelitarum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo a Sede Apostolicâ concessorum et concedendorum, favore Ordinis Carmelitarum Calceatorum, 137.
- XLIII. Bulla confirmationis et ampliacionis privilegiorum auditorum Sacrae Rotae, 139.
- XLIV. Indulgentia plenaria perpetua perpetua pro visitantibus ecclesias Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum, tam erectis quam erigendis, in festis Ss. Ioannis de Matha et Felicis de Valois fundatorum eiusdem Ordinis, 144.
- XLV. Declaratio super innovationibus factis circa provisiones ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium regnorum Portugalliae et Algarbiorum, eorumque Indiarum et Conquistarum, post decessum regum Sebastiani et Henrici, quod, per eas principaliter vel accessorie sive antecedenter vel consequenter aut concomitanter vel aliâs quomodolibet factas, iuribus coronae Portugalliae nullo modo praecudicatum sit aut praetendi possit, sed omnia et singula, provisiones dictarum ecclesiarum quovis modo concernentia, in eo statu, in quo ante innovationes huiusmodi tempore praefatorum eorumque antecessorum regum erant, remaneant et remanere debeant in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem nullo modo unquam factae fuissent, 145.
- XLVI. Declaratio ad favorem Sedis Apostolicae super innovationibus circa provisiones ecclesiarum regnorum Portugalliae et Algarbiorum eiusque Indiarum et Conquistarum post decessum regum Sebastiani et Henrici factis, quod per eas nullum sit illatum praecudicium iuribus sanctae Sedis Apostolicae, 146.
- LXVII. De erectione et custodia manuscriptorum archivii Datariae in aedibus eiusdem erigendi, 148.
- XLVII. Exemptiones collegii Germanici et Ungarici Urbis confirmatae a sanctissimo domino nostro Clemente Papa X, 152.
- XLIX. Confirmatio decretorum S. R. E. cardinalium de revocandis attentatis a fratribus Excalceatis eremitarum Ordinis sancti Augustini in Lusitania circa iurisdictionem procuratoris generalis et novorum conventuum erectionem, 155.
- L. Confirmatio declarationis S. R. E. cardinalium de cultu immemorabili beatae Ludovicae, et casu a decretis Urbani VIII excepto, uti et de missâ et officio in honorem dictae Beatae die xxxi ianuarii in ecclesiâ S. Francisci fratrum Minorum in regione Transtiberina recitandis, 157.
- LI. Indultum de celebrandâ missâ et officio in honorem Ferdinandi III regis Castellae et Legionis per regna Hispaniae et omnes eius ditioes, uti et in ecclesiâ Ss. Iacobi et Ildephonsi de Urbe nationis Hispaniarum, die xxx maii sub ritu duplici recitando, 158.
- LII. Diversae declarationes et ordinationes super aequalitate in abbatibus aliisque officiis servandâ inter monachos Congregationis S. Bernardi Hispaniae Ordinis Cisterciensis ex locis citra et ultra montes Castellae veterem a novâ separantes sitis respective oriundos, 160.
- LIII. Concessio et extensio indulgentiarum, confratribus et consororibus

- confraternitatum SS. Rosarii concessarum, ad omnes etiam non confratres aut consorores, dummodo missae et processioni de Rosario celebrandae et quolibet mense faciendae intersint, 164.
- LIV. Indultum de celebrando festo et recitando officio S. Didaci Confessoris die xiii novembris, ob impeditam diem xii eiusdem mensis, in quo idem festum et officium celebrari et recitari consueverat, 165.
- LV. Confirmatio constitutionum Pii IV et Gregorii XIII de poenis monachis Montis Oliveti, Ordinis sancti Benedicti, infligendis, qui munus abbatis postulant, aut ad idem vel alia munera publica per favores principum aut aliorum aspirant, 166.
- LVI. Indultum pro creatione duodecim abbatum titularium, abbati generali unâ cum definitorio Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti concessum, 168.
- LVII. Declaratio, in qua omne ius praetensum super monasterio fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Ulyssiponae erecto fratribus Excalceatis Hispaniae tollitur, et erectio novorum conventuum dicti Ordinis in regno Lusitaniae prohibetur, 169.
- LVIII. Confirmatio privilegiorum pro priore domus regularis militiae seu Ordinis militaris de Calatrava nullius dioecesis provinciae Toletanae, ac extensio ad usum insignium et indumentorum episcopaliurn, 171.
- LIX. Decretum sacrae congregationis eminentissimorum et reverendissimorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, auctoritate sanctissimi domini nostri Clementis Papae editum, de canonicis regularibus Ordinis sancti Augustini Congregationis Lateranensis ad curam animarum in ecclesiis saecularibus exercendam non admittendis, 173.
- LX. Litterae processus SS. D. N. Clementis Papae X lectae die Coenae Domini anno MDCLXXI, 175.
- LXI. Monasteria aliqua pro studiis generalibus fratrum Ordinis sancti Pauli primi eremite in Hungaria, Polonia, Austria, Croatia, et in Svevia, et in Urbe Roma statuit et deputat, 182.
- LXII. Erectio universitatis studii generalis in civitate Urbini, 184.
- LXIII. Canonizatio S. Rosae de S. Maria, virginis Limanae, Tertii Ordinis sancti Dominici, 187.
- LXIV. Canonizatio S. Ludovici Bertrandi Ordinis Praedicatorum, 215.
- LXV. Constitutio, ut Romanis aliisque nobilibus Status Ecclesiastici liceat exercere commercia sine praeiudicio nobilitatis, 229.
- LXVI. Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias fratrum et monialium Ordinis sancti Dominici tam erectas quam erigendas ubicumque locorum in festis sanctorum Ludovici Bertrandi, die x octobris, et Rosae de S. Maria, die xxx augusti, 232.
- LXVII. Indulgentia in ecclesiis clericorum regularium Theatinorum in die festo S. Caietani eiusdem Congregationis fundatoris, 233.
- LXVIII. Decretum, quoad renunciationem seu alternationem abbatum Montis Oliveti, quales esse debeant, 234.
- LXIX. Confirmatio Brevium Urbani VIII et Innocentii X, quibus duabus vicibus quolibet anno mandatur praedicatoribus verbi Dei commendatio locorum Terraesanae, 235.
- LXX. Indulgentia in ecclesiis domorum vel collegiorum Societatis Iesu in

- die S. Francisci Borgiae pro omnibus christifidelibus, 236.
- LXXI. Extendit et ampliat indultum cardinalium et nuncii in regno Portugalliae de recitando officio et missâ celebrandâ in totâ ditione illius regis in honorem beati Gundisalvi de Amarante Ordinis Praedicatorum ad universam sancti Dominici religionem, 237.
- LXXII. Indultum pro Congregatione Missionis, ut illius presbyteri aliorum ipsius Congregationis iter cum ipsis agentium confessiones audire possint, et superior generalis in singulis domibus deputare valeat confessarios, cum facultate aperiendi litteras Poenitentiariae Apostolicae, 239.
- LXXIII. Quod fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum, et moniales Cappuccinae, cuiuslibet mensis die non impeditâ officium sanctae Clarae recitare valeant, 241.
- LXXIV. Statuit quod fratres exteri Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum in conventibus S. Francisci ad Ripam Tiberis et S. Petri in Monte Aureo de Urbe ultra quindecim dies morari non valeant, 242.
- LXXV. Quod electiones priorum, subpriorum, sacristarum et procuratorum Ordinis B. M. de Monte Carmelo a communitatibus conventuum provinciarum in Brevi expressarum non non fiant, sed in definitoriis capitulorum provincialium; earumdemque electionum abrogationes a priore generali approbari debere statuit, 243.
- LXXVI. Quod clerici regulares Congregationis Theatinorum officium de Purificatione B. Virginis Mariae cum octavâ quotannis recitare valeant, 244.
- LXXVII. Erectio Montis non vacabilis Ur-
sini quintae erectionis, cum amplissimis gratiis et privilegiis favore montistarum et Montis depositariorum, 245.
- LXXVIII. Quomodo sit intelligendum indultum de officio B. Stanislai Societatis Iesu recitando et missâ in Poloniae regno et magno ducatu Lithuaniae celebrandâ; nimirum in ecclesiis praedictorum regni et magni ducatus quibuscumque, etiam non Societatis Iesu; extra vero dicta loca, in ecclesiis ad solam eiusdem Societatis religionem spectantibus recitari officium et missam celebrari posse declarat, 257.
- LXXIX. Quod abbas generalis Congregationis Vallisumbrosae, pro tempore existens, mozzettam et mantellettam, pileum et biretum praelatitios etiam in cappellis pontificiis deferre et gestare possit, 258.
- LXXX. Prohibet omnibus et singulis fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum pro quacumque re obtinendâ recursum ad personas extra eundem Ordinem, 260.
- LXXXI. Indulgentiam plenariam largitur omnibus christifidelibus, qui intererint missae de Nomine Beatissimae Virginis Mariae, die xvii septembris quotannis celebrandae, in ecclesiis provinciarum et regnorum regis Hispaniarum, 262.
- LXXXII. Reductio officiorum notariorum sacri palatii apostolici, 263.
- LXXXIII. Confirmatio et renovatio Constitutionum a Summis Pontificibus editarum super solutione communium, annatarum et quindenniorum, ac indictione unionum, cum revocatione privilegiorum, ac congregationis deputatione, 268.
- LXXXIV. Statutum pro civitate Avenionensi circa aetatem et qualitates re-

- quisitas in iudiciis Curiae ordinariae S. Petri, et quod Avenionenses trahi nequeant ad Romanam Curiam nisi in causis scuta mille in sorte et scuta centum in annuo reddito excedentibus, cum confirmatione privilegiorum universitatis dictae civitatis, ac ordinatione ut fundationes septem collegiorum iuxta primaevam institutionem serventur, et aliis circa nominationem ad officia dictae civitatis, cum confirmatione Brevium Urbani VIII, quod, praeter legatos, vicelegatos, archiepiscopum et praefectos armorum dictae civitatis, nemo sit immunis ab impositionibus, quae in ingressu civitatis praedictae solvuntur, 280.
- LXXXV. Confirmatio decreti definitorii generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia Recollectorum pro electione praefectorum et priorissarum monialium per provincias Germano-Belgicas et annexas, 282.
- LXXXVI. Quod de cetero omnes et singuli definitores perpetui provinciarum fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci, post finitum lecturae, praedicationis, vel magisterii novitorum, aut inquisitoratus tempus, exprovincialium praecellentis fruantur, ac si provincialatus munere functi, et alia circa praecedentiam inter eos declarat, 284.
- LXXXVII. Extensio indulgentiae, concessae ecclesiis fratrum Excalceatorum et monialium Ordinum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, ad omnes ecclesias eiusdem Ordinis Calceatorum ubique etiam in futurum existentes, in die festo sancti Petri de Nolaseo, 286.
- LXXXVIII. Exemptio nonnullorum familiarium suorum a spolio, 286.
- LXXXIX. Concessio indulgentiarum visitantibus ecclesiis Ordinis sancti Augustini in diebus, quibus festivitates sanctorum Augustini, Monicae, Nicolai Tolentinatis, et Thomae de Villanova celebrantur, 289.
- XC. Indulgentias elargitur illis, qui ecclesias Ordinis sancti Benedicti in diebus festis eiusdem, ac sanctorum Scholasticae, Placidi et Mauri, ac in die quo Commemoratio omnium sanctorum Ordinis praedicti celebratur, visitabunt, 291.
- XCI. Declarat electiones duas eiusdem monachi Cisterciensium Congregationis Hispaniae in abbatem non posse sibi immediate succedere, 292.
- XCII. Confirmatio indulgentiarum confratribus et consororibus confraternitatis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo a Paulo V concessarum, cum additione quod applicari possint animabus christifidelium defunctorum, 295.
- XCI. Diversae ordinationes circa extractionem reliquiarum ex coemeteriis Urbis et locorum circumvicinorum, illarumque custodiam et distributionem, 296.
- XCIV. Confirmatio decretorum sacrae Congregationis episcoporum et regularium favore totius Ordinis Minorum Observantium sancti Francisci circa eleemosynas funerales et funera defunctorum qui in eorum ecclesiis sepulturam elegerint, scilicet, quod parochi ab haeredibus dictorum defunctorum maiorem eleemosynam petere nequeant, quam percepissent si in eorum parochiali vel alia saeculari ecclesia sepeliri voluissent, et quod tali casu functiones super cadaveribus ad ipsos regulares non autem parochos pertineant, 298.

- XCV. Confirmat decretum sacrae Congregationis negotiis episcoporum et regularium praepositae, nimirum non licere parochiis, occasione associationis cadaverum, ingredi regularium ecclesias, sed teneri dimittere cadavera ad ianuam ecclesiarum; cetera vero munia in huiusmodi ministeriis per regulares esse expedienda, 300.
- XCVI. Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, favore Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciarum Hispaniae, super facultate eligendi conservatores non designatos in synodo dioecesana in civitatibus et dioecesis in quibus nulli sunt iudices synodales, 301.
- XCVII. Subdit ministro generali Minorum de Observantiâ conventum S. Bonaventurae Lugdunensem ab eisdem obedientiâ se subtrahere tentantem, 302.
- XCVIII. Beatificatio servi Dei Pii Papae V, eiusque missae et officii certis in locis concessio, 304.
- XCIX. Declarat quod indulta, per felicitatis recordationis Urbanum Papa VIII concessa fratribus oblatis seu servientibus Tertii Ordinis sancti Francisci Congregationis Gallicanae tunc temporis existentibus, intelligantur emanata ad favorem etiam hodiernorum et per subsequenda perpetua tempora futurorum huiusmodi Congregationis oblatores seu servientium praedictorum; quos suffragia ferre non posse nisi in receptione novitiorum ad professionem eiusdem cum eis conditionis statuit 306.
- C. Indulgentia pro ecclesiis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo in die festo eiusdem Beatae Mariae Virginis, et sanctorum Andreae Corsini episcopi, Angeli martyris et Alberti confessoris, 308.
- CI. Constitutio suppressionis controversiarum fratrum Discalceatorum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in provinciâ S. Antonii Brasiliae, cum deputatione suorum officialium, 309.
- CII. Facultas priori generali Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo conferendi lauream doctoralem fratribus magistris in collegiis et studiis sui Ordinis, 312.
- CIII. Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus ecclesias tam fratrum quam monialium Ordinis Servorum B. Mariae Virginis ubicumque existentes, tam hactenus erectas quam erigendas, xxiii augusti, festo S. Philippi Beniti, 313.
- CIV. Breve exemptionum nonnullorum familiarium suorum a gabellis et aliis impositionibus, et facultatis testandi pro iisdem, 314.
- CV. Confirmatio et approbatio decreti pro custodiâ S. Petri de Alcantara Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Discalceatorum in regno Neapolitano, 325.
- CVI. Translatio indulgentiae a secundâ dominicâ octobris ad diem secundam eiusdem mensis pro die festo sancti Angeli Custodis concessa archiconfraternitati eiusdem Angeli Custodis de Urbe, 327.
- CVII. Confirmatio seu extensio decretorum aliâs a sacra Congregatione episcoporum et regularium editorum super associatione cadaverum defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepeliuntur, et circa eleemosynas funerum et funera eorundem defunctorum facienda per regulares, non autem per parochos, favore do-

- morum et collegiorum Societatis Iesu, 328.
- CXIII. Statutum pro Congregatione Lateranensi canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini ut illius capitulum generale de cetero de sexennio ad sexennium celebretur, cum prorogatione officialium ac diversis ordinationibus pro eisdem Congregationis levamento, etc., 330.
- CXIV. Extensio indulgentiarum recitandi officium S. Iuliani episcopi et confessoris cum octava, tam die festo eiusdem Sancti quam die commemorationis illius, episcopo ac capitulo et clero civitatis et diocesis Conchenensis a Clemente VIII et Paulo V concessorum, ad omnia et singula Hispaniarum regna, 336.
- CXV. Declaratio nullitatis transactionis seu cautionis ab archiepiscopo Ianuensi cum duce et gubernatoribus Reipublicae Ianuensis in controversia super sedis archiepiscopalis collocatione, etc., 338.
- CXVI. Editto del santo Offizio circa alcuni capi appartenenti alla Sacra Inquisizione, 341.
- CXVII. Concessio et indultum eorum, quae pro totali stabilimento et recto gubernio custodiae S. Petri de Alcantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum decernuntur, 343.
- CXVIII. Decretum, quod in congregationibus S. Benedicti per Galliam et Hispaniam suffragium abbatis ubicumque fuerit praevaleat in paritate votorum, 345.
- CXIX. Praeceptum in Cappuccinos custodiae Navarrae, ne audeant conventum seu domum aedificare in loco Vianae Calaguritanae dioecesis, et perpetuum super hoc silentium eis impositum, 347.
- CXX. Constitutio abrogationis omnium indulgentiarum seu privilegiorum personalium fratribus Ordinis Minorum de Observantia et Reformatorem seu Strictioris Observantiae a quibusvis quoquomodo contra et praeter eiusdem Ordinis constitutiones concessorum, 349.
- CXXI. Confirmatio decretorum a generali Ordinis eremitarum sancti Augustini de suorum assistentium consilio editorum circa introductionem observantiam et perpetuam conservationem vitae communis in Lyciensi et Terrae Soleani, aliisque dicti Ordinis conventibus, in quibus vita huiusmodi introducetur, 351.
- CXXII. Declaratio circa ius conferendi habitum Tertii Ordinis sancti Francisci competens tantum fratribus eiusdem Tertii Ordinis nationis Gallicanae et Cappuccinos eiusdem nationis excludens, 356.
- CXXIII. Statutum perpetuum collegii Germanici et Ungarici, quod convictores quicumque in dictum collegium recepti, et quodcumque recipiendi, iuramentum de discedendo ab Urbe ac in Germaniam revertendo statim atque studiorum tempus fuerit absolutum, praestare teneantur, 358.
- CXXIV. Confirmatio decreti Clementis IX super unionis dissolutione Congregationum eremitarum Camaldulensium Montis Coronae et aliarum nationum, cum comminatione poenae et censurarum, 359.
- CXXV. Iubilaeum universale ad implorandam divinam opem contra Turcas, 364.
- CXXVI. Confirmatio et innovatio Brevis Urbani VIII contra violatores libertatis et immunitatis ecclesiasticae

- ac iurisdictionis apostolicae in Portugallia, etc., 368.
- CXXII. Declaratio incursus in excommunicationem et anathema aliasque poenas canonicas, ac excommunicatio et anathema eorum qui nefarie vulnerarunt R. P. D. Iacobum patriarcham Antiochenum, eorumque complicum, etc., 372.
- CXXIII. Variæ provisiones Pauli V, Gregorii XV, et Urbani VIII, ad consulendum indemnitati notariorum auditoris Camerae cum erectione centum et undecim officiorum vocabilium militum piorum, quas hic Pontifex refert et innovat cum erectione aliorum quinquagintaquatuor similium officiorum, 375.
- CXXIV. Confirmatio decreti cameralis et illius ampliacionis in favorem inquilinorum respectu anni sancti, 383.
- CXXV. Indulgentia centum dierum pro confratribus et consororibus archiconfraternitatis sanctissimi Corporis Christi in ecclesiâ S. Mariae supra Minervam de Urbe, et pro quibuscumque confraternitatibus sub eodem titulo erectis et erigendis, toties quoties fideles defunctos ad sepulturam comitati fuerint, 386.
- CXXVI. Confirmantur indulgentiæ a Paulo V concessae archiconfraternitatibus sub invocatione SS. Trinitatis redemptionis captivorum, irritantur nomullae, et adduntur aliae, et quae sint, 387.
- CXXVII. Decretum recitationis officii S. Caietani Thienaei, Theatinorum fundatoris, ab omnibus utriusque sexus ad recitationem obligatis in die vii augusti de communi Confessoris non Pontificis, 392.
- CXXVIII. Prohibitio ne quisquam, etiam regularis et individuâ mentione dignus, sine licentiâ in scriptis Congregationis de Propagandâ Fide, quam in operis initio imprimere teneatur, edat libros et scripta, per se vel alium, in quibus agatur de missionibus vel de rebus ad ipsas pertinentibus, sub poenis excommunicationis latae sententiae Romano Pontifici reservatae, privationis officii, ac vocis activae et passivae, et operum suppressionis, ipso facto incurrendis, 293.
- CXXIX. Commissio episcopo Maioricensi super erectione studii dictae civitatis in publicam universitatem, cum indulto lauream doctoratus conferendi, necnon cum omnibus aliis honoribus, privilegiis et praerogativis, quibus universitas Hardensis ex dispensatione apostolicâ potitur et gaudet, 394.
- CXXX. Approbatio seu confirmatio decreti sacrae Congregationis episcoporum et regularium contra erectionem domus seu conventus Cappucinorum in civitate et insulâ Maioricensi, et perpetuum super re impositum silentium, 396.
- CXXXI. Praeceptum in Carmelitas Discalceatos Congregationis Hispaniae, ne audeant conventum aedificare in oppido de Bilbao Calaguritanae dioecesis, 398.
- CXXXII. Confirmatio et approbatio indulgentiarum Ordini Carmelitarum et confraternitatibus S. Scapularis hactenus concessarum, 401.
- CXXXIII. Extensio et declaratio Brevis, circa confraternitates sub invocatione SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erectas et erigendas et alia nuper emanata, ad confraternitates a ministro generali et procuratore generali Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis erectas et erigendas, cum omnibus

- clausulis, concessionibus et decretis expressis in dicto Breui, 408.
- CXXXIV. Indulgentia plenaria perpetua in ecclesiis tam canonicorum regularium quam monialium Ordinis Praemonstratensium in festiuitatibus Assumptionis B. M. V. et sancti Augustini, ac festo sancti Norberti, vel dominicâ infra illius octavam, et die xiii novembris qua fit commemoratio sanctorum dicti Ordinis, 411.
- CXXXV. Confirmatio et innovatio Brevis Pauli V quo conceditur ministro et commissario generalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ facultas erigendi confraternitates Chordigerorum sancti Francisci in ecclesiis eorum Ordinis, ubi non adsint ecclesiae vel conventus Minorum Conventualium, cum declaratione quod eis licuerit et liceat eiusmodi confraternitates etiam in Indiis erigere, illisque indulgentias communicare, 412.
- CXXXVI. Indultum ut omnibus Hispaniarum regnis festum B. Ferdinandi III regis Castellae et Legionis de praeccepto servari et celebrari possit, ac officium de illo sub ritu duplici, cum lectionibus propriis a S. Congregatione Rituum approbandis, recitari valeat, 415.
- CXXXVII. Declaratio, quod religiosi Congregationis fratrum Excalceatorum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum expresse professi nequeant e dictâ religione ad aliam quaecumque, etiam Carthusianorum, absque speciali Sedis Apostolicae indulto, se transferre, 416.
- CXXXVIII. Diversae ordinationes pro felici statu regimine et manutentione custodiae S. Petri de Aleantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, iuxta resolutionem sacrae Congregationis episcoporum, 418.
- CXXXIX. Indultum ut de B. Bernardo Ptolomaeo, fundatore Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti, missa et officium de communi Confessoris non Pontificis, sub ritu duplici, quotannis in perpetuum, die xx augusti qua idem Beatus obdormivit in Domino, ab universâ Congregatione praefatâ et monialibus seu oblatiis monasterii Turris Speculorum de Urbe, celebrari et recitari respective possint, 422.
- CXL. Prohibitio transitus clericorum regularium Matris Dei et de Somascha de unâ in alteram Congregationem huiusmodi respective, ex quacumque etiam iustissimâ causâ, ac etiam vigore cuiusvis licentiae a superioribus sive etiam in capitulis generalibus earundem Congregationum concessae, 423.
- CXLI. Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo resolvitur, praecedentia Brevia Summi Pontificis, edita die xviii ianuarii MDCLXXII et III augusti eiusdem anni, confirmatoria nonnullarum declarationum dictae Congregationis super associatione cadaverum et ingressu ad ecclesias regularium, non esse observanda a clero saeculari in regnis Castellae et Legionis, 425.
- CXLII. Innovatio Brevis Gregorii XV super prohibitionem ambitus pro Congregatione clericorum regularium Theatinorum, 426.
- CXLIII. Relaxatio suspensionis facultatis conferendi beneficia in civitate, patriâ et dioecesi Leodiensi, cum diversis ordinationibus, etc., 428.
- CXLIV. Suppressio perpetua quarumcum-

- que confraternitatum seu congregationum sub invocatione SS. Sacramenti, B. Mariae Virginis Immaculatae, et S. Iosephi, sub titulo Gregis Boni Pastoris ubique erectarum, cum prohibitione libellorum, foliorum, constitutionum, regularum, imaginum, et usus quarundam catenularum, aliorumque ad illarum institutum spectantium, iuxta decretum Congregationis S. Officii, 440.
- CXLV. Exemptio vicariorum apostolicorum eorumque missionariorum in Indiis Orientalibus et partibus Sinarum a iurisdictione Goanae Inquisitionis, in eâ parte, in qua non dominatur temporaliter rex Portugaliae, scilicet in China, Cocincina, Tunkino, Siam, Camboggia et aliis locis dictis vicariis apostolicis commissis, et principibus infidelibus subiectis, 442.
- CXLVI. Confirmatio et innovatio Brevium Alexandri VII et Clementis IX, ac decretorum Congregationis de Propagandâ Fide, ad favorem episcoporum vicariorum apostolicorum apud Sinas emanatorum, eorumque missionariorum, etc., 443.
- CXLVII. Prohibitio sub poenâ excommunicationis latae sententiae omnibus ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus, etiam Societatis Iesu, apud Sinas degentibus, ne, sub quovis praetextu, vel vigore cuiusvis privilegii apostolici, ab ullo primate, archiepiscopo, episcopo, capitulo, gubernatore, administratore, visitatore, vicario, vel alio quocumque, litteras deputationis in vicarium generalem vel foraneum, seu ut vocant *de Vara*, visitatorem, vel alterius cuiuscumque tituli, emendicare, nec etiam oblatas accipere audeant, pro exercenda quocumque modo iurisdictione in locis, quae episcopis vicariis apostolicis commissae sunt vel fuerint in futurum, 455.
- CXLVIII. Confirmatio et extensio Constitutionis Urbani VIII, qua permittitur quibuscumque regularibus, per suos superiores mittendis, accessus ad partes Orientales per alias vias quam per Lusitaniam, ac excommunicantur illi, qui eorum huiusmodi accessum impediverint; quae Constitutio per sanctissimum dominum nostrum extenditur ad episcopos et vicarios apostolicos in dictis partibus Orientalibus, necnon sacerdotes saeculares et laicos, tam missos quam in posterum mittendos in Chinam, Cokinchinam, Tunkinum, Siam et alia loca Indiarum et aliarum partium Orientalium; eorumque accessum ad partes huiusmodi impediendes reprimit sub poenâ excommunicationis latae sententiae, 457.
- CXLIX. Pro episcopis vicariis apostolicis apud Sinas, etc., prorogatio facultatis ordinandi indigenas illarum partium, etiam absque titulo, cum indulto eis commutandi officium divinum, 460.
- CL. Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex ecclesiis fratrum et monialium Ordinis Exaltatorum Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, tam erectis quam erigendis, in sancti Petri Nolaschi, sancti Raymundi Nonnati, sancti Iosephi, et Apparitionis S. Michaëlis Archangeli, ac dominicâ proximioris kalendis augusti, diebus, 462.
- CLI. Declaratio beati Stanislai Kostka Poloni Societatis Iesu in patronum principalem regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae et adiunctarum provinciarum, cum praero-

- gativis, quae principalioribus patronis competunt, et quibus ibidem gaudent sancti Adalbertus et Stanislaus, aliique principales patroni, cum indulto ut annua dicti Beati memoria in posterum ad dominicam proximam post diem xiii novembris transferri possit in dicto regno, ducatu et provinciis adiunctis durat, 463.
- CLII. Confirmatio duorum decretorum sacrae Congregationis episcoporum et regularium, quibus declaratur quod fratres Excalceati Ordinis Eremitarum sancti Augustini sint veri filii dicti Sancti, et gaudeant omnibus privilegiis, quibus Calceati dicti Ordinis eorumque religio gaudet, 465.
- CLIII. Trium decimarum impositio super fructibus omnium ecclesiarum beneficiorum et pensionum in universa Italia et insulis Italiae adiacentibus, 467.
- CLIV. Indictio universalis iubilaei anni sancti MDCLXXV, 476.
- CLV. Suspendio quarumcumque indulgentiarum durante anno universalis iubilaei MDCLXXV, 480.
- CLVI. Praeceptum episcopis Indiarum aliarumque partium Orientalium ac regularibus etiam Societatis Iesu eorumque superioribus super stricta observantia constitutionum apostolicarum et decretorum Congregationis de Propaganda Fide, sub poenis arbitrio eiusdem Congregationis quoad omnes, et quoad regulares etiam privationis vocis activae et passivae, 482.
- CLVII. Exemptio episcoporum et vicariorum apostolicorum apud Sinas ab omnimoda iurisdictione omnium Ordinariorum in provinciis ipsis assignatis, 483.
- CLVIII. Extensio Constitutionis Urbani VIII contra impediens religiosorum mittendorum ad partes Orientales accessum emanatae, ac impediens exercitium iurisdictionis episcoporum et vicariorum apostolicorum in dictis partibus Orientalibus commorantium, eorumque operariorum in provinciis ipsis a Sede Apostolica assignatis, 484.
- CLIX. Declaratio quod episcopi Indiarum aliarumque partium Orientalium, eorumque officiales et ministri, non possint nec debeant exercere actus iurisdictionales supra episcopos vicarios apostolicos apud Sinas tamquam delegatos Sedis Apostolicae, eorumque operarios in provinciis ipsis assignatis; sed eisdem vicariis delegatis apostolicis in dictis provinciis iurisdictionem quoad omnes private competere, donec aliter fuerit a Congregatione Propagandae Fidei declaratum, 486.
- CLX. Mandatum inquisitoribus S. Officii Portugalliae, in causa Emmanuelis a Costa Susarte clerici Portalegrensis, ut commissionis avocationi dictae causae manu SS. signatae, et litteris citatorialibus a congregatione S. Officii Urbis obtentis, omnino pareant, 487.
- CLXI. Indulgentiae et gratiae spirituales perpetuae coronis Domini nostri Iesu Christi per monachos et eremitas Camaldulenses dispensari solitis, 492.
- CLXII. Validatio confraternitatum sub titulo S. Scapularis in ecclesiis Ordinis Carmelitarum existentium, quarum erectiones post editam a Clemente VIII circa confraternitates Constitutionem revocatae non reperiuntur, et de quarum post Constitutionem huiusmodi institutarum erectione non constat, cum nova,

- quatenus opus sit, erectione et communicatione indulgentiarum, facultatum, gratiarum et privilegiorum, quae generalis dicti Ordinis pro tempore existens similibus confraternitatibus ex indulto Sedis Apostolicae communicare potest, 494.
- CLXIII. Inhibitio et mandatum inquisitoribus S. Officii Portugalliae in causâ recens *novorum christianorum*, cum avocatione causae seu causarum contra eos in dicto tribunali motarum, ac inhibitione inquisitori generali et reliquis inquisitoribus eorumque ministris, ne contra eos ad ullum actum, ut vocant, *fidei*, ullamque publicationem, seu executionem sententiarum deveniant, aut aliquid novi attentent sine licentiâ Summi Pontificis, sed decretis et mandatis Congregationis cardinalium S. Officii Urbis, cui idem Summus Pontifex causas praedictas commisit, prompte pareant, sub poenis opportunis, 496.
- CLXIV. Declaratio nullitatis deputationis officialium metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, sede archiepiscopali vacante, laicali auctoritate factae, et inde secutorum, etc. 499.
- CLXV. Pro nuntio Hispaniarum facultas deputandi officialem seu vicarium ecclesiae Caesaraugustanae sede archiepiscopali vacante, 504.
- CLXVI. Confirmatio chirographi ad favorem protomedici, eiusque consiliariorum, et collegii medicorum Urbis, quo decernitur litem super taxâ rerum ad pharmaciam spectantium a praedictis factâ contra eos pro parte collegii pharmacopolarum motam, aliasque lites super taxis huiusmodi imposterum faciendis quaecumque movendas, agi et peragi debere impensâ camerae Urbis et populi romani, per procuratores et advocatos ab eadem camerâ deputandos, cum assistentiâ tamen praedictorum; cum diversis aliis ordinationibus, 506.
- CLXVII. Absolutio Marci de Valimbert, Ioannis Cassignet, Claudii Francisci Dorival et Philippi Louvet, canonicorum ecclesiae Bisuntinae, a censuris et poenis per eos incursis ex causâ temerariae electionis decani dictae ecclesiae contra mandata Alexandri VII, attentâ eorum poenentiâ, 511.
- CLXVIII. Declaratio nullitatis articulorum tractatus pacificationis, anno MDCIII inter ducem Sabaudiae et Genevenses haereticos initae, in iis quae Catholicae Fidei et Ecclesiae iuribus, libertatique et immunitati ecclesasticae praeciudicialia sunt, 518.
- CLXIX. Indultum quo praecipitur patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Italiae, necnon superioribus generalibus quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, Adventus scilicet et Quadragesimae temporibus, in suis respectivis ecclesiis, tam per verbi Dei praedicatores in sacris concionibus, quam in aliis actionibus et functionibus, christifidelium miseras sub barbarorum servitute existentium populo proponi curent, 522.
- CLXX. Confirmatio quarumdam resolutionum circa abbates Cassinenses titulares, eorumque praerogativas, 523.
- CLXXI. Beatificatio servi Dei Ioannis de Cruce, primi religionis Carmelitarum Excalceatorum professoris, 526.
- CLXXII. Beatificatio servi Dei Francisci Solani Ordinis fratrum Minorum san-

- cti Francisci de Observantiâ nuncupatorum professoris, 528.
- CLXXXIII. Concessio indulgentiarum anni iubilaei pro monialibus, oblatiis, puellis et mulieribus saecularibus in monasteriis degentibus, ac anachoretis, eremitis, infirmis et in carcere detentis, 529.
- CLXXXIV. Erectio custodiae S. Petri de Aleantara in regno Neapolitano fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ in novam provinciam, cum omnibus privilegiis et prerogativis adinstar aliarum provinciarum Discalceatorum Hispaniae dicti Ordinis, necnon cum gratiis et indultis eidem custodiae per quinque Brevia a SS. D. N. concessis, 531.
- CLXXXV. Approbatio et confirmatio fundationum et erectionum decem conventuum fratrum Discalceatorum Ordinis S. Augustini in regno Portugalliae, et illorum erectio in novam congregationem sub titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, regendam ab uno vicario generali de sexennio in sexennium eligendo, cum communicatione privilegiorum congregationis fratrum Discalceatorum Italiae, cuius statuta et constitutiones dicta nova congregatio dictique conventus observare tenentur, 535.
- CLXXXVI. Breve, quo declaratur tam PP. Cappuccinis, quam PP. Tertiariis Gallicanae Congregationis licere personas saeculares utriusque sexus admittere ad Tertium Ordinem a divo Francisco pro fidelibus in saeculo degentibus institutum, rescissis et revocatis quibuscumque litteris et statutis in contrarium decernentibus, 540.
- CLXXXVII. Confirmatio decreti eminentissimorum cardinalium collegii Germanici et Hungarici de Urbe protectorum, ut imposterum nullus, vel convictor vel alumnus, recipiatur in dictum collegium, qui non habeat qualitates in dictâ Bullâ expressas, 542.
- CLXXXVIII. Erectio hospitii pro noviter conversis ad fidem, 545.
- CLXXXIX. Indultum quod in universo Ordine fratrum tam Calceatorum quam Excalceatorum et monialium Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum celebretur sub ritu duplici de praecepto officium et missa Omnium Sanctorum et Sanctarum dicti Ordinis die XIII novembris, 550.
- CLXXX. Confirmatio summarii indulgentiarum archiconfraternitatis et confratrum cineturatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, 551.
- CLXXXI. Confirmatio et innovatio privilegiorum per Iulium III, Gregorium XIII, Clementem VIII, Gregorium XV et Clementem IX collegio Germanico et Hungarico de Urbe concessorum, cum prohibitione episcopo Laudensi ne in ecclesiâ parochiali et monasterio S. Petri Laudiveteris Ordinis sancti Benedicti, eiusque annexis et dependentibus, olim plenarie unito eidem collegio, ullam potestatem aut iurisdictionem tam ordinariam quam delegatam exerceat, usque ad beneplacitum Sanctae Sedis, translata interim iurisdictione huiusmodi in metropolitano Mediolanensem, 565.
- CLXXXII. Exemptio Antonii Veyra Lusitani presbyteri regularis Societatis Iesu ad eius vitam a quacumque iurisdictione tribunalis S. Officii Portugalliae, ac immediata subiectio


- Congregationi S. Officii de Urbe in quibusdam causis ad dictum tribunal spectantibus, quae contra dictum Vieyra ex quacumque causâ moveri possent in dicto tribunali S. Officii Portugalliae, 573.
- CLXXXIII. Alia absolutio Ioannis Baptistae Sauvage et Francisci Perinet, canonicorum ecclesiae Bisuntinae, a censuris et poenis quibus propter temerariam electionem decani dictae ecclesiae ab Alexandro VII innotati, et de eius ordine et mandato denunciati fuerant, 575.
- CLXXXIV. Confirmatio decreti Congregationis sacrorum rituum ne liceat fratribus Trinitatis Redemptionis Captivorum habere imagines cum eorum habitu depictas vel sculptas beati Petri Paschasii martyris Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, 578.
- CLXXXV. Statutum ut in Congregatione Cassinensi monachorum Ordinis sancti Benedicti omnino serventur constitutiones et litterae apostolicae circa promotiones ad abbatias titulares ac decanatus gradum, necnon decanorum numerum et promovendorum qualitates de cetero exacte et inviolabiliter observari debere, nec expectativas ad prioratus et abbatias aliasque dignitates vel gradus dictae Congregationis primo vacaturos cuiquam posthac ullo modo concedi posse, 579.
- CLXXXVI. Prohibitio ne fratres laici seu conversi Ordinis Eremitarum sancti Augustini transeant ad statum clericalem, seu ad ordines promoveantur, etiam vigore indultorum apostolicorum, nisi petita et obtenta in scriptis licentiâ tam provincialis quam generalis, et servata formâ eorumdem indultorum, sub poenâ perpetuae suspensionis et reductionis in numerum conversorum, 582.
- CLXXXVI. Erectio custodiae sub nomine Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis in novam provinciam, cum illius dismembratione a provinciâ S. Antonii Brasiliensi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum in Lusitania, 484.
- CLXXXVIII. Licentia fundandi conventus ubique locorum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum tam Calceatorum quam Discalceatorum de solâ licentiâ Ordinariorum superioribus dicti Ordinis concessâ ad limites Constitutionis Clementis X, 587.
- CLXXXIX. Statutum, ut de cetero, qui convictores in collegiis pontificiis Anglorum, Graecorum, Maronitarum, Scotorum ac Hibernorum recipiuntur, alumnis ipsorum collegiorum in victu et vestitu totâque domesticâ disciplinâ se conformare debeant, 589.
- XC. Prohibitio extrahendi libros bibliothecarum ex monasteriis Congregationis reformatae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, 591.
- CXCI. Statutum circa novos transitus professorum Societatis Iesu e dictâ Societate ad alios Ordines translatorum, 592.
- CXCII. Confirmatio privilegiorum universitati studii generalis Cesenae eiusque collegiis a diversis Romanis Pontificibus respective concessorum, ampliatorum et confirmatorum, nempe creandi notarios et promovendi quotannis quatuor ad doctoratum utriusque iuris collegio iuristarum, ac aggregandi collegio physicorum et medicorum quosecumque in arte medicinae peritos huic collegio re-

- spective attributorum, cum indulto ut dictum collegium iuristarum, non solum praefatos quatuor quotannis, sed etiam quoscumque alios idoneos, praevio rigoroso examine, ac servatis servandis, adinstar aliarum universitatum, promovere possit, 594.
- CXCIII. Indultum ut puellae conservatorii sub titulo *Divinae Providentiae* de Urbe, licet meretricum sive mulierum inhonestarum natae vel sorores sint, nihilominus a deputatis Annunciationis B. M. V. aliarumque archiconfraternitatum et societatum Urbis ad dotes sive subsidia dotalia admitti, illaque consequi possint perinde ac si nec genitrices nec sorores tales haberent, 596.
- CXCIV. Extensio indulgentiarum, congregationi fratrum Discalceatorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum concessarum, ad favorem Calceatorum eiusdem Ordinis, etc., 598.
- CXCV. Confirmatio et innovatio Brevis Urbani VIII ab Innocentio X confirmati, quo mandatur Ordinariis locorum et generalibus Ordinum, ut saltem bis in anno necessitates sacrorum monumentorum Terraesanae populo commendari curent, etc., 599.
- CXCVI. Beatificatio novemdecim Servorum Dei martyrum Gorgomiensium nuncupatorum, 600.
- CXCVII. Avocatio controversiarum inter episcopum Ampuriensem et inquisitorem seu inquisitores regni Sardiniae ex causâ processus a dicto episcopo contra Nicolam Marinum decanum et parochum collegiatae ecclesiae de Tempio super delictis praetensis circa materiam fidei confecti, 602.
- CXCVII. Confirmatio litterarum Pauli V et decreti Congregationis episcoporum et regularium quoad abbatiarum mutationes et guberniorum pro congregatione canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini, 604.
- CXCIX. Constitutio revocatoria facultatum ingrediendi monasteria monialium almae Urbis, ac Italiae et insularum adiacentium, mulieribus saecularibus concessarum, 606.
- CC. Declaratio circa celebrationem capitulorum provincialium Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum, 608.
- CCI. Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex ecclesiis tam monachorum quam monialium Congregationis Vallisumbrosae die festo S. Ioannis Gualberti abbatis, fundatoris dictae Congregationis, 610.
- CCII. Declaratio quod conventus Iesu et Mariae de Urbe Congregationis Italiae fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini Excalceatorum sit conventus generalis et studii generalis, etc. 610.
- CCIII. Confirmatio constitutionum Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, 612.

FINIS TOMI DECIMIOCTAVI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.

P. CLODOVAEUS A COSTIOLIIS Ord. Min.



ERRATA-CORRIGE


HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

Pag.	168 a	linea	8	Clemens Papa IX	Legit	Clemens Papa X
	144 a		11	MDCLXXI	—	MDCLXXI
	152 b		9	1681	—	1671
	173 b		5 ult.	(nota) Clemens IX	—	Clemens X
	173 b		4 ult.	(nota) mai	—	mai
	196 b	(nota 1		adiicimus	—	addeimus
	256 b	linea	17	1861	—	1671
	348 a	(nota)		supra	—	infra
	354 a	linea	20 ult.	sitam, sanctae	—	sitam sanctae
	409 a	"	21	Clemens PP. IX	—	Clemens PP. X
	414 a	(nota 2,		absolvas	—	absolotos
	419 a	(nota 3)		memoratum	—	memoratorum
	449 a	(nota 1		ni si sint	—	ni si sint
	451 a	(nota 1)		concessa	—	concessus
	499 b	linea	17	indecisae ^t curia, iudices	—	indecisae) curia, iudices ^t
	567 b	(nota 2,		habetur	—	habetur
	619 a	(nota)		gravissima	—	gravissime

Typothetarum specimen
 repetitis curis contulit et revisit I. B. Desso Taurinensis.







PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BX
350
A37
1857
V.13
C.1
R0BA

